


8
3 L
9

AVREA IN QVINQVAGINTA DAVIDICOS PSALMOS DOCTORVM GRAECORVM CATENA

Interprete DANIELE BARBARO
Electo Patriarcha Aquileiensi.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, apud Georgium de Caballis.
M D LXIX.

LECTORI.

QVOD attinet ad pietatem, & fidem, illud in primis atteſtatum uelim, me fraude nulla, aut decipiendi propoſito, interpretationem pſalmorum aggreſſum fuiſſe, verum omni potius ſinceritate, & candore, ſolo iuuandi ſtudio, ad Dei gloriam eam laborioſiſsimam prouinciam ſuſcepiſſe. Quod ſi quid aut incuria, aut inſcitia mea prætermiſſum, aut admiſſum deprehenſum fuerit, boni conſulat lector optimus, & ſciat me iudicio Sanctæ matris Eccleſiæ omninò ſubijci uelle.

SANCTISSIMO PATRI
PIO V. PONT. OPT.





A eſt Beatiſs. P. horum temporum calamitas præcipua, & inſignis, quod erroris ſpiritu ſimulata pietas in morem induxit, ut quiſque ſacrorum dogmatum, & diuinorum myſteriorum doctor, interpres, atq; adeò ſequeſter eſſe uelit, & nihil non ſibi arroget, eo prætextu, quòd ſpiritu Dei agatur, quòd alioqui literarum ignari, rudes, ac communes homines, eloquia Dei, Chriſti doctrinam, Eccleſiæ ſenſum æquè percipiant, ac ſi aliqui eſſent ex Prophetis, & Apoſtolis, & reliquis Sanctis Dei. Hanc iudiciorum peruerſitatem à quacunque cauſa ortum habeat, perfecti miſeram, imbecilles ſuſpectam, pij demum omnes deteſtabilem habent. Nam qui per charitatem Deo inhærent, & exercitatos habent ſenſus, benè norunt illos, ſiue errore decipiantur, ſiue ex propoſito peccent, longè miſerrimos eſſe: nam error huiuſmodi non minus flagitium quoddam eſt, quam flagitiorum multorum, ſuperbiæ inquam, ac inobedientiæ; & negligentiæ quidam cumulus. Propoſitum uerò præter crimen, habet multorum, & ingentium ſcelerum coniunctam pœnam, ut quemadmodum illi, uel dolosè, uel uiolenter alios in errorem rapere ſtudent, ita ipſi à ſpiritu nequam decipiantur, & diuino iudicio in mentis cæcitatem, & peruerſitatem abducantur. Perfecti igitur, quibus clariſsimum ueritatis lumen ueritas ipſa prætulit, in qua etiam continenter ambulant, horum miſeriam cognoſcentes, dolent, & Dei offenſionem, & animorum labem, & illorum interitum ægrè ferunt. At imbecilles, & in fide nondum firmati, hos quidem ſuſpectos habent propter nouitatem, diuerſitatem, & inconſtantiam opinionum illorum; nec poſſunt blandis illorum ſermonibus acquieſcere, metuunt ta-

men, & nutant. Quodsi diligentius attenderent, & accuratius perpenderent instituta, mores, & actiones illorum, uiderent profectò contradictionem in ciuitate, domesticum bellum, intestinum morbum, dolum in plateis eorum, adulteratores scripturarum, inuersores authoritatum, infideles interpretes, discordiarum, & Zizaniorum seminatores, serperastros, & pessimos demum eos esse cognoscerent, & his notis agnitos non amplius suspectos, & dubios, sed reos planè professos, & obnoxios iudicio censerent. At pij demum, quiq; ulterius in uia Domini progrediuntur, eorum conuenticula fugient, in cathedra pestilentiæ cum illis non sedebunt, nec erunt tanto errore inflati, ut se scire iactent, quæ nesciunt, iudicare uelint, quæ ignorant. & si quid citra culpam errauerint, nullo prauo pudore affecti, si moneantur, aut erratum fateri, aut deponere uerebuntur. Redeo nunc ad communem nostrorum temporum labem, insanã quidem docendi, interpretandi, ac iudicandi libidinem, quam & si nullis innocentiæ exemplis, nullis doctrinæ argumentis, non indulgentia principum, non moderatione conciliorum, non alia ratione retardari, aut comprimi posse uidetur, non mediocrem tamen fructum boni his percipient, si in fide persistant, si orationibus uacent, si uirtute morum ora leonum obturent: si ueterum patrum uigilias, & studia nouitatibus, & insanijs eorum opponant. Si laborent in eo, ut populus Christianus facilè deprehendat improbos illos tanquàm lupos Ecclesiæ Dei, & ouili Sancto Christi insidiari, pacem, hoc est testamentum Christi Christianis inuidentes confringere, & potestates a Deo datas, uel institutas delere, omnia demum rapacitati, ac libidini committere uelle. Quæ omnia pietas tua longè antea præuidit, condoluit, & quantum in se fuit, ad ea remedia deuenit, quæ ægrotanti, ac propè desperatæ reipublicæ Christianæ subuenire possent. Innocentia uitæ, scientiæ lumen, sedulitas officij, talentum tibi a Domino traditum fuere, quod ubi cum lucro illi reddidisses, supra multa Dei misericordia constitutus es. In hoc igitur amplissimo dignitatis gradu, è quo tanquam è specula tempestates, ac procellas nauiculam Petri iactantes, cum facilè prospicias, mirum est

quanta

quanta Dei benignitate illius periculis, te gubernante, prouisum sit. Exaudiat igitur te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Emittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Ego uero interim cum Deo placitum sit, ut quamuis indignus in sacros ordines coaptatus sim & sanctæ sedis Apostolicæ gratia, non expertem magni officij, ac dignitatis locum assequutus, eiusdem officij, & gradus memor in eam curam incumbam, ut omnes ueterum studiorum meorum rationes ad sacrosanctos scripturæ libros perlegendos, & sacros Ecclesiæ doctores interpretandos annuente Deo conferam. Cuius auspicijs collectos in catenæ modum a sancto quodam uiro, Græcos doctores, qui in Dauidicos psalmos scripsere, iam interpretatus sum, utinam cum labore pari utilitate, ac fructu. Horum igitur partem tertiam a doctissimo, atque optimo uiro Cardinali Sirleto persuasus, (ingenuo licet pudore cohibente) tuæ Sanctitati dicatam in lucem edo. Reliquas duas eidem nomini tuo sacratas in Dei nomine consequenter editurus, Quid autem animo profecerim ego, Deus nouit, quantum alijs profuturus sim, sentient studiosi. Illud unum mihi gratissimũ fuisse affirmare possum. Quod & si scio implacabiles esse hæreticorum animos, obstinatas mentes, contumaces opiniones, boni tamẽ illi imbecilles, quos superius in secundo ordine collocaui, cum uiderint ueterum doctorum omnium concordiam in sacris dogmatibus astruendis, istas insaniæ, & furoris plenissimas nouitates irridentes audacter reijcient, Beatissimæ Trinitatis unam maiestatem adorabunt, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut in substantiæ, sic in honoris, & dignitatis paritate & unitate credentes uenerabuntur, Christum filium Dei, cum Beatissimo Petro, eundem & filium hominis profitebuntur, nihil fictum, nihil excogitatum in eo esse (ueritas enim est) sed ueram carnem de immaculata Virgine sumpsisse, & humanitatem propterea ad Cælos, & ultra etiam extulisse cognoscent. Mysteria omnia diuinæ dispensationis amplectentur, de cruce condolebunt, de resurrectione, ac redemptione gaudebunt, Sanctos, qui in Deo sunt, & in quibus Deus est, & qui cum Christo unum sunt. debita reuerentia pro-


 sequentur.

ſequentur. Sacramenta omnia ritè ac rectè ſuſcipient. Eccleſiam & ſacras eius ordinationes, ritus, ornamenta, & theſauros magnificent, obſeruabunt, admirabuntur, pœnas tum temporarias, tum æternas à Deo formidabunt, præmia demum ſempiterna, erecta ſpe bonorum operum, & conſcientiæ puritate, cum ingenti lætitia à Dei miſericordia expectabunt. Quæ omnia unanimi, ac propterea uerò, & ſpiritali ſenſu à ueteribus diffuſiſsimè tractata, & a pijs ſuſcepta, pacem Eccleſiæ in maximis eius afflictionibus comparabunt, Impij antem confuſionem ſuam confeſtim ferentes peribunt.

Daniel Barbarus electus Aquileienſis.

AD REVERENDISS. PATREM CARDINALEM SIRLETVM,

INTERPRETIS ELECTI AQVILEIENSIS SERMO IN PRAEFATIONE PSALMORVM.



VIS Ego ſum Pater Reuerendiſ. quí audeam cum propheta diuinos cantus, ac Dei laudes in Eccleſia magna concinere? Quibus nam pœnitentiæ lachrymis, contractas per negligentiam, & nequitiam ſordes, & maculas abſterſi? Quomodo ſciam iubilationem, qui angore conſcientiæ adhuc miſerè crucior? qui in diuerſa ſtudia continenter diſtrahor? qui diuinum ſpiritum in me loquentem non audío? qui demum ad agendum iners, ad meditandum ineptus, & ad loquendum timidus, ad gratias Deo agendas piger ſum? Profiteor quidem Chriſti fidem, opto in templo ſancto eius vnanimi conſenſu cum fratribus inhabitare, odio proſequor peſtiferum conſeſſum. Sanctus Dei ſpiritus continuò me adhortatur, admonet, atque adeò compellit: at ego ſurdus, & ſegnis ſapienter cantantis uocem non audiens nihil moueor, nihil molior, nihil ex tam benignè oblata ope fructus percipio. O miram ingratitudinem. Audeo tamen pollutas manus ad ſacroſancta Dei myſteria admouere. Afflatós Dei ſpiritu ſermones aggredi, ſanctorum ſenſus interpretari, & ignarus diuinæ exultationis, & rudis cœleſtis choreæ Angelicis cætibus me immiſcere. At adiuuet me (ſupplex oro) indiuidua Trinitas, quam profiteor, Pater, & Verbum, & Spiritus, & ſanctæ uniuerſalis Eccleſiæ Dei dilectæ uox, & Ieſu Chriſti Domini noſtri eius ſponſi gratia, & Euangelica uirtus. Nam mihi ſatis compertum eſt (quod & animum mihi reddidit) ex præclaris ſanctiſsimorum uirorum teſtimonijs ideò ſacroſanctam ſcripturam a ſpiritu conſcriptam eſſe, ut in ea, tanquàm in communi animarum medica officina omnes homines proprij morbi remedium ſibi ſecernant. præcipuè uero pſalmorum librum ea continere, quæ alias alibi in reliquis ſcripturæ libris ad hominum utilitatem, & prouentum reponuntur. Gratias autem ago Domino Deo meo, qui aliquem ægritudinis meæ ſenſum mihi reliquit, qui ſe uerum medicum profeſſus eſt, qui opem ſuam cunctis ultrò pollicitus ſe ſemper ad medendum paratum præbet. Cur igitur ego nolim ſanus fieri? cur medicam manum non implorem? cur bona erectus ſpe, humili tamen corde in priſtinam ualetudinem me reſtitutum iri non ſperem? Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Cæterum hoc, ut alia magna & innumerabilia Dei bonitati acceptum referre poſſumus, quod ipſo inuocationis momento, dum loquimur adhuc dicit ille. Ecce adſum. Adeſt autem non medicus tantum, ſed medicina, & ſanitas, & uita, & reſurrectio, quin & ſcientiam ſcientiæ ſuæ unà cum ſanitate impertit. Liceat mihi antè oculos mentis meæ diuinos proponere ſacræ lectionis theſauros, & quod gratia Dei legendo animaduerti, in præfatione profiteri. Atque illud in primis cũ ſanctis uiris unanimi ſententia comprobabo,

quæcun-

quæcunque scripta sunt, omnia ad utilitatem nostram scripta esse. Eò enim tendit clementia Dei, ut nos a malo reuocet, & ad bonum moueat, atque etiã iuuet. Infirmi enim sumus & conturbata sunt ossa nostra, & inueterauimus inter omnes inimicos nostros, fide nos communire, spe subleuare, charitate tueri uoluit, cumque bene nosset, quam cæci, quàm imbecilles, quàm graui corde essemus, priorem legem speciẽ quandam terrorum, minarum, & iudiciorũ plenam dedit. Historiam mirabilium suorum in opificio rerum, in magnitudine proposuit. beneficientiæ suæ munera cum maiestate coniunxit. Edicta protestationibus, & cõminationibus referta promulgauit, uitæ institutionem, & sapientiam præceptorum breuitate, promissorum, ac figurarum obscuritate, & mysteriorum uelamẽto inuoluit, quæ omnia ut immensæ misericordiæ signa erant accuratè considerandi, eo tamen modo edita sunt, ut contumacibus, & rudibus formidabilia uiderentur. Quo ægroti saltem suppliciorum mortis, & metu, à noxijs cauerent, & saluti propriæ prouiderent. Cum uero uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Licet autem longè antea humanitatem, & carnem assumere potuisset, tamen nisi in fine seculorum, postquam lex naturæ, & lex figuræ præcessissent, post Patriarchas, & Prophetas, quibus, & per quos repromissus eius aduentus in carne fuit. Apparuit ergo gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentũ gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Ecce amoris legem, quæ timorem antiquum expellit. Ecce manifestam, conspicuam, & illustrem misericordiam. Apparuit gratia, quæ latebat in promissis; quæ typis obsignabatur, quæ in sinu Patris recondita, quam paucissimis manifestabatur. Ea nunc apparuit, non in angulis, non in conuenticulis, sed omnibus hominibus, in terris enim uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Sed quid attulit gratia hæc? certè bonum, & magnum bonum, gratia enim est, & Dei gratia est, & Saluatoris opus. Attulit eruditionem, attulit scientiam: quam scientiam? quam eruditionem? Infirmitatis nostræ, medellæ nostræ, salutis nostræ. O præclaram medicinæ sciẽtiam, quæ causas, quæ morbos, quæ signa, quæ curationis modum & uiam ostendit, salutem largitur, & in uitam quoque reuocat desperatos. At qui morbus est? prima peccati labes ab origine contracta, recentia delictorum uulnera, inueterata ulcera, inanes curæ, insaniæ falsæ, impietates, & seculi desideria. Quæ medellæ? ratio uictus, sacramentorum tãquã pharmacorum adhibitio, manus quoque diuinæ correptionis adiectio, sobrietas, iustitia, & pietas, ut nihil nobis desit, quod Deo, nobis, & proximis debeatur. Quæ salus? Vita in Deo per Iesum Christum, præmium incorruptum, regnũ cœlorum, sessio ad dexteram, gloria sempiterna, uisio Dei, fruitio Trinitatis. Sapientissimus ergò artifex in homine reparando, quæ ad hominem reparandum, & quæ ad excellentiã reparationis pertineant, aptissimè respexit: nam libertas arbitrij requirebat, ut ad nihil traheretur inuita: Et propterea Deus sic uoluit genus humanum instaurare, ut illi salutem inuenirent, qui quærerent Saluatorem: Quærite (inquit) & inuenietis, qui uerò nollent quærere Saluatorem, nec salutem inuenirent: Nullus autem medicum quærit, qui se malè habere non sentit: nullus ad doctorem accedit nisi qui se imperitum cognoscit: nullus denuum au-

xiliatorem

xiliatorem implorat, nisi qui se opis indigentem putat. Quoniam uerò homo initio lapsus fui ob scientiam rerum naturæ, ac uirtutem se efferebar, ideò legem naturæ præmisit Deus, ut ignorantia hominis deprehenderetur. Quomodo enim non ignorans deprehendetur, qui quod in eo inditum est à natura nõ sentit? qui ab internæ legis instinctu aberrat? Traducta igitur hominis ignorantia, cum reliqua esset de uirtute superbia, qua dicebant, nõ deest, qui faciat, sed deest, qui iubeat, allata est lex tanquàm iugum, & cerimoniæ tanquàm onus, ut ex præuaricatione legis, imbecillitate perspecta ad sinum misericordiæ Dei confugeret homo, & gratiam postularet, quæ data est nobis in aduentu Filij Dei Domini nostri, qui utramque legem subsequutus est, qui remedij præstantiam respiciens: (erat enim illud ut firmissima fide in Christum crederemus, & ardentissima charitate Deum diligeremus) uoluit ut aduentum eius antecederent multa prophetarum testimonia tum uerbis expressa, tum figuris compressa, ut multis, & firmis attestationibus quod secretum erat, certum fieret, & indubitabile ad credendum, & uota promissorum expectatione uehementiora fierent, ut quod diù exoptatum esset, adeptum tandem ardentius amaretur, & ampliori gratia susceptum diligẽtiori cura seruaretur, iuxta illud. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Et infra. Non abscondi misericordiam tuam, & ueritatem tuam à concilio multo. Et demum. Adiutor meus, & protector meus es tu, Deus meus ne tardaueris. Quæ omnia prophetæ desiderium ardentissimũ, gratiarum actionem gratissimam, & curam seruandi muneris diligentissimam ostendunt. Cum uerò ad reuocandos homines ab improbitate, & ad uirtutem aduocandos multæ sint uiæ Domini, præcipua tamen illa sunt, quæ in scripturis continentur, potentissimæ maiestatis edicta, & præcepta Dei, sapientissimæ ueritatis documenta, & dogmata, innocentissimæ bonitatis exempla, & beneficia, uel omnia hæc simul, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Trinitas impartibilis: Vnde quicquid lex, quicquid historia, quicquid sapientia, quicquid habet prophetia diligentissimè, ac pijssimè attendendum est, & scrutandæ sunt scripturæ, quoniam testimoniũ perhibent de Filio Dei, qui & ipse cum Patre testimoniũ de se facit, ut scriptura, quæ uias, & rationes sapientiũ mundi negligit, & præfinitiones, & partitiones, atque rationũ collectiones, in exempla, minas, mandata, exhortationes, promissa, ac rectos animi affectus cõuertit, (his enim methodis utitur) certitudinem haberet, quæ omnem euidentiã, & efficaciam superaret: Certitudinem inquàm diuinæ authoritatis. nã cũ certa eius authoritas nõ sit, qui fallere, ac falli potest, nullus autem sit, qui falli nõ possit, & fallere nesciat nisi Deus, & Spiritus Sanctus, hinc est quod ad sanciendam scripturarum authoritatem, non humanà inuestigatio, sed diuina reuelatio instituta est.

Sileat ergo superba, & nimis arrogans perniciosorũ hominũ de expresso Dei uerbo professio, expressum sanè, sed breuiatũ uerbũ fecit Dominus, uirtute continens multa, quæ nec totus orbis capere potest, quæ mens a spiritu aliena interpretari non potest Ecclesiæ sponsæ illud munus est, nõ fornicariæ, nõ adulteræ, nõ insipientis, & obcæcatæ meretricis. Quare in scriptura nihil est quod contemnas, quod reprobes, quod reijcias, tanquàm uile, tanquàm falsum, tanquàm noxium. Nam cœlũ, & terra transibunt, uerba autem eius, sed nec apex quidem unus, præteribit. Clara est, & quæ nunquàm marcescit Sapientia, & facilè uidetur ab ijs, qui diligunt eam, & inuenitur ab ijs, qui quærunt illam, præoccupat qui se


concu-

concupiscunt,& ijs se prior ostendit. Ex omnibus igitur ueteris testamenti libris hortãte Deo psalmorũ librum, & sanctos eius interpretes, Ecclesiæ lumina delegi, ad quos studia mea referrem. Videbam enim in Ecclesia, passim per omnium ora uolitare Dauidicos hymnos, uirtutẽ reconditam in illis contineri audiebã, siue prophetiæ spiritũ, siue decus uitæ, siue beneficentiæ Dei exempla, quererentur. At profectò spes mea non confudit me. Placuit enim Domino pascere me, & ad læta pascua me deducere. Quid enim in hoc sacro sancto dælitiarum horto non inueni? quid ex his diuinis thesauris non spero? quid unquam mihi defuturum timebo. uelim modo Dei benignitatem implorare, cum initio statim fœlicitas, & beatitudo mihi promittatur? Commendatio sacræ scripturæ & commeditatio in lege Dei, & uberes inde fructus mihi proponantur? Doceor inde uanos esse hominũ conatus, ac summo periculo coniunctos, qui se Christo regi opponũt, cui datæ sunt gentes in hæreditatẽ, qui Dei Filius est, & rex cõstitutus a Deo super Sion montem sanctũ eius, licèt cũ eo semper regnauerit. Doceor peccatores omnes pessum ire, attamen in spe bona resipiscere, ac pœnitere: bonos præterea tribulationibus expositos, Domini tamen esse salutem, & super eos benedictionem suam. Doceor Dei beneficentiam continenter recolere, admirari, prædicare, extollere. Doceor delicta mea deflerè, ex corde pœnitere, ueniam petere, iustitiam colere. Doceor in tribulationibus ad Deum accedere, illi fidere, in eo spes meas collocare, ipse lumen, refugium, adiutor, protector bonorũ est. Moneor non esse malos æmulandos, nec eorum mores sequendos, utcunque illi diuitiis affluant, dignitatibus præfulgeant, uoluptatibus perfruantur. Instituor ad patientiam, & ad expectandum Deum, ad contemptum rerum fluxarum, ad oblectandum me in lege Dei, innotescunt mihi orandi conditiones, puritas, humilitas, feruor, frequentia, confidentia, honestas, gratitudo, & cõmunicatio. Disco quibus oporteat esse moribus cœlorum ciues, & sanctæ Ecclesiæ Dei, ac diuinæ reipublicæ municipes. commemoratur illa fœlicitas, quam tũ in terris, tũ in cœlis habent qui recti sunt corde. Recensetur illustres uictoriæ, quas protectore, ac propugnatore Deo, ac Domino exercituum de uisibilibus, & inuisibilibus hostibus reportare solẽt, qui Deum timent. Vnde diuina encomia celebrantur, in quibus uis, & efficacia uerbi Dei explicatur. Stultitia, & insipientia illorum proditur, qui oppugnant, aut contemnunt, aut inuertunt uerbum Dei. Superstitio uana tollitur, hæreseos pestis damnatur, uerus Dei cultus inducitur. Mysteria (quod præcipuum est in psalmis) redemptionis, & Domini crux propalatur. Ecclesiæ ortus, incrementum, firmitas, uenustas, consensus, regnum, sponsalia, & dotes, ac thesauri prædicantur. Euãgeliũ promittitur, lauacrum regenerationis in aqua, & Spiritu, & mirabiles eius effectus celebrantur. Nam uox Domini super aquas, Deus gloriæ intonuit, Dominus super aquas multas. Sacrificium incruentum Deo gratum, hostia laudis, mensa cœlestis, uiuificus panis oblatio immaculata, Deo accepta apertissimè inducuntur. quæ omnia cum eximijs promissionibus, exhortationibus, & consolationibus coniuncta sunt, unde supplicationes, preces, uota, gratiarum actiones, cum gaudio spirituali, & iubilationis scientia, ac benedictione Deo cum odore suauitatis offeruntur, & inuitantur, excitantur, ac suauissimè propè trahuntur omnes orbis incolæ ad Deum adorandum, timendum, laudandum in spiritu & ueritate, in idipsum cum fratribus consentientes, in omne opus bonum, & doctrinam sanam sapienter, & cum tremore diuinorum iudiciorum secundum aduentum expectantes, cum spe præsentis gratiæ, ac futuræ gloriæ. Amen.

BA-

BASILII MAGNI ARCHIEPISCOPI CAESAREAE CAPPADOCIAE.

SERMO IN PRINCIPIVM PRIMI PSALMI.





CRIPTVRA omnis diuinitus afflata, & proficua eo fine à Spiritu Sancto conscripta est, ut tanquam in communi animarum medica officina, omnes homines proprij morbi remedium quisque sibi deligamus: nam curatio (inquit) cessare facit peccata maxima. Verum alia prophetæ docent, alia historici: alia item lex, & alia genus illud adhortationis, quod prouerbiorum forma exprimitur. Sed psalmorum liber quicquid in omnibus utilitatis inest, id omne complexus est. Futura prædicit. historias narrat, leges uiuendi præscribit, agenda præcipit, ac demum (ut omnia summatim semel colligam) commune optimarum disciplinarum & documentorum promptuarium est, quod quid cuiusque usus postulat, diligenter inuenit, nam uetera animarum ulcera sanat, recenter uulnerato præsentaneam medellam affert. Quod morbosum est, fouet, & quod illæsum (si quid modo est) seruat, & ægritudines demum, quæ multis modis in hominum uita animis dominantur, eximit quantum fieri potest, idque leni quadam, & iucunda animi deductione, ac uoluptate, quæ sobrium, ac prudentem quendam sensum ingenerat. Quoniam enim Spiritus Sanctus uidit humanum genus ægrè trahi ad uirtutem, & ob procliuitatem ad uoluptates rectam negligere uiuendi rationem, quid fecit? Cantus oblectamenta cum præceptorum traditione mirabiliter temperauit, ut leni, ac blando aurium sensu latenter utilitatem ex sermonibus caperemus: more peritorum medicorum, qui austeriora pharmaca nauseantibus propinaturi, pocula sæpe oblinunt mele. Hac de causa psalmorum carmina ad harmoniam excogitata sunt, ut qui ætate pueri sunt, & iuuenes moribus, canere quidem sibi uideantur, re tamen ipsa animos erudiant. Neque enim Apostolicum, neque Propheticum præceptum ullus ex uulgo, aut ingenio tardus unquam facilè memoria retinens discessit. At psalmorum oracula, & domi canunt, & in foro circunferunt, & ubi quis præ nimia ira furens psalmos sibi incini senserit, illicò feritate animi, melodia tanquam cantu sopita discedit: Psalmus est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas, & fluctus cogitationum compescens: Iracundam animi partem emollit, interpretantem cohibet: Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium coniunctio, inimicorum reconciliatio: Quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad Deum uocem emittit? Quare quod maximum est bonorum omnium, Charitatem præstat psalmorum commodulatio: quæ tanquam uinculum quoddam ad unitatem concordes canendi modos excogitauit. Psalmus dæmones fugat, auxiliares Angelos aduocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est. Infantibus tutela, iunioribus ornamentum, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus. solitudines celebres facit, forum moderatum reddit, elementum incipientibus, incrementum proficientibus, confirmatio perfectorum, est Ecclesiæ uox. Psalmus festos dies lætitia plenos agit, hic tristitiam, quæ secundum Deum est, inducit. Psalmus enim uel ex lapideis cordibus lachrimas elicit. Psalmus est Angelorum opus, cœlestis respublica, spiritale odoramentum. O sapiens doctoris inuentum, qui nos simul canere, & utilia discere excogitauit: quo fit, ut præcepta magis in animis adhærerent:

adhærerent: nam quod uiolenter docetur, diu permanere non solet: quod uerò cum delectatione, ac lepore immittitur, firmius animis inhæret. Porrò autem quid hinc non addisces? nonne fortitudinis magnificentiam, non exactam iustitiæ rationem? non temperantiæ grauitatem? non prudentiæ perfectionem? non'ne pœnitentiæ modum? non tolerantiæ mensuram, non quodcunque aliud bonum afferre potest? Hic inest Theologia: hic prædictio de Christo in carne uenturo. Hic iudicij comminatio, resurrectionis spes, suppliciorum metus gloriæ promissiones, mysteriorum reuelationes, omnia tanquàm in magno, & communi penu in libro psalmorum recondita sunt, quem quidem librum cum multa sint musica instrumenta, ad id tamen, quod psalterium uocatur, propheta uoluit temperare, ut gratiam (ita reor) ex supernis à spiritu in ipso resonantem ostenderet. propterea quod hoc unum ex organis rectissimum est, & à summis partibus sonorum occasionem sumit. Cythara enim, ac lyra, ab imis partibus æs ad plectrum sonat: psalterium uerò istud supernè num habet, unde iucundos, & suaues numeros edat. Quin etiam nos superna quærere meditemur, & ne carnis uoluptate ad carnis affectus deuoluamur. Sed & illud arbitror propheticum sermonem altè nobis, & sapienter per ipsius instrumenti compactionem indicasse, quod scilicet qui probè, ac concinnè animis constituti sunt, facilem ad superna profectionem habent.

Sed quod reliquum est etiam psalmi principium uideamus.

**

*

EVTHYMII MONACHI ZIGABONI PRAEFATIO IN PSALTERIVM.

Ex interpretatione Philippi Sauli Episcopi Brugnatensis.



*HVIVS quidem libri Author (ut planè quod summum est di-
cam) & Dei Filius fuit (protegam enim, inquit Dominus, ciui- 4.Re.19.20 Math.1.
tatem hanc propter me, & propter Dauid filium meum) & pa-
ter Dei, liber enim inquit, generationis Iesu Christi filij Da-
uid. Cætera uerò (ut paucis complectar) qui post Abraham
solus fuit gentium pater, qui noster Orpheus, qui primus ele-
gans conscriptor uirtutum, & primus trium personarum
uniusque diuinitatis præco: qui pastor unà, & inuictissimus mi
les, propheta, & Rex: qui & primi regis cor, lingua fuit, & ca
lamus: cui à Deo testimonium est præstitum: quique omnes eas sibi parauit uirtutes,
quæcunque hominem faciunt Deum, & homini ascribi possunt. Hic Iesse quidem fi-
lius, & fratrum iunior, exilis aspectu corporis, animo formosissimus: omnium prophe-
tarum, imperatorum, legislatorum, regum fuit excellentissimus: & innumeris præ cæ-
teris omnibus, charismatum donis refertus. mitissimus quidem spiritu, & natura etiã
modestissimus: uirili præditus mente, & corpore etiam robustissimus: principem unà
atque æqualem omnibus se præbebat: magnanimus simul & comis, simplicissimus pari-
ter ac prudentissimus: moribus dulcis, & acer sermone, intellectu multus, & diuino
lumine planè adflatus: dum in eorum, quæ sunt, seu potius in eius qui uerè est, contempla
tione uersatur, à se ipso edoctus, & doctus à Deo: qui totus etiam, ac toto semper erat cũ
spiritu. His tamen omnibus prætermissis, seu potius breuiter in unum collectis: duas
tantum nunc illius uirtutes persequar, sapientiam scilicet, & fortitudinem. & de sapiẽ
tia quidem prius differemus. Ait quodam in loco profundius, magis quàm obscurius.
Manus meæ fecerunt organum: & digiti mei concinnauerunt psalterium. Sapientia 1.Re.17.
enim nihil aliud est, quàm harmonia quædam, & concinnitas dictorum, ac factorum:
Præterea inter rationales scientias. Musice optima est, summa sapientiæ pars quæ seipsã
unà, & oẽs philosophiæ partes, atque ornamenta, & sibiipsi, et alijs mutuò, per se adcõmo
dat, & coaptat: symphoniaq; & concentus quidã cæteris omnibus est, & proportio. Qui
igitur hanc musicen confessus fuerit fuisse in Dauid, uniuersas ei etiã rerum omniũ sciẽ
tias breui adscribet. Obseruandũ uerò est, qua ratione beatus Dauid, organo quidẽ ma-
nus, & faciendi uirtutẽ simpliciter adscribit: psalterio uerò digitos, cõcinnitatẽq; atque
harmoniã. Quia scilicet organũ simplicius instrumentũ est, ac magis uulgare: Psalteriũ
uerò, & ad sublimiorẽ scientiã pertinet, & arte indiget diligentiori. Iuxta anagogem.
Manus accipiũtur, prò uirtute factiua: quæ uitã, ac conuersationẽ nostrã quasi organũ,
sibiipsi cõsonã, ac benè dispositã reddat. digiti uerò cõsiderationes ac contẽplationes subli
miores intelligẽdæ sunt: quæ intellectuale rationis iudiciũ, quasi psalteriũ quoddã cõcin
nãt: ita ut supernè inspiretur, pulseturq; et ab alio maiori moueatur. Itẽ alibi in psalmis
ait: incerta & occulta sapiẽtia tua manifestasti mihi, ò admirandũ Dei opus. neq; .n. solã Psal.50.
uisibiliũ cognitionẽ, sed ẽt arcanorũ Dei scientiã edoctus est: q. s. unitas sit, & trinitas,
& quæcũque alia ad Dei incarnationem pertinẽt, & rursus alio in loco dixit: super om-
nes docuisti me mandatũ tuũ: de eo loquens mandato, quod ad actiones pertinet, in quo*

uirtutis genere pariter primatum obtinuit. De fortitudine uerò idem ipse narrat dicens: exiui obuiam Philistæo, & maledixit mihi in idolis suis, ego autem exerto eius gladio, decollaui eum, & abstuli opprobrium à filijs Israel. Tu modo considera hic, non fortitudinem tantum, sed & multò magis animi moderationem, quippe cū multa & magna tunc recensere posset, inimicorum scilicet copias, audaciam, arma, bellicas artes, & studia: ipsius etiam gigantis, aut potius elephantis illius arrogantiam, peritiam, uires, magnitudinem: Iudæorum præterea timorem, solicitudinem, ipsiusq; Saul regis anxietatem: & quomodo ob unicum etiam Philistæum omnes erant perterriti: dux, milites, iuuenes, senes: quomodo ipse Dauid adolescens erat, & pusillus, inermis, belli ignarus: & tamen ausus sit aduersus Barbarum illum decertare: unde interfecta tanta illa ac tali fera, facilem regi uictoriam præstitit: quippe qui illius capite à reliquo corpore auulso, atque hoc ipsiusmet gigantis gladio, timorem omnem dissoluit: cædes antea fieri solitas repreßit: exercitum, ducem, patriam, maiorum sepulchra, leges patrias, templa, parentes ipsos, & omnem denique ætatem seruauit: ipse tamen in his nihil gloriatus est, sed singulare certamen quod sibi fuit cum ipso Goliath, tantum modestisimè narrauit. Veruntamen hic noster tantus, ac talis Dauid, ne omnia per singula persequar, negligitur à patre (qui initio exteriora tantum spectabat) & ad greges mittitur, & ad armenta: quinimò horum etiam fœtas oues sequebatur, & pater quidem in terra eum abyciebat, Deus uerò desuper adoptabat, eumque ueluti regium puerum, regali hoc est pastorali scientiæ primum uacare, inter irrationalia præparauit: uigilare scilicet, certare pro grege, periculis se opponere, contendere aduersus feras, latrones, fures, famem, & frigora: præire etiam, & aduocare ad pascua, ad umbras, ad fontes, ad flumina: reuocare item, & in unum adducere, uirga, uoce, cantu, & fistula, delectare etiam, ac perterrere: uiuendi normam præbere, & mederi, quorum omnium is est finis, ut non pinguem modo, sed ut moderatisimum etiam, & castigatisimum gregem ostenderet. Sed quid pluribus opus est: uenit paulò post unctor: ungendus perquiritur, procedit copiosius ille, pulcher, & clarus filiorum chorus: imponitur cornu, superponitur Deus: & quemadmodum antea Pater ipsum Dauid, sic & Deus omnes alios reprobauit. Cogitur Pater, qui neglexerat, neglectum adducere: adducitur itaque, & ungitur ad utrunque: ad regnum nimirum, & ad prophetiam, cornu siquidem, & spiritu, figura erant hæc Saluatoris nostri Iesu Christi: qui in regem ungendus erat, & in Deum. Quid igitur posthæc? bellum adest à Philistæis, bellum inquam grande: quinimò immensum, & insuperabile, omnia tam regis, quàm uniuersæ gentis negocia in summo erant discrimine, ipse autem liberator aduenit propheta, miles pariter, & Rex. Negligitur rursus atque abyicitur, & rursus ipse patientia sua fratres responso Saul, fortitudine Goliath, & omnes insuper, qui tunc temporis & antea, ac postmodum fuerunt immensa hac Gigantea pugna superauit: unusque pro omnibus, contra omnes, supra omnes, seruauit omnes. Sed quid deinceps, simul regnat, simul exercitum ducit, simul dirigit atque administrat: imò uerò quæ reliqua sint, ipse unus moderatur: & exteros quidem inimicos, armis, suos uerò, hoc est ipsius Saul malignos spiritus melodia simul, ac spiritu superat. Coronatur itaque, & laudatur ab omnibus, & supra omnes, in cantumque ipsis etiam effectus est mulieribus, Percusit Saul mille, & Dauid decem millia. Inuidetur rursus, persecutionem patitur, fugit, occultatur, circundatur, & ipse circundantem circundat, nec tamen occasionem arripit, nec belli solutionem attendit, non ulciscitur inimicum: quinimò illum adiuuat fugiens, & timens, non ut ipse malè quippiam pateretur, sed potius ne aduersus Saulem, aliquid eorum faceret, quæ sibi ab illo intentabantur, adeo enim contraria hæc una temperauit, mansuetudinem

Reg. 17. in anim.

dinem

dinem scilicet, & fortitudinem, ut fortitudo in eo, maior quàm in cæteris, & mansuetudo ipsa etiam fortitudine maior conspiceretur. Quid tum? regnat: prophetias prædicit: fatetur, atque adtestatur Deum, & testimonium illi perhibetur à Deo, promittiturque ei, quòd æternam sedem habiturus sit, & hæreditate totum orbem consecuturus: ipsasq; stellas multitudine, ac pulchritudine filiorum superaturus. Deinde (ò calamitatem, ò celerem mutationē) qui antea electus erat, repentè efficitur adulter: qui propheta, amens: qui Deo adflatus erat, insanus, qui uerax dolosus: qui pastor, latro: qui seruator, homicida, hinc consilij mutatio, & tam grandes ausus: illinc musices cessatio, & cōtractio spiritus, hinc & uitæ immutatio, & plurimorum malorum mare: hinc qui numine erat instinctus, non modo priuatur inspiratione illa superna: sed & qui pater erat, orbatur liberis. Et filiorum alij quidem scelesti, & sororum corruptores: alij his etiam scelestiores fratricidæ scilicet ac patricidæ fiunt: & qui rex erat, errabundus fit: qui pugnator optimus, fugitiuus: qui pastor, montiuagus, omnis denique præclara illa domus, ac sedes in terram collabitur. Hinc etiam & fames, & tabefactio, & grauis peccatorum pœnitentia. hinc triplex illud, & perpetuum sacrificium, oculorum uidelicet nocturni fluxus, ac latices, cordis contritio, & gemitus linguæq; assiduæ preces, & constans confessio. Illa quidem uulnera, ista autem medicamina, adustiones, incisiones. Sed me intereà hæc narrantem penè quod incœperam fugit orationis propositum, dum pluribus, quæ sese offerunt, semper detineor. Adstat rursus post peccatum propheta prophetæ, ueluti medicus medico, ægrotanti, ac dubitanti, & quemadmodum antea unctor adstiterat, ita & nunc non modo dignitatem, sed spiritum etiam ablaturus, si in aliquo deliquisset, quod ad propriam sanationem pertineret, si uulnus celasset, si reprehendi neglexisset. Adstabat pariter uindicta huius mitistor, sicut antea custos, & adiutor ualidus, ita & nunc uindex terribilis Angelus, exerto gladio, & ictum inferre paratissimus, nisi ille contra se suffragium tulisset, ac propria sententia diuinam soluisset sententiam. Et hinc quidem aderant, ille indicij et causæ confictor Natham, & uindex Angelus: illinc autem ipse iudex Dauid, personarū nō acceptor: & qui aduersus se tulit sententiā, qua iaculū citius euulsit, quàm susce pisset: & Deus pariter, qui cicatricem uulneri non tantum induxit, sed ipsum etiam uulnus prorsus deleuit. neque enim tantummodo pepercit, sed & abstulit peccatum. Rursus itaque diuina gratia, & rursus spiritus: rursus soni, ac cantus, rursus supra omnes potestas: rursus promissa & pacta, tam de eius adoptione, quàm quòd de eius etiam stirpe nasci deberet Deus. Hinc igitur qui multa passus est, & plura etiam propria uirtute administrauit, atque in uarias incidit status sui mutationes omnem de se historiam, omnes uita sua uarietates in hoc conscripsit uolumine.

Et primum quidem propositum, & primus operis scopus est de proprijs ærumnis ac laboribus tractare: deinde de antiquitatibus non Iudaicis modò, sed uetustioribus, in multis enim psalmis edisserit generationem, & gesta Patriarcharum, peregrinationes, migrationes, descensum in Aegyptum, seruitutem, exitum ex Aegypto, legem datam, tabernaculum, Sacerdotium, Numeros, Deuteronomium, Iesu Naue, distributionem promissæ terræ, iudices, Reges, & si quid aliud est his consequens. Tertiò naturalium rerum rationem tradit: de cœlo, & cœlestibus: de terra, & terrestribus, de animalibus, de elementis: & generaliter de uniuerso Dei opificio. Quartò prophetia de Crucis dispensatione in hoc opere, cæteris omnibus se manifestiorem ostendit: & quæcunque ad partum Virginis, ad incarnationem, ad Magorum dona, ad fugam in Aegiptū, & illinc regressum, ad Christi doctrinam, ad miracula, & ad Synagogam pertinent, inuidiæ itē et proditiones, insidiæ, captura, flagella, illusiones, crux, manuum ac pedum confossiones, diuisio, & sortitio indumentorum, amara potio, expiratio, sepultura, resurrectio, ascensio, sedes à dextris Patris, & supra oīa, uictoria, & regnū, quod in cœlo, atque in terra, sibi Christus parauit clarissimè hic cōspiciuntur. Quintò prophetia earū rerū, quæ post

prædicta omnia contigerunt: gentium uidelicet aduocatio, discipulorum Christi gloria, miracula, prædicatio, orbis terræ subiectio, Ecclesiæ stabilitas, atque incrementum, Romanorum uictoria, Iudæorum captiuitas, & quæcunque etiam ad secundum, & horrendum Christi aduentum, ad resurrectionem, ad iudicium, & ad uniuscuiusque retributionem pertinent. Sexto Theologia, de Patre & Filio & Spiritu Sancto. Septimo quæcunque traduntur de intellectualibus creaturis, de Angelis, Dæmonibus, de intellectu & anima, & de animæ moribus, & potentijs. Octauo quæ ad morum disciplinam & ad institutionem pertinent. Nono de cogitationibus, de Dæmonum insidijs, & circuitionibus: de sanatione, & cura passionum: de pugna, & certamine aduersus huiusmodi passiones. Decimo mandatorum ratio adeò hic diligenter traditur, ut parum, aut nihil, ab Euangelicis præceptis abesse uideatur. Hæc igitur sunt argumenta psalmorum, redacta in decem capita: quanquàm & alia sint magis priuata, quæ in eis habeantur. Sunt nanque & psalmi qui laudem & gloriam Dei canunt: qui gratias agunt, qui orationes fundunt, & nota. sunt & consolatorij & exhortatorij. Ad hæc omnia sunt & qui uiã ad uirtutem tradunt: quique non tantum admonent hoc facere, aut illud euitare, sed & modum docent, & tempus, In summa hic liber commune est quoddam medicinæ promptuarium, & passionum omnium certissimum remedium: illiusq; uerba (quod etiã ualde admirandum est, & huius operis proprium) omnibus congruunt atque aptantur hominibus. Nulla est igitur inter homines actio, nulla ratio, nulla cogitatio, cuius medicinam, hic inuenire non possis. Cumulus enim & aceruus quidam rerum est omni plenus uita conuersatione: omni contemplatione: ac ueluti penu quoddam doctrinæ publicum unicuique apta & conuenientia distribuit. nam & antiqua purgat uulnera, & nuper illatis celerem liberationem præstat. Insuper quod integrum est, sanum, sincerũq; conseruat: multitudinem uerò ipsam prorsus allicit, ac suadet suaui quadam cum delectatione, & honesta uoluptate: adeò ut per blandam, & lenem illam uocem utilitatem, & commodum latenter etiam reportemus, iuxta prudentum medicorum præcepta: qui in austerioribus pharmacis, poculum inungi iubent melle: ita & nos apparenter quidem, dulce ac suaue melos canimus: re ipsa uero animas erudimus, & diuinorum eloquiorum memoriam indelebilem conseruamus.

Psalmus, sermo & conuersatio est cum Deo: Angelorum allectio: alacer animæ ordo, ac status: diurni laboris quies, nocturni timoris propulsatio: iuuenum & nuper introductorum regula: proficientium adiumentum, perfectorum solidatio: clypeus insuperabilis: ornamentũ decentissimũ, regibus, priuatis, principibus, populis, militibus, & belli ignaris, sapientibus, & rudibus, monachis, & ciuibus, sacerdotibus, & plebibus, habitatoribus continentis atque insulanis, agricolis, nautis, artificibus, & artium ignaris, uiris, mulieribus, senibus, adolescentibus, omni denique naturæ ætati, fortunæ, proposito, & cõmuniter, & priuatim, & semper, tã domi, quã in foro, in Ecclesijs, in agris, in solitudinibus, in itineribus, & omnibus in locis: & est denique sicut aeris spiratio, aut lucis effusio, aut usus ignis, aut quodcunque aliud eorum, quæ ualde communia sunt & utilia. Quodquè admiratione maximè dignum est, psalmorum cantus non interrumpit, neque distrahit ab operibus: quinimò operantibus ipsa suauitate ac melodia, austeritatem lenit laborum: quorum omnium bonus est finis, ut scilicet huiusmodi discipulus, bonus, sapiens, efficiatur & Deus. Abundè igitur diximus quænam & quot sint huius operis intentiones, & quanta ex his commoda consequamur, & quis finis. Restat nunc ut differamus, an proprius sit hic liber beati Dauid, & ab eo solo confectus, an etiam ab alijs: quàm appellationem habeat, quid sit Psalterium, quid Psaltes: quid Psalmus, quid Psalmodus, quid Diapsalma, quid Canticum, quid Hymnus, quid laus, quid Confessio, quid oratio, quid Votum, quid Canticum psalmi, quid Psalmus cantici, quot sint Psalmi, & quare tot sint: & à quonam fuerint collecti: quot cantores, seu canendi principes, quot chori, & ex quibus, & quare tot sint

chori:

chori, & ex tot, quænam sit differentia psalterij ad alia musica instrumenta: quis psalmorum ordo: quænam sit in multis psalmis obscuritatis ratio. quot translationes sint de Hebraica lingua, in Græcam, & à quibus fuerint factæ: quare sit inuentus cantus: quare cum diuinus Spiritus unus sit, aliquando singulari effertur sermone, & aliquando plurali. & primo quidem de priori capite tractabimus.

Aiunt quidam psalmos non solius esse David, sed quosdam Idithum: alios filiorum Core: alios item Asaph, Etham, & Emam, Israelita: unum Moysi, & alios Solomonis, quod manifestum esse asserunt ex inscriptionibus. eosq; post captiuitatē dicunt ab Esdra fuisse in unum collectos. multi etiam psalmi prò inscriptione habēt tantū Alleluia: & alij inscriptionem sine authore: alij ēt omni prorsus carent inscriptione. quā ob causam, totū hoc opus, non psalmos David, sed indefinitè librū psalmorū appellari aiunt: ut in actibus Apostolorum legimus: atque indicari, quòd totus psalmorum liber soli David adscribendus non sit. nā quod psalteriū appellamus hanc psalmorum collectionē, impropriè id dicimus: quia psalteriū propriè organi quoddā genus est: quod apud Hebræos dicitur Naula, à psallendo sic dictū: quēadmodū oratoriū ab orādo: sed huiusmodi appellatio, ad psalmorum librū postmodum translata est. qui tamen uel ea ēt ratione denominationē hanc sortitus est, quia psalmos continet. Alij uerò (quibus ego consentio) asserunt psalmos omnes à David fuisse cōpositos: & quemadmodū octogesimūoctauū psalmū, qui Moysi inscribitur, dicunt Moysi non esse: quia si eius esset, ob illius antiquitatem, primus in ordine legeretur: aut saltem haberetur inter libros Moysi, sicuti habentur eius cātica: quorū unum in Exodo, alterū in Cāticis, tertiū in Deuteronomio reperitur: ita ēt existimādū esse asserunt de alijs psalmis, qui aliorū inscriptiones præ se ferre uidentur: quod scilicet ab alio cōpositi non sint, quam à beato David. eadē ēt dicunt de duobus psalmis, qui Solomonis inscriptionē habent: quod scilicet si essent Solomonis, aut extremo in ordine collocari debuerāt, aut in libris Regū, aut Paralipomenon interseri. aut saltem alicubi de eis memoria haberi. eo modo quo cæterorum omniū eius operū ratio habita est. Erant .n. (inquit) illi, cantica quinquies mille, parabolæ ter mille: psalmorū uerò eius scripturā non meminit. Cæterum inscriptiones, Idithum, Filiorum Core, Asaph, Emā, & Ethā, hoc tantū uolunt significare: quod his uiris, quos beatus David elegerat ex tribu Leui, in duces, ac principes chororū: quosque instituerat, ut uarijs organis Deum laudarēt, et quorū organorū genera apertè postremus oīum psalmus cōnumerat: quod his inquā uiris unusquisq; psalmorū, iuxta nominū inscriptionē, priuatim ad psallendū sit traditus: cū alij psalmi ab uniuersis cātoribus, atque in cōmune canerētur, illi igitur psalmi, qui priuatim ab aliquo eorū decātati sunt cantoris sui inscriptionē retulerunt. quod ēt manifestius fit ex his, quæ in libro Paralipomenon legimus, cecinit, inquit, canticū hoc in manu Asaph. quia ēt ab inscriptione psalmi xxxviij. quæ huiusmodi est. In finē Idithū canticū ipsi David. Cōpositū quippe fuit id canticū à beato David, & ab eo traditū Idithū, ut illud caneret, psalmus ēt xlij. sic inscribitur. In finē filijs Core, psalmus ipsi David. Præterea psalmi omnes, qui aliorum inscriptiones habent, non per genitiuum casum, sed per datiuum inscribuntur: quæ res abundè indicat, Psalmos quidem à beato David fuisse conscriptos, sed illis cantoribus priuatim traditos ad canendum. Quòd si quis contra, illud dicat: plures etiam esse psalmos, qui in inscriptione habent nomen David, in tertio casu: uidelicet psalmus ipsi David: replicabimus multos esse etiam qui per secundum casum inscripti sunt: uidelicet psalmus ipsius David: quod tamen in alijs nominibus non reperitur, ut sciamus quod ab ipso quidem David conscripti sunt, non ei dati, aut oblati, hoc enim differentiam introduxit, ille autem psalmus, qui Moysi inscribitur, huiusmodi habet inscriptionem. Oratio ipsi Moysi homini Dei: quæ inscriptio docere uidetur, quod ille psalmus, ijs congruat, qui per diuinam aquam, hoc est per salutare lauacrum baptismatis homines Dei effecti sunt, Moyses quippe interpretatur, assumptus ex aqua, ex aqua uerò assumuntur omnes, qui baptizantur, unde etiam Dei

homines meritò cognominantur. Eos uerò psalmos, qui Solomonis dicuntur, in Christum fuisse compositos reputamus. Solomon nanque interpretatur pacificus. uerum quis nam alius, tam fuit pacificus, quàm Christus, qui natura ipsa pacem habet? pacem enim
Ioan.14. *inquit, meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. De psalmis qui sine inscriptione sunt, illud in primis sciendum est, quòd multa Hebræorum exemplaria, coniunctum habent secundum psalmum cum primo: cum apud eos non sit numerus in psalmis. Secundus autem sine contradictione, conscriptus fuit à beato Dauid, cuius rei testes habemus*
Act.1. *Apostolos in actibus dicentes ad Deum, Tu qui per os Dauid pueri tui, dixisti, Quare insurrexerunt gentes, &c. Vnde etiam demonstratur, primum psalmum pari modo ipsius esse Dauid. Quod si primum, & secundum psalmum, qui carent inscriptione dicimus esse Dauid, consequenter alij omnes, qui sine inscriptione sunt, eiusdē erunt: sicuti inter cæteros esse scimus psalmum nonagesimum quartum: ut attestatur Apostolus in epistola sua ad Hebræos dicens. Iterum quandam determinat diem hodie, in Dauid, dicens post tantum tempus: hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Psalmi quoquè qui sunt sine nomine eidem adscribendi sunt, ut docet beatus Stephanus*
Psal.94. *protomartyr, in actibus dicens ad Iudæos: usque ad dies Dauid, qui inuenit gratiam*
Act.7. *coram Deo, & petijt, ut inueniret tabernaculum Deo Iacob. quod dictum manifestè sumptum est ex psalmo cxxxi, qui authoris caret nomine. Simili modo etiam psalmi, qui loco inscriptionis habent Alleluya, ipsius Dauid reputandi sunt, si quidem eorum primus*
1.Par. 16. *qui est ciiii. manifestè ab eo fuit compositus, ut legimus in libro Paralipomenon. ratio autem quare psalmorum aliqui carent inscriptione, uidetur ea esse: quia non in unius tā tum gentis nomine, unusquisque eorum dictus est. quod uerò sit sine nomine, ea uidetur esse ratio: quia in ipsum dominum dicti sunt. quod habent Alleluya, ratio est, quia gratiarum actiones, & laudes in Deum continent. Verum de his hæc dicta sufficiant: Tēpus est, ut de cæteris etiam tractemus. Psaltus quidem Deus est qui canitur. Psalmus uerò poema & carmen, quod de eo canimus: Psalmodus, poeta est qui hæc conficit carmina: & psaltodus, chorus canentiū psalmos: Diapsalma mutationē sententiæ, aut cā tus significat: aut pausam, seu interiectionem quandam pulsationis, uel fulgorem, atq; illuminationem diuini spiritus, qua tunc canentibus apparebat, scribebantur enim omnia hæc ab eis diligenter. Psalmus propriè est illud carmen quod simul cum psalterij instrumento suaui uoce profertur. Ode seu canticum, uox quædam est musica cum harmonia solo ore prolata, quanquam impropriè ipsum etiam canticum sæpenumero psalmus dicatur, est autem canticum psalmo antiquius. Moyses quippe cantici author fuit, illiusque usus usque ad beati Dauid tempora perseuerauit: qui primus omnium cœpit psalmos conscribere, nam & si antea psalterij instrumento uterentur, illius usus, & sine arte ulla erat, & admodum uulgaris. ad solos enim greges mulcendos pulsabatur. Dauid igitur huiusmodi instrumentum sapientius coaptauit, et illius usum ad Deum transtulit. Hymnus uerò est diuina gloria extensior atque amplior quædam laus. nam cum laudis nomen simpliciter dicimus, uulgariores ac breuiores laudes significamus. Cōfeßio etiā amplum quoddam testimonium est, & fides, qua aut bona, quæ recepimus fatemur, aut mala quæ commisimus. Porrò oratio preces significat, & uotum promißionem, omniaque ad Deum pertinent. Quid itaque sit psalmus, & quid canticum, abundè diximus. Canticum autem psalmi tunc est, quando musicè per organicum instrumentum prius disponitur, & deinde consequitur uox ore emissa, quæ secundum occupat locum. Psalmus uerò cantici tunc dicitur, quando eius quod nūc diximus, contrarium fit: & iuxta Anagogen, ac moralem sensum, psalmum tunc canimus, quando corpus nostrum quasi psalterii instrumentum intendimus, & per bona opera quodammodo ipsum palpantes bonas ac concinnas actiones perficimus, quanquàm ad altiores contemplationes nōdum ascē derimus: Oden uerò aut canticum canere tunc dici possumus, quādo absque ullis operationibus ueritatis tantum mysteria contemplamur, effecti iam in ea re admodum exercitati:*

tati: & canticum psalmi quando precedentibus bonis actionbus, in contemplatione deue nimus: iuxta quod dicitur, concupisti sapientiam: serua mandata, & Dominus tibi eā ministrabit. Psalmum etiam cantici tunc uerè cauimus, quando contemplatione, occulta quædam quæ ad mores pertinent, nobis reuelante, nos in eorum operationem procedimus. Hac ratione fortaßis psalmi primo loco, & deinde cantica collocata sunt: cum deceat ut per actiones ad contemplationem accedamus, multa enim cantica habentur circa finem libri: uerum ubi gradus est seu ascensus, illic nusquam est psalmus, neque etiā coniunctus cum cantico, sancti enim uiri in ascensionibus contemplationi tantum intenti sunt.

Sunt qui Esdram, & alij qui Ezechiam dicant, psalmos in unum collegisse, qui centenario, & quinquagenario numero continentur. In quo numero & quinquagenarius numerus Pentecostes dictus, atque ab Hebræis ueneratus, cernitur per hebdomadas hebdomadarum perfectus, id est septenario multiplicatus: & Trinitatis pariter contemplari potest mysteria, addita uidelicet unitate propter unam, quæ est in tribus personis unitatem. Cantorum quatuor erant principes, quatuor choris præfecti, ob totidem mundi climata, ad quæ psalmorum uoces peruenturæ erant, unusquisque autem chorus, ex duobus & septuaginta cantoribus constabat: ut quidam retulerunt se apud Hebræos legisse, iuxta proportionem, ac numerum linguarum quæ in Babylonica turris ædificatione confusæ seu potius diuisæ fuerunt, futurum enim erat, ut omnis lingua huiusmodi psalmos decantaret. Et alij quidem cantorum tuba, tympano, organo, cymbalis, lyra, aut cithara, dulce ac suauiter canebant: Dauid uerò regium psalterii instrumentum tenebat. Tuba, siringa, ac fistula inflantur: Lyra & cithara intenduntur, cymbala & tympana pulsantur, & alia quæcunque sonum potius habent, quàm uocem: Psalterium uero (quod etiā alicubi cynnirā, & citharā, & lyram appellant) ad id genus instrumentorum pertinet, quæ intenduntur. Est tamen instrumentū hoc rectum & supernè causas habet, unde emittat uoces: ea nimirum ratione, ut addiscamus & nos, recti consistere, superna, ac cœlestia meditari: atque ut hoc pacto efficiamur spirituale psalterium, consentiente intra nos in unum anima & corpore: ipsoq. Sancto Spiritu, ueluti peritissimo quodam artifice, pulsante nos, ac percutiente. decem uerò claui in ipsius psalterij brachio circumuoluti intendebant chordas, easque remittebant ad ipsius modulantis arbitrium, ac concentum. Et dextera quidem manu plectrum tenebat, sinistra uerò desuper contrectans & circunferens clauos grauem, & acutam, seu etiam mixtā uocem reddebat. decem præterea chordas uocibus sibi inuicem contrarijs habebat, ex quo docemur, oportere nos, ex decem sibi mutuò aduersantibus chordis, ex quinque nimirum animæ potentiis, & ex quinque corporis sensibus, harmonicum, & concinnum cantum in hac uita Deo præludere.

Psalmorum ordo ille amplius non est, qui à principio fuit, quādo fuere conscripti: nec tamē casu, aut fortuitò huiusmodi ordo datus est: sed potius ex dispensatione diuina: quã consequētia temporū nulla habuit rationē. uā quemadmodum in artibus tam factiuis, quā rationalibus, alia est instrumentorū, & canonū inuentio, & ordo, atque alius etiam eorum usus, iuxta ipsa tempora nimirum aut uarias rerum rationes, (alius enim fortasſis medicus primum incidit, alius pharmacum præstat, & ungit: alius similiter hic primum perterret, ille consolatur, quippe cum artifici ordo curæ non sit, sed illud primum ab eo indicetur, quod ui ac uirtute sua, nouit esse præcipuum, & uulneri, cui applicatur, conferre: quam rem ordinem absque ordine solemus appellare) sic, & summo huic nostro artifici Sancto scilicet Spiritus, curæ fuit, non quod ad historiam, sed quod ad legentium utilitatem pertineret: atque ut hac animæ nostræ imago (ut ita dicam) aut statua ad mores sculperetur, ad pulchritudinem expoliretur, ac tandem formaretur in Deum: ob hanc causam propheta, in primo quidem psalmo ab impietate primum nos separat, & à peccatis: in secundo autem subdemonstrat,

cuius

*cuius hæreditas sumus, cuique adhærere, & adiungi nos oporteat: in tertio prædicit
insidias, & cōgressus inimici aduersus eos, qui Deo coniuncti sunt: deinde sanationes,
& curas passionum, quæ in nobis insunt & calamitatum subijcit, est & alia præterea
huius ordinis ratio: Iudæis enim Deum olim negligentibus, omnes patrij mores, pror-
sus penè obliuioni dati sunt, unde quamplurimi sacræ scripturæ libri eorum ignauia pe-
rierunt. Cumque Esdras, seu Ezechias, quisquis eorum fuerit, utilitatis publicæ certè
studiosus, huiusmodi psalmos, non tamen una omnes, sed singulares; ac dispersos reperis-
set, collectos postea, & in unum compositos eo ordine, quo reperti sunt, ita in publicum edi
dit, habita temporis ratione, non quo confecti sunt, sed quo inuenti. Illud etiam dici
potest, quod psalmi, non iuxta tempora, sed iuxta dies, quibus primum compositi sunt:
ita postea in unum ordinati fuere. Quod dicimus, manifestius fiet ex his, quæ subiiciā,
Christi conceptio, tempore primum fuit: postmodum natiuitas: deinde impositio nomi-
nis, & circuncisio: post hæc adductio in templum & hypantesis, hoc est obuiatio, quàm la
tini purificationem virginis appellant. demum post triginta annos, baptismus & mani-
festatio domini: deinde doctrina, miracula, passiones, & postremò resurrectio. uerum
apud nos festiuitates istæ alio ordine, atque alio interuallo celebrantur. Primò enim cō
ceptionem ac deinde statim resurrectionem celebramus. Vides quanta sit temporis fe-
stiuitatum distantia, & dierum coniunctio. rursus assumptio, transfiguratio, natiuitas:
& deinde postrema omnium apparitio, ac manifestatio celebratur: uides quanta sit re-
rum diuersitas ordo quippe dierum in mensibus seruatus est, rerum autem ualdè disiun-
ctus: & factus est ordo quidam, quasi sine ordine. Sed tempus est, ut iam deinceps do-
ceamus, quænam sit obscuritatis ratio, quæ in multis psalmis reperitur: & quot transla
tiones sint ex Hebraica lingua in Græcam: & à quibus factæ. Quod igitur iam mul-
ta in ueteri scriptura obscura inueniantur, in causa sunt figuræ, quæcunque Christum,
illiusq; actiones, & nouam gratiam præsignabunt. Omnia quippe hæc, quæ ad gentium
uocationem pertinere uidebātur, prophetæ de industria obscurè admodum pertracta-
runt: ne si inuidentissima illa Iudæorum gens futuram primogeniti Israelis ruinam, et
gentium adoptionem cognouisset, sacros libros, ubi hæc prædicta sunt, omnes igni trade
re atque eorum memoriam obliterare studeret. neque enim aliquando sustinuissent tan
ta aduersus se ferri testimonia, unde non mediocre damnum posteris illatum fuisset. quod
Dei consilium quodam in loco unus prophetarum nobis indicauit, dicens ex persona Dei
ad Iudæorum gentem, neque credidisti, neque à principio aperui tibi aures. noueram
Isa.48. enim quod inobediens non pareres Præterea obscuritatis alia etiam est ratio. Idioma
scilicet Hebraicæ linguæ diuersum à Græca. uarijs enim, ac multiplicibus loquendi mo
dis prophetæ sæpenumerò usi sunt, (quanquam non sic semper) adumbratè etiam multa
dixere ob incredulitatem, & duritiem auditorum: quæ tamen paucioribus, ac sanctis
uiris reuelata sunt, quæque à solo rerum exitu, ac fine rectè iudicantur. Postremò etiā
illa addatur ratio, quod de prima ac propria Hebraica lingua in aliam antiqua omnia
legimus translata, omnis autem lingua, in aliam conuersa, ut plurimum difficultatem
atque obscuritatem generat.*

*Translatio ista facta est tempore, quo Ptolemæus Philadelphus regnum Aegypti ad-
ministrabat. Septem enim fuere trāslationes ueteris testamenti. Prima à lxx. uiris
facta qui Hebræi erant, & electi fuerunt, iuxta numerum septuaginta senicorum, quos
elegit Moyses. Hi igitur commemorati regis hortatu ad hanc prouinciam designati
in unam per omnia interpretationem conuenere. Secunda Aquila Synopensis. Hic
Græcus fuit atque è Ponto & Hierosolymis baptizatus, deinde cum offensus inimicus ef-
fectus esset quibusdam Christianis, spreto baptismate Iudæis se adiunxit, & scripturā
transtulit sub Hadriano Imperatore eo, qui lepram passus est, ccc. & xxx. annis post
translationem lxx. Hic itaque iratus Christianis multa peruertit. Tertiā fecit Sym-
machus, patria Samaritanus, qui cum apud suos quantum honoris optabat non asseque-
retur,*

retur, Iudaeos adijt, & rursum circuncisus, in Samaritanorum offensam, sacram interpretatus est scripturam, sub Seuero Imperatore. Qui etiam ut Iudaeis placeret, quaecunque ad Christum pertinebant, non sanè transtulit: annis sex & quinquaginta post editionem Aquilae. Quarta fuit Theodotionis Ephesii, qui cum ex Marcionis haeresi esset: aliquando offensus suis cohaereticis propriam interpretationem edidit sub Imperatore Commodo. Quinta certum non habet authorem, inuenta est autem in Hierico dolio operta sub Caracalla Imperatore. Sexta sine authoris nomine reperta est Nicopoli, apud Actium sub Alexandro Mamea Imperatore. Septima prodijt à Luciano magno eremita, & martyre: qui omnibus his editionibus uisis, & cum Hebraica ueritate diligentissimè, & magno cum labore collatis propriam editionem nihil mancum, & nihil habentem superfluum Christianis tradidit: quae apud Nicomediam manu eius conscripta reperta est in turre quadam apud Iudaeos calce illita. Post ipsius Luciani certamen, & post persecutionem, quae à Diocletiano, & Maximino facta est, sub magno Imperatore Constantino haec cum lxx. interpretum editione consentit, & quae ab alijs deprauata fuerant, reprobauit. Illud autem omnibus manifestum est, quod quemadmodum greges fistula, sic etiam multi hominum aguntur, & mulcentur carminibus, inter homines autem multò magis faemina, quàm uir, nec minus etiam ijs, qui immaturae est aetatis, quàm qui senio cofectus, aut qui ferocior est, quàm qui mitior: aut docto indoctior, & in ipso quidem homine alia est rationalis animae pars, & alia irrationalis ac ferina: quas omnes tamen uoluptas uincit, ac superat. hac igitur de causa psalmorum cantus introductus est, per quem utilitas, quae ab ipsis psalmis prouenit, humanis animis ueluti per fibulam quandam adnectitur, & coniungitur: ipso scilicet cantu, quasi melle quodam alterante, ac moderante, spiritualis medicinae austeritatem, & utilia dulcibus cōdiente, nam quod gratum est, id iucundius recipitur, & constantius retinetur. Haec est igitur prima cantus ratio. Secunda uerò illa est, quia inani ac falsa uoluptate Daemon hominem perdiderat, cogitauit Deus per eandem artificiosè dispositam illum rursus saluare. Tertiò cantus ad mutuam concordiam, & dilectionem inuentus est: utpotè qui possit, ut canentium uoces, ita & eorum animos in unum componere. quid enim est quod ita inimicitias generet, ut cantus amicitiam, & amorem conciliat? ille uidelicet cantus, qui à singulis, atque ab omnibus, prò singulis, & prò omnibus communiter offertur Deo, aut quisnam adeò est immitis, & ferox, qui illum possit inimicum ducere, quem sciat Deum pro se placasse. Multam praeterea uim harmonia habet & cantus, ut possint & bonos mores parare & labantes aut perditos dirigere, atque in melius componere. Legimus etiam apud antiquos authores uaria fuisse cantuum genera, ita ut alij casti essent, & temperati: alij amatorij: alij etiam bellici: sic & pacifici & moesti, ac lugubres: alij denique robur, & hebetudinem praestantes. Aiunt enim Pythagoram, adolescentis immodicè amantis, mutatis tibiae modis, amorem simul mutasse: & alium gladio insilientē pari modo moliisse ac conpescuisse: & Timotheum in coena, atque inter uoluptates, dum cantum quendam caneret, qui orthius dicebatur, animum ferunt Macedonis excitasse, atque effecisse, ut arrepta armatura protinus exiliret. adeò enim humana natura cantibus familiaris est, eisq̄ delectatur, ut uagientes etiam infantes, his solis compescantur. canunt quippe illis nutrices pueriles Naenias, quibus eorum oculi sopiuntur, uiatores praeterea saepius de media die fatigati itineris laborem cantu, ac carmine consolantur. Omnes etiam artifices operando cantant: quasi operantis animus carmine mulceatur, & canendo facilius molestias omnes perferat, ac labores: sed quid opus est rationales homines percensere, quando irrationalia ipsa equi nimirum, tuba ad praelium parentur: & oues fistulam sequantur, ac tunc magis gaudeant, & pinguescāt, & feris multis cantus & carmina solatio sint, multis etiam ea satis sint, pro plagis aut laqueis, ipse siquidem unicornis pulchritudine ac cantu superatur.

Verum ij, qui diuina doctius ac sublimius interpretati sunt, aiunt per cantum organicum

nicum concinuitatem animæ significari, animæ autem concinnitas est consonantia quædam, & concentus illarum partium, & potentiarum, quæ intra animam sunt: de qua latius dicemus. Consonantia enim & harmonia rerum differentium quidem per se se, sed in unã postea consentientium, et conuenientium melodiam: hoc autem uidere licebit, quando præcipuè consonantium rationes, interioribus animæ partibus congruerint: & aliud quidem in primo sit ordine, & tantummodo imperet, nunquàm seruiat (rationalem partem dico) aliud autem (pars scilicet irascibilis) medium locum habeat, & regatur à primo: ipsum autem posteriori imperet, quod uerò extremum teneat locum, pars sit concupiscibilis, quæ tantum pareat, nunquàm imperet, tunc siquidem animæ consonantia inueniri poterit. Rationalis dico partis ad irascibilem: ut eius chordæ, quæ Hypate dicitur, ad Mesem (hanc enim supremam et grauissimam uocem appellant) quæ seruat consonantiam Diatessaron. Similiter & irascibilis ad concupiscibilem: ut Mesæ chordæ ad eam quæ dicitur Nete: hanc autem altissimam, atque acutissimam uocem nominant, quæ est Diapente, eodem modo etiam irascibilis ad concupiscibilem, ut chorda illius, quàm Hypatem diximus ad Netem. hanc siquidem uocem quæ grauissima, accutissimaq; conficitur, Diapason appellant: Quod si par est, non loca, aut nomina attendere, sed uim potius ipsam sequi, & rerum efficaciam: Rationalis pars sanè potius Mesa appellanda est: eò quod ad irascibilem, quasi ad chordam Netem (hæc enim acutissima est, & concitatissima animæ pars) eam rationem consonantiæ habeat, quæ est Diapente: & ad concupiscibilem ut ad Hypatem (hæc enim laxior est & mollior) rationẽ eam seruat, quæ est Diatessaron: intensionemq; illius, & huius remissionem coaptat atque concinnat: qua mixtura, optimam harmoniam perficit.

His itaque sic præmissis, restat ut dicamus, quomodo diuinus Spiritus unus cum sit,
Isa.16. *aliquãdo singulari numero dicatur. ut illud, Spiritus domini super me: propterea unxit*
Psal.50. *me, item Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me, item & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum: & aliquando plurali, Spiritus inquit prophetarum prophetis subiecti sunt: item requiescent super eum septem Spiritus. manifestum est autem Spiritum quidem unum esse, quemadmodum & unum artificem, instrumenta autem plura. Organa enim artificis fuerunt prophetæ, unde & uaria sunt organorum uoces, ac soni, nec tantum in uarijs instrumentis uaria hæc esse reperiuntur, sed in uno atque eodem multiplicia ac diuersa: artifice scilicet hæc laxante, illa intendente, alia immutante, alia etiam miscente ac temperante, omnia uero & singula spiritus organa deffiniri non possunt: cum nulla sit indiuiduorum cognitio: possunt tamen eorum diuersa genera & species secundum qualitatem, & quantitatem definiri: atque ideò non plus quam septem esse dicuntur, cæterum de prophetiæ modis dicamus. Alius enim præterita narrat: alius præsentia, & alius futura prædicit: & hic quidem aliquid dicens, ille uerò aliquid faciens: alius itẽ manifestè, alius uerò obscurè atque ænigmaticè. horum etiam modorum, rursus alij sunt modi. hic per uisionem, ille per auditum, alius per odoratum, alius per gustum, & per tactum alius: omnia tamen secundum intellectum. totidem enim sensus intellectus habet, quot corpus: uerum omnes hi modi, uisiones etiam appellantur: uel quia generalior*
Ezech.37. *sit uisionis modus, uel quia dignior. Vidit quidem Ezechiel (& uidi inquit) & ascendebant carnes, & extendebatur cutis, uerum & alibi audiuit: cum ait tu fili hominis, audi eum qui loquitur ad te. alibi etiam gustauit dicens & cibauit me illo uolumine, &*
Ezech.2.
Ezech.3. *dixit ad me: fili hominis os tuum comedet, uenter tuus implebitur hoc uolumine, summam illam nimirum efficacissimãq; ac principem partem intellectus, quæ diuinos cibos primum gustatos: secundum uerò & capaciorem admodum, mentem dico, uentrem appellans: quàm uolumine implendam esse dixit: quasi ex Spiritus Sancti seminibus, mul-*
Isa.6. *tis impleri deberet diuinis eloquijs. Videt etiam & audit Isaias: quis inquit accedet ad hunc populum: & dixit ecce ego domine, nunc igitur audiuit, alibi uerò uidit, & ui-*
Dan.7. *de inquit, donec posita sunt sedes, & qui antiquus erat dierum, sedit. horum autem*


duorum

duorum prophetarum ut uides alter resurrectionem, & alter iudicium sibi partiti sunt, multa alia sunt, auditus, uisus, & gustus exempla. tactus exemplum habes apud Naum: qui iuxta translationem lxx. quod alij interpretes onus Niniuæ reddiderunt, Naum.1 assumptionem Niniuæ appellauit: assumptionem quandam diuinam principalioris animæ partis intelligens, non secus ac si à Sancto Spiritu, manibus quibusdā contrectata fuisset & formata. Verum ut breuiter sermonem expediamus, cum cæterorū prophetarū, alij per uaria acti sint tēpora, & modos, atque hi quidem pauci, & rarò: quippe cum per duo tantum tempora, uel modos, ad summum tres agi eis contigerit, solus hic noster, Dei & prophetarum etiam pater, omnia percurrit tempora & modos: & nunc quidem præterita dicit, nunc præsentia, modo etiam futura: & modo uidet, uidit, inquit, Dauid dominum, aut ea quæ Domini sunt: modo audit. Dixit enim inquit Dominus ad Dauid. Nunc tangit. Lingua mea inquit calamus scribæ uelociter scribentis: lin Psal.44. guam inquam non hanc exteriorem intelligens: quippe cum loqui eam potius, quàm scribere par fuisset: sed interiorem intellectus linguam: quæ nouo, atque ineffabili quodam modo, ipsum spiritum tangebat, palpabatq́: eo nimirum modo, quo à scriptore tangitur calamus: per quem eaque illi reuelata erant, eleganter scribebat, neque id tantum, sed & uelociter id agebat. unde & manifestationem prophetiæ indicat, & uehementem etiam, ac ualidam spiritus concitationem dum uelocissimo scribæ eam comparat. Alibi gustum sibi adesse attestatur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo, ipsius etenim intellectus os ac fauces delectabantur, cum diuina oraculo- Psal.118. rum eloquia deglutiret, ac rursus reuocaret. maximam enim propheta, tum deglutiendo ea, tum reuocando percipiebat uoluptatem. aliò etiam in loco eructasse dicit cor suū uerbum bonum: uim quandam intellectus profundissimam, & ut ita dicam, omnium Psal.44. capacissimam sic appellans, ueluti quæ omnibus Sancti Spiritus cibis ad summum plena esset. Rarior in eo fuit odoratus figura: sed cæteris omnibus multo molestior. nam quod legimus: Myrrha, & Stacte, & Casia à uestimentis tuis: id ab eo dictum est, cum aduersus putredinem & corruptionem cicatricum suarum, bonum ac suauem Christi odorem præsensisset. hoc pacto per omnia intellectus sensoria, scientias ac uirtutes omnes spirituales adeptus est. Conditionem autem, atque habitum prophetæ, oratione atque sermone suo clarum facit: cum nihil differat apud eum, præsentia dicere, aut futura. Sæpenumero enim ordinem immutat, & aliquid ut iam factum narrat, quod futurum est: contra etiam aliquando futura prò iam factis: cuiusmodi illud est. Quare Psal.2. insurrexerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, &c. prò eo quod est insurgent, meditabuntur, astabunt, conuenient. item illud. in flumine pertransibunt pede: hoc est pertransierunt. est Psal.65. etenim hoc diuini spiritus peculiare, ut nihil præteritum ducat, aut futurum: cum ille omnia præsentia sint.

His omnibus consideratis, accedamus ad particularem uniuscuiusque psalmi interpretationem, uno tantum necessario & generali dicto adhuc præmisso, quod non omnia dicta, uno modo interpretabimur: uidelicet secundum historiam, aut secundum prophetiam, aut secundum allegoriam, aut secundum moralem sensum: sed unum, atque idem dictum, sæpenumerò uarijs sensibus subijciemus. nam quemadmodum in arboribus, & seminibus, plura ac uaria sunt germina & uires. siquidem in arbore, & radix est, & truncus: item rami, cortex, folia, & medulla: & in seminibus, herba, stipula, arista, squammula, & fructus, prò uno innumerabiles: sed etiam & multò magis in his, quæ sunt spiritus: nec accusabis authorem de inuentis, sed ignosces potius in omissis, quis enim quod satis ac iustum est, dignè dixerit?

In uniuersum illud etiam sit dictum, quod possumus nobis ipsis omnes psalmos accommodare pro inimicis Christi, Dæmones, Christianorum inimicos: pro Saule etiam & Absalone,

ACCVRATA RERVM NOTABILIVM TABVLA.



t Anima

A ANTE N.

A ANTE P.

A ANTE Q.

A ANTE R.

A ANTE S.

A ANTE T

A ANTE V.

B ANTE A.

B ANTE E.

B ANTE O.

B ANTE R.

C ANTE A.

C. ANTE E.

C ANTE H.

C ANTE L

C ANTE L

C ANTE O

C ANTE R.

D ANTE A.

D ANTE E.

D ANTE I.

E. ANTE X.

F. ANTE A.

F. ANTE E.

F. ANTE I.

F. ANTE L.

F. ANTE O.

Fortitu-

F. ANTE R.

F. ANTE V.

G. ANTE A.

G. ANTE E.

G. ANTE I.

G. ANTE L.

G. ANTE R.

G. ANTE V.

H. ANTE A.

H. ANTE O.

H. ANTE V.

H. ANTE Y.

I. ANTE A.

I. ANTE D.

I. ANTE E.

I. ANTE G.

I. ANTE L.

I. ANTE M.

I. ANTE N.

I. ANTE O.

I. ANTE R.

I. ANTE V.

L. ANTE A.

L. ANTE E.

Nil

N. ANTE O.

N. ANTE V.

O. ANTE B.

O. ANTE C.

O. ANTE D.

O. ANTE F.

O. ANTE L.

O. ANTE M.

O. ANTE N.

O. ANTE P.

O. ANTE R.

Peccator

P. ANTE H.

P. ANTE I.

P. ANTE L.

P. ANTE O.

P. ANTE R.

P. ANTE S.

P. ANTE V.

Q. ANTE V.

R. ANTE A.

R. ANTE E.

Rectus,

R ANTE O.

R ANTE V.

S ANTE A.

S ANTE C.

S ANTE E.

S ANTE I.

S ANTE O.

S ANTE P.

S. ANTE T.

Stultus

S A N T E V.

S A N T E Y.

T A N T E A.

T A N T E E.

T A N T E H.

T A N T E I.

T A N T E O.

T A N T E R.

Trinitatis


Viscera

FINIS.

PSALTERIVM DAVID PROPHETAE ET REGIS MELOS,

PSALMVS I.

Beatus uir, qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.



BASILII. Architecti structurarum moles in altum educturi substructionis fundationes faciunt quantum ex amplitudine operis pro ratione uidetur. Nauium factores onerariam nauem compacturi aptam oneri uehendorum carinam struunt. In animalium generatione cor ante omnia tanquam fundamentum à natura iactum respondentem & debitam futuro animali constitutionem accipit. Vnde cum corpus commensu quodam ad sua principia circum coagmentatur, magnitudinum animalium differentię perficiuntur. Quod igitur in domo fundamentum, in nauigio carina, in corpore animalis cor, idē hoc breue proemiū ad uniuersum Psalmorū apparatū præstare uidetur. Nā cū multa ardua & laboriosa sudoribus & laboribus plena in orationis progressu ad excitandos pietatis athletas propositurus esset, statim aggrediens beatū finē ostendit, ut spe repositorum bonorū uitæ molestias patienter feramus. Sic & uiatoribus asperū iter, ac difficile ingressis per quā cōmodi diuersorii expectatio lassitudinem leuat. Mercatores audaces in pelago tentando facit asportādarū merciū cupiditas. Agricolarū labores spes frugum & messis subripit. Quare cōmunis uitæ moderator, & doctor ille magnus spiritus ueritati sapienter, ac peritè mercedē proposuit, ut ex erumnis præsentibus emergentes & nos extollentes ad repositorū bonorū fructus animum adiiciamus. *Beatus uir, qui non abijt.* Propriè uero ac præcipue beatū prædicandū est quod uere bonū est. Hoc autē est Deus. Vnde Paulus de Christo mentionē faciens. Iuxta 1 Tim. 6. (inquit) apparitionē beati Dei, ac Saluatoris nostri Iesu Christi. Beatū .n. uere est, quod bonū est, quod omnia appetunt, ad quod intendunt, collimantque omnia, immota natura, herilis maiestas, imperturbata uita, omni dolore carens conditio, quā circà nulla uicissitudo est, quā nulla permutatio tangit, scaturiens fons, luculenta gratia, inconsumptus thesaurus. At indociles & mundi rebus affecti naturā boni ignorantes sępe quæ nullius pretii sunt beata prædicant, diuitias, ualetudinē, uitæ splendorē, quorū nullum suapte ui, & natura bonū est, non modo propterea quod in contraria uerti potest, sed quia illa possessores suos bonos facere minime possunt. Quis .n. iustus est propter opes? quis temperans propter sanitatē? quin potius singula hæc sæpe ad peccandum male utentibus occasionē, & quasi obsequium præbent. Beatus ergò, qui quæ plurimi facienda sunt, possidet, qui bonorū, quę auferri nequeunt particeps est. At quibus notis eum dignoscemus? *Qui non abijt in consilio impiorum.* Sed antequam dicam, quid sit non abire in consilio impiorum, soluere uobis uolo quod hoc loco quæri solet. Cur (inquiunt) Propheta uirum solum secernens beatum prædicat? num mulieres à beatitudine seclusit? Absit, una enim est uiri, & mulieris uirtus, quoniam & conditio par, quare eadem utrisque merces. Audi genesim: Deus (inquit) hominem fecit, secundum imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam fecit eos. Gen. 1. Quorum ergo natura una, & actiones eædem sunt, quorum uerò æquale opus, & merces eadem. Sed cur de homine mentionem fecit, de muliere subticuit? Quoniam cum una esset natura ex præcipua, & principe parte totum ostendere satis esse arbitratus est. *Beatus uir, qui non abijt in consilio impiorum.* Considera uerborum efficaciam: Considera quomodo unaquæque dictio dogmatibus plena est. non dixit, qui non abit, in consilio impiorum sed, qui non abiit. nam qui uiuit adhuc, nondum beatus dici debet, incertus est enim eius exitus. Qui uero omnia sibi incumbentia expleuerit, & inculpatum uitæ finem clauserit, is tanquam in portum appulerit, felix absque dubio ac tuto beatus censendus erit. Cur ego beati qui ambulant in lege Domini? Psal. 118. non enim ibi, qui ambulauerunt, sed qui adhuc ambulant, beati ponuntur? nimirum propter opus ipsum, quod bonū est, ideò dū in opere sunt, meritò cōmendātur, qui uero semel atque iterū malum declinauerint, non statim laudē ferent, sed si demū mali periculū prorsus effugere potuerint.

EVSEBII CAES. Cum beati esse omnes natura cupiant, finem boni beatitudinem statuentes, multi uero errore decepti opes, ac dignitates, & delicias huius uitę suspicientes, atque admirantes, eum in corporis uoluptatibus conquerendam esse arbitrentur, meritò sermo

hic unde oportuit, carmina, & hymnos in Deum exorditur, beatum plane describens eum, qui
summi boni à Deo particeps fieri dignus habetur. Et hic quidem quoniam rarus est, cui hoc
Matth. 5. olim bene cesserit, unum aliquem beatum facit. At Saluator noster plures beatos efficiens
multitudinis numero beatitudines profert. Sit uerò ipse ante omnes qui beatus prædicetur,
propterea & in ipsum quispiam iure præsentem psalmum referre poterit tanquam in eum, qui
sit uir ipsius Ecclesiæ sponsę: quod Hebræa uox uidetur innuere, secundum quam illud nomen,
Vir, articuli adiectione profertur.

THEODORETI EPISCOPI CYRI. Hinc illud facile est cognoscere, quòd qui anti
quitus inter Hebræos inscriptiones inuenerunt, & sacras scripturas interpretati sunt, eas in
Græcum sermonem transtulerunt: nam cum præsentem hunc psalmum, & proxime sequen-
tem sine titulo inuenissent, non audentes ingenio suo diuinis oraculis quicquam apponere,
eos sine titulis reliquere. Verum nonnulli ex illis, qui argumenta in psalmos conscripsere, do
ctrinam de moribus tantum complecti hunc psalmum dixerunt; mihi uerò non minus dogma-
ta, quam mores continere uisus est, siquidem non tam peccatorum, quam impiorum accusa-
tionem habet: monetque diuinis eloquiis continenter animum esse adhibendum, ex quibus
non in uitæ institutis, & actionibus tantum, sed in sententiis & decretis dogmatum uberes fru-
ctus percipientes iuuemur. Aptissime autem magnus Dauid proposita beatitudine suæ con-
scriptionis exordium aggressus est filium suum, & eundem Dominum imitatus, Christum
Matth. 5. Saluatorem intelligo, qui in erudiendis sacris Apostolis à beatitudinibus exorsus est, inquiens.
Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Dominus autem Christus
Matth. 1. Dauidis filius quatenus homo est. Sacris testantibus Euangelicis uerbis. Liber generationis
Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham. Dominus autem, & conditor eius est, tanquam Deus,
Psal. 109. Illius enim est uox ista. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Beatum ergò illum
prædicat, qui nec in uia comes est impiorum, neque pecatorum consiliis adhæret, (hoc enim sta
tum uocauit) & tertium, qui inhærentes perniciosorum corruptelas fugit. Nomen uero bea-
Tim. 6. ti diuina quædam nuncupatio est. Testis est diuinus Paulus clamans. Beatus, & solus po-
tens Rex Regum, & Dominus dominantium. Sed & eiusdem appellationis homines quo-
que participes fecit, sicut & reliquarum Dominus Deus: Etenim cum ipse fidelis uocetur. Fi-
Cor. 6. delis enim Deus, (inquit ille,) per quem uocati estis in societatem filii eius. & Beatus Moses
Deut. 32. Deus (ait) fidelis, & non est iniquitas apud eum. Ex hominibus quoque fideles uocauit eos,
Psal. 81. qui sine ulla hæsitatione sermones eius admittunt. Sic & ipse cum uere sit, & uocetur Deus,
optimarum rerum largitor, hanc nominationem hominibus impertiit, clamans, Ego dixi Dii
estis, & filii excelsi omnes: Vos uerò tanquam homines moriemini. Nomen ergo beati ad
perfectæ, ac absolutæ uirtutis fructum pertinet. Quemadmodum enim unumquoque uitæ in-
stitutum ac studium in finem aliquem intuetur, Athletarum in coronas oleaginas, Militarium
uirorum in uictorias, & trophæa, Medicorum in sanitatem & morborum depulsionem: Mer-
catorum in pecunias colligendas, & diuitiarum affluentiam, sic & uirtutis scientia fructum, &
finem habet diuinam beatitudinem. Non est autem quod cum hic uideas uirum appellari bea-
Matth. 5. tum fœmineum genus beatitudine priuari putes: non enim Dominus noster de uirilibus bea-
titudinibus decernens ac disserens uirtutis acquisitionem mulieribus interdixit: nam sermo
Eph. 5. eius tam uiros, quam mulieres complectitur. Caput enim mulieris uir est, inquit Diuus Apo-
stolus: nam capiti membra corporis cohærent, & si caput coronatur, congaudent. Hac ratio-
1. Cor. 12. ne cum blande aliquem alloquimur, earum caput uocantes à reliquis corporis membris ipsum
non separamus, sed totum à parte nominamus. Non simpliciter autem primum de uia, mox de
statu, deinde de cathedra mentionem fecit. Sed consultò quidem, ac diserte, quoniam ratio, &
cogitatio nostra siue bona, siue mala sit, primum quandam motionem, deinde statum, postremo
sedentariam quandam firmitatem subiit. Monet igitur neque mente impiam cogitationem con-
cipiendam: neque in legi non consentaneam, & iniquam actionem abeundum esse. Solent autem
sacre literæ impios uocare, uel nullius, uel multorũ Deorum cultores.

PECCATORES. uerò exleges, & perpetuos perditę uitæ amatores; Pestes autem qui non
modo se ipsos, sed alios quoque corrũpunt, tanquam morbi qui, & homines, & pecudes inuadũt,
quorũ participes fiunt, etiam qui ad ægrotos, & laborantes propius accedunt: Quare nos Daui-
dicus serm o, ut eorum congressus declinemus, hortatur. Quoniam uerò ad uirtutem perfecte
Psal. 33. comparandam, non satis est à malis uitiisque recessus. (Declina. n. (inquit) à malo, & fac bonum:
Et Diuus Isaias ait. Quiescite à flagitiis uestris, & discite bonum facere,) decenter ualde intu-
lit beatus Dauid. (*Sed in lege Domini,*) & reliqua.

Asterii.

ASTERII. Dauid tanquam Christi discipulus, & qui Christi typum gerit à beatitudine doctrinę sumpsit exordium. Angelos autem non uocat beatos: Angeli enim militiæ cœlestis Dominum semper adorantes, impiorum consiliis non adhærent, sed neque mulieres seorsum, neque infantes, hi enim mentis actione carent, nec dum uelle didicerunt. Mulieres uerò non nominantur, quoniam beatitudinis dignitas, non amplius à figura, sed à sensu denominatur: uti etiam uirum non in specie, sed in sensu generoso contemplamur, nec ætate, sed pietate metimur. Quoniam neque homo quilibet, licet eiusdem sit naturæ, beatus est dicendus. Impii uero dicuntur, qui Deum in ueritate non uenerantur. Nam quemadmodum qui inconcinnæ, & incompositæ uocis est, siue uoce dicitur, sic qui male sentiunt, tanquam non rite colentes, impii appellantur. κακόφωνος ἄφωνος.

NICEPHORI. Primus Psalmus & ad mores, & ad dogmata pertinet: ad mores quidem, quoniam diuinis eloquiis attendendum admonet: Ad dogmata uerò, quia impiorum, & aliorum aberrantium, & delinquentium criminationem habet, & eorum pœnas denunciat. Pulcherrimum uero principium; & primum doctrinę suæ fundamentum iecit Diuinus Vates, Beatitudinem scilicet, ut ad ipsam tanquam ad scopum aciem dirigentes, tanquam in finem quendam necessarium, consequenter uirtutis & honestæ uitæ labores, & difficultates perferamus. Beatus uerò propriè Deus est: nam uox, quę Gręce μακάριος est, immortalem, & interitus omnino carentem naturam tanquam fato, & morte priuatam significat; nam elementum ἦτα. Dorica proprietate in prima, & secunda eius nominis syllaba, uersum est in ᾱ. propter consonantiam, & grauitatem dictionis. Beatus igitur re uera Dominus est. Indulta uero est nobis huiusmodi appellatio, quemadmodum & Dei nomen. Ego enim (inquit) dixi Dii estis. Complectitur autem & mulierem omnino beatitudo ipsa. Quorum enim natura communis, horum opera & prœmia sunt communia. Impius uerò proprie est uel qui Deum non colit, uel qui multos colit. peccator autem qui fidelis quidem est, sed transgressor legis est, & perditis moribus uitam præfert. Pestis demum non modo qui peccat, sed qui uitiorum suorum alios participes facit. Cæterum nomina hæc confunduntur, & abusu quodam unum pro alio ponitur. Beatos autem eos psalmus facit, qui tria hęc uitia declinauerint, qui uidelicet impiis consiliis (quæ sunt aduersus Dei cultum) non communicauerint, ne obiter, quidem & in transitu (ita enim puto significare dictionem, abiit.) Quique cum peccatoribus in prauo aliquo opere non perstiterint, tametsi modicum propria infirmitate aliquando ad id rapti fuerint, & postremò, qui cum pestilentibus hominibus non perseuerauerint, hoc enim per cathedram subinnuere uoluit Propheta. Porrò aliter per consilium, consensus: per uiam, actiones: per cathedram doctrina intelligi possunt. Psal. 81.

ORIGENIS. Consilium impiorum est cogitatio & ratiocinatio male affecta, quę mentem sensibilibus rebus illigat. Non dixit autem, beatus homo, sed beatus uir, quoniam ad prælia, decertationes, & pugnas pro uirtute suscipiendas hortatur. Omnino autem omnis ab actione cessatio qualibet actione leuior, & tolerabilior est; Cuiusmodi illa sunt, Non mœchaberis, non scortaberis, & quæ sequuntur. Illa uero proximos dilige; Quæ habes omnia uendito, pauperibus dato: Et, siquis te ad unum miliare adigat, ad duo cum eo abeas, animæ sunt adultæ; & actiones athletarum uiribus conuenientes. cæterum & mulieres uult mares, & uiriles esse. Est autem beatitudo indolentia quædam cum uera rerum cognitione. Cathedra uero pestilentiæ, pessimus quidam rationalis animæ habitus est, quo alios docet agere præter legem. Et aliter. Agmina tria sunt, quæ in Christum insurrexerunt, Scribæ, Pharisæi, & qui sunt à lege, quos fortasse uocare poteris, impios, pestes, & peccatores. Deut. 5. Exod. 20. Matth. 5. ἀοδυνία. λοιμῶν.

EVSEBII CAES. Primi sunt qui falso cognitionis nomine decepti nihil certi habent, sed inexploratis ac temerariis cogitationibus cum suis consultoribus agitantur. Sequuntur hos illi omnes, qui post agnitam ueritatem delinquunt. Tertium locum tenent pestes, & lues quædam, quæ non modo ipsæ male affectæ sunt, sed labefactatam & perniciosam doctrinam cum aliis communicant, uel circa dogmata, uel circa mores, uel in utrisque fallentes: qui insidentes malo sequentium, illorum (inquam) qui in peccatis insistunt, & præcedentium, qui ambulant in errore. Qui uero ab iis omnibus alienus est, beatus est.

DIDYMI. Est uerò, quod uiam peccatorum Diabolum uoces, in qua, qui est, non insistat, iuxta illud. Resistite Diabolo, & fugiet à uobis. nam qui in ea non stabit, ad Dominum accedet dicentem: Ego sum uia. In qua, qui ad metam currendo peruenerit, Iac. 4. Ioan. 14.

nerit, præmium consequetur.

CHRYSOSTOMI. Beatitudo est omnium bonorum basis & fundamentum, eà necessariò in psalmis proposita est, pro coronis eius amatores ad uictoriam præparans, ut qui cupit demum beatitudinem adipisci, impiorum consilia toto animo fugiat, in uia peccatorum pedem *Isa 7. 8. 9.* non figat, nec unquam in cathedra pestilentiæ conquiescat. Quia consilium impiorum cadet, ut ait Isaias. Per id ipsum Diabolum significans, nam ipsius consilium primum paricidam *Gen.4.* concitauit, & illi fraternorum uiscerum obliuionem iniecit, & coniunctum par bonorum amore seiunxit, & eos lugere docuit, qui à mœrore aberant, & terram denique imbrium sitientem cruore irrigauit. At piorum consilium Christus est, quod inuenitur in uia, & cathedra, *Ioan.14.* Via quidem, ut quæ ducat ad ipsum Patrem. Cathedra autem, ut quæ faciat quiescere illos, *Matth.11.* qui in uia laboribus affliguntur. Venite (inquit) omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

HESYCHII. Primum quidem oportet, ut quod attinet ad pietatem rectè se habeat, & tum demum ad id uitæ instituto accommodetur: unde ad illud, non abire, ad hoc, non stare, apposuit. ut impietati ne minimum quidem uel obiter communicemus, & mentiri caueamus, & in peccato (utcunque per id transire contigerit.) non insistamus, hoc est immorari, aut perseuerare fugiamus. Pestes uerò arbitror inconstantes homines, & deceptores uocari, qui iustitiæ speciem concinnant, uitium uero factis consectantur, hi siquidem humanitatem labefactant. Cathedra pestilentiæ est iudicium iustitiæ proditorum, Cathedra pestilentiæ est sedes falsorum doctorum, Cathedra pestilentiæ est hypocritarum stola, Cathedra pestilentiæ est sacerdotum hypocrisis, in ea iubet non esse sedendum.

ATHANASII. Cathedræ nomine doctrinam innuit, Iuxta illud. Super cathedram *Matth.23.* Moisi. Cathedra igitur pestilentiæ est iniquorum doctrina.

BASILII. Verum ex sermonis consequutione alterius quæstionis argumentum emergit. Cur nam non sectatorem uirtutis, sed à uitiis abstinentem beatum facit, ita enim & equum, & bouem, & lapidem beare poteris? Quod nam quæso ex inanimis in uia peccatorum stetit? & quod ex pecudibus in cathedra pestilentiæ sedit? Expecta paululum, & solutionem inuenies. Inducit enim: *Sed in lege Domini uoluntas eius*, nam meditacio diuinæ legis in animal rationis capax tantum cadit. At nos illud quoque dicimus, quod secessus à malis *Psal.33.* percipiendorum bonorum principium est. Declina enim (ait) à malo, & fac bonum, prudenter ergò ac peritè nos ad uirtutem adducens honestarum rerum principium à turpibus recessum fecit: nam si perfecta tibi statim attulisset, remissior ad ea aggredienda fortasse fuisses. Nunc uerò te prius facilioribus instituit, ut sequentia confidentius amplectaris. Nam pietatis exercitium (dixerim ego) scalæ persimilem esse. Scalæ inquam illi, quam uidit beatus *Gen.28.* Iacob, cuius pars humilis, & terræ contigua erat, pars ad cœlum usque pertinebat. Quamobrem opus est, ut qui in uirtutis uiam inducendi sunt, in primis gradibus uestigia inferant, & inde semper altius scandant, donec ad accessibilem humanæ naturæ celsitudinem semper proficiendo conscendant. Quemadmodum igitur in scalarum ascensione initium conscensus est se ab humo tollere, ita in ea, quæ secundum Deum institutio est processus, principium est à malo recessus.

OMNINO autem omnis ab actione cessatio qualibet actione leuior, & tolerabilior est, *Deut.5.* Cuiusmodi illa sunt: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies, quorum singula actionum suspensionem, & cessationem quandam requirunt, At illa: Proximum *Matth.5.* æque ac te ipsum dilige. Quæ habes omnia uendito, in pauperes erogato: &, siquis ad miliare te unum adigat, ad duo cum eo abeas, si rectè fieri debent, animam fortem quærunt, & *Hæc sæpe* actiones athletarum uiribus conuenientes. Quare sapientiam illius admirabere, qui per ea, *rius Origeni ascripta sunt.* quæ magis expedita sunt, & captu faciliora nos ad perfectionem conducit. Tria uerò proposuit obseruatione digna, Non abiisse in consilio impiorum: Non stetisse in uia peccatorum: Non sedisse in cathedra pestilentiæ: Rerum naturam sequutus huiuiusmodi ordinem dictis adhibuit: Nam primò consilium inimus, postea id confirmamus, demum in eo insistimus, & perseueramus. Primum ergo beanda est mentis nostræ puritas, nam cordis consilium radix est eorum, quę corporis obsequio & opera perficiuntur. Adulterium enim in anima libidinosi succensum prius, inde per corporis contagionem & uitium committitur: Dixit enim Dominus intus esse quæ hominem coinquinant. Quo- *Matth. 15.* niam uerò impietas proprie peccatum in Deum dicitur, absit, quod ex incredulitate ullam de Deo dubitationem unquam animo concipiamus. Hoc enim est, abire in consilio impiorum.

Si dixeris

Si dixeris in corde tuo: Num Deus est? num cuncta regit? num quid in cœlo cum sit, singula disponit? num iudicium futurum? num retributio fiet unicuique iuxta opera sua? Cur iusti inopes, iniusti diuites sunt? illi infirmantur, hi confirmantur? illi inhonorati, hi dignitatibus præfulgent? num quid fortuito mundus circunfertur? num temerarii casus, & fortunæ citra ordinem uitam unicuique dispensant? Si hæc animo uersabis, in consilio impiorum abibis. Beatus igitur qui nullam unquam de Deo dubitationem admisit. Qui circa præsentia neque paruo, neque prauo est animo, sed spe bona speranda expectat, qui nullam de creatore suo diffidentem suspicionem habet, Beatus etiam ille est, *qui in uia peccatorum non stetit*. Via ergo uita nostra dicta est, quod omnia orta ad finem properent; Nam quemadmodum qui in naui dormiunt, sponte à uentis in portus feruntur, licet id ipsi minime sentiant, sed eos cursus ad finem urget, sic nos tempore præterlabente uitæ nostræ continuo, & irrequieto motu ad constitutum cuique terminum latenti uitæ nostræ cursu festinamus: Exempli gratia: Dormis, & tempus interim te præterit. Vigilas, & animo es occupato, sed tamen uita consumitur, quanquam sensus nostros effugiat. Quotquot igitur homines sumus, cursum quendam currimus, quisque ad proprium finem compellitur, propterea omnes in uia sumus. Cæterum & hoc quoque modo huius nominis, Viæ, notionem capies.

VIATOR incumbis uitæ huic. Omnia post habes, Vides arborem in uia, pratum uirentis herbæ, fluuium, & quicquid iucundum, & spectatu dignum est modicum oblectaris, mox præteriisti: Rursus in saxa, & ualles, & rupes, ac scopulos, & quęuis alia molesta, & grauia offendisti, modicum tristatus es, & illa deinde reliquisti: Huiusmodi uita est, neque iucunda, neque molesta diuturna sunt. Sed neque ipsa uia tua est: neque illa, quæ oblectant in ea, tua sunt. prętereа inter uiatores simul ac primus uestigium amouit, statim qui post illum ambulat, in idem pedem intulit, & post illum alius, qui insequitur. Considera etiam num quæ ad uitam pertinent, consimilia sint? Quam tu hodie terram colis, & cras alter colet. & post eum alius. Viden'hos agros, & ornatas ædes? quot nomina iam singula permutarunt? Illius olim dicebantur, mox ad alios translata nominatio est, & ab alio domino dominantur, & paulo post alterius esse dicuntur. Nunquid igitur non uia est uita nostra, quæ aliàs alios permutans omnes habet se uicibus subsequentes? Beatus ergo qui in uia peccatorum non stetit. Sed quid est illud, *non stetit*? Cum adhuc pueri sumus, nec in uitio, nec in uirtute sumus (ætas enim neutrum habitum admittit) at ubi ratio in nobis perfecta est, tum fit quod scriptum est. Adueniente mandato reuixit peccatum. Ego uero mortuus sum. Exoriuntur enim prauę cogitationes, quę ex affectibus carnis in animis nostris ingenerantur. Sanè adueniente mandato (id autem est honesti, & boni cognitio) si deteriori cogitationi non imperaueris, sed rationem turbis, & affectionibus abigendam permiseris, reuiuiscet quidem peccatum, mens uero peccatorum morte affecta, morietur. Rom.7.

BEATVS ergò, qui non immoratur in uia peccatorum: sed potiori cogitatione, ac ratiocinatione ad piam uitę institutionem, & rempublicam commigrauerit. Cæterum duę sunt uiæ sibi inuicem aduersantes, lata una, & ampla: angusta altera & salebrosa: Duo item duces, uterque nos in suam inducere conatur. Latæ illius planæ, ac facilis ductor est deceptor, & malus Dæmon, qui uoluptatum illecebris sectatores suos in interitum trahit. Aspera uero, & ardua bonum Angelum ducem habet, qui per honestos labores ad beatitudinem nos perducit. Quandiù ergò qui liber nostrum puer est, sensus uoluptatem persequens, nulla futurorum bonorum cura fatigatur. at ubi iam adultiori ætate progreditur, & cogitare aliquid perfectè potest, ut qui iam considerare sibi uidetur, uitam ipsam sibi ad uirtutem, & ad uitium quasi discindi, animę oculum ad utramque conuertens conferendo diiudicat, quid utrique insit. At peccatorum uita omnia iucunda ostendit, quæ huius seculi sunt. Iustorũ uero ea, quæ futura sunt, sola esse bona prætendit; ac uia eorum, qui seruandi sunt, futura pulchriora ac potiora ostendit, & præsentia magis laboriosa exhibet. Via uerò uoluptatis, & intemperantiæ conciliatrix nihil, quod imposterum expectes, sed præsentem soli iucunditatẽ, & sensum pollicetur. Omnis itaque animus quasi uertigine correpta ratiocinando uacillat; cum & cœlestia in eligenda uirtute animo uersat, & cum præsentia intuens uoluptatem prefert. Hic uidet suauem carnis titillationem, illic carnem in seruitutem redigi: hic ebrietatem, illic ieiunium: hic dissolutos risus, illic profusas lacrymas: hic saltationes, illic supplicationes: hic tibias, illic gemitus: hic scortationes, illic uirginitatem. Quoniam uerò quod bonum est per fidem mente concipitur, longe enim semotum est, & oculus non uidit, & auris non audiuit. peccati autem oblectatio promptas habet, & ad omnes sensus perfundendos illiquefactas uoluptates; Beatus ergò est, qui uoluptatum escis in interitum non est

circumactus, sed per patientiam salutis spem concepit, & in utriusque uię electione ad deuia, & deteriora non deflexit: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Nunquid sedes eas intelligimus, in quibus corpora ad quietem collocamus? Sed quæ nam est ligni cum peccato communicatio, ut præoccupatam à peccatore cathedram, tanquam noxiam me fugere oporteat? An opus est nos arbitrari cathedram dici firmam & immotam in iudicio peruersitatis occupationem, quæ nobis cauenda sit? Propterea quod qui studiose in peccatis uersantur, habitum sibi comparant, qui ægrè ab animo dimouetur: nam inueteratus animi morbus & mali exercitium temporis diuturnitate confirmatum, difficilis est, imò desperatæ curationis: nam uetus consuetudo naturæ uim obtinet. Optandum igitur est ne malum prorsus attingamus: secundus uerò cursus rectus est, ut quam celeriter post tentationem tanquam uirulentę belluæ ictum fugiamus: iuxta id, quod
Prouer. 9. à Solomone de muliere praua dictum est. Non instes oculo tuo in ipsam, sed resilias, ne moreris. Nunc uerò nonnullos noui, qui à iuuentute in carnis morbos prolapsi usque ad obitum præ mala consuetudine in peccato permansere: Nam quemadmodum sues, quò magis in luto uolutantur, eò magis sibi lutum affingunt, ita hi quotidiè ex uoluptate sordes aggregant. Beatum igitur est malum non cogitasse, quod si hostis extorsione consilia impietatis animo susceperis, ne stes in peccato, sin autem hoc quoque acciderit, non insistas malo. Non ergò sedeas in cathedra pestilentiæ. Cæterum si quam cathedram sermo intelligat, iam considerasti, (nimirum continentem in malo sessionem) inquire, ac perpende reliquum, quas nam pestes nominauerit. Inquiunt harum rerum periti, quod ubi pestis hominem unum, aut pecus attigerit, transmissione quadam in omnes disseminatur: hanc enim aiunt esse naturam morbi, ut omnes inter se mutua ægritudine afficiat. Huiusmodi sunt omnes, qui iniquitatem operantur: nam alius in alium tabem transfert, & quemadmodum simul ægrotant, ita simul intereunt. An non uides scortatores ociosos in foro desidere, & temperantes irridere, & turpia, quæ agunt facta recensere, ac tenebrosa studia, atque ignominiæ plenas perpessiones tanquam uictorias, & egregia quędam facinora connumerare? Hi sunt pestes, qui proprium malum in proximos deducere conantur, & multos sibi similes fieri ambiunt, ut plures in malo socios comparantes opprobria hominum effugiant. Neque enim fieri potest, ut ignis, qui semel materiem ad comburendum facilem attigerit, non in totam permeet, ac eam absumat. tum aliàs, tum maxime si uentum prosequentē sortitus fuerit, qui flammas asportet: neque peccatum, quod unum affecerit, non ad alios quoque, qui proxime ad illud accedant, perferatur malitię flatibus illud excitantibus. Nam spiritus fornicationis non fert, ut in uno sistatur iniquitas, sed statim coetaneos sibi socios adiungit, commessationes item, & temulentiæ, & turpes sermones, meretrix compotatrix huic arridens, illum irritans, & omnes in peccatum inflammans, nunquid exigua pestis est hæc, aut parua mali disseminatio? Quid uerò is, qui auaros imitatur, aut alium, qui malis artibus ciuilem aliquam, & illustrem potestatem adeptus est, aut imperium in populos habet, aut militiæ dux est, ad hæc uero turpissimis affectibus inquinatus est, nonne qui huiusmodi notæ homines imitatur, pestem sibi contrahit, & malum, quod sequitur, sibi proprium facit? nam uitæ splendores cum ipsis quoque referunt circumspectantium actiones, & milites imperatoribus similes fiunt, & populus in ciuitatibus potentes ęmulatur: ac denium ubi unius uitium multis imitatione dignum iudicatur, propriè, & aptè pestis animarum uitę dominatrix dicetur: nam quod in malo conspicuum est, multos procliues, & lubricos in similem trahit æmulationem. Quoniam igitur alius ex alio contagione repletur, meritò isti animas inficere pestilentia dicuntur. Non ergo considеas in cathedra pestilentiæ, aut non particeps fias consessus hominum perniciosorum, & pestiferorum; aut non insistas in his, quæ malè consultasti, sed sermo adhuc in proemiis uersatur, longitudinem uerò modum egressam uideo.

IOANNIS Damasceni. Cur initio illum beatum prædicauit, qui abstinet à malis, & non eum, qui bene agit? An forte maxime rationi consentaneam beatitudinem fecit? Qui enim non ambulat in consilio impiorum, neque stat in uia peccatorum, neque sedet in cathedra pestilentiæ extra omne uitium factus, & cum uirtute conformatus est. Et hoc credendum est, quod in quibus priuatio locum non habuit à natura, necesse est habitum inesse, ut erat à principio. Præexistunt enim in humana natura uirtutum semina uelut quidam habitus, siquidem nil aliud est peccatum, quam lapsus, uel aberratio à naturalibus bonis: namque à Deo conditi sumus ad bene agendum, quapropter quicunque conuersionem ad mala fugit, is in honesto, & bono manet.

Sed in lege Domini uoluntas eius, & in lege ipsius meditabitur die ac nocte.

EVSEBII CAES. Quoniam multum interest inter eos, qui pœnæ formidine bene uiuere compelluntur,

compelluntur, & eos, qui mentis proposito quæ honesta sunt, eligunt, iccirco dixit. *Sed in lege Domini uoluntas eius*, legem autem dicit non umbratilem, & figuratam, sed eum potius, qui multò ante latebat in ea spiritalis sermo. Potest etiam lex Domini esse, quæ natura hominibus cunctis indita est, cuius præscripto sancti, qui Mosis legem præcessere, uixisse dicuntur, de quibus dicit Apostolus. Cum gentes, quæ legem non habent, natura quæ sunt legis faciunt, hæ legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Vel Domini lex esse poterit, qui ab ipso Domino & Saluatore nostro annunciatus est euangelicus sermo. Rom. 2.

CHRYSOSTOMI. Et quæ nam est ea lex, nisi Christus? qui inenarrabiliter est ex Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis. ex Sion enim egredietur lex, et uerbum Domini ex Hierusalem. Qui lex quidem dicitur, ut qui secum ferat paterna consilia, Verbum autem, seu ratio, ut qui à patre nequaquam separari possit. Isa. 2.

THEODORETI. Oportet autem non solum à prædictis abhorrere, uerum dies noctesque diuinæ legi intendere, & illa uelle, quæ diuina lex iubet, & ad eius scopum omnes uitæ suæ actiones dirigere. Sic enim uniuersorum Deus per Mosen statuit, dicens. Et sint uerba legis huius iugiter in ore tuo, & mens tua semper in illis: sedens, & surgens, cubans, & ambulans in uia, & appendes illa de manu tua quasi signum, & ab oculis tuis non mouebuntur. Deinde fructum ostendit, qui inde nascitur. *Et erit tanquam lignum*. Deut. 6.

ORIGENIS. Meditatur legem Domini die ac nocte, non qui uerba legis citra opera in illis præcepta memoriæ mandat, sed qui bene agendo tandiu legem animo uersat, donec ob assiduam operum quæ in lege continentur, meditationem, sua cunctis secundum legem uiuentibus promptè impendit, sic fieri poterit ut die ac nocte legem Dei aliquis meditetur. Siue enim edat, siue bibat, siue quid aliud agat (quemadmodum ait Apostolus) hic omnia in gloriam Dei facit. Ita ut somni etiam tempore, quam pro uigiliarum necessitate homines capiunt, cum prorsus illa in hominum mentibus inhæserit illud, quod ab Apostolo dictum est, de quo interdum ambigitur, impleatur. Indesinenter orate. Qui fiet enim ut somno sepultus, aut uariis detentus negotiis, aut in curando corpore occupatus oret? Atqui in psalmis huuc etiam ad Dominum clamare dicimus, & sibi opem implorare: nam per ea, quę honestè agit, continenter clamat ad Deum. Viri ergo perfecti, qui cum ratione agit omnia, actio pro oratione habetur. Inconcussam uerò animorum nostrorum tranquillitatem legibus consentaneam, Diem: circunfusam uero animi tristitiam, Noctem meritò appellabimus, necessaria uero in utraque occasione legis meditatio est. 1. cor. 10. 1 Thes. 5.

HESYCHII. *Sed in lege Domini* Non tanquam legislator in propria lege uoluntatem ipsius habet, Cæterum post malorum abiectionem bonorum inducit actionem: iuxta illud: declina à malo, & fac bonum. Psal. 36.

ATHANASII. *Die ac nocte*, Intentionem ostendit per hæc uerba, siquidem non est meditanda negligenter lex Domini. Die autem meditatur qui in uirtutibus proficit, nocte uero, qui cum perturbationes insurgunt, immotam seruat animi generositatem.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.

EVSEBII. Qui per omnem uitæ suæ cursum, & per omne tempus die noctuq; diuinæ legi uacat, & eius spiritalibus riuulis irrigatur, quàm propriissime arbori propè aquas consitæ comparatur. Quamobrem uerissime quoque beatus is est, ut qui maxime diuinis doctrinis imbutus maturos fructus suos edat, uel fructuoso ligno uitæ Dei filio similis est. Dicit enim de sapientia Solomon. Est enim uitæ lignum suscipientibus eam, & illi innitentibus tanquam Domino tuta & secura. Christus uerò est, qui iuxta defluxus aquarum, à diuinæ scripturæ doctoribus, & prophetis testificatus, & prædicatus est: hi enim sunt illæ aquarum emissiones, de quibus diuina scriptura testatur: Nam ligno illi confertur beatus, qui sacræ scripturæ riuulis irrigatus fructum fert bonum, utique uirtutis opera, uel re ipsa præstans per se, uel eius ope indigentibus opportuno tempore communicans: Et quoniam fidelis & prudens conseruis suis opportunè demensum cibum præbet. *Et folium eius non defluet*. Et folia eius (ut alius inquit) cum diuersa sint à perfecto fructu, tum res sunt quæ ad mortalis uitæ mores pertinent, tum ad usum hominum exercentur, quibus perfectus fructus obtegitur & custoditur. & non defluent, quousque hæc uiuendo accurate seruabuntur: ideo in omnibus, quæcunque fecerit à Deo in uiam bonam dirigetur. Et aliter: Beatus, qui semper rationalibus diuinæ doctrinæ aquis irrigatus, & decentis culturæ in præsenti uita compos in tempore suo dabit fructum suum. Tem- Prou. 3. Luc. 12.

pus uerò suum, futurum seculum est: nam fructus huius seculi non proprius, sed alienus est. Quare in illo suo tempore culturæ, quam hic fecerit, Deo fructus dabit. Et alio modo. Qui beatus dicitur, ex hac mortali uita transplantatus promisionem habebit, se forè in paradiso Dei tanquam lignum consitum propè decursus aquarum.

DIDYMI Similis in sapientia factus est illi, qui huiusmodi habitum largitur. Iustitia, enim pariter iustus, & sanctitate sanctus, & sapientia sapiens, qui ab ipsa, ut sapiens sit, habet: iuxta illud quod à Saluatore dicitur. [Matth. 10.] Satis est discipulo, ut sit sicut magister eius, & seruus sicut Dominus eius, qui autem ligno uitæ similis est, oritur in paradiso, ut cum eo conseratur. Quẽadmodum ex ore Dei dicit Isaias, [Is 65.] secundum dies ligni uitæ erunt dies populi mei: perpetuò igitur uiuet iustus cum eo ligno coalescens, ut potè palmes, & ramus factus ad ferendos diuinos fructus. [Ioan. 15.] Vitis enim uera cum sit uitæ lignum, dicit discipulis suis. Ego sum uitis uera, uos palmites, pater meus agricola, omnem palmitem in me manentem purgabit cum pater, ut fructum plus afferat. [Roma 8.] Qui huiusmodi est, omnia prosperè illi procedunt: Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. [Psal. 36.] Et alibi: A Domino gressus eius dirigentur. *Omnia quæcunque faciet.* Omnia, dixit, constanter, & sine ulla hæsitatione, ut potè certus post declaratam uitæ perfectionem: nam qui diuinæ legi conformauerit uolontatem suam, cum nihil aget, quod repugnet diuinæ legi, omnia quæcunque faciet, illi bene cedent: quod si aliàs scriptum est: uia [Ier. 12.] impiorum prosperabitur: non absolute accipienda est prosperitas illa, sed pressius, & cum adiectione illa, impiorum. Iccirco dictum est etiam, impiorum prosperitas malis in rebus est fortitudo.

ORIGENIS. Illud posthac perpendamus quod Aquila, transplantatum, dixit. Vnde nã lignum, quod in aquarum diuisionibus transplantatur? An uero qui in patre radices egit æternas ob beneficium & gratiam multis collatam, alibi conseri, & transplantari dicitur, ut alii quoque illius imaginis participes fiant, imaginis inquam quę in ipsa translatione accipitur: non quod non sit in Patre (siquidem perpetuò adest) sed ut apud alios quoque ingeneretur. Quod si aliter lignum, quod transplantatur, interpretari uolueris. Lignum erit anima Saluatoris, quam assumpsit, hinc in paradisum translata, ubi post crucem cum pœnitente latrone fuisse dicitur, [Luc 23.] Euangelio testante, Hodie mecum eris in paradiso. Illuc enim transplatatur, ut qui solutis corporeis uinculis digni sunt esse cum Christo in rerum speculatione propè sapientiam Dei proficientes, ab eo cognitionis luce illustrentur. Quare & *dabit* dictum est, quod uerbum ad animatum & rationis capax pertinet: Arboris enim magis est afferre, quam dare fructum. Iam uerò quærendum est, an ligno uitæ ferendi fructũ tempus adesse oporteat, nam asserere sapientiam non aliquando fructus habere, nefas est. Quare nec dictum est, Fructum suum producit in tempore suo; Sed: *Fructum suum dabit in tempore suo.* Sanè tempus ferendi fructus, (licet nunquam fructibus careat) est accipientis aptitudo, semper enim dare paratum est. [Luc. 12.] Quærit autem dandi opportunitatem multo magis, quam fidelis & prudens domesticæ rei dispensator, qui tritici demensum præbet. Idem uerò est illi tempus dandi, quod illi, qui accipit, accipiendi. Nunc uerò consideratione dignum est, quid sit folium ligni uitæ, quod nunquam defluit. Sanè illos interpretari possumus, qui temperate pro ratione ipsorum naturæ, quæ naturali usui necessaria sunt, capiunt. Cæterum iam constat optimum opificem Deum initio rerum fructuosis arboribus præcepisse, [Gen. 1.] ut quęque iuxta genus suum fructus produceret, atque inde multa in hominum utilitatem condidisse. Verum quo fructus ab iniuria seruarentur à foliis emanasse. Hæc ergo in sapientia, in qua conditor uniuersorum omnia perfecit, de rebus omnibus perspicere licet. Nam imprimis animal hoc sagax, rationis compos, & prouidum fabricauit, inde ad eius usum pecudes, & quę ex terra oriuntur, tanquam anniuersarium illi tributum soluentia constituit. Ex iis autem, quæ in humanos usus creata sunt, nonnulla præcipua sunt, ꝙ primas quasi partes obtinent, uerbi gratia, frumentum, nonnulla consequentia, ut palea, aristæ, culmi, quæ frumenti conseruandi, ac tuendi causa facta sunt. Num igitur præcipuorum illorum rationes arboris uitæ fructus sunt, quæ uero per illas rationes creata sunt, folia dices, quorum nullum fortuitum, nullum abiiciendum (utcunque uile sit) arbitrari oportet: nam sæpe usu uenit, ut ad res necessarias iis omnibus utamur, quæ quasi ex appendice creata sunt. præterea fructus est pręclara Christi doctrina: Folium uerò rationis minus capacium esca, Ita fructu quidem uitis homines uescuntur, foliis uero pecudes. Sed & in sacris literis aliquos esse fructus asserere possumus, quos sensati magis homines percipiunt, quorum foliis simpliciores nutriuntur, fructuum usum aut nolentes, aut non ualentes percipere. At beati uiri, & eius, qui uitæ ligno comparatur, fructus est, quicquid præcipui boni agit, iustitia scilicet, & amor sapientiæ,

tiæ, folia uerò studia, quæ ad uitæ usum attinent, dici possunt. quæ sanè nec ut contemnantur, nec ut decidant digna sunt, modò interim accuratè, atque ad Dei gloriam comparentur: Nam sic fiet, ut quęcunque ille faciet, prosperè succedant. Planè uir ille, qualem sermo descripsit, re beatus est: at quotus quisque is est, qui uerbo tenus beatus dicatur?

THEODORATI. Fluenta Sancti Spiritus aquarum irrigationes imitantur, nam quemadmodum illę propè se consitas arbores germinare faciunt, ita hæc ad diuinos fructus ferendos animis maximo sunt adiumento. Propterea Christus Dominus doctrinam suam aquæ nomine nuncupauit, dicens. Siquis sitit, ueniat ad me & bibat, & erit aqua, quam ego dabo illi, Ioan.4. fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam. Et rursus: Qui credit in me, (quemadmodum Ioan.7. scriptura dicit) fluuii de uentre eius fluent aquæ uiuæ, Atque ad Samaritidem. Qui bibet (di- Ioan.4. xit) ex hac aqua, sitiet iterum, qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in ęternum. Similiter per prophetam Isaiam dicit, Quoniam ego dabo in siti laborantibus in loco arido, & aperiam in montibus fontes, & in saltibus fluuios, ut potum præbeam generi meo electo, & populo meo, quem acquisiui. Iure igitur & Beatus Dauid eum, qui diuinis eloquiis iugiter uacat, arboribus propè ripas consitis comparauit, uiridibus & nitentibus semper foliis, & suo tempore fructus ferentibus: nam ueri uirtutis athletæ laborum suorum fructus in posterum consequentur, interim uerò optimam spem habentes tanquam folia quædam in ipsis ferentes florent, & exultant, & interno animi solatio laborum grauitatem compensant. Habent præterea munificum & liberalem Dominum continuò eorum alacritatem adiuuantem: Nam diligentibus Deum (inquit Diuinus Apostolus) omnia cooperantur in bonum. Quapropter ait beatus Da Rom.8. uid: *Et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.* A Domino enim (ait) gressus eius dirigen- Psal.36. tur. Et uiam eius uolet nimis. dixit uerò *omnia*, disertè, & exactè, nam cum omnes nequitiæ species recensuisset, & diuinarum legum perfectionem ostendisset, subiunxit. *Et omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur*, sciens huiusmodi hominem nihil aduersus diuinas leges conari uelle. Sed suam uoluntatem illis ipsis lubenter accommodaturum: in lege enim (inquit) uoluntas eius.

CHRYSOSTOMI. Lignum quod Pater nullo sequestre ferax, frugiferum, belle germinans dispansis comis, & frondosum progenuit, quod sponsa desiderans dicit in canticis. Dixi: ascendam in palmam, & tenebo ramos eius: Palmam quidem ipsum appellans, ob carnis deflexionem, & abiectionem ad ima, & diuinitatis fertilitatem ad summa. Huius ligni esum, cum Cant.7. Adam neglexisset, in contraria incidit. Nos autem illud nunc mystice comedentes, transgressionem, quę ab eo profecta est, delemus. Siquidem uitæ lignum Christus est: Lignum mortis Diabolus est: Hic enim hominem de horto delitiarum propulsat, ille uerò latronem ducit in paradisum: ramos enim habet Apostolos, fructus eos, qui salui fiunt: foliorum comam, orationes: radicem, baptismum, agricolam patrem, qui ipsum & supra, & infra absque sequestre genuit. Vis etiam uidere fructum illius, quem dedit in tempore suo? intuere in eum cruci affixum, & uide latus eius confossum, ex quo sanguis & aqua scaturiit, ut sanguine martyrium, aqua baptismum indicaret. Quoniam enim compunctum latus Adam supplantauit, necessariò punctū quoque latus eum regenerauit. Humidum lignum unum deiecit, aridum lignum mundum erexit. Esus illius mortem peperit; Esus huius uitam iterum germinare fecit, De illo enim dictum est, non comedatis ex illo: de hoc autem, Gustate, & uidete quoniam suauis est. Specio- Gen.2. sus est ut pomum, suauis est ut uinum, fructifer ut olea, multa habet tegumenta, sicut malum Psal.33. punicum: fructu abundans ut palma, maturus ut botrus. Gustate, & uidete. Fructus crucis floruit in Patriarchis, germinauit in Prophetis, dedit odorem in aduentu, maturuit in passione. comeditur post resurrectionem.

ATHANASII. Ex collatione, & consensione quadam in diuinitus inspiratis scripturis Christus esse lignum, descriptus est. Iuxta illud, Vitæ lignum est omnibus suscipientibus eum. Prouer.3. Dictum est enim, quod credentes in Christum corpus eius erunt. nam transformabit corpus Cor.7. humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Decursus aquarum diuinas scripturas Phil.3. appellauit, in quibus est, quod passim inuenias Christum prædicatum.

NICEPHORI. *Et erit tanquam lignum*, Qui bonus est, radices habet propè fluenta eloquiorum Dei, & pro foliis habet uirtutes semper uirentes, uidelicet spem: & in tempore retributionis laborum suorum fructus uidebit.

CYRILLI, *Et omnia, quæcunque faciet prosperabuntur.* Sanè ante Christi Saluatoris aduentum, non adeo facile erat terrę incolis turpes uoluptatum illecebras superare, ac mundanas uincere cupiditates: postquam uerò apparuit nobis Deus Dominus, plana, ęquabilis, &

nihil

nihil habens asperitatis, & impedimenti facta est uia, quæ ad uirtutem ducit.

HESYCHII. Hoc ad solam unigeniti personam referri potest, soli enim ipsi in cunctis operibus suis omnia rectè procedunt. Ita ut pœna eius nutrimentum nobis, dedecus gloria, perpeßio dolorum ablatio fuerit.

ATHANASII. *Et omnia quæcunque faciet*, Nulla secundum Deum actio utilitate caret.

HESYCHII. Cæterum qui uiam Dei currit, cum omnis impactio absit, prospere uiam suam peragit, diuinæ legis lumine semitas eius illuminante.

» *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijciat uentus à facie terræ.*
» *Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.*
» *Quoniam nouit Dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit.*

ORIGENIS: *Non sic impij*, umbratilem enim uirtutem habent.

EVSEBII Cæs. Beatus sanè huiusmodi est, qualem sermo descripsit; at rarus planè is est, & inter paucos inuentus: Multi uerò impij sunt, qui tanquam nihil habentes à beatitudine decipiuntur: fructus enim labiles, temporarios, & dißipabiles poßidentes pulueri similes facti sunt, quem proiicit uentus à facie terræ.

DIDYMI. Scies autem uentum esse tum ultorem angelum hos sursum & deorsum dißipantem, tum impetum erroris totius eorum doctrinæ, ipsos uerò circumlatos omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia.

Eph.4.

THEODORETI. Cum nos ad uirtutē hortatus esset, & perfectam uiuēdi rationem docuisset, demum per contraria inungit athletas, inquiens. *Non sic impij, non sic*, Geminata negatione claram magis contrarietatē fecit. Nonnulli addunt secundò illud *non sic*. Sed nec Hebraicū illud agnoscit, nec ullus interpretum ea resumptione usus est: Cæterum illi (inquit) diuinis eloquiis irrigati uirescūt semper, & maturos edunt fructus: hi uerò contrariis spiritibus infestati puluerem imitantur pugnantibus inter se uentis huc illuc agitatum, atque disiectum.

HESYCHII. *Quem proijciat uentus*, Nam Iudæi disiecti sunt flante aduersus eos uehementi Apostolorum prædicationis spiritu, & tanquam à turbine & procella in nihilum redacti sunt, nam neque ciuitatem, neque cultum, neque aliud quicquam priorum bonorum habentes turpes ac neglecti instar pulueris per omnes orbis partes disiecti sunt. Sed & tentationis spiritu huc illuc ad libitum potentium aduersariorum agitati disiiciunt.

CYRILLI *Non sic impij, non sic.* Sequitur interdū ipsos misericordia, ita ut in pœnas impietatibus pares non incurrant, Quare & ipsi quidem resurgent, sed non in consilio iustorum. Consilium iustorum ponit tanquam ordinis gradum, & dignitatem quandam. Nam si aliqui etiam ex peccatoribus aut misericordia, aut uenia digni esse possent, non tamen sanctorum choris annumerabuntur, alia enim est sors eorum, erecta confidentia, gratia super addita, delitiæ interminabiles, uindemiant enim fructum rerum à se fortiter gestarum, & strenuitatis suæ in omne bonum retributione locupletantur, dicente ipsis Christo. Venite benedicti patris mei, poßidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.

EVSEBII. *Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum*, A communi intelligas illud, *in consilio iustorum*: ut sensus sit huiusmodi. Quoniā fertile nihil, aut uitale, quinetiam nec fructum Deo dignum cum iustis pariter attulere, propter hoc tempore iudicii neque ipsi, neque peccatores resurgent in consilio iustorum. Prò, *consilio*, autem Aquila, & Thedotio congregationem interpretati sunt. Symmachus uerò conuentum. Consilium uero hoc loco arbitrandū est poni pro sanctorum cœtu, quemadmodum in principio dictum est, iuxta posteriorum intellectum, conuentum impiorum significari ex eo, quod allatum est, *in consilio impiorum*. Resurgent quidem impii. (nam iustis, & impiis commune illud est, ut resurgant) sed impii resurgent ad pœnas, & supplicia. Deus enim opus omne siue bonum, siue malum in iudicium palam ducet. Animum aduerte hoc loco Dauid primum, & resurrectionem, & iudicium post resurrectionem fore, & futuræ uitæ promißionem apertè ostendisse: Cum nihil huiusmodi Moses nobis antea tradidisset.

DIDYMI. Non resurgent impii, in iudicio nimirum, sed resurgent quidem uerum non iudicabuntur, cum sua sint sententia damnati: nam qui non credit in me (inquit Dominus) iam iudicatus est.

Ioan.3.

THEODORETI. *Ideo non resurgunt impij in iudicio.* Exquisite nimis & exacte omnia scrutatur diuinus spiritus: non enim dixit, non resurgunt impii, sed, non resurgunt in iudicio. Quasi dicat non in iudicium, sed in damnationem, non enim accusatione, aut examine opus est, ubi aperte impietate tenentur. Sed supplicium, & pœnas dant, quemadmodum in flagranti cœdis crimine de-

ne deprehensos non ad examen, & quæstionem iudicis adducunt, sed ut legibus consentientem, & sanctionibus statutam in eos sententiam ferant. Ita qui cum impietate consenuere, statim à resurrectione pœnas subeunt, non in iudicium uocati, sed ad supplicium acciti. Cęterum & qui ex legem uitam duxere, etiam si ab impiis dogmatibus alieni, à iustorum tamen consortio longe aberunt.

NICEPHORI. *Non resurgunt impij in Iudicio*, Iudicium significat, & causę dictio- Psal.142.
nem, ut illud. Non intres in iudicio cum seruo tuo; Et iustificationem, ut hic, Non enim in-
uenient impii iustificationem. Significat etiam condemnationem ut illud: Resurgent qui ma Ioan.5.
la egerunt, in resurrectionem iudicii. Pręterea etiam per iudicium iustitia notatur, ut illud.
Qui iudicium fecit omnibus iniuriam patientibus: Demum & decretum, & sententiam iudicis Psal.102.
hoc nomine declaratur: ut illud. Præceptum in Israel, & iudicium Deo Iacob. *In consilio iustorum*. Consilium dicit congregationem. Iustos uerò simpliciter uocat uirtute præditos, quemadmodum iniustos peccatores alibi appellat.

HESYCHII. Per iudicium intelligit electionem: non erunt participes apostolicę electionis, nec cum iustis permiscebuntur.

ORIGENIS. Iudicium quidem iustorum transitus est operosi corporis ad angelicum usum, mutatio impiorum uero est ab operoso corpore in tenebrosum, & obscurum permutatio. Resurgent enim impii non in priori, sed in secundo iudicio. *Quoniam nouit Dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit*. Malum nullum à Deo cognoscitur, iustorum uero uia cognosci- Ioan.14.
tur. Nouit enim Dominus qui eius sunt. Via uerò iustorum est qui dixit, Ego sum uia:
de qua dictum est. Videte quę sit uia. Ignorat autem mala tanquam eius cognitione indi- Ier. 16.
gna: Quapropter ubi Adam peccauit, statim interrogauit, ubi es? Peccatum enim ipsum ne- Gen.3.
quaquam nouit, sed nec locum quidem, in quem ceciderat Deum fugiens, agnouit. In Euan-
gelio quoque Dæmonem de nomine suo interpellat, au diuitque, legio est mihi nomen. Et mu- Marc.15.
lieri profluuio sanguinis laboranti, priusquam illi peccata dimitteret, ait. Quis me tetigit? Iu- Luc.9.
storum enim uia cognoscitur à Patre: nemo enim nouit Filium nisi Pater. Cęterum quæ à Matth.11.
prophetis de memoria & obliuione Dei dicuntur, aptè ad ea nomina accommodantur. Co-
gnitio, ignoratio. Nam sæpe inter orandum inculcare solemus: Memor esto mei Domine: Ps.14.et43
Et. Quare oblitus es humilitatis nostræ? Vt enim ab eius memoria peccantes amouet, ita pœnitentium memoriam sumit. Cum uero dicat, *iter impiorum peribit*, Corripit hereticorum opiniones, qui substantias ipsas, & naturas penitus interire, & ad nihilum redigi opinantur. ex eo quod dictum est. *Et erit tanquam puluis, quem proijciat uentus à facie terræ: Et iter impiorum peribit*, Cum uia aboletur, impietas quoque de medio tollitur, his nihilominus, quibus inhærebat relictis.

THEODORETI. *Quoniam nouit Dominus*. Cuncta (inquit) ante iudicium nouit æquus iudex, nec illi opus est probationes, & argumenta quærere. Sed pro meritis unicuique distribuens, hos quidem præconiis & coronis dignos iudicabit, illos uerò ad æterna supplicia destinabit. *Et iter impiorum peribit*. Simile hoc uidetur Apostolicis dictis: Si cu-
ius opus arserit, detrimentum patietur. Nam iustorum opus etiam lucidum manet. Impiis 1.Cor.3.
autem & improbis improbitas & impietas pariter dissoluetur.

NICEPHORI. *Quoniam nouit Dominus*. Quod Græce ὅτι dicitur: interim est redditio causæ, ut hoc in loco, Interim affirmatio quędam est, & ponitur prò, uerò. Nonnunquam autem narrationis quidam modus est, & uacat. Illud autem *nouit* hoc
significat, domesticos suos & notos facit, inuisit, honorat. *Et iter impiorum peribit*. Im- Idem & Di-
piorum actiones delebuntur. Huic dicto illud Apostoli consimile est. Si cuius opus arserit, dymus.
detrimentum patietur.

IOANNIS DAMASCENI. Illud *nouit* est, amat. Iuxta illud Mosi dictum: Noui te super omnes.

DIODORI. *Et iter impiorum peribit*. Impiorum studia perditioni unà cum operariis tradentur.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.



ORIGENIS. Cum in exemplaria duo ex Hebræis incidissemus, in uno quidem secundi psalmi principium inuenimus hoc in loco, in altero uerò præsentem psalmum cum superiore coniunctum uidimus. Et in actis Apostolorum uerba illa: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: in primo psalmo esse dicuntur: inquit enim; (ut scriptum est in primo psalmo) Filius meus es tu. Græci uerò hunc secundum esse indicant: Nam penes Hebræos nulli psalmo numerus apponitur, siue primus, siue secundus, siue tertius esse contingat. Cæterum personas, quæ hic de Christo uaticinatur, aut Spiritus sanctus est, aut ipse propheta: Fit autem transitus à diapsalmate in personam Christianã diuersæ personę in psalmis loquẽtes sæpe introducũtur, ut in progressu declarabimus. Interim hæc pro exordio psalmi dicta sint satis, nunc ad discutienda uerba ipsa descendamus.

Act.13.

EVSEBII. Indicem aduentus Christi prophetiam apponit, & quod insidias illi Iudæi parabunt, licet alioquin cunctis gentibus sit dominaturus, quodque per ipsum quotquot in eum credent, beatitudinem consequentur. primus ergo psalmus unum quempiam rarò seruandum beauit, at qui præ manibus est, turbas aduocat ad felicitatem. Et quoniam gentium omnium uocationem continet, etiam regna terræ ad salutem inuitat. Hæc autem omnia per Christum condonanda esse hominibus uaticinatur. Et hoc per quam consequenter. Oportebat enim nos prius de duabus uiis commonitos de iis quoque deinceps, quæ ad Saluatorem pertinent, erudiri, per quem omnes impiorum uiam declinarunt, & uiam salutis ob fidem in eum consequentur, quod ostendit sermo in fine psalmi, qui dicit. *Beati omnes qui confidunt in eo.*

Idem dicit Ioan. Damascenus.

THEODORETI. Cum priorem psalmum in impiorum mentione clausisset, in eadem quoque secundi sumpsit exordium, admonens prædictum impiorum exitum regum fore, ac principum ac Iudæorum & gentium, quæ in saluatorem sæuierunt. Nam in secundo psalmo Christi Domini humanos cruciatus, & regnum prædicit, nec non gentium uocationem uaticinatur, & Iudæorum perfidiam deplorat. Nam illud *Quare fremuerunt*, conquerentis est & uesaniam accusantis.

NICEPHORI secundus psalmus insidias eorum prædicit, qui Saluatorem occiderunt, post hæc gentium uocationem, & Iudæorum perditionem.

HESYCHII. Ignorantiam gentium, & Iudæorum carpit hic psalmus, omne enim quod inscriptione caret, ignotum est, ignorantiam enim habuerunt de Domino uniuersorum Christo, quemadmodum scriptum est, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quatenus non cognouerunt, catenus inscriptio est, quod inscriptione caret.

Ioan.1. 1.Cor.2.

ORIGENIS. *Quare fremuerunt gentes* Quatuor hominum genera aduersus Christum conspirasse dicit. Gentes, populos, reges, & principes: Gentium nomine alienos à fide fortasse intellexit, cuius notæ fuerunt milites, qui contra Christum clamauere. populos uerò illos dixit, qui erant ex circuncisione: Vana enim meditati sunt, qui prophetas quidem cognouerunt, Christum uerò à prophetis prænunciatum non agnouerunt. Ex regibus autem & principibus Herodem, & Pontium Pilatum, & principes Iudæorum nosces, sic enim in actis Petrus accepit, per hos etiam poteris intelligere inuisibiles potestates. Quibus potius Christi crucem sapientissimus Paulus attribuit dicens, sapientiam autem loquimur inter perfectos. sapientiam uerò non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi agnouit, si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed qui nam principes Dominum gloriæ cruci affixerunt, Dei sapientiam non agnoscentes, & se quoque sapientiam quandam habere existimantes? nisi illi, qui in prophetis commemorantur? princeps regni Persarum, & princeps regni Græcorum, ac iuxta id, quod sequitur, principes gentium cæterarum.

Act. 4. 1Cor.2. Dan.10.

Sed

Sed pro uerbo *fremuerunt*, Aquila tumultus concitarunt. Symmachus perturbarunt, interpretati sunt. Dictio autem *fremuerunt* incertum concitatorum sonum ostendit. Quod si reliqui interpretes non reddidissent illud *fremuerunt*, ut tumultuantium sonum significarent, fortè unico uerbo superbierunt, scilicet dicendum fuisset. Quoniam penès unum ex *Ier. 12.* Prophetis inuenitur. Iuxta superbiam Iordanis. Cæterum qui asseruerunt, hi certè opinione eorum contra Christum insurrexisse uisi sunt, sed illos quoque in Patrem commotos, & concitatos fuisse imputatum est. Nam qui Filium negat, is ne Patrem quidem habet. Et qui- *Ioan. 14.* cunque Christum recipit, & eum recipit, qui misit illum. Quare & hic dicitur. Aduersus *Marc. 9.* Dominum, & aduersus Christum eius. Decem sunt apud Hebræos Dei nomina, quorum unum est Adonai. Quod Græci, Dominum interpretantur, sed & quod apud Hebræos יי dicitur, Græci quoque κύριος idest Dominum dicunt ut in Psalmo, Laudate Dominum om- *Psal. 146.* nes gentes, quoniam bonus est. Quod apud Hebræos non hoc sonat, Dominum autem hoc in loco pro יי dixit, & est principium psalmi apud eos Alleluia. Est quoque apud ipsos innominabile tetragrammaton. Quod in aurea Pontificis lamina inscriptum erat, Sed hoc apud Græcos κύριος profertur, & in accuratis & emendatis exemplaribus antiquis Hebræorum notis illud scriptum est, quod in iis, quæ nostris temporibus eduntur, non inuenies. Aiunt enim Esdran diuersis usum fuisse characteribus usque ad captiuitatem. Ponitur autem tetragrammaton nomen tum ibi. Sed in lege Domini. tum ibi: Quoniam nouit *Psal. 1.* Dominus uiam Iustorum. tum demum etiam hoc loco: *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. Sciendum uero est, quod septuaginta interpretes, & Theodotio hęc omnina referunt ad pręteritum. Aquila, tum ad pręteritum, tum ad futurum, Symmachus uero omnia ad præsens ordinauit: Nam septuaginta ueluti facta de Christo memorât, ut illud, *Psal. 68.* Dederunt in escam meam fel, & in siti potauerunt me aceto. Et illud. Diuiserunt sibi ue- *Psal. 21.* stimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem, Et illud. Populus, quem non co- *Psal. 17.* gnoui, seruiuit mihi, & in auditu auris obediuit mihi. Quoniam enim Deus nouit omnia priusquam fiant, etiam quæ inter homines geruntur pro factis ab ipso habentur. Est etiam *Isa. 52.* quod tanquam futura enuncientur ut ibi. Ecce intelliget puer meus, & glorificabitur, & exaltabitur ualde.

EVSEBII. *Quare fremuerunt*. Cum Christus Dei hominibus seruator aduenit, seruator inquam, & splendor omnium gentium, pietatis doctor, prudentię dux, iustitiæ princeps, uirtutis omnis, & uerę diuinæ cognitionis author, Cur gentes (inquit) in tanto bonorum prouentu perturbantur? Si præterea legis Mosaicę perfector affuit, ut ipse docet; Non ueni *Matth. 5.* (dicens) soluere legem, sed adimplere, & prophetarum oracula per ipsum suos effectus consequuta sunt, Cur hæc inquam Iudaicę gentis populi meditantes, perque omnium ora ferri satagentes, inanes de ipso cogitationes habent? At quid nam quæso graue, & molestum passi sunt, & quid aduersus illum reprehendendum inuenere principes gentium, & eius temporis reges terræ in orbe uniuerso, ut tam nefarie in ipsum conspirarent, insidias struerent, & tam iniqua consilia contra uniuersorum Dominum, contra regem Deum, & contra Christum eius pessime inirent? Reges ergò, & Principes terræ qui Christum, quem Dominus & Deus omnium seruatorem generis humani misit hostiliter inuaserunt, & in eius doctrinam, & Ecclesiam impetum fecerunt, ignorauerunt non se tantú aduersus Christum, uerum etiam contra eum, qui illum misit desæuire. Christum igitur hic nominatim ab hominibus insidias passum sermo uaticinatur. Cæterum paulopost Filium Dei uocat illum, quin etiam gentes omnes, & terræ orbis extrema à Patre illi in hæreditatem traditum iri ostendit. Quæ sanè omnia in solo seruatore nostro perfecta demonstrantur. Quoniam uerò & alii apud Hebręos Christi fuere, scilicet sacerdotes, & reges populi considera in quo nam eorum uaticinia hæc contigere, num quis alius insidias passus, num quis Dei Filius appellatus fuerit: Si quis gentibus omnibus imperauerit, si quis cognitus in toto terrarum orbe fuerit. At nemò planè hæc affirmare potest. Solus enim Saluator noster IESVS Christus totum orbem suo nomine hominibus à se Christianis nuncupatis impleuit. Et quæcunque prædicta sunt, in ipso solo finem acceperunt.

THEODORETI. *Quare fremuerunt*. Non est autem quod in huius loci interpretatione longam orationem insumamus, Cum Diuus Petrus Apostolorum princeps in Actis cú ex- *Act. 4.* plicauerit, cumque Herodem, Pontium Pilatum, & sacerdotum Principes, & scribas, & Reges, & Potestates nominauerit. Hic enim à Rege Romanorum ad prouinciam gubernandam est missus: Ille uerò Iudæorum præsidem tunc temporis agebat: & hic quidem ex

Iudæis subditos, ille uerò ex gentibus milites habebat. Veruntamen qui in idem consenserunt & Dominicam mortem parauerunt uana & inania consuluere: non enim quem cruci affixerunt ab hominum memoria delere potuerunt: nam cum die tertia ab inferis surrexisset totius orbis imperio potitus est. Aptè uerò admodum uerba illa *meditati sunt inania* personæ populi accommodantur: Iudæi namque pessimum hoc consilium inierunt quod attestatur sa- Marc.3. crorum Euangeliorum doctrina. Quod abeuntes Pharisæi consilium inierunt quomodo illum perderent. Et Caiphas clamat: Expedit quod unus homo moriatur prò populo, & non to- Ioan 18. ta gens pereat. Pro uerbo *fremuerunt*, Aquila dixit tumultuati sunt, Symmachus perturbantur. Hoc uero *fremuerunt* personæ gentium attributum cogitandi materiem præbet: quod cum Iudæi IESVM ut tyrannum ad Pilatum aduxissent cumque sæpius ut eum de medio tolleret postulassent inuitus ille mortis sententiam protulit ueritus (ut uerisimile erat) eum dimitte- Luc.23. re ne hinc aliqua in eum accusandum occasio quæreretur: Nam (ut beatus Lucas inquit) dicebant, Inuenimus hunc subuertentem gentem nostram & prohibentem tributum dari Cæsari dicentem se Christum esse.

CHRYSOSTOMI. Quemadmodum qui tela in solem coniicit & in cœlum lapides emittit uanum quid & inane molitur, quique eum iaculantem uidet uel dolet ingemiscens, uel ridet illudens: ingemiscit quidem tàquam aduersus errantem, irridet uero tanquam ebrium qui cum terra sit cœlo inferat bellum: cum sit lutum in figulum, cum sit fœnum in ignem pugnando feratur. Scriptum est enim, omnis homo fœnum: Et Deus noster ignis consumens est. Ita Isa.40. Dan.4. beatus Propheta cum spiritu præuidisset, & Iudæos, & gentiles bellum aduersus Christum moturos & contra factorem suum tanquam contra homuncionem arma sumpturos dicit per huius Psalmi uerba ingemiscens. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Aduersus quem? dic cito ut qui audient pertimescant. *Aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*, Opus aduersus opificem, figmentum aduersus fictorem, lutum aduersus figulum, fœnum aduersus ignem. Vidisti cæcum bellum, pugnam, quæ non potest committi. Interrogat autem Propheta non ut ab ipsis doceatur, sed ut lapsos esse conuincat, uel ut uictoriam de impudentibus ferat, uel ut non habentes quid loquantur, aut respondeât, maleficii arguantur quando gentes populi principes (nam hi quatuor ordines Deum quatuor finium cru- Act.4. ci affixerunt) crucifixerunt autem quoniam sustinuit qui crucifigebatur. Conuenerunt autem aduersus sanctum Filium tuum IESVM quem unxisti Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, ad faciendum quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. Quas ergò personas interpretati sunt Apostoli, fieri non licet ut aliter interpretentur. Sed nunquid Herodes reges, nunquid Pilatus principes? Non errauerunt Apostoli, qui hoc modo interpretati sunt: nam cum Herode rege peccati quoque regem Diabolum ostenderunt. & cum Pilato Principe Dæmonum potestates & principatus significarunt.

CYRILLI. Fremere quis & propriè, & aptè dixerit mulos & equos. Est enim phryagmos incertus quidam sonus cum uehementia anhelitus è naribus equorum efflatus. Faciunt hoc equi præcipuè insultantes & agitantium illos obsequium recusantes. Simile quid fecerunt infelices Iudæi, nam Christi curam prorsus excutientes, & multum nimis in asperam, & effrenem feramque uecordiam declinantes inania meditati sunt, & garrientes in ipsum murmurauerunt, dicentes ipsum in Belzebud principe Dæmoniorum eiicere Dæmonia: Et uocantes illum Samaritanum, edacem & bibacem, & huius modi turpia obloquentes, & demum (quod ad culmen malorum peruenit) ipsum cruci affixerunt.

ATHANASII. Phryagma ratione carentium ferocitas est. A communi autem dictum est, *Quare*. ut sit, propter quid, & quo fine populi meditati sunt inania. Quomodo enim non inanis & irrita fuit eorum meditatio, cum Seruatorem humani generis non susceperint?

THEODORETI. *Quare fruemuerunt gentes*. non opposuit articulum uerbo illi *gentes*. ut eum omnes complecti suspicareris. Sed gentes simpliciter, non inducens ullam intelligentiam partialem. Nam cum Iudæi IESVM captum gentibus tradidissent meritò dicit, Quæ tanta causa, uel quid ab eo factum est, ut populi in ipsum concitari debuerint, & in manus gentium ipsum prodiderint? Illud uerò *fremuerunt* prò arroganter superbierunt, dictum est.

NICEPHORI. Inquit igitur, Cur tanto cum furore tumultuati sunt? cur omnia perturbarunt?

turbarunt? cur tam grandia arroganter facinora præsumpserunt, & populi uana & stulta meditati sunt? Est enim phryagma equorum hinnitus ex innata audacia ac ferocitate. Per gentes uerò intellige Romanos milites, qui cum Pilato erant, & per populos Iudæos, Reges uerò unus Carius Herodes. Principes Pontius Pilatus. Iuxta Hebraicæ linguæ consuetudinem, quę multitudinis numero sæpe utitur prò singulari. Vel eosdem reges & principes intelligito: Sæpe enim in Psalmis eadem ex collatione inuenies, ut ibi. Misit rex, & soluit eum princeps populi, & dimisit eum. Cæterum reges & principes, non modo Herodes, & Pilatus, sed & sacerdotes esse possunt, & quicunque in uniuersum habent subditum populum. Verò inania meditati sunt Iudæi, hoc est stulta, & falsa, qui consilium inierunt, ut Christum de medio tollerent, resurrexit enim, & uiuit in æternum. *Astiterunt reges*, instruxerunt se, & consociati in unum pariter conspirarunt. *Aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Contra Patrē, & contra Filiū, quem Pater ex dispensatione in omnium regem unxerat. Bellum quippe quod aduersus Filium gestum est ab illis, & ad Patrem usque peruenit. Psal. 104.

CYRILLI. At num quid & Deus Pater nominetur, & Dominus Filius? Dicimus quod propriè ut Pater natura Deus est, Deus quoque Filius est, ut & natura Dominus. Christus ergò Patris est Filius. Siquidem humano planè more unctus est, & sanè Deus uerbum cum sit, non tanquam sanctitatis indigens (natura enim sanctus est, & cum Patre principatum tenet) sed quia, quemadmodum & nos sumus, homo factus est, licet impermutabilis, & inuariabilis esset, nobiscum secundum humanitatem unctus est. Matt. 3. 17

ATHANASII. *Aduersus Dominum.* Insidiosa in Christum consilia in ipsum quoque Patrem redundant; Nam si Pater in Filio, & Filius est in Patre, quomodo non utriusque erit alterutri illata contumelia? Nam præpositiones duę, & articuli duo, duas quoque personas induebunt. Patrem nimirum, & Filium iuxta illud, quod à Christo dictum est: Qui me recipit, recipit eum, qui misit me, & qui me spernit, ambos spernit. Ioan. 14. Luc. 9.

„ *Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*
„ *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*
„ *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.*

EVSEBII. Diapsalma apud septuaginta positum est: non autem à Theodotione & Symmacho: licet iisdem uerbis eum septuaginta uti consueuerint. Iccirco eius fortasse ratio est, ut & personam mutet, & Musices numerum obseruari doceat. Et propterea Theodotionem, & Symmachum non addidisse diapsalma credendum est. Ad præcedentes autem uersiculos, qui sunt ante diapsalma, hos referendos arbitramur. Cum enim gentes peccatorum catenis obstrictæ, & nondum in libertatem uendicatæ sint, propriis malis irretiuntur. Et Christus ait uel ad ministros Angelos, uel ad Patrem, & Spiritum Sanctum, uel demum ad Apostolos Euangelii dispensatores, hortando ut eorum uincula dirumpant, & reuellant. Populi autem sunt qui sub legis iugo corpore subiecti manent, Hos docet non curare legem, tanquam non bonas iustificationes continentem, nec bona præcepta complectentem, sed legi spiritali per Christum intendentes quę & bonas iustificationes & honesta habet præcepta abiiciant, & excutiant graue occidentis literę iugum, dicente Saluatore ad prædictos operatores, *Proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Illud *à nobis* huiusmodi esse potest: A nobis ipsis hoc faciamus non expectantes, ut qui iugo opprimuntur, auxilium implorent. Potest etiam illud *à nobis* ita sumi. Et ego apud populos inania meditantes natus atque educatus sum & sub illorum iugo circuncisus eorumque sabbata sequutus agite proiiciamus à nobis iugum ipsorum idest, à me ipso uel ab iis, qui mihi adiuncti sunt qui in lege quæ non seruat tanquam si seruaret, exercentur: uel iugum ipsorum onus nobis impositum existimantes proiiciamus. Audendum enim est dicere hoc in Christo esse ob eius charitatem erga illos, qui sub lege opprimuntur. quæ planè in omnibus illi inueniuntur & insunt, qui misericordia ducti aliorum peccata tanquam propria deflent. Hæc igitur ad ea, quæ superius tum de gentibus, tum de populo erant dicenda, pertinent.

IVSTINI martyris. *Dirumpamus*, Non de alienigenis gentibus dixit, sed de Israele, qui eum gentibus conueniebat, iuxta dictum illud ab Ieremia. Amarum tibi derelinquere me dixit Dominus Deus tuus, quoniam à seculo contriuisti iugum tuum, & dirupisti uincula tua, & dixisti non seruiam tibi, sed ibo ad omnem montem excelsum, & sub omni ligno, & ibi fornicabor. N I S Ier. 2.

ORIGE. *Iugum ipsorum*, dixerunt enim: non habemus regem nisi Cæsarem. Ioan. 19.

Ier. 2. NICEPHORI. Inquit enim Deus & per Ieremiam ad Israel: Dixisti non seruiam: nam per uincula & iugum subiectionem intelligit.

1.Ioan. 5. THEODORETI. Qui Filium (inquit) non honorat neque Patrem honorat, & meritò ubi Filii iugum excusserint, Patris quoque iugum excutient. Mihi autem uidetur Spiritum Matth. 11. Sanctum hæc dicere qui credentes hortetur dicens. Dirumpamus uincula impiarum gentium & iugum iniquorum Iudeorum à nobis proiiciamus: & Christi Domini super nos iugum admittamus: Eius enim est uox illa. Tollite iugum meum super uos, Quoniam iugum meum suaue, & onus meum leue. Et ipsa lex ab Apostolis iugum dicta est: Nam bea- Act. 15. tus Petrus in Actis ait. Cur tentatis Deum imponere iugum supra ceruices Apostolorum, quod neque Patres nostri neque nos ferre potuimus? Sed per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI credimus saluari quemadmodum & illi. His ergo Prophetę oracula conueniunt. *Dirumpamus uincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum.* Hoc est separemus ab illis cor nostrum nec consentiamus eorum imperio subiici: Excutiamus legis iugum, parui ducamus quę in scripturis adumbrantur nisi spiritualiter intelligantur. Nihil nobis prodesse censeatur Isaias nisi in sua prophetia Christi mysterium designet.

Matth. 13. ATHANASII. *Dirumpamus*, Non enim in sacra esse sagena uoluerunt, dequa dictum est, Simile est regnum cœlorum sagenæ missę in mari. Post illud autem *conuenerunt in unum*, deest uerbum *dicentes*. dicentes inquam, *Dirumpamus uincula eorum, & reliqua*.

EVSEBII. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, Referendum est hoc ad illud: *Astiterunt reges terræ* quos terrena sapientes qui in cœlis habitat Deus irridebit. Siquidem consilium & sapientiam Dei quam in Christi humanitate exhibuit, minime cogitauerunt. illud uerò, *& Dominus subsannabit eos*; ad illud, *Principes conuenerunt in unum* aptandum est, ut Principes qui coierant aduersus Dominum & aduersus Christum eius, à Domino subsannentur. Voces quidem optime Filio Dei conuenientes; Quia & si gentes fremuerunt, & populi meditati sunt inania, nos tamen frementium ipsarum gentium uincula dirumpemus & populorum inania meditantium iugum excutiemus: quando prædicti reges, & principes curationem nullatenus admittant. Omnibus ergò quotquot aduersus Dominum & aduersus Christum eius coactæ sunt gentibus & populis & regibus & principibus apertis & latentibus mandat Spiritus Sanctus Idololatriæ uincula confringere & graue peccati iugum ex animo excutere à quibus antea in seruitutem acti aliis principibus Deos illos uocantes eramus subiecti ut ab illis liberi Matth. 11. leue Saluatoris iugum libenter subeamus. ad quod aduocans nos inquit. Venite omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos: Tollite iugum meum & uidete quod suaue est. Hæc uero de gentibus Christo à Patre traditis dicta sunt, quas Christi doctrinæ adhæsuras sermo predicit hortaturque ne uetustum iugum amplius super humeros ferant, neue patiantur se priorum delictorum catenis illigatos teneri, cum præsertim qui prius illis dominati sunt, crudeles ac graues dominos & principes se præbuerint. Qui olim tyrannidem ingentem exercuere maligni Dęmones fuere quos Deos uocabant, qui graue illis iugum imponentes & eos impietatis nexibus colligantes, ad ima quæque animas deprimebant. Horum omnium potentiam excutere & ad Redemptorem ac Saluatorem confugere hortatur: ad Saluatorem inquam, qui illos à Patre suo in hæreditatem accepit. Hæc (inquit) faciamus nos & quotquot Christi hæreditate Deus dignos fecit scientes quod qui habitat in cœlis irridebit eos, gentes scilicet & populos illos qui contra Christum eius insurrexerunt: Hęc olim prophetico spiritu pronunciata sunt: Euenere autem postea genti Iudæorum qui statim post insidias structas Saluatori obsessi & expugnati sunt. Quin & per tempora Ecclesiæ Dei hostes ab eo qui habitat in cœlis occulta manu debellati sunt.

ATHANASII. *Irridebit eos*, tanquam fatua consulentes; *Subsannabit eos*, odio prosequetur & auersabitur.

HESYCHII, Non dixit ridebit, sed irridebit. nec nasum suspendet quod est, μυκτηρίζει, sed exterius naso signũ proferet, quod subsannare dicitur & exprimitur Gręca uoce ἐκμυκτηρίζει, hoc est manifestam faciet irrisionem & ludibrium in eos: Hoc enim est quod Gręce dicitur μυκτηρισμὸς, & deteget risum in Iudęos & impias gentes quoniam decepti sunt, alia pro aliis capientes. Hi quidem Dæmones pro Deo, illi umbram pro ueritate, utrique ratione carentem hostiam pro rationali Christi sacrificio, & quoniam temere Christi cruciatus irrident cum aliunde nisi per solam in eosdem fidem salui esse non possint.

THEODORETI. *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, Qui enim ab illis captus, quique morti traditus est, qui in cœlo domicilium habet, & cuncta complectitur uana

& stulta

& stulta ac irridenda ostendet eorum consilia. Et huius Pater, idemque omnium Dominus condignas eorum flagitiis pœnas ab eis exiget. Nam rerum euentus horum uerborum sensum aperuit: nam Romanorum exercitus eos expugnauit, & ciuitatem euertit, templum incendit, & innumerabiles ex ipsis interfecit, eos uerò, qui gladium euasere, captiuos abduxit, & in seruitutem redegit. Oportet aût animaduertere, quod deinceps duarum personarum mentionem facit, primum quidem Domini & Christi, cum dicit, *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. Postea illius, qui in cœllis habitat, atque item Domini, cum dixit. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus *Subsannabit eos*: Et rursus eandem figuram seruauit.

CHRYSOSTOMI. Quanquam pati Christus sustinuit, non tamen diuinam potestatem amisit. Quamuis in ligno penderet, Angeli eum admirabantur, Quamuis eum Iudæi maledictis incesserent, ipse tamen Patri spiritum commendabat. Quamuis esset in sepulchro positus, inferorum tamen penetralia inania reddidit, Quamuis esset mortuorum uinculis illigatus, mortes tamen uincula confregit: Quamuis ab infidelibus fuerat condemnatus, uenit tamen mortuorum iudex.

EVSEBII. *Tunc loquetur in ira sua.* Sed & iudicii tempore iram Dei experientur, & in furore eius perturbabuntur omnes salutaris uerbi hostes, & qui ab illis damnatus, & morti traditus est; quique in cœlis habitat, & omnia continet, irridebit eos: atque Pater huius, qui una cum Patre oppugnatus est, subsannabit eos, & dignas illis pœnas infliget. Verba comminationis uerba sunt, quæ in ira efferuntur.

ORIGENIS. Ira Dei est punitio grauis ad utilitatem peccantis illata. In ira sua Deus Niniuitis per Ionam loquutus est, & quoniam in cinere, & cilitio pœnitentiam egerunt, nihil eorum, quę minari sibi audierant, perpessi sunt. Prænouerat enim Deus fore, ut si Ionam ad eos destinasset, resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Iccirco ad eorum salutem Ionam misit. Proinde hic quoque ad salutem fortasse loquitur in ira sua delinquentibus ipsis: non enim dixit, puniet eos in ira sua, ut polliceatur se à malis, quæ comminatur temperaturum si obedientes pœnitentiam egerint. Cæterum furor, aut indignatio (ut aiunt periti nominum rationis,) differt ab ira. Aiunt enim furorem esse ęstuantem iram, & adhuc accensum, & excandescentem. Iram uerò appetitionem uindictæ. Principium ergò iræ furor est & indignatio, furoris autem finis ira. Vindictam autem modo tanquam in utilitatem nostram pro supplicio delictis debito, & appetitum pro uoluntate interpretari oportet. Quod autem furor, uel indignatio minor sit, liquet ex scriptura dicente, reprehensionem in furore, castigationem in ira fieri: dicitur enim: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Psal 6.* Arguitur enim ille, de cuius curatione superest aliqua spes, quod quidem fit uerbis nulla incessente examinis discussione. Correptio uerò illis adhibetur, qui parere nolunt; Hęc flagello & uirgæ fieri solet. Quælibet autem castigatio statim quidem non uidetur iucunda, & citra molestiam esse: mox uerò suaues pacis fructus affert, Iustitiam scilicet iis, qui ea exerciti fuerint. Huius indigentes fuere illi, de quibus sermo est, qui hebetudine quadam sensuum de propriis malis tanquam bonis sese efferunt & gloriantur, quos in furore conturbabit, non enim affatim corripiet eos antequam minis deterreat & sermonibus arguat. Quapropter Paulus scribens ad Thesalonicenses de Iudæis, qui Dominum crucifixerunt ait. Pręuenit super illos ira usque in finem. *1.Thes.2.* An non ira antea illis à propheta intentata super ipsos peruenit, cum grauissima quæque, & acerbissima à Romanis perpessi sunt?

ATHANASII. *Tunc loquetur in ira.* Tunc aliquando, uel quando dixit, Dirumpamus uincula eorum: Sed quæ nam illa sunt, quæ loquetur in ira sua? Ea sanè. vhæ uobis Scribæ, & Pharisei, Quoniam auferetur à uobis regnum Dei. Et legislatoribus vhæ. *Matth.23. Luc. 16. Matth. 15.*

HESYCHII. Et quando Christus in Euangeliis dixit, Tunc iusti fulgebunt sicut Sol, & septupliciter. Tunc sanè iustus iudex loquetur in ira sua ad peccatores, qui dum uixerint delictorum suorum ueniam petere, & resipiscere tardauerunt. *Et in furore suo conturbabit eos*, uidentes nimirum ignem Geennę inextinguibilem, tenebras exteriores, & quæcunque alia formidabilia infidelibus in supplicium parata sunt. Vel mala intelligit per Vespasianum, & Titum illata. *Idem dicit Nicephorus.*

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans pręceptum Domini.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu: Ego hodie genui te.

EVSEBII. Hæc (ait) patientur illi, qui contra Dominum, & contra Christum eius

 conuenerunt,

conuenerunt, atque is erit eorum exitus. Me uerò post tot & tantas insidias, & cruciatus tam magnum regem ab ipso Patre constitutum, & paternum uobis mandatum publicaturum dicit. Mandatum autem hoc erit præconium Euangelicum. Quod si mons sanctus Dei cœlestis est, de quo Paulus dicit, Accedite ad montem Sion. Et rursus: Illa autem quæ sursum est Hie-
Hebr.12. rusalem, libera est, Eò loci regia illi suppetere insignia dicit. Ea uero pars erit Cœlestis Ec-
Gal.4. clesiæ, & quæ in terris est, ea quoque ad eum finem tendit. Quomodo uerò Christus in cœ-
Psal.109. lesti Sion rex eius fuerit à Patre constitutus, cernere ex eo licebit, quod dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sed quales inimicos intelligit, nisi eos, qui aduersus illum conuenisse ac insurrexisse prædicti sunt, principes scilicet ac reges, populi & gentes? Hos enim Pater illius pedibus se subiecturum pollicitus est.

GREGORII NAZ. Regnare uerò uno modo dicitur tanquam omnipotens, ut qui tàm uolentibus, quàm inuitis imperet. Alio modo tanquam ille, qui obedientiam, & subiectionem in nobis paret. Prioris quidem regni eo modo constituti nullus est finis: Posterioris uerò finis est, ut nos subiectos & obedientes & saluos accipiat, atque ita *constitutus est rex super Sion montem sanctum eius*: hoc est Ecclesiam, & super eos, qui credent in ipsum; Nam homo factus prædicat præceptum Domini. Tanquam uero homo dicitur rex constitui, qui quatenus Deus semper est Rex.

THEODORETI. *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, hic sistendum est, postea subiungendum. *Super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum Domini*. Non enim solius montis Sion rex est, sed uniuersorum demum tàm uisibilium, quàm inuisibilium. Hoc autem dictum est, quoniam in monte Sion, atque adeo in Iudea, diuinam doctrinam suam accedentibus ad eum propalabat. Quicunque uerò illam suscepere diuinis eius mandatis credentes, & obtemperantes illius doctrinæ flumina in omnem terram deriuarunt. Euntes (in-
Matth.28. quit) docete omnes gentes. Illud uerò. *Ego autem constitutus sum rex ab eo*. Humano more dictum est, nam quatenus Deus est cognatum habet regnum, quatenus uero homo est, decreto accipit. Quod uerò tanquam Deus principio carentem principatum habeat, docet
Psal.44. Propheta, dicens. Sedes tua Deus in seculum seculi, uirga directionis uirga regni tui. Cæterum præsentem psalmum Diuus Paulus in filium referri præfatur, Veruntamen & regnum habet ut Deus & recipit ut homo. Eadem ratione cum uocetur altissimus ut Deus, exalta-
Psal.82. tus est ut homo. Et Dauid diuinam celsitudinem prædicans clamat, cognoscant, quoniam
Luc.1. nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omnem terram. Et Zacharias ad Ioannem: Et tu
Phil.2. puer Propheta altissimi uocaberis: Humanam uerò celsitudinem Paulus docet, inquiens, Propterea & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, Cum tamen hoc nomen filius unigenitus, ante secula Deus uerbum haberet connatum rei, sed quatenus Dei filii nominationem habens, tanquam homo accipit eam. Quare in proposito psalmo adduxit, inquiens. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, Ego hodiè genui te*. Hanc uerò uocem si quis doctrinæ diuini spiritus assentiat, nemo diuinitati Christi applicabit: Nam de illa
Psal.109. per os Dauid uniuersorum Deum loquentẽ audimus. Ex utero ante Luciferum genui te, Ergo quatenus homo est, & hanc uocem, & quę sequuntur, audit.

HESYCHII. *Super Sion montem*. Prædicans, aut interpretans mandatum Dei. Qua-
Ioan.20. le hoc? Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retinebuntur. Sed & legem, quam dedit Apostolis de pace, magis uero uniuer-
Ioan.14. sam doctrinam sacram mandatum eius dices, ipse enim est, qui dicit, Verba, quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius, qui misit me, Patris. ipse mihi dixit, quid dicam, & quid loquar.

AQVILA. Regnum accipio (inquit) exurgens ab inferis: hoc est enim hodie, quod ego
Actu.3. genui te: Quemadmodum docuit Apostolus in Antiochia Pisidię, cum de resurrectione loqueretur, sicut & in primo psalmo scriptum est dicens, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et in Epistola ad Romanos scribens, qui declaratus est Filius Dei in uirtute per Spiritũ sanctum,
Rom.1. cum à mortuis resurrexit. Filii nomen illi tanquam homini tribuitur etiã post resurrectionem propter generationis ortum ex muliere secundum carnem. Siquidem prius dixerat Aposto-
Rom.1. lus, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, filius enim hominis Filius Dei ab ipsa resurrectione declaratur. Pulcherrimum uerò ac ornatissimum eius totius orbis regnum, & humanam pariter regni speciem manifestè Dauid præmonstrauit his uerbis. *Postula à me & dabo tibi gentes*.

HESYCHII. *Filius meus es tu*. Et Filius dilectus cum Patre regnans, & coæternus ante creaturam omnem, & omne tempus existens author, & opifex tanquam Deus. Tanquam

uerò

uerò homo postea factus ex uirgine Deipera temporariam generationem habuit.

NICEPHORI. *Ego autem constitutus*. Ex persona Christi habetur hic sermo secundum eius humanitatem. *Super Sion montem*. A monte Iudeam significauit, in qua Christus Euangelium promulgauit: *Dominus dixit ad me*. Hæc uerba propter æternam ac diuinam generationem dicta sunt. *Ego hodie genui te*. Hæc propter carnis dispensationem. Hanc enim sibi etiam Pater uendicauit.

CYRILLI. Electus sum (inquit) in regem à Deo & Patre ut annuntiem pręceptum eius, & illis pręcipuè, qui sunt in Sion. Et hoc (arbitror) est, quod Christus dixit, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quoniam enim promissionis gratia illis de- Matth. 15. bebatur, meritò etiam primis illis euangelicę prædicationis sermonem, & iustificationem, quæ per fidem in eum fit, elargitus est. Illud autem *hodie* in quo uerbum caro factum est, instantis temporis signum est, cum alioquin natura Dominus uniuersorum existat. De ipso enim Ioannes testimonium perhibuit, quod in propria uenit. Propria ipsius mundum appellans. Ioan. 1. quemadmodum ad non consuetam regni gloriam accersitus dicebat. *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, hoc est Deo & Patre. Hæc uero tulit ut tanquam homo adoptatus (licet natura filius esset) natura hominum in adoptionem per se ipsum uiam sterneret, & eos, qui à peccato astricti erant, ad regnum cœlorum inuitaret: Nam quemadmodum calamitatem, quę ex Adam transgressione in uniuersum eius genus effusa est, tanquam paternam hæreditatem adiuimus, atque ideo morti obnoxii fuimus, ita rursus quæ claritatem, & splendorem habent in omne humanum genus per Christum reccurrunt. Vnigenitus enim non sui quidem ipsius, sed nostrum potius causa suscipitur. Nam plenus est & perfectus, ut qui natura Deus est, unde nullius rei indigens, quin potius diuinis bonis ditat orbem uniuersum.

ORIGENIS. Verbum illud *Hodie* temporis index est, tantumque ualet, ac si dicas, pręsenti die: At dies temporis est quoddam interuallum: Si ergo illi ipsi Dominus ait, *Ego hodie genui te*, manifestum est, quod de temporaria generatione loquitur, ea scilicet, quæ ex dispensatione, ac recta temporum distributione, cum uerbum assumens carnem induit, facta est: nam de illa, quæ principio caret, dicit Dauid. Ex utero ante Luciferum genui te. Gignitur autem hodie non consistentiæ principium dum gignitur, assumens, sed quando re ipsa homò factus ex dispensatione & consilio diuino in adoptionem uenit. Nam qui potestatem ut fi- Psal. 109. lius Dei fieri posset, accepit, quando per diuinum lauacrum innouatus filius efficitur, is antequam filius fiat, cum longè diuersus existat, in libertatem asciscitur. Atqui Hebræus pro- Hebr. 5. prium dictionis esse dixit ἔτεκον, quod est peperi. quod & Aquila fecit, At Apostolus cum apprime doctus esset in lege in Epistola ad Hebræos septuaginta interpretationem sequutus est. Hebr. 3. & γεγέννηκά σε dixit. *Hodie*, Donec hodie cognominatur.

» *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

AQVILA Petit sub humanitatis persona, ut qui in seruitutẽ detinentur, demum imperent iis, qui eos in seruitutem redegerunt. Vt Isaias ostendit. Tum robur eorum deprimetur Isa. 14. (inquit propheta hic) cum imbecillum sit ab eo, qui uere fortis est: & à uirga ferrea tanquam uas figuli confringetur. Cęterum quando nulli eorum, qui in Israel regnauerunt, hoc regnũ conueniat, manifestissimum inditium habemus, id esse IESV Christi regnum, cuius imperium & potestas post mortem diuinitus dominantis innotuit. Apparebit præterea regia potestas Isa. 53. eius omnia sibi subiiciens, cum secundum ueniet, ad implendum illud Isaiæ: Propterea ipse hæreditabit multos, & fortium diuidet spolia. Est enim expectatio gentium, quæ credent in eum.

CYRILLI ALEX. *Postula à me*. Nam quatenus homo diuino consilio hæres omnium institutus est, ut eos deinceps, qui cum à Diabolo, tum à malignis eidem coniunctis potestatibus super terram abrepti fuerant, tanquam sibi debitam, & propriam hæreditatem seruaret. Qui etiam cum ad finem peruenisset, ut de mundo exiret, Patrem suum alloquens de nobis Ioan. 17. ait. Quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi ipsos dedisti. Considera ergò quo pacto ad diuitias, quæ illi natura suppetunt, etiam carnem indutus ascenderit. Nam si qui erant in mundo, Patris erant, pariter & uerbi cum ipso regnantis fuisse quodammodo cogitandum est. Itaque omnia mea tua sunt (inquit) & tua mea, & glorificatus sum in eis. Cum ergò de illo dictum est, quod regnum acceperit, & quod hæres institutus sit, & postulare hæreditatem iussus, omnis illa ratio ad humanitatẽ refertur. Cum enim rerum omnium opifex, & Pater hominem, qui à Deo per ignauiam desciuerat, seruare uellet, Vnigenitum Verbum Deum Isa. 61. in mundum misit, ut caro factus, & ut homo cum hominibus uersans captiuis redemptionem,

& cæcis

& cæcis restitutum lumen prædicaret, atque annum Domino acceptabilem nuncuparet. Non est igitur quod diuinum consilium ignoremus, licet & hæreditatem accipere & hæredem institui secundum humanitatem dicamus; Nam quæso quomodo paupertatem prætulisset, nisi ut nos sumus, homo factus fuisset, alioquin Deus permanens? Hoc modo sentire nos Diuus Paulus persuadet in Epistola ad Hæbreos, cum dicit, per quem etiam secula condidit. Heb. 1.

ATHANASII. Tanquam reprobato Israelitico populo, fidem, quæ mox gentes subsequuta est, illis enarrat, Sion uerò Ecclesiam significat.

EVSEBII. Planè omnia hæc in Saluatorem nostrum IESVM Christum, & non in alium competere manifestum est. Nam illud *postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, nulli hominum ex priscis illis accommodari, et aptari potest, Siquidem nullus accepit gentes in hæreditatem, nec in possessionem habuit terrarum terminos: nam neque Moses, neque Dauid, neque Solomon cunctarum gentium domini fuere, neque propheta ullus, neque rex à seculo, sed soli Seruatori nostro res attestatur quod in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, et in fines orbis terræ uerba eorum. P. 18.

DIDYMI. cum omnes homines electione & proposito moueantur (arbitrio enim liberi sunt) nullus natura bonus, aut degener, & malus est, sed si uirtutis est particeps, Deo similis efficitur, & quisquis talis est hæreditas Dei est; quando igitur Israel bonus erat, de ipso meritò dicebatur, Factus est pars Domini Iacob, & funiculus hæreditatis eius Israel, neque huic genti sorte, & hęreditate euenit, sed ob uitæ probitatem, ac morum honestatem ex eo, quod de Deo uiri sancti cecinere. Elegit nos in hæreditatem sibi, speciem Iacob, quem dilexit, quod si obseruatio mandatorum & fides in Deum hæreditatem facit, eorum sanè transgresio ab huiusmodi honore, & beneficentia lapsum, & casum faciet, & ab altero egressus in alterum parabit ingressum. Quapropter Israel, qui insigne Dei beneficium non est amplexatus, ut eius esset hęreditas, meritò corruit postea cum aliorum hominum Saluator aduenerit, pro illis gentes ad Deum fide accedentes induxit. Illud uerò: *postula à me, & dabo tibi gentes*, nostra non filii causa dicitur, Siquidem nihil illi propterea aditur, sed iis, qui eius opis indigent. Illi enim tanquam medico, & magistro traduntur, ut ab eo sani & docti efficiantur. *Possessionem tuam terminos terræ*. Simpliciter dictum est hoc modo. Doctrina tua promulgato Euangelio omni creaturæ, quę sub cœlo est ad extremum usque terræ dominabitur. Fines terræ intelligito hic appellari, ex re sensibili eos, qui uita, & cogitatione prudenter terram peruagantur.

Ps. 134. Deut. 32. Is. 19. Psal. 46.

THEODORETI. *postula à me & dabo tibi*, Nam Deus omnium conditor est, omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, & in ipso creata sunt omnia, siue aspectabilia, siue inaspectabilia sunt, Si ergo Dominus & opifex omnium est, certe eorum, quæ fecit Dominus & rector est, Veruntamen cum Dominus natura sit, quatenus Deus, etiam quatenus homo uniuersorum Dominium accepit, & quanquam olim tantum Iudæorum curam habuisse uisus est (est enim (inquit) pars Domini populus Iacob, & funiculus hæreditatis eius Israel,) quia tamen populus is reiectus est, quippe quia nullos prouentus ex huiusmodi curatione tulerit, meritò Deus ad gentes curam illam, & prouidentiam transtulit, sed nec prius eos planè reiecit, Mosis oraculum hoc implens, Illius enim uox est. Letamini gentes cum plebe eius. Est autem quod huic uaticinio consequentem effectum inuenias, Non enim tantum duodecim Apostolos fideles ex Iudęis, sed etiam septuaginta discipulos nosces, & illos centum & uiginti, quibus congregatis Beatus Petrus concionem habuit, & quingentos, quibus postquam à mortuis resurrexit, apparuisse dicitur iuxta dictum Diui Pauli, & tria milia quos Apostolorum princeps prædicando expiscatus est, & miriades multas de quibus magnus Iacob asserit dicens: intuere frater quot myriades sunt credentium Iudæorum. Nos inquam omnes, & eos præterea, qui per uniuersum orbem ex Iudęis crediderunt, cum declarasset populum sanctum esse, atque horum opera gentes censuisset, uaticinium illud impleuit, quod dicit: Letamini gentes cum populo eius. Et suam quoque prophetiam perfecit, quam Iudæis protulit dicens. Et alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere. Et uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor. Hoc & in proposito psalmo dicit, *postula à me & dabo tibi gentes*, & reliqua. Verum mihi Iudæorum perfidiam deplorare contingit, qui hoc oraculo de terræ finibus loquente percepto, scientes que nullum regem ex suis tantum imperium obtinuisse nisi Dominum Christum ex Dauid secundum carnem prognatum, cæcutiunt mentis oculis, & apertum oraculum tanquã cæci parietem palpantes, perinde ac si oculis careant, contrectant. Hac igitur de causa propheticus sermo has in eos comminationes intendit.

Ioan. Deut. 32. Act. 21. 1. Cor. 15. Ioan. 10. Deut. 32.

CYRILLI. pro gente una errante & concitata ex Israel gentes omnes Christo ascriptę sunt:

Et

Et pro regione una, Iudæorum scilicet, fines terræ uniuersæ eidem ad possidendum traditi sunt. Hoc indicat quod ne quidem in Zorobabel (ut aiunt Iudæi) locum habet. Quam enim hæreditatem, uel possessionem finium terræ accepisse illum cognouimus? At de Domino planè dictum est uniuersum orbem Apostolos eius imperio subdidisse.

HESYCHII. Postulat ob carnis subiectionem: Postulat uerò non Iudęos sed gentes, nam cum Iudæis tanquam Iudæus uersatus est. Sed Iudęi ipsum non cognouerunt. Duplici autem sensu hæc intelligere potes, uel quod Christus in uniuersa terra per fidem dominatus est. uel quod Christi possessio, hoc est regnum terminus terrę, scilicet finis fuerit terreni principatus.

GREGORII THEOLOGI. Quinquies dicitur Christus accipere aut uitam, aut hæreditatem gentium, aut potestatem uniuersæ carnis, aut gloriam, aut quæcunque dicuntur, & hoc ex humanitate: Quod si Deo des aliquid, non absurdum erit. non enim tanquam adiecta exhibes, sed tanquam ab initio habita, non ratione gratiæ, sed naturę.

ORIGENIS. Per hæreditatem intelligit rationis compotem naturam, quæ ipsa hæreditat, tanquam sapientiam & cognitionem & ueritatem & iustitiam: Est autem hæreditas naturæ rationalis contemplatio corporearum & incorporearum rerum & horum omnium causæ Dei.

NICEPHORI. *Postula à me, & dabo tibi*. Petit, & accipit Christus tanquam homo.
» *Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos*.

ORIGENIS. Sic & Paulus mitiorem uitæ institutionem, ac disciplinam qua ducendi sunt & imbecilles adhuc & infirmi in fide ostendit inquiens, Veniam ad uos in uirga, an in charitate, & in spiritu mansuetudinis? *1.Cor.4.* De iis uerò quibus asperiori correctione opus est, dicit Deus: Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, scilicet Christo eorum seruatore. *Psal.88.* Quare & ipse Christus uirga dicitur ab Isaia: sed & flos quoque appellatur propter eos, qui quoniam libenter agunt, quæ decent, digni sunt Dei benignitate. *Isa.11.* Egredietur enim (ait) uirga de radice Iesse, & flos de radice consurget. Indigent enim uirga quotquot ex credentibus pecudum more uiuunt. Cæterum considerandum est qua ratione Pater, qui Filio hæreditatem dedit, iubeat eam contere: Inquit enim: *Tanquam uas figuli confringes eos*. Sciendum est in sacris literis contritionem ad utilitatem referri, ut in psalmo quinquagesimo. Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum non despiciet Deus. Et ab alio Propheta præcipiendo dicitur. Præ contritione spiritus uestri ululabitis. *Psal.50.* *Isa.65.* Spiritus ergo in nobis est, quem conterere oportet, ut fiat sacrificium Deo. Est sanè spiritus quidem ille deterior, qui agens sanè uidetur incolumis, conteritur uero quando uerbo Dei uires eius confringuntur. Verum & cor quoddam in nobis est, quo in peruersis dogmatibus & præposteris doctrinis in unum quasi corpus coagmentatis interdum efferimur, & magnificè de nobis sentimus. Hoc detere ac comprimere necesse est: nam cum se ipsum cor in his despiciet, à Deo non despicitur ululans pręcontritione spiritus. Huiusmodi contritione Christus gentes contriuit ex animis earum Idololatriam & prauitatem omnem comminuens: dicitur enim in septuagesimo septimo Psalmo cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur & diluculo ueniebant ad eum, & rememorati sunt, quod Deus adiutor eorum est: Et Deus excelsus redemptor eorum est. *Psal.77.* Non igitur adeo absurdum & fugiendum est ita occidi, atque ut uas figuli conteri & confringi. Nam peccatores, quatenus peccatores (ut ait Isaias) ceu uasa testacea opera manuum figuli reputantur. *Isa.30.*

EVSEBII. Cum plenam in omnibus potestatem obtinueris, priores illos qui fremuerunt, & inania meditati sunt atque adeo reges terræ, & principes qui astiterunt, & congregati sunt, aduersus te reges non pastorali uirga, quæ solet, tum uerbis, tum salutaribus doctrinis mansuetis ouibus adhiberi. (Hac enim rationali uirga Christi oues in eius caulis, hoc est Ecclesiis, & spiritualibus scripturarum pascuis reguntur) sed uirga ferrea, qua illos conterere, & eorum de se existimationem, & arrogantiam instar uasis testacei confringere dicitur. Aliàs uirgam ferream Romanorum Principatum intelligit, qui postquam seruator noster in terris uisus est, fortior fuit: Nam sublatis regibus solutoque quolibet principatu, qui ubique gentium, atque terrarum erat imperium penes Romanos solum stetit: Quod & Danielis prophetia ferreum appellauit; cum statuæ tibias, ac pedes ferreos esse diceret, & interpretationem addidisset dicens: *Dan.7.* Regnum quartum erit ut ferrum potens; nam quemadmodum ferrum omnia comminuit, & domat, ita illud comminuet, & domabit. In uisione enim Prophetæ ita dicitur: Et ecce animal quartum formidabile, & dentes eius ferrei commedens, & comminuens, & reliqua

pedibus

pedibus eius conculcans. Hoc ipsum his etiam uerbis indicatur. *Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos.* Cum enim Christus latenti & occulta potestate gentes orbis uniuersi à Patre in hæreditatem accepisset, eos quidem qui illum agnouerunt, & qui se sub eius ouili subiecerunt, in læta pascua adducens & emittens pascit, ut grex eius (rationalis enim est) dicat Dominus pascit me, nihil mihi deerit, in loco herbarum ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me, animam meam conuertit. At contumaces gentes, & eos qui in oues grassantur, uirga ferrea subigit, & Romana potentia domat & confringit. Sic ergo innumerabilium gentium animos, & impetus contra Ecclesiam Romanorum minis cohiberi significat, non enim tum principes, quibus demandatę erant prouinciæ, tum populi permisuri unquā fuissent ut doctrina Christi multorum Deorum errorem illorum euertens in medio eorum cōstrueretur, nisi Romanus illis timor impendisset, & acies ipsos conterentes, neque caput attollere permittentes eorum animos frenassent, & cohibuissent. Cæterum alia diuina & ineffabili uirtute oues suas Christus benigne pascit ab eis nunquam discedens, iuxta quod pollicitus est, dicens: Vbi fuerint duo, uel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum. Et rursus: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Atqui gregi eius insidiantur, & oues eius persequuntur rursus ipse latenti & occulta potentia in uirga ferrea & seuera punit, quin & ipsorum arrogantiam & elationem tanquam uasa figuli confringit, ut innumeris flagris sibi diuinitus illatis dent gloriam Deo, suasque impietates fateantur.

Psal. 22.

Math. 18.

Math. 28.

Dan 7.

Ioan. 16.

THEODORETI. *In uirga ferrea* Romano regno scilicet, quod ferrum propriè ob duritiem & in fractum robur Daniel appellat & eos instar uasorum luteorum confringet. Siquidem postquam eum, qui solus est rex, regem habere recusarunt, & magna uoce clamauerunt: Non habemus regem nisi Cęsarem, illis præfecit, quem postularunt, Cæsarem, & per eorum milites pœnas exegit, Quod si quis hæc non de Iudæis sed de gentibus dicta esse arbitratur, hoc modo intelliget. quod gentes reget in uirga ferrea, idest forti ipsius & infracto regno, & illas tanquam uas figuli confringet dissoluens & instaurans per lauacrum regenerationis igne diuini spiritus perfectos illos efficiet, cum hęc ita cecinisset propheta, Reges deinceps admonet, & subditos, ut ad Saluatorem accurrant, & salutares eius leges amplectantur, & ex earum institutione & doctrina uberes fructus, & prouentus ferant: ait enim de cruce materies, quidem ligni, sed fortitudo ferri est. nam ferro nihil apud homines fortius uidetur esse.

EVSEBII. *Tanquam uas figuli* quod si de Iudæis hoc dictum est, implebitur oraculum illud, Filii Sion honorati argento, in altum euecti, quomodo reputati sunt in uasa testacea opera manuum figuli, ut nihil utilitatis inde amplius relinquatur. Hęc uerò cum iis conferri posse mihi uidentur, quæ à Propheta dicuntur. Et enim casus populi, qui peccauit, instar captæ ciuitatis, & tanquam uasis testacei in partes minutas confracti, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Vel tanquā uas figuli cōteret eos, nō ut destruat, aut omnino perdat, sed ut instauret, & reformet: Hoc.n. sibi proponit figulus, cum uasa propria confringit, quæ sanam adhuc integramque figuli formationem nondum igni admota seruant. His attestatur etiam Beatus Hieremias de Deo loquens. Nunquid (ait) sicut figulus iste non potero uobis facere domum Israel, dicit Dominus? Hoc est ita dilabentes iterum formare, et in pristinum restituere possum?

Is. 30.

Ier. 18.

ATHANASII. Virga Christi potestas est: uel incredulorum pœna, aut crux, cuius materies lignum est, uirtus ferrea: aut regnū Romanorum. *Et tanquam uas figuli* conterit figulus uas, quod e manibus cadit non delens, sed reformans non alium lutum, quàm uetus, aquam tantum, addēs, quod & Christus fecit.

NICEPHORI. *Reges eos in uirga ferrea*, per hæc uerba significat imperium Romanorum.

» *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram,*
» *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*
» *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta.*
» *Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.*

EVSEBII. Hinc sermo ad principes, & reges, qui sub ferrea uirga regendi sunt prætergressus doctrinam illis præscribit, & ait. Heus uos, quotquot agnouistis, & intellexistis quanta sit potestas eius, qui gentes in hæreditatem accepit à Patre, & qualis sit uirga ferrea, quę in uos extenta est. Iam contra illum bellum gerere desistite, quin & prudentes facti disciplinæ, quæ dat intellectum, uos met tradite. Seruitutis Dei iugum suscipite, ut penes Deum lætitiæ, ac exultationis participes efficiamini. Seruientes autem Deo, hoc cum timore faciatis oportet, &

lætantes

lætantes ac exultantes in seruitute Dei cum tremore ac sollicitudine hoc agendum est: neque solum Deo seruientes timere oportet, uerum etiam exultantes in eo, & ab eo herili timore liberatos decet anxie trepidare, ne arrogantes elati omisso timore aliquando à gaudio, quod apud Deum est, excidant. Quod quidem accidere illis solet, qui Dei subeuntes indignationem pereunt à uia iusta, & iram Dei in se ipsos succendunt.

ORIGENIS. *Et nunc Reges intelligite.* Et hoc quoque diuinę bonitatis est, ut principibus & regibus terræ, qui aduersus illum astitere dicat. Et si antea imprudentes mihi insidias parasti, saltem modo pœnitentia ducti prudenter resipiscite. Cęterum quia uerbum illud *terræ* uerbo illi, *reges* (quemadmodum suprà,) additum non est: Fortasse regum nomine sanctos intelligit. Nam propriè rex dicitur, qui innocenter imperare nouit. Quomodo autem rex non erit, qui regnum cœlorum hæreditabit, quique futurus est in regno Dei? oportet sanè uirum sanctum propriis affectibus dominari, neque amplius peccato uinci, quod in nostro mortali corpore regnare nititur. Cæterum illud *intelligite*, quod Græcè dicitur, σύνετε Aquila Roma.6. uertit ἐπιστημώθητε, hoc est oportet ut scientiam suscipiatis. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Quemadmodum reges duplici modo accepimus, sic duplex erit principum, & iudicum acceptio: Siquidem iudices, uel eos intelligimus, qui conuenerunt in unum aduersus Dominum: nam iudicare proprium est habentium principatum: uel sanctos, illi enim terræ Iudices sunt, ut ostendemus. Illud uerò, *erudimini* est tradite uosmet ipsos aut doctrinæ, aut correptioni, quę uos erudiat: nam stulti nolentes ac inuiti ad disciplinam trahuntur tanquam filii de quibus Propheta dicit. Psal.88. Si dereliquerint filii eius legem meam, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Qui uerò iam sponte rectam animi compositionem, & institutionem sumunt, se illis curandos tradunt, qui acerbis ipsos medicamentis sciunt reddere meliores. De iis enim (arbitror) Isaias dicit: Volent, si igne combusti fuerint. Et de illis, qui prædictis proximi sunt tanquam unus ex ipsis clamat Ieremias: Corripe me Domine ueruntamen in Iere.10. iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me, nanque uehementiam, & acerbitatem nimiam pœnæ, non pœnã recusarunt. Veruntamen eorum tantum, qui libenter puniuntur, illam uocem esse sciamus. Iram Domini perferam, quoniam illi peccaui, donec causam meam Mich.7. iudicet, & faciet iudicium meum. Educet me in lucem, ui debo iustitiam eius. Sed quomodo Sancti iudicabunt terram? nimirum per rectè facta eorum illos diiudicabunt, qui eadem non sunt imitati: Nam uiri Niniuitæ resurgent In Iudicio, & damnabunt homines generationis hu- Matth.12. ius quoniam pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionę: Et ecce plusquam Ionas hic, Saluator inquit. Luc.11. Idem quoque ait de regina austri, quę à finibus terræ ad audiendam sapientiam Solomonis aduenerat. Niniuitæ igitur, & regina austri iudices sunt eorum, qui saluatorem audientes ad pœnitentiam adducti non sunt, sed IESV Christi doctrinam paruipenderunt; Forte & hoc modo Christi discipuli iudicabunt duodecim tribus Israel, quæ in Christum minime Matth.19. crediderint, & præterea per orbem uniuersum iudicabunt singuli credentes singulos non credentes quisque in regionibus suis. Eos igitur, qui terram iudicãt, hortatur sermo ad eam eruditionem capessendam, quę scientiæ traditione constat. Quemadmodum etiam solomon in prouerbiis in hunc ipsum sensum inquit. Accipite disciplinam, & non argentum, & intelli- Prouer.8. gentiam pro auro probato.

DIDYMI. Illud uerò, *Et nunc reges intelligite*, sumitur ac si dicat, etiam nunc saltem prudentiam capescite excitato à mortuis illo, qui cruci affixus fuerat, & timete ò principes quod Deus est ille, ad quem accessistis, ut cessante seruitute ouæ est in timore diuina uobis cum tremore subeat exultatio: Nam si gaudium ullum iustè suscipitur, ipsum est exultatio, sed quę sit cum tremore. Huiusmodi illud est. Exultate in uoce exultationis, quoniam Dominus altissimus formidabilis. Cum enim altissimus sit terribilis, qui exultat cum tremore exultare debet.

ORIGENIS. Planè suspicari aliquis potest eum seruum esse qui omnino seruit hoc præsertim loco, ubi uerbum illud, *cum timore* appositum est, quod ad eum spectat, qui in timore spiritum seruitutis accepit. & id uerò quidem suspicabitur, Cæterum filius quoque seruire potest: nam non solum timor, sed charitas quoque seruitutis est causa. Docet enim Paulus nos in dilectione seruire, & mutuam charitatem exhibere. Gal.5. Quin & saluator Dominus noster fuit in medio discipulorum non ut qui recumbit, sed tanquam qui ministrat, seruiens & eorum pedes Luc.22. lauans, nec sanè ille prę timore hæc fecisse dicendus est: liquet enim hæc ab ipso perfecta charitate facta fuisse. Si ergo reges quos antea terræ reges appellauerat, nunc etiam dicuntur, ipsi Domino seruire in timore iubentur, tanquam serui, qui à principio nequeuut spiritum adoptionis accipere.

nis accipere. Atqui in his illud obseruandum est, ut seruiant in timore, quem qui supplicii formidat, neque dum perfectus est, habet. At quæ sequuntur nimirum, *exultate ei in tremore*, his consectaria esse cogitanda sunt. Quod si reges sancti sunt, qui iudicant terram, *(quemadmodum superius docuimus,)* cum filii quoque seruire possint, sane hoc in loco timor accipiendus est pro Psal.33. obseruantia, quæ reuerentia nuncupatur; quæ nunquam pœnam habet: est enim officium & recte factum perfecti uiri, ut ex eo liquet. Non est inopia timentibus eum: sed quomodo tales uiri in tremore esse dicuntur? nunquid cogi illos existimabimus? Minime. Quoniam ex regibus alii perfecti sunt, alii timore erudiuntur, ut sint terræ iudices. His non concedunt dissolutam illam exultationem, ne aliàs inflati & elato animo glorientur, & cadant diuina indigni habiti procuratione. Successum igitur & promotionem in uerbo, *erudimini*, perfectionem uerò in eo, *Apprehendite disciplinam* ostendit. Sed accuratè considerant constat hominem disciplina nondum excultum progressumque facientem, iræ Domini interdum obnoxium esse. At uirum perfectum nunquam eam experiri posse; proinde cum dixisset, *Apprehendite disciplinam* illud addidit. *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta* Verum cum neque apud Hebræū, neq; apud ullū interpretē illud *iusta* positū sit, arbitramur aut optimo consilio huc esse cõiectum, aut corrupta exemplaria fuisse. Id si diuino consilio adiectum est, ita possumus interpretari, nisi apprehendetis disciplinam, peribitis de uia iusta, & irato uobis Domino excidetis ab ea; Atqui illud *irascetur Dominus* cum dictione, *iusta*, non cohæret, Siquidem, qui non apprehendunt disciplinam, in uia penitus non bona consistunt. Nam quomodo nisi ita cogitemus, si ira Domini erudit, cum irascitur, aliquis perit de uia iusta? Hæc uobis, nisi apprehenderitis contingent. Irascetur uobis Dominus, & peribitis de uia iusta, neque ob iram tantum omnes peribitis, sed id propter peccata eueniet uobis, & quamuis ira prior, quam indignatio, siue furor dicatur, tamen qui scripturæ consensionem animaduerterit furorem, ac indignationem priorem accendi & indialiquem Deo irato e uia perire reperiet. Cum uerò indignationem exardescere, aut ipsum paulopost inflammari dicit, post exitum uitæ supplicium futurum exprimit. *Beati omnes qui confidunt in Domino* Confidere autem nihil aliud significat, nisi fidem firmissimam cum spei constantia, & inconcussam stabilitatem, nam qui confidit, nunquam dubitat in difficilimis temporibus Dominum sibi non affuturum.

THEODORETI. *Et nunc reges intelligite* Omnium rex est, qui quondam Iudæis tantum præesse uidebatur. *Seruite Domino in timore*. Siquidem non decet eos qui de salute lætantur & gaudent, tantum sibi de benignitate Dei polliceri, ut coniunctam cum benignitate iustitiam 1.Cor.10. non formident, & contremiscant. Nam qui stat, (inquit) uideat, ne cadat. *Apprehendite disciplinam*. Siquidem non satis est ad perfectionem consequendam sola diuinæ cognitionis acquisitio, sed oportet uirtutem ad opus deducere, qua comparata, certam, & tutam peragetis uiam. Nam cum Domini timorem habuerimus, & honestè uixerimus, maximam ex rebus bene gestis iucunditatem rectæ conscientiæ inhærentem percipiemus: propterea quod ea de causa conscientia nobis ingentem uoluptatem parit. In tremore autem, hoc est in tempore Iudicii, cum malitia uestra tanquam ambustibilis materies perinde ac ignis diuinam iram succenderit, tunc longè eritis à uia iustorum, pœnas scelerum dantes, quæ in uita commiseritis. Tunc autem illi quoque qui spem suam omnem constanter in eo collocauerint, beatitudinem scilicet amplissimam spei fructum reportabunt.

DIDYMI. *Illud in breui disciplinam apprehendite* per hyperbaton dictum esse credendum est ut cum loquutione ita conueniat. Apprehendite disciplinam in breui, hoc est in hac uita degentes, ne cunctantibus uobis & segniter agentibus irascatur Dominus, & pereatis de uia iusta.

Rom.4. EVSEBII CAES. Iram, & furorem Dei non esse animi perturbationes ostendit Paulus dicens. Propter enim duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ: quibus uerbis pœnas, & supplicia peccatoribus debita iram, & furorem nominari declarat. Eos uerò, qui confidunt in eo, intelligit, qui in Christū per totū hunc psalmū prænunciatū confidūt. quos paulo post, (breuis enim est uita hominum,) futuros beatos dicit, & quod primo psalmo deerat in hoc concludendo appositum est: non enim satis est non abire in consilio impiorum, & non stare in uia peccatorum, & meditari in lege Domini, sed planè oportet non temerè ac frustra meditari, & cognoscere ex ipsis uerbis Christum Dominum, & fieri pars & hæreditas eius, fideque & operibus in ipso confidere, Cum ergo unus sensus eademque sententia sit horum psalmorum apud Hæbræos ambo merito coniuncti sunt.

HESYCHII. Futurum describit in quo celeriter irascetur, ut potè qui supplicio debitam sit

sit sententiam obsignaturus. Hic autem in mundo irascitur quidem, sed non citò, uerum cum longanimitate, & cunctatione iræ succedit ignem, quam fortasse quispiam pœnitentiæ lacrymis fluens extinguit. Tempore iudicii (inquit) quod breui instat, breuis enim & momentanea est uita præsens.

THEODORETI. Quanquam in hac uita uirtutis athletę beatitudinem assequuntur, uberiorem tamen ac pleniorem tunc referent, cum qui nequiter uixerint, diuinā indignationem in se experientur.

NICEPHORI. *Et nunc reges intelligite*, cum reges, & principes admonet, populos quoque ipsis subiectos admonet. *Seruite Domino in timore*, idest caute, & cum multa reuerentia, quem timorem timent, & tremunt Cherubim, & Seraphim. *Et pereatis de uia iusta*, per uiam iustam iustorum agmen intelligit. *Cum exarserit in breui*, Vehementiam, & celeritatem futuri iudicii notat.

CYRILLI. *Et nunc reges intelligite*, cum qui regnant, sapiunt, & illi quoque sapiunt, qui reguntur.

HESYCHII. *Seruite Domino in timore*, Seruitus Dei ab omni peccato liberat, inquit enim Paulus, Qui in Domino uocatus est seruus, libertus est Domini non ab eius seruitute li- 1.Cor.7. bertatem accipiens, sed à Satanę seruitute liberatus, non enim sic, ut timor fidelem seruum commendet, non permittens aliquid agere pręter Domini uoluntatem. Non dixit autem simpliciter *exultate*, sed *exultate in Domino*, Dei enim lętitia sunt bonę actiones, & legis diuinę meditatio.

ATHANASII. *Apprehendite disciplinam*, accipite scientiam euangelicam, à qua qui aberrant, cadunt à uia iusta.

CYRILLI. An fortasse perhumane ac perbenigne fiet, quod eorum qui confidunt in Christo, iusti quidem retributionem, peccatores uerò ueniam consequentur. Illud uerò *confidunt*, firmissimam cum inconcussa spe fidem significat.

PSALMVS τῷ DAVID QVANDO FVGIEBAT A FACIE ABSALON FILII SVI.

PSALMVS III.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me.



VSEBII CAES. Tempus necessariò designat, ut ex dictis regum 2.Reg.18. historiā accōmodet, & oēs discant, quod post scelus in uxorem Vrię perpetratū, tā ingetē pœnitētiæ fructū tulerit, ut rursus in diuino spiritu psallere potuerit: Nā peccatū illud rebellio Absalon subsequuta est. Per quæ nos docet oēs peccatores pessū ire, sed in spe bona resipiscere, ac pœnitere, & præterea (quod iustorū proprium est) affligi; Quapropter Saluator dicit, in mundo tribulationes habebitis: Et: Ioan.16. Matth.7. Arcta, atque angusta est uia, quæ ducit ad uitam.

ORIGENIS. Considerandū est an omnia, quę in pręsenti dicuntur, ad historiā referri possint, ut illud: *Ego dormiui, & soporatus sum*, itemq́; Illud: *Dentes peccatorum contriuisti:* an uerò alterū Dauid quærere opus sit, et cuius nā alterius Absalon impetus fuerit, cui tā facilis, & mitis extiterit Dauid, ut parceret filio eius regnū affectanti: Nā ut filio lo suo parcerent, subditis suis imperauit. In pluribus sanè scripturę locis inuenimus Christū nomine Dauid appellatū, ut in Psalmo octuagesimooctauo: Et inueni Dauid seruū meū, & oleo san Psal.88. cto meo unxi eū, & quę sequuntur usq; ad illa uerba, & ponā in seculū seculi semen eius tanquā dies cęli. & Isaias dicit: Et pręparabitur in misericordia soliū, & sedebit super id in ueritate in ta- Isa.16. bernaculo Dauid iudicans, & quęrens iudiciū, & uelociter reddens quod iustū est. Qui.n. fieri pōt ut de homine Dauid, qui Isaia lōge antiquior fuit, ista dicātur. Quare ad Christū referēda sunt: nā Ioan.5. Christo dedit Pater Iudiciū facere, quoniā filius hominis est. Verū & apertè ab Ezechiele in Pastorū uisione id ostēditur, cū dicit: Et suscitabo super eas pastorē unū, qui pascat eas, seruū meum Ezech.14. Dauid. Ipse pascet eas, & ipse erit in Pastorē. Ego aūt Dominus ero eis in Deū, & seruus meus Dauid princeps in medio eorū. Cęterū Absalō Iudæ proditoris imaginē esse nōnulli dicūt: Melitus uerò Asianus diaboli in Christi regnū insultātis, & Ecclesiā Christi psequētis figurā esse affir

mat, sed non probat,

THEODORETI. Manifesta est historia diligentibus, & accuratis, sed negligentibus
2.Reg. 11. consulens eam breuiter attingam. Post geminam illam transgressionem beatus Dauid in ua-
2.Reg. 13. rias, & multas incidit calamitates, nanque non modo finitimę gentes in pugnam & bellum
14.& 15. contra ipsum concitatæ sunt, uerum & in familia quoque seditio orta est, & malum malo subsequutum est, Ammonis libidini homicidium Absalon, & fratricidio insultus in Patrem & subditorum defectio: nam donec ipsi Dauid gratia Dei aspirabat, nullum malum inuasit eum: Sed ubi ob Patratum scelus eadem gratia illi prospicere destitisset, omne calamitatis genus campum occupauit, & res dignas tragædiis excitauit, & malorum cumulum aggessit. Eo igitur tempore parricidam filium fugiens, & eos qui aduersus eum cum illo militabant, præsentem Psalmum conscripsit, diuino illi numine ob feruorem pœnitentię aspirante. Inquit igitur, Multi me & diuersi hostes inuadunt, sed illi me magis torquent, qui mihi illudentes tua me prouidentia destitutum dicunt: Ego uero te noui nolle me despectum habere, utcunque grauiter deliquerim, confidoque te illum erecturum, qui propter peccatum abiectus & humilis factus est. Et eum inimicis superiorem ostensurum.

CHRYSOSTOMI. Psalmus est Dauid cum fugeret à facię Absalon filii sui, at quando unquam qui fugit, commendatione dignus habitus est? quando unquam dignus habitus exul fuit, ut ejus nomen inscriberetur? Profugas scriptis literis persequuntur, non honorant inscriptionibus. Sed disce o frater causam inscriptionis, & animam tuam confirma, in tuto colloca. Sit tibi historiæ narratio uitæ correctio: Sit iusti persequutio mentis fulcimentum. Discas.n. cur ipsum Dauid filius Absalon persequeretur, ut cum rei fundamentum inueneris, timore Domini ædificeris. Quemadmodum enim absque fundamento ruinosa & infirma domus est, ita nisi scopum, & propositum inuenias, scriptura est inutilis. Beati Dauid hoc fuit institutum, ut per propositum psalmum uitam institueret, & castigaret, ut nihil unquam mali perpetretur, nec leges Dei contemnantur ne peccantibus eueniant, quæ sibi euenerunt. Fugiebat filium suum Dauid, quoniam ipse castitatem fugerat, fugiebat filium, quoniam pudicum matrimonium uiolauerat, fugiebat filium, quoniam legem Dei quæ dicit non occides: non mœ-
Exod. 20. chaberis, fugerat. Quoniam enim alienam agnam in domum suam introduxerat, & eius pastorem interfecerat, qui erat agnus de domo sua, pastorem cornu petebat, alienę domui bellum intulit, & ex domo sua bellum in illum concitatum est. Quia ergo a præcepto Domini exul fuerat, filium suum fugiebat.

ORIGENIS. At secundum historiam, hæc ab ipso Dauid, cum filium fugeret, dicuntur. Cum his exploratores per uniuersas tribus Israel emisisset, dicens, ubi audieritis clangorem Buccinæ dicite, regnauit Absalon in Hebron: cum profecti sunt cum Absalon ducenti uiri ex Israel ab eo uocati euntes in simplicitate sua, nihil eorum, quæ fierent, agnoscentes.
2.Reg. 16. Cum Achithophel, & Thecon cum ipso Absalon adiuncti sunt, & fuit coniuratio fortis, & populus multus cum ipso. Hi enim omnes afflixerunt Dauid: Inter quos & Semei filius Gera egrediebatur de ciuitate, & execrabatur Dauid. Futura uerò ex Christi persona, ut retulimus in psalmi prænotatione, hæc ipsa predici accepimus.

INCERTI. Atqui quatenus pertinet ad historiam Dauid tribularunt ii, qui aucti numero in cętum frequentes cum Absalon conspirarunt: Qui uerò contra ipsum insurrexerunt, Achithophel, Semei, Thecon, & si quis alius fuit, ex potentioribus, quiquę præstare cęteris existimabantur, *Quid multiplicati*, qui proficiunt, multos habent tribulantes.

NICEPHORI. *Quid*, Illud, *Quid*, non magis interrogantis, quam admirantis est. Pro ualde.

ATHANASII. Illud *Quid*, uehementer significat.

CYRILLI, & Ioannis Damasc. Admiratione & stupore afficitur & percellitur ob multitudinem insidiatorum, eos innumerabiles uidens, & tanquam homo quidem timet, audet uero & confidit in Deo se superiorem fore. Affligunt quidem Dęmones per se prius, qui per uoluntarias uoluptatum tentationes diuinorum mandatorum transgressores nos efficere conantur. Postea per homines non uoluntarias tentationes inducunt eos in nos insurgere facientes, ita ut affligant Dęmones, Insurgant homines: hi quidem oppugnantes & impetentes, illi uerò desperationem animę inferentes.

CHRYSOSTOMI. *Domine quid multiplicati sunt.* Circumseptus sum tentationibus, circundor torrentibus malorum, Descendit periculo plenus laqueus, uenerunt flumina hostium, uenti spirarunt, in meam domum irruperunt, uolentes animam meam à te dimouere.

dimouere. Sed fundatus supra petram fidei, minime corruo, sed procumbo, ut dicam, *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Qui ex me genitus est, contra me est, Sed tu es pro me.

EVSEBII. *Domine quid multiplicati sunt*, Omnes qui ad Dei præscripta uitã instituunt, persequutiones expectare oportet: Quoniam secundum Apostolum: omnes, qui uolunt, pie uiuere in Christo IESV, persequutiones patientur. Sed in omnibus oportet grauia quæque uiriliter sustinere: non enim de minimis certamen est nobis propositum, neque aduersus paucos, sed aduersus multos, & potentes, non solum homines, sed inuisibiles hostes. Et secundum historiam, Dauid ab ætate iuuenili hostiliter à Saul tractatus fuit, & postea à pluribus aliis male habitus, & demum à filio, qui illi regnum eripuit: Et exilii tempore fugiens hæc dicebat. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, Multi insurgunt aduersum me*, Hostium est insultare, & insurgere, Quemadmodum in ipsum Dauid factum est: in quem, ubi cum uxore Vriæ peccauit, multi insurrexere, & insolentes in malis eius lętabantur, diuinum illi progressum, & fęlicitatem inuidentes: Siquidem huius notæ homines semper quidem iustis rectè agentibus consternantur, & deiecti erubescunt, cadentibus uerò & delinquentibus elati & iactabundi insurgunt. Tim.3.

3 *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.*

4 *Tu autem Domine susceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum.*

ORIGENIS. Si Dauid hic loquitur, digna est, & consentanea prophetæ fidei uox uiriliter tot tribulationes perferentis, & se nunquam derelictum iri sperantis. Sed maximis auxiliis & ingenti gloria summoque honore in regnum restitutum iri credentis. Si uerò Christus loquitur hęc dicit, utpotè qui confidat se in uitam reuocandum forè suscipiente illum patre, & in pristinum gloriæ splendorem restituente, omnibus insidiatorum consiliis dissipatis (ut ait Apostolus) propterea Deus ipsum superexaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit IESVS Christus in gloria Dei Patris, Cęterum gloria hominum multiplex est: Alii enim aliud quid sibi gloriam putant, genus, formam, diuitias, uires, artes, quorum sæpe gloria illorum est ignominia (ut inquit Apostolus) Sed Sanctorum gloria Deus est fide creditus; fide inquam non temere habita sed ea quę ad iustitiam reputatur. Et signis interdum fit manifesta & conspicua ut in Sancto Mose, de cuius amicitia Deus usque ad suæ faciei ostensionem testatus est, post tot signa & portenta coram Aegiptiis facta. Sed Heliæ Prophetæ gloria Deus erat, quando unicum uiduæ in uitam reuocauit, & preces pro eo fundens quàm primum exauditus est, inquit enim Deus, Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Sed & absque signis Deus illorum gloria est, qui uirtute illustrantur, quam non alius, quam Pater illis inserit, qui sese ad ipsum animis suscipiendum tradiderunt. *Exaltans caput meum*, Exaltatur mens cum multiplicem Dei scientiam percipit. Ph.2 Phil.3. 3.Reg.17. 1.Reg.2.

ORIGENIS. Atqui non esse illi salutem in Deo dicunt, alii quidem præter tribulantes & insurgentes esse possunt: Qui Absalon minime sequuti sunt, qui cum Dauid uictum sensissent, uerba ista dicebant. Verum qui Saluatorem tribularunt Iudæorum turbæ fuere, dum clamarent: Tolle, tolle, crucifige eum. Insurrexerunt uero in ipsum Iudas proditor, Caiphas Pontifex, Anna item, & Herodes rex, & fortasse etiam Pharisæi, cum ad eum insidiatores miserunt, ut interrogationis prætextu aliquid ex ipsius ore uenarentur. At qui dicunt animæ illius *non est salus illi in Deo eius*, cum à tribulantibus, & insurgentibus sint diuersi, fortasse illi esse possunt, qui crucis tempore prętereuntes & mouentes capita dicebant. Si Filius Dei est, descendat de cruce, & seipsum saluum faciat. Pręterea insurgentium & tribulantium & salutem illi in Deo esse negantium discrimina altius perspicere licet. Nam omnes præsides, & sermonum doctores, qui à decretis & traditionibus Christi sunt alieni, contra ipsum insurgunt. Qui uerò illis adhęrent, & eorum doctrinam sequuntur, hi sunt, qui eum tribulant: At demum qui in doctrina Christi nullam inesse diuinitatem credunt, hi dicunt, nullam esse illi salutem in Deo: Et qui falsa putant, quæ de ipso magna & admirabilia scripta sunt. Verum & alii esse possunt qui tribulant, quicunque scilicet peccant: Nam quemadmodum improbus filius, non proposito malè patrem afficiendi, molestiis ipsum afficit. (hoc enim propter eius amorem, sequitur, ut ipse in filii peccato offendatur) ita & nequitia peccatorum tribulat Filium Dei. *Tu autem Domine susceptor meus*, At quanto quis pluribus operibus bonis inuigilat, & in sanis dogmatibus Ioan.19. Matth.27.

uerſatur, tanto magis à pluribus affligitur, cum multi inſurgant in eum, ita ut uulgus dicat, non eſt ſalus illi in Deo, deſperantes de rebus illius, etiam ſi à nullis e tot ac tantis malis in ſalute conſequenda lædatur.

DIDYMI. Permittit Deus iuſtum à pluribus affligi, ut illi gloriæ, quę tribulationum magnitudine comparatur, ſtabilitatis occaſionem præbeat. Quod ſi iuſtus interdum anceps, & hæſitans Deo dicat, *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me?* adhuc eo loquente;
Iſa.55. ecce (inquit ille) adſum ut gloriæ uis quamprimum tibi leuiorem faciat tribulationis ex-
1.Cor.4. ceſſum. Quare multę ſunt tribulationes iuſtorum. Cum uero ſalus ſit, at non in Deo, Illud *in Deo* quod iuſtorum eſt, apponitur. *Exaltans caput meum*, Quoniam, & ad Chriſtum refertur hic pſalmus, per caput eius diuinitatem poſſumus intelligere: Exaltari uerò ipſam dicimus, cum per fidei demonſtrationem manifeſta redditur. *Gloria mea*, ut quæ in uirtutis curſu illuſtret. Exaltat autem mentem præcipuam & principem animę facultatem, & perfectiori cognitione ad ſe adducit. Exaltatus eſt alioquin Dauid per orbem uniuerſum, ut qui celebris factus ſit ob Chriſtum ex ſemine eius ortum ſecundum carnem.

EVSEBII. Caput quoque extollens gloria Deus eſt: nam ut in proceriore corpore caput eminet ſupra alia capita eorum, qui corpore minores ſunt, ſic & animæ illius, qui excellentiæ in dies incrementum ſuſcipit, caput quæ ratio eſt, attollitur: Vis enim illa caput eſt animæ, quam Deus auxilio ſuo iuuat, & eam, quæ ſe in ſublimem comitatum tradit, ſecum in cœlum euehit. Quoniam uerò longe maiora, quàm expetere homo poſſit, tanquam beneficus, & liberalis Deus largitur illis, qui pro uiribus ſe bene geſſerint, & honeſte uixerint, Ideo Di-
Roma 9. uus Paulus bonorum omnium cauſam Deo acceptam referens inquit: Non uolentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Deus igitur & uirtus extollunt & euehunt in altum ſancti uiri animam. Contra uero uitium contrahit pauore animum non ſequentem Deum tanquam
Iſa.40. mutilum ſemper & uitii labe compreſſum, ut nihil tandem reputetur: nam ſecundum Iſaiam
Pſal.1. peccatores in nihilum redigentur: Et quemadmodum corporum puluis minima eſt, ita flagitioſę animę, quoniam maxime imminuuntur, ſunt tanquam puluis, quem proiicit uentus à facie terræ. Caput uero animæ eſſe rationalem facultatem intelligere oportet: Ea enim facultate animam excellere quantum ſat eſt, ne cogitari quidem poteſt: Ipſa uero uis rationalis, quam modo quodam, & per allegoriam caput animæ eſſe diximus, quibus ad ſuperna conuerſa ſurſum attollitur, non modo terram, ſed etiam corpora omnia ſuperuecta deſpicit, ita ut ante ad Deum uſque pertingens appareat. Obſeruandum uero eſt triplicem hic ordinem habitudinis Deum laudandi eſſe à Propheta poſitum. Primum enim ait, Deum ſuſceptorem ſuum eſſe, poſtea gloriam, poſtremo caput eius exaltantem. nam quatenus ſuſceptor (indicat enim nomen quid ſignificet) ſuſceptorem ſcilicet, eſt ut liberet à multis tribulantibus, & ab inſurgentibus, & negantibus illi ſalutem eſſe in Deo. Poſt ſuſceptionem uerò gloria eſt,
Col.3. Primo enim ſuſcipit Deus, mox glorificat, & demum glorificati caput exaltat. Nam ſi reſurrexit cum Chriſto, & quæ ſurſum ſunt ſapit. Exaltabitur caput eius à Domino, qui uerbum eſt, cum gloria ſit accedentis ad eum, quam gloriam à Deo ſolum quęrit, qui gloriam ab hominibus non accipit. Quomodo uerò exaltatum ſit caput Dauid, ex eo ſcire poteris, ſi paulum
1.Theſ.2. cogitaueris per uniuerſum terrarum orbem ac in omnibus gentibus nomen Dauid perſonuiſſe ob Chriſtum Dei Filium ex eius ſemine ortum ſecundum carnem: nam non ita cum eſſet inter homines, & Iſraeli tantum regnaret, gloria auctus eſt & exaltatus, & præcipue poſtquam Abſalon contra ipſum inſurrexit, quantum per ſalutarem Dei manifeſtationem, quę ſecundum carnem ex eius ſemine profecta eſt.

ATHANASII. *Non eſt ſalus ipſi* Deus (inquit) eius non ſeruabit eum, ſiquidem in peccatum eius tantum intuentes, & pœnitentiam ignorantes, qui de deſperatione cogitant, dicunt neque animæ, neque corporis eſſe mihi abſte ſalutem.

HESYCHII. *Suſceptor meus*, Suſcipit enim eos, qui tentationibus afflictantur, ſi utique ſe dignos præbeant, ut ſuſcipiantur; *gloria mea*, quoniam poſt afflictiones gloria ornat eos, qui exerciti illis fuerint. *Exaltans caput meum*, nam eos, qui tentati fuerint excelſiores tentationibus poſtea oſtendit.

THEODORETI. *Tu autem Domine* Neque enim in regno & in principatu ſpes meas ſitas eſſe uolo, ſed te unum Deum meum & gloriam meam eſſe puto, & à dextera tua ſpero me quam primum erectum iri. hoc eſt in illuſtri, & conſpicuo loco tanquam hoſtium meorũ uictorem me collocabis. Bonũ igitur & omni cõmendatione dignũ iudicare in Deo magis quam

in alio

in alium confidere.

NICEPHORI. *Non est salus* Deus ipsum non saluabit quoniam in ipsum peccauit *Exaltans caput* tentationibus incuruatum.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto eius.

ORIGENIS. Hic quæri potest cur Dauid, antequam gratias ageret pro acceptis beneficiis, tum susceptionis & gloriæ, tum exaltationis non præposuerit hunc uersiculum qui ad preces pertinet. Respondetur, hic non precari Prophetam, sed significare quod prius secretò precatus est, antequam aliis explicaret se uoti compotem factum esse, Velox est ad agendas gratias Deo præoccupans illas, priusquam nobis eas enarret, quod his duobus uersiculis fecit. Cæterum illud de quo agitur, melius ita fortasse soluetur; Psalmi principium precationem continet: Inde uerò diapsalma est, & actio gratiarum ad eum, qui preces, & uota illius adimpleuit; quibus peractis faciem ad nos conuertit Propheta, & quemadmodum orans postulata obtinuerit, narrat. Quod uero ad dictionem pertinet, perpendamus illud, *Voce mea ad Dominum clamaui*, & quod deinceps sequitur, ex consuetudine scripturæ dictum esse, quicquid sæpe uiri sancti ad Deum precando clamant. Et IESVS stans clamat: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Ioan.7. Nobis quidem causam reddit Apostolus, dum spiritum in sanctorum cordibus clamare, Abba Pater, dixit nimirum suum esse animæ clamorem extollendum. Roma.8. Ingens sane, ac uehemens clamor est, qui mente percipitur. Vox enim est animi, qua rebus absentibus celerrime utitur, & clamorem edit animo conceptum: Hoc clamore, qui clamant, exaudiuntur à Deo, nisi fortè ut præstantiores coronas accipiant prò maiori certamine diuina dispensatione ad tempus destituantur, ut in Abacuch dicitur; Clamabo, & non exaudies me. Vociferabor ad te uim patiens, & non saluabis: Abac.1. Cur mihi labores ostendisti, ut miseriam & impietatem aspicerem? Ita quoque in magnis decretis semper extitit ingens Dei clamor. Quapropter & sapientia ipsa apud Solomonem cum clamore magno dicit. Venite, & comedite panes meos, & bibite uinum, quod ego miscui uobis. Prouer.9. Itaque qui per Psalmum ad Deum uocem intendit, non aliunde quidem quàm à monte sancto, hoc est à cœlo exauditur. Siquidem alibi quoque dicitur. Psal.19. Exaudiet illum de cœlo sancto suo. Ex sublimi quoque exaudit: nam scriptum est: Psal.17. Exaudiet ipsum ab alto, & à templo sancto suo.

EVSEBII. De hoc monte quoque in præcedenti Psalmo mentio facta est, ubi dixit. Ego Psa.2. autem constitutus sum ab eo super Sion montem sanctum eius. Quod si Christus ibi hæc dicebat, hic pariter Dauid forè affirmat, ut se de monte sancto suo exaudiat. Quem uero se exauditurum sperasset nisi Dominum? qui rex super montem sanctum suum constitutus est? Per hunc enim & non alium se ueniam, consequuturum credidit: Et hunc sperauit forè gloriam suam, & exaltaturum caput suum.

DIDYMI. Appellari quoque mons Domini potest præstans & excellens cognitio illius, nec non unigenitus Dei Filius, è quo precantium uoces Pater exaudit, de quo scriptum est: Erit manifestus mons Domini in nouissimis diebus: Isa.2. Quę uerba indicant futuram eius manifestationem in nouissimis diebus per eius aduentum.

THEODORETI. *Voce mea* Propterea cum omni alacritate supplex ad te Deum preces effundo, certo sciens, quod statim me uoti compotem facies. Non est autem quod hoc loco uox, & clamor intelligatur strepitus quidam, & rumor externus, sed animi promptitudo, & alacritas quædam est; Ita enim uniuersorum Deus accedente ad eum Exod.14. Mose dixit illi, Quid clamas ad me? Clamorum silentium uocans propter uehemens, & sedulum mentis desiderium. Illud uerò, *Exaudiet me de monte sancto suo* dictum est ob ueterem opinionem, quæ tum increbuerat, nam existimabatur uniuersorum Deus in tabernaculo habitare, propterea quod & oracula sacerdotibus illinc edebantur.

HESYCHII: Satis erit ea uox ad Deum placandum, & ut preces nostras exaudiat, exorandum, quæ non sua ui id efficiat, sed iustitia supplicantis. Sciendum est igitur, quod precationis uox est ipsa precantis compunctio. *De monte sancto eius*, Scilicet de cœlo, uel de altari, uel etiam de corde supplicantis: mons enim Dei Sanctus efficitur, cum nihil abiectum, aut sordidum cogitauerit.

ATHANASII. *Voce mea*, Docemur in affectionibus ad Deum accedere. *De monte sancto*, idest, de cœlo.

NICEPHORI. Per uocem intelligit intellectualem congressum: per montem cœlum ipsum.

» *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

ORIGENIS. Vt constemus nobis ipsis, & dicta seruemus: Accusat per hæc uerba se
ipsum Dauid, ut qui adeo negligens & desertor officii fuerit, ut nullam de regni incolumitate
curam habuerit, ex qua re occasio orta est Absalon ut ipsum inuadere & regnum occupare ten-
taret: non enim hoc (inquit) euenisset me uigili & experre. Verum erectus sum, ut ad con-
fidentiam diuina ope excitarer. Quod si ex persona Domini hæc dicantur, somnum mor-
tem, ac supplicia eius significare dicemus. Somnus autem (quantum spectat ad dictionem,) est
animi remissio a corporeo munere relaxata, & intentionē succludens ne assiduum, & continentē
in agendo tenorem seruet. Somnus quoque in sacris literis exitum animæ à corpore significare
Gen.41. solet: Dormiuit enim (ait) cum patribus suis. Et: Multa corpora sanctorum, quæ dormierant
Matth.27. resurrexerunt: Et: Resurrexit Christus à mortuis primitiæ dormientium. Et illud: Omnes
1.Cor.15. dormiemus. Somnus pręterea torporem & segnitiem animi innuit, qui attentioni & uigiliis
Prou.6. contrarius est: Nam diuinus sermo uolens nos a segnitie deterrere, inquit. Ne des oculis
tuis somnum, & palpebris tuis dormitationem, ut tanquam damula serueris à laqueis, & quasi
auis de manu aucupis. Cumque dissolutorum peccatorum mollitiem propheta uellet ostende-
Psal.75. re. Dormierunt (inquit) somnum suum, & nihil inuenerunt. Et illud. Surge qui dormis,
& exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Huic somno analogia quadam respondet, quod
est apud Solomonem & apud Dauid dormitatio: dum nos ille non solum oculis somnum, sed
ne dormitationem exhibere pręcipit. Hic uerò dormitationis uocem dedecori ponens dicit,
Psal.74. dormitauerunt qui ascenderunt equos. Igitur communi morte, quam pro nobis obiit, Dici-
mus Saluatorem nostrum IESVM Christum iacuisse, & animam eius separatam obdormiis-
se. Nam quemadmodum in somno fit, ut iacente corpore immoto anima uisis & spectris mo-
ueatur, ita similitudine quadam (& si non planè omni ex parte respondeat imago illi, cuius est ima-
go) separabilis spiritus operatio per somnum significatur: Et hac somni comparatione post il-
lud *iacui* dicitur, *obdormiui*. Hæc interpretes uerterunt, *Ego dormiui, & soporatus sum.* At quid
mirum, si huiusmodi somnus in Saluatore non omnino animæ otium fuit, sed cessatio quędam ab
usu corporei instrumenti: nam sua per se munera obiit: cum Iob in seipso id manifestum fe-
Iob.3. cerit: dixit enim: Quare non in utero mortuus sum? Egressus ex utero non statim perii?
Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno
meo quiescerem cum regibus, & consulibus terrę, qui gloriantur in gladiis, & cum principibus
qui possident aurum multum: Nam si non aliquod circa animam otium esse cogitasset, in quo
ipsa post hęc aliquorum bonorum particeps facta requiesceret, non dixisset, Vtique dormiens
requiescerem cum regibus, & consulibus terræ. Ceterum qui cum gladiis eunt sancti sunt ui-
ri milites pietatis, qui sermone omni ancipiti gladio acutiori aduersus quoslibet ueritatis oppu-
gnatores utuntur. Principes uero, quorum multum est aurum, eos interpretari possumus,
qui egregii sunt pręter cæteros, & præstantes, quod in sensibus & speculationibus ueritatis sunt
diuites. Nil mirum igitur uidetur Saluatorem dicere *Iacui & obdormiui* cum multò maiora
1.Pet.3. pro animarum salute gesserit, quo tempore à corpore abfuit. Quę in Catholica à Petro re-
censentur. In quo & iis, qui in carcere erat spiritibus prædicauit, qui increduli fuerant ali-
quando cum spectaretur Dei longanimitas in diebus Noe cum fabricaretur arca in qua pauci,
hoc est octo animæ seruatæ sunt ab aqua. Post hanc dormitionem Pater ipsum suscipiens
excitauit.

ATHANASII. *Ego dormiui*, mentis somnum, per quem incidi in peccatum.

NICEPHORI. *Ego dormiui*, alto peccatorum ueterno: Penitentia euocatus Dei susce-ptione surrexit: Vel animi imbecillitate iners, & inutilis corrui, subleuatus autem in domini susceptione confidens.

CYRILLI. Fatetur delictum, & mentis somnolentiæ crimen obiicit, *Et exurrexi*, Vigilis enim mentis opus, & studium est malum cauere, & se subtrahere, ac raptim fugere ab eo, quod nocere potest. Quod si Dauid effecisset, stertentis & ægrotantis ignauiam, quę natura male homines afficit, euitasset. Languidi enim est carnis affectibus cedere.

THEODORETI. *Ego dormiui*, Noctis nomine calamitates ipsas appellari percepimus ex sacris literis: nam eos, qui in tristia ualde & calamitosa incidunt, uitam in tenebris ducere arbitramur: noctibus autem somnus fere adiunctus est. Ex hoc igitur & afflictiones, & ab iis liberationem ostendit: Nam uersiculus ille, *Exurrexi, quoniam Dominus suscepit me*, Illud innuit, quod diuina ope adiutus ingruentia mala superauit. Quare dixit, Dormiui socordia, exurrexi pœnitentia. *Dormiui* (inquam) *& soporatus sum*: magnam, & diuturnam socordiam significat. *Quoniam Dominus suscepit me.* Quoniam

Dei

Dei benignitas, & longanimitas satis est quem cunque pigrum & cunctantem ad uirtutem excitare.

EVSEBII. In his quoque futura tanquam præterita uaticinatur: nam quemadmodum in secundo psalmo dicit. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania; Astiterunt,& conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, & ea in futurum retulit: ita & modo prophetans protulit illud, *Ego dormiui, & soporatus sum. Et exurrexi, Quoniã tu Domine susceptor meus es gloria mea, & exaltans caput meum* In hoc enim tempus ostendit in quo hęc illi obtigere: nam postquam ipse dormierit, eum surrecturum dicit, quod Dominus eum suscepit. Dormitio autem mortem significat, postquam illi hæc uentura prædicit, ad id tẽpus nos remittens, in quo finem prophetia sortita est, nimirum cum Christus in terris apparuit. Cum etiam usque ad inferos Christus filius hominis descendit, & eorum, qui illic eius aduentum expectabant, seruator renunciatus est, ut simul ac ille à mortuis resurrexisset, multa corpora sanctorum, qui dormierant, cum eo consurgerent, inter quos consentaneum est animam Dauid etiam fuisse, confidens uerò uirtuti resurrectionis Christi Saluatoris, qua ipse etiã excitandus erat, dicit *Non timebo.* Psal.2.

DIDYMI. Alius uero illud *Dormiui* significare dixit, reclinationem, & decubitum, postquam somnus accessit. Quoniam uerò sponte animam suam posuit, propterea decumbens soporatus est, postquam autem à mortuis excitatus est, suscipiente se Deo primogenitus ex mortuis factus est.

Non timebo millia populi circundantis me: Exurge Domine, saluum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

EVSEBII. Præuiderat enim fore, ut aduersantium potestatum myriades sanctorum resurrectionem ipsorum saluti inuidentes impedire conarentur. Quare (inquit) ego impetus omnes paruipendam fretus ope protectoris mei mortis uictoris, qui æreas portas conterens, & uectes ferreos confringens portas mortis à seculo clausas reserauit, & illustribus uiris illis domesticis suis, quorũ unus fuit Dauid, resurrectionis iter præmonstrauit. Quare in alio psalmo dicit: Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia, cum uultu tuo.

DIDYMI. Decet enim sanctum, qui confidit in Deo, imperterriti animi habitum exercere: sic enim ait Dominus in psalmo. Si consurgant aduersum me castra, non timebit cor meum prædicit enim hæc Saluator, myriades prospiciens petentium se ad crucem: Aduersus quos intrepide se habet. Psal.15. Ps.26.

THEODORETI. *circundantis me.* potest enim uel solus Deus innumerabilem hostium multitudinem præsentia sua dissipare.

CHRYSOSTOMI. *Circundãtis me,* quomodo circundãtis? à fronte quidem tentant dęmones per res uisibiles decipere; à tergo autem per præsumptas cogitationes rerum malarum memoriam excitante; à dextris, per carnis affectus, à sinistris per inanem gloriam & superbiam ob præclara opera dixit autem συνεπιτιθεμένων, quod uertunt *circundantis* pro pariter contra me insidias struentis.

ORIGENIS. *Non timebo millia populi* Vox uiro sancto digna, & ei qui summam uirtutis consequutus sit, consentanea, securitatem scilicet ob fiduciam erga Deum præseferenti. Huic similem confidentiam habes in psalmo uigesimo sexto, ubi dicit. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et Seruator ingentem illam populi circuncisi multitudinem in crucem suffigi ipsum exposcentem in spiritu præuidens, & suam fortitudinem & constantiã cernens (quod iuxta carnis imbecillitatem dictum uelim) hæc ita dicere potuisset: Siquidem multitudinem eorum perpenderit, qui ab hostibus prosternuntur, comprimentibus animam, & territantibus, & concutientibus eam, opportunè quidem ad Deum confugiens illud diceret, *Non timebo millia populi circundantis me.* Psal.26.

EVSEBII. *Exurge Domine saluum me fac* Cum Dauid præcognitione futuram resurrectionem credidisset, quæ non aliter sibi post dormitionem, mortem scilicet, quam unà cum Saluatoris resurrectione gratia & benignitate ipsius futura erat, consequenter orat, ut Dominus resurrectionem suam acceleret, ut per ipsam ipse quoque salutem consequatur. Qua propter *exurge* (inquit) *Domine saluum me fac* Deus. Cęterum cum uideret Saluatorem de omnibus humani generis insidiatoribus dæmonibus malignis, & aduersariis potestatibus uictoriam relaturum dicit. *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa* Atque etiam propter illos, qui supra dicebant, animę illius, *Non est salus illi in Deo eius,* nunc ait. *Dentes peccatorum contriuisti.* Hoc est

est serm ones, & execrationes contra me factas penitus sustulisti. Quin & eos qui in me huiusmodi conuitia iactarunt, cum impii essent & malis alienis lætarentur, contriuisti, & uoces eorum confudisti:neque solum mihi saltem post dormitionem ut resurgerem, dedisti; sed & omnibus, qui in populo tuo censendi sunt, idem largitus es. Obseruandum autem est apud Hebræos prò salute, nomen IESV: appositum esse: At psalmi totius conclusio duplicem doctrinam continet, Et quod Domini potentia salutaris est, & quod ipse populo suo, qui per ipsum seruandus est, benedictionem daturus est. Benedictio uerò omnino spiritalis est,secundum Apostolum dicentē. [2.Cor.1.] Benedictus Pater Domini nostri IESV Christi,qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. [Matth.1.] Hinc in Saluatoris ortu ab Angelo ipsi Ioseph dictū est. Et uocabis nomen eius IESVM. ipse enim saluum faciet populum suum: quos & beatos sermo prophetæ dixerat. Hęc igitur iuxta prædictorum contemplationem esse dices, quæ etiam ad uerbum finem habuisse affirmare potes, prædicto quidem ab ipso propheta uaticinante suæ calamitatis tempore, quo filius eum insectabatur. Ad finē uerò longe post deducta, cum in pugnæ congressu cecidit Absalon, cecideruntque & illi,qui cum eo contra se conspirauerant: Atq; hoc modo prædictio euentum sortita est, quæ dicit. *Quoniam tu percusisti omnes mihi aduersantes sine causa, Dentes peccatorum contriuisti: Domini est salus & super populum tuum benedictio tua*,proferebantur autem hæc prophetico spiritu aspirante,perinde ac si iam populus seruatus, & sub Dauid renatus esset.

" ORIGENIS.Cū in Hebraicū exēplar incidissem,nusquam inueni uerbū illud,*sine causa*,sed " pro eò, maxillam,reperi. Et reliqui sanè, ut Hebraicum habet tradidere,propterea existimandum puto,(quod ipsum & Hebræorum nonnulli affirmant) uel ueteres codices aliter sese habuisse, uel septuaginta dictionis humilitatem declinare uoluisse, ut prò,maxillæ,dicerent *sine causa* Quo circa uerbum istud,secundum septuaginta positum esse cogitemus oportet. Nunc qua ratione,quæ de Deo more humano afferuntur, liceat interpretari perstringemus,ex quibus facile erit dignoscere quomodo dicatur illud: *Exurge Domine, saluum me fac Deus meus* Nam ipsum tāquam nobis dormientem, cum ut nos tentet aduersariis potestatibus tradit,excitat,ac fortasse etiam cum pro nobis omnibus Seruatorem tradidisset Pater,illi dormire uidebatur. Exurgit autem cum saluum ipsum facit, & inimicos eius prosternit,Iudæos scilicet,uel ueritati repugnantes potestates, quæ sub aspectum non ueniunt. porrò nulla inimici ratio habetur, cum uir [Psal.119.] sanctus diligit inimicos, & cum hiis qui oderunt pacem, est pacificus. At siquis aduersus alium inimicitias se non improbè gerere putet, si diligenter inuestigemus,aut humanitatis,aut impietatis ergò inimicitiæ suscipiuntur; Humanitatis quidem, cum eum, qui perperam agere cœperit, à prauitate ipsum uolens auertere,ulcisci uoluerit : ita enim accipi potest, non improbè contra delinquentem inimicitias exercere. Pietatis uerò si quis alicui propterea quod ueritatem illi di- [Gal.4.] cat,inimicus efficiatur : quemadmodum Apostolus ait inimicus uobis factus sum, uerum uobis dicens, ita etiam in psalmis pietatis causa inimicitias subit, quamobrem ait, Nonne [Psal.138.] qui oderunt te Domine,oderam,& super inimicos tuos tabescebam:perfecto odio oderam illos & inimici facti sunt mihi. Veruntamen hunc locum libenter decet audire,quod nonnulli arbitrantur oportere subiecta causa inimicitias subire, & homines,uel potestates quasdam ueritati aduersantes odio passim habere. Hæc igitur hoc in loco sic accipienda sunt, non ut insidiosam maleuolentiam intelligas,sed quæ cohibeat, & uetet in multis effusam malitiam: nam qui efficax auxilium corruenti allaturus est, is tum per se, tum per alium agat oportet, ac demum oret ut prauus habitus uindicetur, hoc est radicitus ab eo,in quo est, euellatur:Huius enim rei præ- [Matth.5.] cepta nobis tradita sunt, iuxta quod dicitur,orate prò persequentibus uos: & Diligite inimicos [Luc.6.] uestros: quem uero aliquis non leuiter diligit,bene illi precatur, atque adeo ut omnia recte fiant cum eodem simul collaborat, quæ quidem res cum abest,nulla in aliquo reliqua est amoris significatio. Si uerò & inimicos diligere oportet, liquet neminē odio prosequendum esse: nam [Psal.7.] quod in septimo psalmo dicitur. Domine Deus meus si feci istud, si reddidi retribuentibus mihi mala,decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam,& comprehendat,& conculcet in terram uitam meam.palàm facit, neminem esse odio prosequendum. Hæc cum à nobis ita dicta sint, percontari libet quomodo soluatur illud. Nonne qui oderant [Psal.138.] te Domine, oderam, atque in primis exquirere an aliqui Deum oderint. Nullus enim ne illorum quidem, qui Deos negant, hoc confitebitur: quomodo enim odisse quis poterit,quod esse non credit? Non idololatræ,cum Deum, quem sese cęteris excellentius uenerari profitentur, in omnibus esse fateantur. Non qui inter christianos hæretica labe infecti sunt, alium sibi præter opificem uniuersi Deum effingentes, dicerent eum se, qui hæc fecit odio prosequi. qui

nam

nam igitur sunt, qui Dominum oderunt? ii sanè, qui filium oderunt, & eius diuinitati detrahunt: nam quæcunque contra ipsum patrãtur, (ait scriptura) in Patrem recidunt: Nam qui me (inquit) suscipit, suscipit eum qui me misit, Et qui filium confitetur, & patrẽ habet, qui uerò filium negat, neque patrem habet; similiter & qui filium odit, patrem quoque ipsius odit. Ac quicunque peccat Deum detestatur, dum aut sapientiam, hoc est, Christum, contemnit, aut iustitiam odit, aut sceleribus obstringitur. Quoniam uerò Christus iustitia est, qui in iustitiam Christum odium concipit, contra Deum pariter odium confiteatur, necesse est. Neque si odio in Deum flagret, mirum uidebitur: Siquidem qui peccat, se quoque ipsum odio habet, ut Solomon docuit, dicens. Qui abiicit disciplinam, despicit se ipsum. Iam satis indicatum est, qui nam Deum oderint. Sed nisi accuratè intelligamus illud. Nonne qui oderunt te Domine oderam, omnes homines præter admodum paucos, quos ex rectè factis Deum diligere coniicimus, odio prosequemur, quo quid absurdius in uita hominum esse potest? omnes scilicet homines, & (si ita loqui oporteat) se ipsum quoque odisse auersati. Siquis enim sui ipsius sincerus, & candidus æstimator fuerit, proculdubio Deum odisse deprehendetur. Nequaquam igitur animalia Deum odisse putandum est, uerũ quæ animalibus ratione præditis accidunt, crimina censenda sunt, uelut iniustitia Deum odit, & iniustus, quatenus iniustus est, Deum odit, iniustitia, quæ in ipso est, hoc faciente. Oportet igitur nos huiusmodi accidentia, & quæ nobis in primis aduersaria sunt, perfecto odio, hoc est, quod à perfectione proficiscitur, detestari. Nam quemadmodum à perfectione iustitia atque prudentia manant, sic & huiusmodi odium ortum habet. Hæc à nobis dicta sunt, cum examinaremus illud: *Percusisti omnes aduersantes mihi sine causa*; & ea, quæ ibidem sunt exploraremus, ex omnibus, qui hostiliter se gerunt, qui nam sine causa alicui aduersari dicantur. Huiusmodi illud est: odio habuerunt me gratis: Huiusmodi uerò sunt peccatorum dentes, qui à Domino conteruntur. Quales & ii, de quibus dictum est: Ibi erit fletus & stridor dentium. Et illud. Vuam acerbam comedentis dentes obstupescunt. Peccatorum dentes sunt à ratione alienę cogitationes nobis præter naturam aduenientes, quibus hostes nostri tanquam dentibus utuntur: nam propè ad carnes nostras deuorandas accedunt, hoc est, quæ à carne pullulant ægritudines & affectus: manifesta autem sunt opera carnis, (ut inquit) Apostolus.

Marc.9. *1.Ioan.2.* *Pro.15.* *Psal.34.* *Luc.13.* *Ezech.18.* *Gal.5.*

DIDYMI. De huiusmodi dentibus Deo sæpe dixit. Frenduerunt super me dentibus suis: cumque gratias ageret, quod nullum nocumentum ab eis accepisset, ait. Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Hæc uero de inaspectabilibus dentibus dicta esse constat. Huiusmodi dentibus hoc modo acceptis Galatæ malè uil sese mutuo mordebant, & inuicem deuorabant; Dum animi uiribus, quæ per allegoriam dentes appellantur, perperam utentur; quibus contritis pro inimicis amici, prò malis boni facti sunt.

Psal.34. *Psal.123.* *Gal.5.*

CYRILLI. *Sine causa* Qui simultatis, & odii occasionem non præbet, nulla causa is homines sibi infensos habet, cuius modi sunt homines, qui cum innocenter uiuant, persequutionem patiuntur, quibus saluator ait: Beati eritis, cum maledixerint uobis homines, & dixerint omne malum aduersus uos mentientes pr opter me: & quæ sequuntur. At Dauid plures inimicos sine causa nactus est, Absalon scilicet, & antea Saul, & eorum complices; nam cum ille mansuetudinem multam, & clementiam illis ostenderet, nulla ipsi causa erant infensi.

THEODORETI. *Quoniam tu percusisti* Fac me igitur tuæ salutis participem, & quemadmodum de iis supplicium sumpsisti, qui mecum inique inimicitias exercebant nec non de contribulibus, ac de alienigenis de Israelitis, & Malechitis, & de ipso quoque Saul, ita me modo tua salute dignum facias. Hoc uerò quod dicitur, *Dentes peccatorum contriuisti* prò, spoliasti omni uirtute, & robore dictum est translatione sumpta à belluis, quæ dentibus priuatæ imbecilles admodum atque expugnabiles redduntur.

NICEPHORI. *Exurge Domine* qui longanimitate dormire uideris, expergiscere ad uindictam. Prædicit autem Christi resurrectionem. *Tu percusisti* tempus pro tempore, idest per cuties. *Domine est salus*, à te Domine salus mea, *Benedictio tua*. Benedictio in homines à Deo gratia est Benedictio ab hominibus in Deũ, laus & gloria: Ab hominibus uero in homines, pro iis oratio.

THEODORETI, *Domini est salus*, Non habeo (inquit) spem in homine, uerum à te solo salutem expecto: nec ego tantum, sed una populus tuus, qui mecum oppugnatur. Quin & de hostium salute sollicitus sum: nam & ille tuus quoque populus uocatur. Da ergo Domine & his, & illis benedictionem tuam: Hoc enim innuit dicens. *Et super populum tuum. Benedictio tua.* Quandoquidem beatus Moses benedictionibus pacem connectit. Inuenimus autem in hi-

ſtoriis beatum Dauid ingentem populi ſui curam habuiſſe, & ipſius parricidæ filii, maioremq; pacisquàm uictoriæ de hoſtili populo rationem habuiſſe.

Pſal.67. Pſal.145. Eph.1. ORIGENIS. *Domine eſt ſalus*, Hoc ait, tanquam qui penès Dominum ſolum ſe ſaluum eſſe credat. Iccirco Deus noſter Deus eſt ſaluos faciendi, iuxta Dauid, & illud: Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: Et: Fallax equus ad ſalutem. Eſt & in populis benedictio, quæ ſpiritalis eſt in cœleſtibus in Chriſto.

DIDYMI. *Domini & ſalus*, Non ergò aliundè, quam ab ipſo quærenda ſalus, *Et ſuper populum tuum bona uoluntas tua*, Sed quæ nam eſt, quæ ſuper populum benedictio, uel bona uoluntas uenit? An uoluntas Patris de aduentu Filii? nam Saluatorem hominem factum Matth.3. Pſal.88. oſtendens: Hic eſt (inquit) filius meus dilectus. Huc illud referri poteſt. In beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum, nempe illud quod ſequitur. Cæterum pſalmus totus eſt in tres partes diuiſus, duobus Diapſalmatis interclusus. Quarum una, quatenus ad uerbum attinet, oratione ad Deum facta hoſtium inſidias, qui in Dauid inſurrexerunt, exponit. Altera conſtantiam Dauid, & fiduciam ergà Dominum manifeſtat. Tertia uitæ ipſius exitum in ſpe bona futurum demonſtrauit, ut diſtinctiones per diapſalmata, quendam ſenſum retineant. Ordo quoque propoſiti pſalmi rationem habet: Nam primus geminas uias, unam impiorum, alteram bonorum nec non exitus utriuſque continet. Secundus Chriſti crucem & gentium uocationem habet, Tertius eius, qui peccati uinculis detinetur per ſpem in Chriſtum curationem amplectitur.

ATHANASII. Serua me (inquit) Domine, precor etiam populum tuum iſtum in omnibus euehas. Cæterum ſciendum eſt, integrum hunc pſalmum ad humanitatem referri delinquentem ſanè, & propterea inuiſibilibus hoſtibus traditam, clamantem uerò in tribulatione Pſal.57. & exauditam, atque etiam ſeruatam à Deo ſcilicet, quoniam ipſe reſurrexit, & dæmones nobis infenſos percuſſit. Ipſe enim eſt, qui leonum molas contriuit Dominus, & eius eſt, quæ ab ipſo eſt ſalus.

IN FINEM IN HIMNYS

PSALMVS τῷ DAVID.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi, miſerere mei, & exaudi orationem meam.



ORIGENIS. Cum multis pſalmis iuxta ſeptuaginta inſcriptio *in Finem* prænotata ſit, & ſecundum reliquos interpretes huic inſcriptioni conſentanea & ad rem pertinentia poſita fuerint, meritò quærendum eſt, quæ ſit illius dictionis notio & ſignificatio: quapropter ſciendum eſt, quod quemadmodum artis omnis & ſcientiæ finis aliquis propoſitus eſt, ad quem properat qui legitime artem, & ſcientiam illam conſequi ſtudet, ita omnis ratione utentis naturæ finis eſt in Chriſto uitam adipiſci: iuxta ſapientiſſimi Pauli uerba in prima ad 1.Cor.15. Corinthios. Quatenus enim ait unusquiſque in ordine ſuo, non uidetur ordinem unum omnium præſcribendum eſſe, quoniam cuiuslibet uitam adipiſcentis diuerſa ratio meritorum eſt: alius enim ſupplicia nulla experitur, alius poſt tormenta in uitam reuocatur. Cum uero Chriſtus eos, qui in Adam moriuntur, in ſe uiuificet, ſanè iiſdem qui ab eo in uitam reuocantur, rex præficitur. Eos igitur pſalmos, quorum inſcriptio eſt *in Finem* arbitramur quandam finis notionem inſinuare, ad quem finem eos hortentur, qui quæ adducuntur, intelligunt. Cuilibet uero decertanti finis uictoria eſt. Multæ autem ſingulorum uictoriæ Rom.8. 2.Timo.4. ſunt, ac multiplex finis, uel Paulo teſte, interdum dicente, in his omnibus uincimus ꝑ eũ, qui dilexit nos: interdum: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo mihi repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Quoniam ergò Dauid (ut pridem oſtendimus) Chriſtus appellatur, pſalmi, qui ipſi Dauid in finem prænotati ſunt, finem & uictoriam Chriſti qui uictor ſecundum Aquilã nuncupatur, præmonſtrant. Chriſtus enim cuilibet uicto uictoriã comparauit. nam qui à Chriſto uincitur, uitium uincit, id nimirum interimendo, dum Chriſto ſubiicitur. Vincit autem Chriſtus non inuitos aut reluctantes, ſed perſuadet, cum ſit uerbum Dei. In hanc ergò uictoriam hymnos ſeu pſalmos inſcribi, quos ſeptuaginta *in finem* præ-

notauerunt, Theodotio author est, At Symmachus triumphales pro Christi uictoria huiusmo di psalmos seu cantica edita fuisse arbitratur. Veruntamen cum non tantum ipsi Dauid, sed Asaph quoque, & filiis Core in finem dicantur: non absurdum fuerit nos de omnibus sanctis, qui Christi imaginem suscepere, quod hic dictum est, intelligere. Illud uerò quod penès septuaginta, & Aquilam dictum est *in psalmis* Aperte magis declarauit Symmachus, cum, per psalteria edidit. Monet enim nos ad organa, quæ psalteria dicuntur, huiusmodi canticum seu modulationem cantari. Sed cum plura sint organa, quærendum est quibus nam illud *In Finem* uel pro uictoria carmen, uel Vincenti, cantetur. potest præterea quod à Theodotione pro uictoria in hymnis dictum est, hoc idem significare. Ipsum ergo canticum, uel modulatio, uel psalmus prædictum continens argumentum communiter quidem de ipso Dauid, mystice autem magis de Christo annunciatur: qui modo sumit personam sanctorum, & ipsorum afflictiones & dilatationes etiam sibi proprias facit: (Sanctorum enim illa uox est: in omnibus afflicti, sed non angustiati:) modo conuertit homines, qui graui sunt corde, & uanitatem diligunt & menda- 1.Cor.4. cium quærunt. Cœterum modulatio à cantico differre uidetur, per canticum uox dicentis in clinata, per modulationem artificium carminis rithmice cantari designatur. At iuxta secretiores & mysticas leges numerosus est, & comparabili ratione exquisitus concentus in gloriam Dei factus, sanis utique doctrinis atque sermonibus refertus, qui cæteris quoque præbeat utilitatem.

DIDYMI. Canticum laus est pro parta uictoria, uel cum gratiæ Deo aguntur, quæ sola uoce pronunciantur. Psalmus uerò hymnus est organo, quod psalterium dicitur, uel etiam cithara pulsatus. Anagogice autem canticum est speculatio ueritatis sola cogitatioue concinente: psalmus uerò facta, quæ recta ratione perficiuntur, significat, ita ut qui actionibus incumbit honestis, psallere, qui contemplationi uacat, canere dicatur. proinde cum propheta Deum ac illius ueritatem puro corde contempletur, canticum profert, quod in psalmis esse dicit: cum alioquin egregie in rebus agendis uersaretur. Canticum ipsum in finem illud est, quod summum bonorum appellare consueuerunt, cum eius causa cætera, ipsum nullius, eligantur, de quo etiam Paulus ait. Deinde finis: cum quis similis Deo factus cernet ipsum sicuti 1.Cor.15. est. Psalmus autem, siue canticū ipsius Dauid esse dicitur, Cum ipse diuino spiritu afflatus dictauerit. Ipsi uero Dauid prænotatur, cum ad ea, quæ dictauerit, alium psallentem habuerit. Sepe autem & ipsius Dauid psalmi inscribuntur, & ipsi pariter ascribuntur, cum scilicet ille dictauerit, & alius ex cantoribus illi cecinerit.

ASTERII. Psalmus *in finem in hymnis* titulum habet, propterea quod cum uitam probè auspicatus est, tum gloriose finiuit, uel quod malè ob adulterium incepit, sed pœnitens cum dignitate uitam consummauerit. Iccircò principium in opprobrio, finis autem in hymnis dicitur.

EVSEBII. Psalmus, qui hunc præcessit, dictus est, cum Dauid fugeret à facie Absalon filii sui: Qui uerò præ manibus est, consequenter ab eo dictus esse uidetur, post uictoriam, quam de Absalon reportauit: Postquam hunc psalmum tanquam hymnum pro uictoria uictoriæ authori dedicauerit, quo docemur Dei beneficia in nos collata minime obliuioni mandare debere. Iure igitur in præcedenti psalmo dixit. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me in hoc uero: *In tribulatione dilatasti mihi*, Hæc autem intelligit de calamitate, qua persequente Absalon filio sustinuit, in qua constitutus, cum diuinam opem implorasset, Deum sibi propitium expertus est, ut cum propter populum, & arcam Dei anxius esset, ac in tribulatione positus, quiete, ac hilaritate dignus est factus, tum cessante bello, tum summa pace ipso, & eius populo perfruente. Vel alio sensu hæc dicit, post scelus in Vriæ uxorem patratum, cum eum & filii in uasio, & reliquæ omnes domesticæ calamitates excepere: propter hæc enim se ipsum excrucians, & confessioni, ac pœnitentiæ tradens, seque acriter pro patrato scelere plectens, & operibus iustitiæ, & omnis probitatis fructibus Deum placans, cum lætum promissionis nuntium habuisset, propter quam promissionem superiori psalmo prophetice dixit. Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, & reliqua in præcedenti sermone allata, consequenter per hec ait. *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ in tribulatione dilatasti mihi: miserere mei, & exaudi orationem meam,* Ac primum exauditus, & uoti compos non effertur animo, neque pigrescit, sed illicò de futuro sollicitus, iterum precatur, tum cæteros omnes hortando, ut Deum propitium habere curent, tum ipse supplicando, ut Dei misericordia non suis meritis exaudiatur. nam ut aliquis iustitiæ fructus illi adsit, non tamen in eo fidendum dixit, sed in misericordia, & in miserationibus Dei.

THEO-

THEODORETI. Pro eo, quod est *In Finem* Aquila & Theodotio, Victoriæ authori,
Symmachus, triumphalis interpretati sunt: Hoc autem uerbum, *in finem*, indicat ea, quæ præ
nunciātur, multa post secula uentura. prædicit enim in fine psalmi resurrectionem futuram
cum dicit. *In pace in idipsum dormiam & requiescam: Quoniam tu Domine in spe singulariter
constituisti me*. Verum secundum alios interpretes. Hymnus triumphalis uictoriæ authori, post
partam uictoriam de filio Absalon præsens psalmus à beato Dauid affertur. Videtur enim psal
mus is peracto illo prælio compositus, nam in proximè præcedenti psalmo dixit, Multi dicunt
Psal.3. animæ meę non est Salus ipsi in Deo eius, & in hoc ait: *Filii hominum usque quo graui corde, ut
quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium*: Et: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum
suum*. Erudit autem hoc in psalmo eos, qui impietatis morbo laborant, docens eos, qui Deum
rebus prouidere, & gubernare humana non putant, eum cunctis prospicere, & omnia admini
strare, ac in doctrinæ suę probationem, ac euidentiam singula percurrit.

HESYCHII. Simplex est psalmi huius præscriptio, nullam historiæ contextam seriem
habens, ut propter solam futurorum prædictionem factus esse uideatur. Continet autem mani
festam mysteriorum Christi reuelationem. In psalmis aut, canticum finem esse prænotauit,
quando cum iucunditate ēt animi angorem coniunctum habet: licet nonnullæ Hebræorum tra
ditiones, non *in finem* Sed uictoriæ authori, inscriptionem habeant: porrò & soli Christo hoc
ipsum conueniet, qui per sua sacra mysteria cōtra Dæmones uictoriæ author factus est, nam præ
ter alia significata huius nominis Dauid, illa etiam interpretātio exhibetur, ut fortem manum
significet, qui est Christus Deus: Huic igitur hymnus affertur pro sanctis inuictis, & immorta
libus eius mysteriis, per quę sancti seruantur. At canticum sub Ecclesiæ persona dicitur, quæ in
fine circa undecimam horam conducta mercedem perecptura conditori suo canere ac modula-
ri precando cæpit.

NICEPHORI. *In Finem* Quoniam uaticinatur de nonnullis, quæ postea perficienda
sunt.

ORIGENIS. *Cum inuocarem exaudiuit me Deus* Quę hic loquitur persona, uel prophe-
ta, uel Christus est ob humanam naturam, quam nostri causa suscepit. Manifestat hoc illud, quod
adhuc inuocantem exaudiat, Siquidem per Isaiam hoc uiris iustis annunciatur, Adhuc te lo-
quente, dicam, Ecce adsum. Verum enimuero dignum est uidere quid est inuocare, cum sint,
Is 65. qui scripturas non perscrutantes arbitrentur, non ad unum quendam, sed ad omnes orandi
Ioel.2. opus pertinere, cum apertissime declaret propheta, quod Sanctorum est, & eorum qui omnino
seruandi sunt, inuocationis munus. Omnis enim (ait) Quicunque inuocauerit nomen Domi
Rom.10. ni, is saluus erit. Si enim quisquis inuocauerit nomen Domini saluus erit, sine dubio qui seruan
dus non est, nomen Domini non inuocabit, licet hoc ipsum sæpius fecisse uisus fuerit. Si qui
dem inuocatio non in uoce sed in recto mentis affectu, & fidei firmitate posita est. Ita & in
Psal.98. psalmo nonagesimo octauo non cuilibet de populo Dominum passim inuocare tributum est.
Sed Samueli, qui tanti habitus est à Domino; ut ob eius uirtutis præstantiam cum Mosè dilecto
suo (ut ait Ieremias) coniungeretur. Neque si steterint Moses & Samuel coram me, & pro
Ier.15. impiis quibusdam orauerint, non est anima mea ad populum istum. De ipso enim scriptum est;
Moses, & Aaron in Sacerdotibus eius, Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Inuocabant
Dominum & ipse exaudiebat eos, quoniam custodiebant testimonia eius, & præcepta eius, quę
dedit illis: Domine Deus noster, tu exaudiebas eos. Et in psalmo centesimo quadragesimo
Psal.744. quarto, qui sint, qui exaudiantur, euidenter docemur. Propè est Dominus inuocantibus eum
in ueritate. Vt hinc arguat nonnullos reperiri, qui in ueritate non inuocent. Non enim om-
Math.7. nis, qui dicit, Domine Domine, intrabit in regnum cęlorum: Sed qui facit uoluntatem Patris
mei, qui in cęlis est. Sat est dicere Domine, quando opera ipsa dicunt, Domine, Domine. Hinc
ergò liquet eum, qui Dominum inuocat, iustitiam, & eam ueram habere. Si uerò Christus iu-
stitia est, iustitiæ, hoc est Christi, iustus est particeps. Ne uerò illud. *Iustitia mea* insolentiæ
nobis occasionem præbeat, eò uti tanquam singulari remedio possumus, qui factus est nobis
1.Cor.1. a Deo sapientia, & iustitia, atque redemptio: Et perinde erit, ac si diceres, Deus Domini mei.

THEDORETI. Iam (inquit) ex iis, quæ mihi grauia, & molesta contigere, addiscite
quomodo uniuersorum Deus rebus humanis prospiciat, & eos, qui pura mente illum inuocant,
celeriter exaudiat. Siquidem ego atque simul preces emisi, uoti compos factus sum. Illud ue-
ro *Iustitia mea* pro iusta mea petitione posuit: non enim Dauidicę modestiæ fuerat, ut de pro
pria iustitia, & uirtute testimonium periberet: Huiusce autem generis uerba illa sunt, quæ per
Isa.65. Isaiam dicuntur. Tūc inuocabis & ego te exaudiam, & te loquente adhuc, dicam; Ecce adsum.

CHRYSOSTOMI. *Cum inuocarem*, Non hęc ideo Propheta dicit, ut intelligamus solum eum exauditum fuisse, uerum ut moneamur ipsi quoque, quomodo Deum inuocantes poterimus celeriter exaudiri, & ante finem orationis uoti compotes fieri: non enim dixit, postquã ego inuocaui, exaudiuit me: Sed *cum inuocarem*. Quin imo & ipsius Dei promissio est hęc, qui alias dicit ad eum, qui se inuocat. Adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum: Non.n.uerborũ multitudo Deum persuadere solet, sed animus purus, & honestarum rerum specimen: Isa.65. Vide.n.quid dicat improbis & nefariis, qui tamen sperant uerborum prolixitate ipsum placare. Quando Isa.1. multiplicabitis orationem non exaudiam uos: Si manus extenderitis auertam oculos meos á uobis. Ante omnia ergò precantem oportet fiduciam habere, & planè omnia, quæ petierit, consequetur. Et propterea non dixit Propheta, exaudiuit me: Sed *Iustitia mea*, documentum prębens suæ in Deum fiduciæ, & quod cum ea prorsus ad eum accedit. Tu uero iustitiam hoc in loco nolim putes uirtutis partem, sed integram & uniuersam & absolutam: Sic & Iob iustus erat ut omnem humanam uirtutem possidens non ab hoc quidem uitio se se cohiberet, illud uerò retineret.

ASTERII. Cum iustitiam dixit pœnitentiam eum intellexisse nonnulli affirmant. Quoniam ubi abundauit iniquitas, superabundauit gratia: Vel eò tendit quomodo Absalon superasset. Roma.8. Quoniam quemadmodum illud Deus, cum aduersus se deliquisset, excitauit, ita pœnitentiam agenti uictoriam contra illum concessit. Sed cur Dauid auxilium implorans exauditus est? Quoniam reprehensus à Natam illicò rediit ad cor. Iccirco in ipso orandi officio exauditus est: nam qui in omnibus Dei uoluntatem facit, ab eo exauditur.

HESYCHII. Non dixit: Deus orationis meę, Sed *Iustitia mea*, ut scias iustitiam, & mores precantiũ precationem facere, & opera supplicantium pro uerbis orationis haberi: Quare dum preces effunduntur ipso temporis articulo Deus annuere & exaudire dicitur. At quomodo, cum semel exauditus sit (hoc enim dabet narratio psalmi,) rursus exaudiri petit? An quia non semel, sed assiduò Christum orare opus habemus, non enim eius in nos simul omnia dona proficiscuntur, ne uæcordiæ aut inertię dedamus nos, sed ea sigillatim ac ordine quodam accipimus.

NICEPHORI. *Deus iustitia mea*. Deus qui me iustificat. Quemadmodum, Deus salutis meę, id est, Deus qui me saluum facit. Psal.17.37 50.87.

In tribulatione dilatasti mihi, miserere mei, & exaudi orationem meam.

ORIGENIS. Solet diuina scriptura circumuentiones malorum, & quęcunque iustis uiris aduersa ueniunt, licet ad eorum exercitium inferantur, tribulationes appellare: In peccatoribus uerò quod illius generis accidit, flagellum uocat: Nam multæ tribulationes (inquit) Psal.33. iustorum: Et ex omnibus illis liberabit eos Dominus. Alibi uerò, Multa flagella peccatoris: Psal.31. quẽadmodum tribulationes appellabimus, quas pertulit Iob. & Ioseph in Aegipto: ita quę propter adulterium, & populi censum perpessus est Dauid, flagella fuisse dicimus. Cæterum ne quid in scripturis nos lateat, obseruandum est, tribulationem quoque peccatoribus, & mox futuris iustis flagellum irrogari. Quod uerò tentatio, quę sanctis uiris in mundi stadio decertantibus immittitur tribulationis nomine uocetur, ex multis præter ea, quæ diximus dictis, ut credamus, adducimur: Non enim mirum est, si flagellum delinquentes filios (ut ait Solomon) corripit, Pro.13.24 Flagellat enim omnem filium, quem suscipit: Filiorum enim proprium est flagello uapulare. Quare in psalmo octuagesimooctauo dicitur. Si dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint. Visitabo in uirga iniquitates eorum (eorum scilicet, quos suprà memorauimus.) & in flagello iniustitiam eorum. Est prætèrea, quod animaduertas, quod affligi & tribulari non est in nobis: Sed querulos esse, ac excruciari, maleque ac morosè pręterea se habere (quod angi, uel angustiari scriptura dicit) in nobis est: Verum non solum illis non cedere, sed in ipsis lætari (ut potè quæ maiora præmia consequendi occasionem pariant,) sanctorum uirorum munus est. Iuxta Paulum dicentem: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Et dum carperet 1.Cor.4. Corinthios, quod angerentur, & in angustias se redigerent, sic dicit. Non autem an- 2.Cor.6. gusti sitis in uisceribus uestris: Mox eos per statum sanitatis exhortans dicit. Dilatamini & uos. Ita igitur Propheta Deo gratias agit, quod in circumuentionibus tribulationum sibi auxilium attulerit, & latitudinem sibi lubens impertiuerit.

DIDYMI. Dilatat in malis Deus non mala, nec malos, & iniurios coercens, & desistere à uexatione faciens, sed tolerantiam ac magnanimitatem præstans. Hoc.n.modo iustos eripit ex

Psal.33. omnibus tribulationibus: Et in hunc sensum intelligere oportet illud: Multę tribulationes iustorum, & ex omnibus iis liberabit eos. Interdum uerò etiam ab afflictionibus omnino liberat eum, qui ad omnes casus magno & forti animo subsistit: Ita Ioseph, atque adeo Prophetam ipsum, de quo ista proposita sunt, penitus liberauit.

THEODORETI. Solet uniuersorum Dominus permittere, ut sanctis suis aduersa & molesta eueniant, sed postquam bene exerciti & probati fuerint, suos promulgat athletas, atque in ipsis etiam tentationibus omnem iucunditatem afferre solet. Quod magnus Dauid ostendit asserens, quod in ipsis tribulationibus diuinam opem experiri, atque animi solatio frui sibi licuerit.
1. Cor. 12. Hoc idem & beato Paulo ab uniuersorum Deo dictum est; Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus in infirmitate perficitur.

ATHANASII. Non modo me (inquit) ex circundantibus malis exemisti, sed in latissimo campo me posuisti.

HESYCHII. Nam tribulatio patientiam operatur: Deinde lata planities afflictis paratur,
Roma.5. quod uere & Paulus dicit. Patientia probationē operatur, probationē spes, spes aūt non cōfundit.

CHRYSOSTOMI. *In tribulatione dilatasti mihi*; Non dixit abegisti tribulationes, neque tentationes sustulisti. Sed stare quidem permisisti, & dilatasti mihi: Nam uel ex hoc quanta sit Dei solertia, quamquam facilis liberandi facultas ostenditur, non in eo tantum, quod non inducat tribulationes, sed etiam in eo, quod illis manentibus ingentem tolerantiam præbeat. Hoc & Dei uirtutem ostendit, & eos, qui in eas incidunt, prudentiores & sapientiæ magis studiosos facit, quando affuerit latitudo, quæ afflictam animam consolatur, & afflictio non dissoluitur, quę & segnem stimulat, & ab omni negligentia liberat.

NICEPHORI. *Dilatasti mihi*, Contraxerat enim tribulatio, & in angustias me compulerat, Tu uerò in spatiosum campum deduxisti me animi magnitudinem mihi præstans.

THEODORETI. *Miserere mei & exaudi orationem meam*, Iustus nunquam precandi satietate tenetur, quin obsecrans & benignitatem sentiens & precum fructus uindemians preces non intermittit, ut qui bene agnoscat quantam ex assiduis precibus utilitatem sit percepturus.

GREGORII. Quanquam dicit se exauditum à Deo, dum adhuc oraret, non tamen propterea superbit, sed in futurum habere propitium numem petit, obsecrans ex misericordia non ex debito exaudiri: non enim quicquam audet, licet illi aliquis iustitiæ fructus adsit: Nam hominis iustitia si cum Dei iustitia comparetur, longe inferior erit.
Isa.2. Quoniam oculi Domini sublimes sunt, & homo (ut inquit Isaias) abiectus & humilis est.

ATHANASII. Quoniam dixerat ex sua iustitia se exauditum, propterea confugit ad misericordiam.

CHRYSOSTOMI. *Miserere mei*, Si iustitiam habeo (dicet aliquis) quid opus est, ut orem? Satis enim ea est ad omnia rectè gerenda: Et qui daturus est nouit, quid opus est nobis? Respondetur ad hoc: orationem non paruum esse uinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos assuefacit, & nos ad sapientiæ studium deducet.

» *Filij hominum usque quò graui corde, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium?*

ORIGENIS. *Filij hominum*, Per circumscriptionem dictum hoc nonnulli arbitrantur,
Hom. quemadmodum apud Græcos: Filiæ Achiuorum: & cuiusmodi multa sunt in scripturis, ut illud:
Iob.14. Homo natus de muliere: & illud: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Et
Matth.11. hæ quidem dictiones homines significant. Alii uerò à Saluatore ipso incipientes, qui plerunque filius hominis appellatur, causam sibi quærendam statuunt de hominibus quoque modò simpliciter etiam nominatis, qui sæpenumero filii hominum appellantur, nunquid de Seruato-
Ioan.5. re Periphrasis esse possit, cum is filius hominis nominetur. Siquidem dictum est, dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Hoc igitur in uniuersum scire oportet, quod hominis appellatio addita, cum sancti uiri nominātur Dii, in uituperium, & malam partem sumitur. Cum uero peccatores feræ, & pecora dicuntur, deputatur in laudem: Prioris in-
Psal.81. telligentiæ exemplum est. Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes: Vos autem sicut homines
1.Cor.3. moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis: & illud. Vbi in uobis zelus & contentio est,
Psal.35. nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Posterioris uerò: Homines, & pecora. Seruabis Domine. Ceterum filium hominis definitam personam (quatenus modo memoria teneo,) Danielem primum, & post hunc Ezechielem Prophetam, cum essent in captiuitate à Deo nuncupatos inuenimus: neminem uerò ante captiuitatem, quatenus memoriæ traditū est probatissimis libris, qui sine controuersia diuinitus traditi circumferuntur, hac appellatione nuncupatum inuenimus. At quid de Seruatore dicendum est, cum Euangelia huiusmodi

huiusmodi uoce plena sint? Quoniam qui erant in captiuitate peccatis et detinebantur, arbitramur Danielem solum, quod seruaret excellentiam, & dignitatem naturæ hominis, qui ad imagi- Ezech. 13. Isa. 17. nem Dei conditus est, ad eorum infamiam filium hominis dictum fuisse. Hoc ipsum de Ezechiele dicendum est. Homo enim qui primus ad imaginem, & similitudinem suam à Deo fa- Gen. 1. ctus est, hac appellatione nominatus est. & hic propriè homo esse poterit. In Saluatore præterea considerandum est an humanitas eius filius hominis dicatur, patre homine existēte unà cū humanitate imaginis Dei inuisibilis. At illud, quod dictum est: Quique terrigenæ, & fi- Psal. 48. lii hominum, excellentiam filiorum hominum præ terrenis manifestat. Quod autem ad uerbum attinet, quoniam arguuntur illi, quibus dicitur *Vsque quo graui corde*, & quod sequitur, non rectè opinantur altercationes de filiis hominum afferri, nisi forte dupliciter hominem accipere oporteat. Quemadmodum accepit Apostolus dicens. Primus homo de terra terrenus, 1. Cor. 15. secundus homo de cœlo cœlestis, qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis tales & cœlestes. Rursus uerò & sic. Quoniam præcipitur filiis hominum ut cognoscant, quod Deus mirificauit Sanctum suum, dubitabitur quomodo fili hominum per id, quod deterius est, operibus sanctissimis insistere iubeantur: nam cognoscere, quod Deus mirificauit sanctum suum, uirorum sanctissimorum munus est. At hoc soluere per quam facile possumus: nam qui deterior est, filius quidem hominis iuxta hominem terrenum est, at cum se mutauerit ab eo, quod est, fiet ut in filium hominis secundum cœlestem hominem euadat. Huiusmodi filii hominum posteriore acceptione, siue qui sunt filii terreni, qui de terra est, & graui corde iure stultitiam diligere, & quærere mendacium dici possunt. Intellectus enim carnis in ipsis est, & corporeus amor, & mendacii, quod ueritati contrarium est, indagatio. Graui enim eorde sunt, qui ad plumbeum talentum sedentes iniquitatem in corde retinent, uel si quis ad infima quæque dilatus in uehementibus aquis fluctuum uitæ huius cum Aegyptiis tanquam plumbum se demergat. Contrarii sunt iis, qui suaue IESV Christi iugum subiere: Dicuntur quoque, graui corde, illi forsitan, qui probè eruditi cum sint, non tamen digni sunt præceptoribus suis. Hi tanquam fili hominum graui corde obiurgari possunt, qui oblatas sibi ad cor emundandum occasiones minime sequuti sunt. Mos enim inoleuit, ut qui instituuntur, & præcepta sibi tradita intelligentia non assequuntur, ob cordis crassitiem à præceptoribus graui corde discipuli nuncupentur. Immo cum sint hostes ueritatis Christi, mendacium quærunt, qualis est omnis sermo mendax, qui ueritatem profitetur. quem sæpe Ioannes nominat Antichristum. 1. Ioan. 2. Quod si ex periphrasi homines describit, ut filios hominum homines intelligat, ex maiori parte sios graui corde nominat, & cordis stupiditatem, quæ plerunque homines inuadit, criminose carpit ut grauedini ipsius, ac surditati (sic dicam) uale dicentes, prudentiam assequantur & abiicientes uim illam, atque solertiam, quam animus rebus minime necessariis, & iis quæ falsa sunt peruestigando adhibet, ad ea quæ necessaria sunt, sese conferant, & ueritatem inquirant.

HYPATII. Graui corde sunt increduli, ut qui nolint ad Deum respicere, neque diuinas dispensationes considerare.

EVSEBII. Qui obtusiori ingenio sunt, & ad Dei uerbum percipiendum segnes, & tardi, hos graui corde, & stupidos nominauit: aut eos ita uocauit, qui malis cogitationibus grauescentē conscientiā habent. Hos uero sermone percellens, inquit, Quo usque in peccatis uestris delitescitis? cum præstet ad pœnitentiam, & tam Deo gratam confessionem festinare? Verum si ad historiam spectemus, uidetur hęc Dauid in eos dicere, qui in tentationibus, & afflictionibus commouentur, & perturbantur & quid uis potius agunt, quam ad diuinum auxilium implorandum, atque adeo ad Deum confugere: Quid enim (ait) opus est perturbari, & confundi in aduersis temporibus? Quid ô stupidi & graui corde oportet uanitati se committere? Cur ueritatem deserentes mendacium sequimini? Quin potius hinc discite, quod Deus & Dominus est qui omnium inspector, & prospector est, qui nunquam sanctum quemlibet dereliquit: Qui si in ipso sancto suo miranda ostendit, studet & uos sanctos fieri, probè & euidenter scientes, quod & uos sicut me exaudiet cum clamaueritis ad ipsum. Exaudiente autem uos Domino, nihil erit de quo solliciti, & anxii sitis, nihil curarum supererit, cum securitatem ab eius auxilio habueritis. Cæterum ex Aquilæ, & Symmachi sententia diuini uerbi gloria filii hominum esse possunt: Siquidem Aquila, usque quo probati mei, tradidit. Symmachus uerò usquequò gloria mea: propter animam intelligentiæ & rationis participem, quæ in ipsis ad imaginem Dei facta est, qui cum in deteriorem partem conuersi sint, graui corde & stupidi & filii hominum in opprobrium uocantur, cum

filios Dei esse licuisset: iuxta illud: Ego dixi, Dii estis & filii excelsi omnes.

THEODORETI. Ex iis, quę mihi contigerunt, discite ô homines Deum uniuersorum humanarum rerum curam habere, atque sollicite ad eum accedentibus manu sua petita pręber e, & inanes cogitationes & actiones uestras abiicite.

ATHANASII. Dicta sunt hæc tanquam in eos, qui multitudine iustū opprimere, ac per dere sibi persuadeant: ipsa (inquit) spes uana, irrita, & mendax est.

HESYCHII. Potest hoc ferri in omnes, qui in mundanis uoluptatibus oblectantur, & mendacia diligunt. hoc est mundi illecebras, non ueram uoluptatem concupiscunt. Vel potius hæc dicta censebis in filios Iudæorum, qui ob perfidiam, & incredulitatem graues corde, & obdurati sunt, & pertinaces facti sunt, ita ut incircuncisi corde à Deo per Prophetas nominentur. qui uanitatem, & mendacium dilexerint, omnia unigeniti miracula calumniantes.

Hier.9. Ezech.4. & Act.7.

CHRYSOSTOMI. *Filij hominum usquequo graui corde*, Ad quos nam dirigit orationem? Quos increpat? Quibus addit consilium? Quos nam uocat filios hominum? Eos nimirum qui improbe uiuunt, qui in uitium facile delabuntur. Quid ergo, Nos enim non filii hominum? Natura sanè filii hominum, Gratia uero non item, sed filii Dei. Si ergò etiam eius imaginem, quæ est ex uirtute conseruauerimus, integrum & incontaminatum erit donum: Nam eos, qui per gratiam, & per uitæ institutionem Dei filii facti sunt, huiusmodi imaginem oportet exprimere.

ET INFRA. Considerato Prophetæ prudentiam: Cum prius ostendisset Dei uirtutem, facultatem, solertiam, benignitatem, & clementiam, quod in tribulatione dilatat, quod miseratus annuit, deinde mente agitans effusum in hominibus uitium, & tyrannidem impietatis, tanquam mœrore animi coactus, ad eos, qui in sceleribus, & flagitiis uitam ducunt sermonem conuertit, tantum non dicens. Cum talem habeatis Deum adeo benignum, adeo clementem, adeo potentem, quomodo declinastis ad impietatem? Et considera exhortationem, quanta lenitate, quanto studio sapientiæ etiam cum ira plena sit: Quid enim dicit? *Filij hominum usquequo graui corde?* Hæc sunt eius, qui etiam à temporis diuturnitate uehementer inuehitur: Nam si à principio Dei beneficentiam non considerasse scelus est, quomodo ueniam consequentur, qui in ueritate tam diu hallucinantur? Quid uerò est illud, *graui corde?* crasso corde, carnales, terræ affixi, uitium sectantes, improbitatem exercentes, libidine, ac uoluptate corrupti, & marcescentes. Huiusmodi enim est carnalis homo: Et percellens eorum mores, ac uitam impietatis fontem indicat, significans hoc eis esse maximo impedimento, quo minus ad sublimem doctrinam euehantur. nihil enim eor æque graue facit, ac libido & affectus rerum, quę ad uitam pertinent, & terrenis affixio. *Vt qui diligitis uanitatem, & quaeritis mendacium?* Hic & Idololatriam, & flagitiosam uitam uidetur exprimere. Vanum enim dicitur illud, quod est inane cum nomen qui dem fuerit, res non fuerit: Sic apud gentiles multa quidem Deorum nomina, res uerò nequaquam: Nec minus in humanis rebus nomen est diuitiarum, res nullo modo, nomen principatus, & remanet nudum, & exile nomen. Quis ergo adeo uecors est, ut nomina quærat, quæ rebus destituuntur? & inania persequatur, quæ fugere oporteat?

NICEPHORI. *Filij hominum*, Diapsalma hunc uersum excipit: uimque iis quę superius dicta sunt, magnam affert. *Filij hominum*, Per circumscriptionem pro ô homines positum est. Graui autem corde appellat animas præ grauedine ad terram inclinantes. *Vanitatem*, Vanum est quod subsistere non potest, cuius nomen est, res minime: Huiusmodi est ipsa nequitia, & omne studium circa terrena.

" *Scitote quoniam Dominus mirificauit sanctum suum, Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.*

ORIGENIS. Instruit nos hoc loco Propheta de Christo, qui uerè sanctus est, iuxta dictum in decimoquinto Psalmo, & Apostoli attestati sunt, tanquam de Christo prænunciāt dicentes illud afferri, Non derelinquens animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. fieri etiam potest, ut de quolibet sancto nos moneat. Non est autem idem credere, & cognoscere, quod Deus mirificauit sanctum suum: quemadmodum non idem est ueritati credere, & ueritatem cognoscere, & credere Deo, & Deum cognoscere. Apostoli sanè ueritati credebant, nec tamen cum crederent ueritatem protinus agnouerunt. Huius rei documentum præbet Euangelium: ubi dicit. Si manseritis in sermone meo uerè discipuli mei eritis, & ueritatem cognoscetis, & ueritas liberabit uos: Credentibus enim ueritati, cognoscetis (inquit) ueritatem. nam secundum Prophetas credere oportet, priusquam intelligere: Et Dauid: Credidi, propter quod loquutus sum.

Psal.15. Act.13. Ioan.8. Isa.6.

Quod

Quod uero sit discrimen inter cognoscere Deum, & credere Deo, in Psalmis scriptum est Psal.125. per ea uerba: Vacate, & uidete, quod ego sum Deus. Non enim credentibus dictum est, Va- Psal.15. cate, & uidete, quod ego sum Deus. Quoniam uero nos sermo ad cognitionem hortatur, subiicit etiam cuiusnam rei cognitionem suscipere nos oporteat, Quod scilicet Sancti à Deo ad secreta mysteria & sancta speculamina promoti & ipsi per Christi gratiam, & curam admirabiles facti sunt.

ATHANASII. *Scitote*. hoc est, cognoscite, qui in multitudine confiditis, quod Christus Deus noster, admirabilem illum ostendit, qui confidit in eum.

DIDYMI. Admirationi sanctus est, qui magno animo afflictiones humanis uiribus impares perfert, & qui Deum propitium in ipso inuocationis momento habere dignoscitur: Quod ignorat obduratus, & graui corde. Hoc est qui uoluptatem habet cum nequitia coniunctam. Vel de Christo Iudæis dictum est sermo, qui præ duritia cordis illum nō Dei, sed hominis filium dixere, qui mirificus fuit in tot signis, ac præsertim in resurrectione à mortuis, quem noscere potuissent si cordis duritiam deposuissent, & quæ de ipso dicebantur, diligenter, ac piè quæsissent.

THEODORETI. *Scitote quoniam*, Non enim solum ab ingruentibus calamitatibus & malis me liberauit, sed illustrem & conspicuum uictoria reddidit. (Hoc enim dicit illud *Mirificauit*) & continenter pergit meas preces admittere. Sanctum hic rursus pro innocente posuit, & qui lacessitus ab hostibus nullam rependit iniuriam. Graui corde autem meritò infideles uocat, ut potè, qui oculos ad Deum conuertere abnuant, & diuinas iustificationes negligāt, instar eorum, qui per temulentiam uaporibus cerebrum petentibus, & caput grauantibus oculos claudere coguntur, & eos aperire nequeunt.

HESYCHII. *Mirificauit sanctum suum*, Christum intelligit; quem Pater ob gentium fidem per omnem terram admirabilem fecit. Hebræorum uero uanitatem, & mendacium traduxit.

ORIGENIS. *Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum*, Ingens profectò est clamor & magna illa uox, quæ ad Deum usque conscendit: non qualis apud homines inuenitur, quæ ad pulsum aeris paulo maiorem exprimitur. Sed simplex quidam ac sincerus internorum uerborum mentis excursus, quæ ad Deum usque pertingunt: Namque sciendum est esse quandam in intimis præcordiis hominis uocem, quæ non simul cum corpore ortum habet: cum quis cubiculum suum ingressus, & in se collectus, secluso foras corpore portas occludit, clamans ad eum, qui solus huiusmodi uoces audire solet. Quapropter factum est, ut & si non legamus Mosen hanc perceptibilem auribus uocem emisisse, ei tamen à Deo dicitur in Exodo: Quod clamas ad me? Parua & exilis est uox omnis, & postulatio, quæ de terrenis & fluxis rebus emittitur. Hanc Saluator ad Patrem proferendam negat, cum ait, Quærite ergò primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Exod.14. Matth.6.

ATHANASII. *Exaudiet*, Pro exaudiuit. Tempus enim pro tempore positum est.

CHRYSOSTOMI. *Et scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum*, Alius interpres dicit. Sed scitote, quoniam fecit admirabilem. Vidisti Prophetę sapientiam: Vnde nam eos adducit ad cognitionem Dei. certè à quadam parte manifestissima, & moribus magis cognitis: nam se ipsum in medium adducit. Ego (inquit) seruus Dei mei sum. A me igitur disce eius potentiam, uirtutem, & prouidentiam. *Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum*, Postquam dixit, quod Deus eum admirabilem fecit: non consistit in his, sed aliud quoque genus felicitatis affert: Quod nam illud? Deum habere perpetuum adiutorem & auxiliatorem, & ubique præsentem: non enim hoc semel facit, & bis & ter: Sed perpetuo (inquit) si ipsum inuocemus.

NICEPHORI. *Et scitote*, illud. & uacat: Admirabilem me fecit Dominus, me sanctificatum, & adiectum ipsi, hoc est in eo solo spem collocantem.

Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini.

ORIGENIS. *Irascimini*, Vox hęc imperandi uerbum esse uidetur, uelut cum imperando dicimus irascimini, irascantur. Significat item id, quod nonnulli enuncians indicatiuum appellant, ut. irascimur, irascimini, irascuntur. Rursus nomē iræ, a quo irasci deductū est animi consiliū, & præsumptā deliberationē significat, & affectionē illā acceptas iniurias ulciscēdi libidinē esse definiunt. Est præterea ira, quę nos improuiso, & imprēmeditatos offendit, & incōsultis irrepit, cū lacessiti & iniuriis prouocati, cōcitamur: Hāc aliqui primā cōmotionē uocāt. Qd si in hunc sensū accipimus προπάθεια uerbum

uerbum illud, *irascimini*, quoniam nulla precedit cogitatio, nullum peccatum est. Quod.n. non ex electione fit, peccatum non est: Siquidem peccatum omne ex proposito suscipitur, & cum honestate pugnat. Sic ergo illud *irascimini* non imperat, quomodo enim imperare possumus, quod ab electione non prouenit? Sed indicandi modus est, quod nobis nihil minus cogitantibus accidit. At bene moneo, ne aliquid de uestro addatis. & quod à cogitationibus uestris manat, non apponatis: & quod non uituperandum accedit, nihil sequatur, quod uituperandum sit: quod innuit illud: *Et nolite peccare*, Sermo igitur hic innuit esse iram quandam peccati immunem: & non eam, quę a nobis orta nos urget. & male alios afficit. Huic intelligentiæ, ac diffinitioni Aquila cum uellet ex Hebraico germanum sensum elicere, testimonium affert. Quod enim præter animi sententiam suscipitur quod à nonnullis preaffectionem appella-

προπάθεια ri diximus, turbationem & concussionem animi esse arbitratur: Ait enim: Turbamini: non peccate. Quod quidem, Turbamini, non est imperantis modo allatum. Absurdum enim est, & a doctrina Prophetę alienum, & sequentibus non quadrat, ut præcipiat hoc loco: dicet enim: *Nolite peccare*, Vnde indicandi modo præfertur: perinde ac si diceret. Et si absque electione irasci nobis contigerit, (quod non est peccatum) non peccate in non peccato peccantes.

CHRYSOSTOMI. *Irascimini*, Est sanè quod passim uideas flagitiosam, & corruptam uitam ad doctrinę perfectionem maximo esse impedimento: nam quemadmodum leue quid ac pusillum perspicaci oculorum pupillę insidens, id quod illustrat, obscurat, & obtenebrat, ita quoque in ratione accidit, quam uitium occupauerit. Quocirca cum id etiam nosceret Propheta dicit, *Irascimini, & nolite peccare*. Non enim prohibet iram, quippe utilis est, nec exscindit excandescentiam, (prodest enim aduersus eos, qui iniuriam afferunt, & negligentes sunt) sed eam excandescentiam tollit, quæ iniustè excitatur, quæ effrenis cum sit, nulla ratione ducitur. Et infra. Ille est, qui temere irascitur, qui de iniuriis acceptis uindictam sumit, & se ulciscitur. Qui uero aliena corrigit, is est omnium mansuetissimus: Nam Deus quoque cum dicitur irasci, non se ipsum uindicans irascitur, sed nos corrigit, ipsum igitur imitemur & nos: ita enim se gerere diuinum est, aliter uero humanum.

THEODORETI. *Irascimini*, Hic interpungendum est. & sic quæ sequuntur, legenda sunt. *& nolite peccare*. Indignamini (inquit) & ægrefertis, uidentes eos lætari, qui in uos insurrexerunt. Verum nolite malum malo addere tentantes aliis persuadere cuncta fieri temerè ac inordinate: quin potius contraria his facienda sunt, uidelicet, ut homines peccatorum, quę interdiu committunt, a se ipsis nocte pœnas exigant, cum nocturnum tempus ab externis turbationibus liberū sit, & ad cogitandum ualde accōmodatū & quietum, merito inquirere ea & examinare præcipit, quæ in die cogitata, uel patrata sunt, & cōpunctionis remedio ulcera curare iubet.

HESYCHII. *Irascimini*, Aut in uoluptates (inquit) aut in absurda, & turpia facta iram exercete: Nam ira hęc peccati inhibitio est: uel quod minus est, tanquam imbecillioribus annuit cum id, quod maius est prohibere uelit. Et hoc modo huius pręcepti rationem intelliges:

Eph.4. Etiam si irascamini, nolite peccare: Sed iram in se ipsam conterite. Sol enim (ait) non accidat super iracundiam uestram.

EVSEBII. *Irascimini*, Consulit arcendam esse irę perturbationem, si forte fiat, ut ad iram prouocemur: hortamur ne ad opus concitemur. Non ab re autem hęc dicit. Sed cum aduersus Absalon cum ira & indignatione pugnaturi in bellum illi procederent, qui unà cum Dauid (ut par erat) indignabantur, tam nefarium filii contra patrem incursum, huius rei gratia uidetur Propheta huiusmodi uerba illis inculcare. Vos quidē cōmilitones mei, & honorati mei, cum nonnulli uestrum filii hominum & graui corde sint, & uitæ huius mortalis insania capiantur, iusta Dei iudicia, contra impios, illiusque contra impium filium indignationem ignorantes, & iuste commoti & indignatione irati ad bellum concitamini, Ego uos hortor, etiam si ira uestra ratione non careat, quod non decet nostræ nos in ferendis calamitatibus tolerantiæ obliuisci, neque amplius incendi, ut in peccata prolabamur. Quare dico. *Irascimini, & nolite peccare*, Et licet (secundum Aquilam) perturbamini ob scelera, quæ Absalon in patrem commisit, cauete tamen ne in ira permanentes, alia quoque ad priora peccata adiiciatis.

2.Reg.13. Cæterum & in historia plura quoque huiuscemodi inuenire poteris, quæ hortentur, ut filio parcatur.

Eph.4. DIDYMI. *Irascimini*, Hanc dictionem cum Diuus Paulus usurpasset, eidem alia subinde intulit. Sol non occidat super iracundiam uestram: nolite locum dare Diabolo. Qui hanc adhortationem Apostolicam admittit, non peccat. Quare & hic adducitur. Quę (inquit) *dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini*, ut à somno surgentes, nihil agatis,

aut

aut dicatis eorum, quæ in corde præ ira concepta sunt.

NICEPHORI. *Irascimini* Ira est appetitus nocendi: Inquit enim: licet irascamini, non tamen peccate, & ad opus nocendi deuenite. Sed quæ in animis uestris male cogitatis, hæc decubitus & quietis tempore mordete: hoc est, plectite, Stimulate cor, indolescatis, propterea quod ita perperam cogitastis, & pœnitentia resipiscite.

ORIGENIS. *Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini* Docet cubitum euntes rationem à se ipsis repetere de perpetratis malis, & animam suam iustis uellere increpationibus, & eorum, quæ interdiu egeant, & in quibus ab officio discesserint, se met ipsos improbare, arguere, uerbis stimulare: nam si hoc accuratè ac sedulò fiat, nos in eo statu collocabit, ut ab honestis nunquam abduci, aut delabi possimus. Quæ dicitis (inquit) ea uos compungant, quo tempore ad dormiendum decumbitis. A parte autem omnia peccata significat. Pars est, quæ uerbis tantum constat: Nam de iis etiam, quæ in actione consistunt, sermo intelligitur. Illud uero *compungimini* quamquam apud eruditos scriptores Græcos non inueniatur, neque in usu sit apud eos, qui Græca uoce utuntur, propriè tamen in usum uenit, cum eam uocem usurpant in iis, qui delictorum, uel rei alicuius causa mordentur: quem admodum in libro regum de Acab rege Israel scriptura narrans, quo pacto reprehensus ab Helia propheta, 3.Reg.21.
quod agrum Haboth Iezrahelitæ concupiisset, pœnitentiam agat, hæc dicit. Veruntamen non fuit alter sicut Acab, qui sic uenundatus est, ut faceret quod iniquum est in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel uxor eius, & abominabilis factus est, ita ut sequeretur Idola, quę fecerât Ammorrhæi, quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel. Et ob sermonem Heliæ sic compunctus est Acab, ut à facie Domini lugens abscesserit, & scisis uestimentis suis se sacco præcinxerit, & ieiunauerit quo die percussit Naboth Iezrahelitam, & ambulauit demisso capite, & factum est uerbum Domini in manu Helię serui sui de Acab: Num uidisti, quod Acab compunctus est coram me? non inducam malum in diebus eius. Et in quinquagesimo nono psalmo. Ostendisti (inquit) populo tuo dura, potasti nos uino compunctionis: Psal.59.
Et dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Fatetur enim propheta potatum se uino compunctionis: Et quoniam propter uerba, quibus arguebatur, compunctione ictus est, iccirco fatetur se accepisse una cum metuentibus eam diuinam significationem, ut sagittas fugeret, quæ ab arcu Dei contra impios, & persistentes in peccatis, nec pœnitentiam agentes immittebantur. Et in Genesi scriptum est: Dixit autem Esau patri suo: Num una Gen.27.
tantum tibi est Pater, benedictio? Benedic etiam mihi pater, compuncto Isaac, inclamauit uoce Esau, & fleuit. Cœterum prò, *compungimini* Aquila, & Theodotio, Tacete, reddiderunt, quod Symmachus magis apertam uerborum notionem proferens, quiescite, interpretatus est. Hoc autem significare uidetur *in cubilibus uestris,* hoc est, secretò intra uos cogitate, scilicet quæ à uobis per diem commissa sunt crimina ac circa uos intenti quiescite.

ATHANASII. *Quæ dicitis in cordibus uestris,* Internas cogitationes uestras in nocte condemnetis: Est enim compunctio sensus quidam tanquam animæ stimulus, & aculeus: in nocte autem consilia purgatiora sunt.

CHRYSOSTOMI. quid est, quod dictum est? Videtur enim obscurum esse. post cœnam (inquit) quando itis dormitum, quando estis decubituri, & nullo præsente multa quies, & silentium, & nemine interturbante profunda tranquillitas est, excitate iudicium conscientiæ ab ipso rationem exigite, & quæ inter diu mala consilia cœpistis, uel dolos struentes, uel proximos circumuenientes, uel in prauas cupiditates incidentes, cum ea tempore illius quietis in medium adduxeritis, & prauis illis cogitationibus conscientiam iudicem dederitis, eas conficite, dilaniate, de eis pœnas sumite, occidite cogitationem, quæ peccauit. Sed cur non dixit, uerborum & factorum, sed malarum cogitationum pœnas exigite? nimirum ex abundantia: nam si mala consilia castiganda sunt, & comprimenda ne ad opus exeant, multo magis pro factis, & dictis angi animo oportebit.

Sacrificate Sacrificium iustitię, & sperate in Domino, multi dicunt, quis ostendet nobis bona. "

EVSEBII. Et si quatenus mortales homines multa interdiu cogitatis, in cubilibus tamen quiete apud uos agentes nobiscum compungimini iniqua dici facta animo uolutantes: Nō ait igitur, irascimini aduersus eos, qui uos infestant, neque contra filium in patrem insultantem, neque uos peccate, licet alii sæuientes, & impii uos ad iracundiæ facta & peccata prouocent, quin potius pro iis, (si modo securitas uobis est cordi), *Sacrificate sacrificium iustitia & sperate in Domino,* neque amplius commoueamini, & perturbemini, quando cum ipso Domino per iustitiam coniuncti estis: nam Dominus præ omni hostia, & sacrificio iustis & recte

factis

factis delectatur, & hoc agere longè melius est, quàm uelle se peccatis obstringere. Quare & ego ipse cum filius irrueret in me hoc solum studio, & cura contendi, ut Deũ mihi per iustitiã cõciliarem, Quare, cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitię meæ, & in tribulationem me dilatauit, Quoniam sacrificans illi sacrificium iustitiæ in ipsum speraui.

Chrysostomi. Vides ne optimi consilii consequutionem? Vides perfectam admonitionem? Nam ubi propter peccata quemlibet pupugit, & ad ea rursus perpetranda tardiores reddidit, & irreuocabile iudicium constituit, actæque uitę rationem exegit, ad uirtutem & officii rationem demum adducit: non enim sat est à malis abstinere, sed opus est ad honestas actiones & uirtutes accedere. Quid est autem, *Sacrificate Sacrificium iustitiæ*? Sequimini iustitiam, offerte iustitiam: Hoc est maximum donum, quod Deo offerimus, hoc est sacrificium acceptum, hæc oblatio grata est non oues, & uitulos sacrificare, sed quæ iusta sunt facere. Vides Ecclesiæ rationem in uita instituenda multis retrò seculis ante fuisse descriptam, & pro sensibilibus illis ea quærere quæ sub intelligentiam cadunt: *Et sperate in Domino* Qui per rectam uitæ institutionem Deum sibi propitium & clementem reddiderit, maximum habet suffragium, auxilium inexpugnabile, & plurimum, quod illinc pendet, momentum.

Theodoreti. Per hæc uerba legis cultum tanquam superuacuum refellit, & sacrificium iustitiæ offerendum præcipit: nam quolibet sacrificio si centum etiam ac mille boum fuerit, iustitiæ cum spe coniunctæ possessio gratior est. Dixi, cum spe coniunctæ, quoniam multi & Iudæorum, & Græcorum, & hęreticorum, qui contraria cogitant, & temperantiam & iustitiam exercent, pietate priuati nullum inde fructum percipiunt: qua propter & Sanctus Spiritus per diuinum Dauid hortatur, non solum sacrificare sacrificium iustitiæ, sed & sperare in Domi- [Ioan. 15.] no. Hoc & Dominus Christus discipulis suis promulgauit, dicens: Ego sum uitis uera, & uos palmites, & Pater meus agricola est. omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et non simpliciter dixit, non ferentem fructum, sed addidit illud, in me, hoc est, secundum præcepta mea, & leges meas, per fidem in me, ut nonnulli absque confessione solo humanæ gloriæ intuitu uirtutis studiosi uidentur.

Athanasii. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ* Docet quomodo superare hostes possimus, nimirum bonas & iustas actiones Deo offerentes.

Origenis. *Sacrificium iustitię* Est rationalis animæ ab affectibus solutio: spes autem bona ueræ cognitionis expectatio.

Hypatis. Qui ex iniustitia profert, non sacrificat sacrificium iustitiæ, Hæc autem uetera sacrificia tanquam superflua reiiciunt: inducunt uerò sacrificium iustitiæ, & spei, & fidei in Deum uerum. Iustitiam intelligit uniuersalem uirtutem. Quicunque ea quæ possidet, non ut decet, partitur indigentibus, non sacrificat sacrificium iustitiæ: neque qui dolens, aut inuitus præbet.

Origenis. Non qui ex iniustis lucris donat, nec qui ex non recte partis dat, quę habet, pauperibus, neque dolens, neque coactus, qui pecuniam erogat suam, is sacrificat sacrificium iustitię: Non enim de uulgaribus sacrificiis præceptum dedit Deus: inquit enim in psalmo quadragesimo nono. Deus Deus tuus ego sum, non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem [Psal. 49.] tua in conspectu meo sunt semper: Non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos: meę enim sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues: & postea: immola (inquit) Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua: & inuoca me in die tribulationis [Psal. 50.] & eruam te, & honorificabis me. Et in quinquagesimo psalmo. Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem, utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Et alibi: Holocausta uestra & sacrificium [Hebr. 10.] non lętificauerunt me: Et in Ieremia. Non hæc (ait) patribus uestris mandaui, qua die eos [Psal. 39.] eduxi de terra AEgypti, de holocaustis, & sacrificio. An non hoc illis potius imperaui dicens: [Ier. 6.] Vnusquisque aduersus proximum suum malitiam rescindat de corpore suo: nec iusiurandum [Isa 4.] falsum diligatis: nam hæc omnia odi, dicit Dominus omnipotens. His igitur omnibus palàm docet, oportere sciscitari diligenter, quis nam locus de sacrificiis nos instruat, qua in re occasiones diuina oracula suggerant, quæ sic habent. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, quemadmodum & hic. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Atque item Saluator, & idem Dominus noster, eos carpit, qui quæ prophetarum oraculis continentur, nihil conside- [Osee. 6.] rant, & propterea in corporeis sacrificiis hallucinantur, dicens. Si uere agnosceritis quid est Mi- [Matth. 12.] sericordiam uolo, & non sacrificium, non condemnaretis innocentes. porrò dictio apud unum de duodecim prophetis in hunc modum posita est. propterea misericordiam uolo, & non sa-

crificium

crificium, & scientiam Dei magis quam holocaustum. Quod autem huiusmodi sit de sacrificiis legis latio, Paulus docuit dicens. Qui in exemplari & umbra seruiunt cœlestium. Summopere *Hebr. 8.* igitur laborandum est ei, qui leges de sacrificiis offendet, dum eas cum ad uerborum significationem, tum ad secretiorem, & mysticum sensum utrobique sedulò studet interpretari. Hæc autem compendio à nobis dicta sunt explanantibus illud, *Sacrificate Sacrificium iustitiæ*, & illud: *Sperate in Domino*: neque enim consentaneum est ut quis speret, antequam iuste agat. Nam illud sequitur, ut qui iuste agit speret, & Domini beneficia præstoletur. Spes enim est bonorum expectatio, Quoniam uero à multis quæri solet: num qui probus est, aliquid speret? est enim spes eorum, quæ desunt, & alterius sit sperare, cum probi uiri siue ipsorum probitatis pręmia frequentisime referant, Eia age nos quoque iuxta sententiam scripturarum de huiusmodi quæstione pauca perstringamus. Constat planè sacra eloquia, nos, ut in Domino speremus, adhortari. Speret enim (inquit) Israel in Domino. Et: domus Israel sperauit in Domi *Psal. 113.* *Psal. 90.* no, adiutor eorum & protector eorum est. Cæterum in nonagesimo psalmo una cum cæteris promisionibus perfecto uiro dicitur illud: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis: Scuto circundabit te ueritas eius. Paulus autem cum uellet ostendere quid illud sit, cui lex & prophetę innitâtur. Dico aũt(inquit) charitatẽ. Charitas omnia credir, omnia sperat, & omnia *1. Cor. 13.* sustinet: charitas nunquam excidit. Si uero nequaquam excidere perfecti est, cum illud sit charitatis opus, sanè eiusdem erit omnia propter charitatem sustinere, ut potę qui sit cuiuslibet rei grauis & laboriosæ superior & uictor, erit etiam eiusdem omnia credere, scilicet quæ sunt, & uera sunt, non enim inter omnia censenda sunt falsa, quippe quæ nec principium quidem habent, nam qui charitate præstat, perfectus & firmus est in salutari fide, quæ est de quaque re ad credendum necessaria. Sed & manifestum est illum ipsum omnia sperare, & nihil esse eorum, quæ sanctis reseruari possunt, quod illi negetur, & nullius esse opus dici potest, nisi eius qui in charitate perfecta constantisime perstat. Vt uero exquisite disquiramus omnia, narrare uolumus, quid sit illud omnia sperate, est enim regni cœlorum hæreditatem adire, consola- *Matth. 5.* tionem accipere, Dei filium appellari, Deum uidere, & iustitia quam esurit, & sitit exsatiari, perfecta frui misericordia, & (ut simul omnia breuiter absoluam) in omnibus forè, quæ uerax Deus, & Saluator noster Dominus IESVS Christus ultrò promisit: Oculus enim non ui- *1 Cor. 2.* dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus iis, qui dili- *Isa. 64.* gunt eum.

NICEPHORI. *Sacrificate* tanquam hostiam Deo facite iustitiam, & ab eo auxilium suscipictis.

THEODORETI. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona* Eos ostendit hoc in loco, quos nam superius graui corde appellauerit, & declarat eos tanquam indignantes in aduersis rebus, & de diuina prouidentia diffidentes hæc audere dicere.

ATHANASII. Verba sunt aspernantium Dei gubernationem.

ORIGENIS. Possunt hinc simpliciores existimare hunc locum ita esse intelligendum. Vt de iis bonis sermo habeatur, quæ nobis reposita sunt, quorum promisio publicitus facta sit, scilicet, quod multi dicturi sunt, quis hæc nobis ostendet, & nos in ipsis constituet, tanquam uera nimirum illa suspicientes ac peroptantes: Verum propter humanam imbecillitatem, quę ex multorum peccatorum conscientia oritur, haud admodum sibi fidunt, ut & hæc ipsa dignoscere & cum ipsis uersari posint. Alii porrò sic ea uerba interpretabuntur, ut quæ in promisione suis electis Dominus se daturum promisit non perspicue planeque quid illa sint scire se, nisi fiant sapientes, arbitrentur. Veluti, quæ nam sit terra, quam mansueti hęreditabunt. *Matth. 5.* Quid sit hæreditatem illam accipere, siue Deum, qui cerni non potest, quem nemo uidit unquam, puritate cordis intueri: aut cuius rei causa, quo ue facto, qui modo lugẽt, sint paulopost consolationem accepturi: Quod item, & quale sit regnum cęlorum. Cum ergò multi audiant, quæ bona proposita sunt, optantes ea intelligentia & mente percipere, aiunt. Quotusquisque erit, qui nobis isthæc bona ostensurus sit? perquam enim rarus est, qui eadem (ut ostendimus) indicare posit: Qualis erat Paulus, qui ea uerbis repræsentare poterat, ut alicubi dicit: Nos autem sensum Christi habemus, ut sciamus quæ à Deo nobis donata sunt, quæ *1. Cor. 2.* ẽt loquimur non in eruditis humanę scientiæ sermonibus, sed in doctrina Spiritus sancti spiritualia spiritualibus indicantes. sœpe autem obseruauimus illud *Quis* in rerum raritate usurpari, ut ibi. Quis fidelis, & prudens dispensator? Et: quis sapiens, & intelligens hæc? Et: Domine, quis *Psal. 14.* habitabit in tabernaculo tuo? & hic. *Quis ostendet nobis bona?* *Psal. 106.*

EVSEBII. Alii igitur aliter cogitant, & præcipue qui graui corde sunt filii hominum,

qui uitæ huius insaniam amplectuntur, quæ autem uere bona sunt, ignorant, neque credentes, neque sperantes se ea uisuros esse, hi dicunt. *Quis ostendet nobis bona?* Non enim ea contuentur, eò quod lumine uultus tui minime illustrantur. Quo circa cum terrena tantum, & caduca existiment bona esse, in iis uersantur, & ea persequuntur. Quod si quis de diuinis ac cœlestibus bonis illis sermonem habeat, interrogare solent, quis nam ergo est, qui hæc nobis ostendat? At illi quidem huiusmodi sunt. Nos uerò super quos signatum est lumen uultus tui Domine, ab eius lumine ad eorum cognitionem profecti eum, qui nobis hæc ostensurus est & donaturus agnoscimus.

CHRYSOSTOMI. Postquam de moribus admonuit, & ad cognitionem Dei adduxit, & omnem rationem uersauit, quæ posset errantium mentem extollere & eximere & præsertim eorum, qui illi sunt addicti, & cum ostenderit prouidentiam & curam de illis habitam à Deo, ponit obiectionem quandam, quæ ab imbecillioribus & rudioribus fieri solet, & ait. *Multi dicunt, Quis ostendet nobis bona?* Non quidem pauci, qui sunt ueri, probi, ac sincerè norunt philosophiam, hæc dicunt: sed confusa & promiscua multitudo, quæ insipientiæ affixa est. Quid est autem quod dicit? *Quis ostendet nobis bona?* Vbi est Dei prouidentia dicunt aliqui, cum tanta sit in uita confusio & perturbatio rerum, cum plures in mendicitate & inopia & in extremis malis degant? quod nam signum est eius gubernationis? Qui hæc dicunt, æque faciunt, ac illi, qui in meridie quærunt solem uidere, & de luce dubitant, quod ostendens propheta, & quam primum solutionem afferens dixit.

NICEPHORI. *Multi dicunt, quis ostendet,* per hyperbaton intelligendum est, quasi dicat: Multi & uulgares dicunt, *Quis ostendet nobis bona?*

" *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.*
" *A fructu frumenti, uini, & olei multiplicati sunt.*
" *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.*
" *Quoniam tu Domine in spe singulariter constituisti me.*

CHRYSOSTOMI. *Signatum est super nos,* Non dixit, Apparuit, non illuxit, sed *Signatum est,* innuens scilicet, quod quemadmodum illud omnibus patet, quod in fronte signatum est, nec fieri potest ut id lateat quempiam, nec uisum luce plenum & radios potest aliquis ignorare, ita (inquit) nec tuam prouidentiam. Quemadmodum enim lux insignita, hoc est impressa & insculpta omnibus manifesta est, sic etiam tuæ benignitatis prouidentia conspicua est. Lumen hoc in loco defensionem procurationem, auxilium, & prouidentiam intelligit. Deinde propositum probat, Quomodo autem? dicens nimirum: *Dedisti lætitiam in corde meo,* postquam inconsideratam multitudinem carpsit, ex iis, qui sani sunt & sapiunt, Dei prouidentiam probat, & dicit. *Dedisti lætitiam in corde meo* hoc est docuisti me philosophari, res fluxas huius uitæ aspernari, & ea scire quæ uera & permanentia sunt, & bene sperantem fecisti, animum reddidisti, ad futuram uitam quasi manu duxisti: ante rem & bonorum perceptionem spem mihi tanquã alas ad euolandum dedisti: Non dixit autem simpliciter & absolute *Dedisti lætitiam* Sed: *in corde meo* ostendens, quod nulla est in rebus externis lætitia, nec in mancipiis, nec in auro, nec in argento, nec in uestibus, nec in lauta & opipara mensa, nec in potentiæ magnitudine, nec in domus amplitudine. Hęc enim non est cordis, sed oculorum tantum lætitia.

1.Ioan.1. ORIGENIS: Quod Deus lumen sit, Ioannes in catholica ostendit dicens. Deus lumen est, & in eo tenebræ non sunt ullæ: tametsi ignis quoque dicatur esse, quemadmodum Paulus

Hebr.12. ait in epistola ad Hebræos: Etenim Deus noster ignis consumens est, ostendens ipsum esse Deum legis & Euangelii; hoc est patrem Domini nostri IESV Christi, & propterea Deum nostrum: quem quidem ignem consumentem non aliud quippiam esse cogitandum est, quam lumen illud, quod in mente præeminet. ipsa siquidẽ natura & uis quatenus illuminat lumen est, quatenus uerò res aliquas enecat, eas incendens atq; consumens ignis consumẽs est. Sic igitur Deus deteriora quidẽ abolet, & quæ malitia plena sunt, absumit, amicis autem & iis, qui purgati sunt corde, lumen est. Quemadmodum uerò in luce perceptibili, qui sanus est oculis, & lumen ipsum & reliqua sensibilia percipit, sic mens pura nullis perturbationibus agitata Deo uirtute quadam permeante & se ipsum & reliqua sub intelligentiam cadentia & ipsum lumen intelligit. Proinde nihil mirum uideri debet, si nonnulli in artibus, atque scientiis quibusdam sunt perspicaces, uel ad propositiones aliquas circa mores, uel ad dialecticen pertinentes acutissimi & Deum prorsus ignorent. Horum enim sensum similem esse dicimus quidlibet magis, quam Solem intuenti, & nunquam ad eius splendorem contemplandum elato. Atqui quemadmodum Solis radius uultum eius attingit, qui in ipsum oculos intendit, nec tamen in hærentem sibi priuat Solis

lis aspectu, ita etiam omnino cogitandum est. Quicunque diuini uerbi legem cogitauerit, & mentem suam ad Deum cognoscendum tradiderit, eundem Dei esse participem: Quod sane prophetam opinor hic significare uoluisse cum dixit. *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine*: Nam signum (inquit) luminis, quod emicat, ab aspectu tuo ad nos usque pertransiens nobis impressum & inustum est. Quale signum arbitror Mosi contigisse (illud enim, quod in exodo legitur, arcanum opinor hic indicari) cuius facies, cum Deo familiariter loqueretur, & Exod. 34. consuesceret, gloria præcincta est, ita ut operimento indigeret, cum filii Israel in eam intueri non possent: Siquidem anima omnis, quæ Deo innixa ad eius diuinitatem incomprehensam & multitudini inaccessam ingreditur, & particeps diuinitatis efficitur, à multitudine non comprehenditur. Vnde si uulgo, quæ illi nuntiata sunt, aperire opus sit, moderatione quadam quasi uelamento & dispensatione quadam uti oportet. Vultus uerò Dei intellectum, qui claritatis ipsius capax est, illuminans eidem cognitionis author est, ut liquet ex psalmo sexagesimosexto. Psal. 66. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos, ut cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum, & reliqua. Qui hoc modo luminis diuini participes fiunt, probè dicere possunt. *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine* cum illud causa sit, ne quo tempore qui huiusmodi medicinis indigent, rebus aduersis præmuntur, nihil illis mali contingat: Siquidem lumen uultus tui Domine comitem habet in signum, ut Psal. 59. minime lædi possint. Hoc uerò in psalmis, & apud Ezechielem significari arbitror. in psalmis quidem sic. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui. Apud Ezechielē uerò: Et gloria Dei Israel ascendit à Cherubim super eum ad limen domus, & uocauit uirum, qui indutus erat lineis, & atramentum scriptoris habebat in lumbis suis, Ezech. 9. & dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thau super frontes uirorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius, & illis dixit, audiente me. Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: Non parcat oculus uester, neque misereamini senem, adolescentulum & uirginem, paruulos & mulieres interficite usque ad internicionem. Omnem autem, super quem uideritis Thau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. Nam (quæso) quæ nam est significatio à Deo data religiosis & piis uiris, uel signum illud, quod frontibus eorum impressum est, qui ueritatem diligunt, & propter populi transgresiones lugent, nisi communicatio diuinitatis in eos qui illam se occupantem accurate perpendunt.

ATHANASII. Lux mundi Christus est, qui & ostendit nobis bona, per quæ, & spiritalem lætitiam habuimus.

HESYCHII. Vultus Patris Christus est, quem qui uidet, Patrem uidet, lumen autem Christi crux est, per quod orbem illuminauit, quo nos in frontibus signauit.

GREGORII. Per uultum Dei uirtutes intelligere mihi propheta uidetur, in illis enim diuina species informatur.

DIDYMI. Lumen uultus Dei characterem hypostaseos, & imaginem ipsius inuisibilis Dei significare potest: quod quidem lumen signatum est super nos, qui ad similitudinem eius formati sumus. Non ignorandum est etiam illud, *Quis ostendet nobis bona*, quosdam sic intelligere, ut quis, pro, unus, uel solus accipiatur. Siquidem non multorum, sed unius sit bona ostendere. Hic uero est unigenitus Dei Filius. Qui ergo illud, quis, ita interpretantur, accipiunt illud tanquam nomen proprium, uel tanquam indiuiduum, & unam scilicet substantiam. Huic testimonio simile est quod dicitur: Homo quidam nobilis, atque hic itidem, Quis, uirū aliquem proprie dictum innuit.

THEODORETI. Hæc quidem, & huiusmodi illi cogitant, & dicunt. Nos uerò qui diuinæ cognitionis tuæ claritatem suscepimus, & radiis à te emanantibus illuminati sumus, in ipsis etiam in nos insurgentibus malis spem ergate maximam animo retinemus.

CYRILLI. Aut: quis nam uultus Dei & Patris, cuius lumen signatum est super nos, nisi immutabilis imago Filius Dei? propterea dicit, qui uidet me, uidet & Patrem meum: Nos autem illo insigniuit, cum nos ipse sibi conformes effecit, & sui spiritus splendorem tanquam diuinam imaginem nobis in eum credentibus impressit.

ORIGENIS. *Dedisti lætitiam in corde meo*, Sensus uersiculi huius affinis est iis, quæ superius exponendo attulimus: Nam quid aliud est lumen uultus tui Domine signatum super sanctos, quam cor lætitiæ plenum? quod quidem pro rationali animæ facultate accipimus, cui dum Deum contemplatur, eiusque diuinitatis particeps efficitur, lætitia exhibetur. Carnis uerò lætitia est cordis crassities in rebus terrenis, & circa proprium commodum impediti; Proinde

cum

Psal. 108. Eccl. 40. cum in eisdem psalmis dicitur, uinum lætificat cor hominis: Et, panis cor hominis confirmat, uerum panem, quo mens in primis alitur, & fructum ueræ uitis maxime inebriantem tum intelligere oportet: *A fructu frumenti uini & olei sui multiplicati sunt*. In Hebræo, à tempore habetur, sic quoque septuaginta posuere, ut totius dictionis sententia sit.in tempore, quo frumenti ordei,& leguminum omnium messis est,multiplicati sunt. Hoc est in tempore tritici mensuram accipientes, præ tempore, quo frumentum metitur, multiplicati sunt,eò quod opportune maximos hinc prouentus acceperint. Hoc idem de uino cor hominis lætificante intelligendum est.

GREGORII. Perfectum uirtutis signum cordis lætitiam esse dicit, quæ alia est ab ea lætitia, quæ ob uoluptates & gulam & uinolentiam & reliquas omnes carnis affectiones concipitur.

THEODORETI. *A fructu frumnenti, uini & olei sui*, Rursus eos damnat,qui solum huius uitæ commodis perfruentes,& ingratitudinis uitio laborantes dicunt. *Quis ostendet nobis bona?* Per hyperbaton autem sensus est, Multi dicunt, quis ostendet nobis bona, qui à fructu frumenti, uini,& olei sui multiplicati sunt. Nam qui hæc dicunt, omni genere fructuum terrę fruuntur: Nam tribus his utilissimis humanæ uitę rerũ generibus necessariò reliqua bona cõplexus est,illorum ingratitudinem carpens,qui in manibus dona Dei ferentes,& ambitiose se in eius bonis oblectantes,tanquam si nihil recepissent,dicere audent. *Quis ostendet nobis bona?* Ego uerò lumine tuo percepto,& tua cognitione diues factus,omnia me adeptum profiteor,quotquot in te sperantem consequi decet.

CHRYSOSTOMI. *A fructu frumenti,uini & olei sui*, cum hæc dicit non paruam eius prouidentiæ partem tangit,quæ in rebus oculis subiectis posita est. Nam cum dicit frumentũ uinum & oleum,etiam horum opportunitatem & abundantiam intelligit, & pluuiam, & temperiem, & conceptum, & pariendi conatum, & prouentum,& aerem circumfusum,& Solis cursum, & Lunæ ambitum,& numerosam syderum choream, & æstatem, atque hiemem,autumnum,ac uer, Et agrorum cultum, & instrumentorum apparatum, aliarumque artium examen: nisi enim hæc omnia congruant, fieri non potest, ut fructus percipiantur. Quoniam igitur propheta superfluis abstinet,omissis cæteris fructibus,omnibus baccis,generibus plantarum,& seminum,ac herbarum, pratorum, florum, hortorum,& quæcunque ad hæc pertinent, ea ponit quæ sunt continentia,& ad uitam nostram necessaria, ex præcipuis his illa quoque adiacentia manifesta reddens: quæ nec simpliciter tantum dat, sed copiose, & affluenter,& singulis annis. Quod si ea interim contrahit & parcius elargitur,in eò rursus quoque suam prouidentiam ostendit. Excitat enim multorum inertiam, & eos mouet ad hæc ab ipso petenda.

GREGORII. Nihil aliud nobis propheta inclamat, nisi ne cura nimia detineamur rerum uisibilium, frumenti, uini, & reliquarum rerum, quæ abolentur,neque in his felicitatem esse existimemus.

EVSEBII. Cæs. Quoniam sępe inter benedictiones à scriptura positas frumentum & uinum sanctis ponunt in præmiis: Quemadmodum contra peccatoribus horum priuationem cõminatur: Dignum est ab existimatione tenuitatem orationis semouere, tum imbecilliores ex credentibus,tum eos, qui propter exilitatem promissionis alteri Deo à se formato cultum exhibere uolunt. At uarietatem corporalium ciborum ad hęc referri existimandum est,quos anima omnis decenter percipiens sanctificatur, & feliciter agit,& confirmatur. Ego uerò ipsa ad futurum seculum referri arbitror. Ac ne de tantis rebus sine testibus quicquam asserere uideamur, Sat nobis erit Paulus, qui hæc in Epistola ad Colossenses apertissime docens,ita dicit: nemo uos iudicet in cibo,aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ,aut sabbatorum,quæ sunt umbra futurorum corpus autem Christi. Col. 2.

NICEPHORI. *A fructu frumenti* At qui ignorantes omnium terræ fructuum copia referti sunt: At ego non sic sentio, & significata est mihi tuæ curæ,& prouidentiæ manifestatio, in qua & animam meam lætitia perfudisti,unde nunc in pace tum à cogitationibus,tum ab hostibus duplicem somnũ dormiam:nã me solutum, & liberum ab omnibus malis habitare fecisti: Requiescam uerò in spe salutis,naturalem somnum, & eum rursus,qui mortis est,in spe resurrectionis. hoc dicit illud. *In pace in id ipsum dormiam & requiescam: Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

EVSEBII. *In pace in id ipsum dormiam*, Videtur per hęc significare indemnem & uacuũ omni perturbatione remissionem, & requietem animæ consentientem diuino eloquio futuram post pulcherrimarum rerum speculationem: Nam fortasse,quemadmodum qui secundum cor

pus edimus ac bibimus quietis ac somni relaxatione indigemus, ita quoque animus assiduæ contemplationi nequit sufficere. Nam interdum qui ea, quæ intelligentia percipiuntur, contemplatur, iis pro uiribus inhærebit, & subinde à contemplatione cessabit. Quam sanè cessationem per illud arbitror significari quod ait. *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.*

DIDYMI. Alius dicit quamquam præ iucundis ac delectabilibus bonis, quibus abundant multiplicari & augeri uidentur. Ego tamen futurorum bonorum, spe extra omnem perturbationem ab hac uita secedam. Et causam adducit dicens. *Quoniam in spe singulariter constituisti me.* Animæ præterea dictū est in persona Dei in Osee. Dormire te faciam in spe: iis .n. futurorum bonorum spem præbet, quos ipse in uirtute contemplatrice atque actrice ac in dogmatibus ueritatis & ecclesiasticis sanctionibus constituit. Quare post mentionem factam de frumento, uino, & oleo, additum est illud, quod pertinet ad quietem. Quod per translationem & similitudinem quandam de anima dici putandum est, quæ ubi alimentum sumpserit, & alita fuerit, & suas obierit functiones, cum summa felicitate in requiete à diuina prouidentia collocatur, ut iterum innouata & restaurata ad consueta bona capescenda se se accingere possit. Probabile autem est, qui amplius quippiam, quàm mortalem naturam deceat imaginantes uolunt eandem forè animam uiri iusti postquam à corpore seiuncta fuerit, uel etiam resurrectionis tempore, quæ à principio fuit, ea imprimis non admittant, quæ dicuntur. Quoniam in promissionibus illud dicitur, Non esurient, neque sitient, non dormitabunt, neque dormient. Quibus respondendum est, quod qua ratione aliquando propter absolutam perfectionem non esurient, & pariter non sitient, ita conueniens est, ut anima in suprema sua uirtute collocata, quatenus eius innouatæ apparatus Deo proprius accedit, & ei per quam similis efficitur, in insuperabilem uirtutis uigorem uindicetur. Osee.2. Isa.49.

ORIGENIS. Si ex Christi persona Psalmus dicatur secundum dignitatem, quæ illi à Patre incomparabilis tradita est, ita ut nullus planè possit magnitudinis eius compos fieri, consequenter illud dicit. *Singulariter in spe constituisti me.* Verùm si ex Prophetæ persona illud *singulariter* dictum est, rarum quid, & præcipuum in generationibus peccatorum sanctitatis eius significari arbitror. Quemadmodum temporibus Heliæ accidit, qui dicebat. Quoniam dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus. Conuenit quoque uerbum illud unicuique pręgeneris sui hominibus præmium accipienti. Quod uero ait, *in spe*, si Saluator illud ob assumptam humanitatem proferat, nihil mirum est ipsum propriam instauratione sperantem dicere, in spe se à Deo constitutum fuisse, iuxta illud: Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, antequam mundus fieret, Nam illud *singulariter* à Saluatore dici potest, quo tempore omnes eius discipuli ipsum derelinquentes scandalum passi sunt, Si uero à Propheta illud dicatur: manifestum est hoc esse cuiuslibet sancti proprium, qui præ charitate omnia sperat. 3.Reg.19. Ioan.17.

EVSEBII. Illi (inquit) tanquam per latam & spaciosam uiam, in qua uulgus ambulat, incedentes, nec sperantes, quis nam illis, quę uere bona sunt, ostensurus sit, in frumento, uino, & oleo ditantur, & iis se tanquam bonis frui existimant. Mihi uerò, quem lumine uultus tui dignum fecisti, lętitiam cordis dedisti, non carnalium & corporearum rerum, neque illam, quę ex frumento, uino, & oleo corporibus subministrantur, sed animi & mentis lætitiam: namque à tuo spiritu, & tuis promissionibus didici, licet dolores, tribulationes, tentationes, angoresque hac præsertim mortali uita me nunquam deserant, futurum tamen tempus seiunctionis à corpore, quo in pace dormitabo, & à corpore liberabor. Mihi autem ipsi uehementer persuasi perfectam mihi lętitiam affuturam, cum dormitio ac somnus mortis me exceperit. Tum enim tu Domine hac bona spe me suscipies, meque in cœlestibus mansionibus collocabis. Animaduertito autem hinc distinctiones, per diapsalmata, aut sensus mutationem afferentes, aut fortè cantus alterationem numerum immutantis.

THEODORETI. Cum autem omnem turbam & cogitationum mearum dissidium expulero, & pacem cum iis confirmauero, tuamque proximos imprimis prouidentiā sapere docuero, in spe resurgendi mortem præstolabor. Nam hoc loco mortem somni nomine nuncupauit. Aptè autem cum mortis mentione spem coniunxit, postquam de prouidentia uerba fecit: nam cum plerique dum uiuunt in calamitates incidant, & ab iniquis hominibus iniuriis afficiantur, & uitæ finem omni spe destituti suscipiant, docet magnus Dauid, ne indignentur, cum spes resurgendi cum morte coniuncta sit, & post obitum remuneratio futura.

E Chrysostomi.

CHRYSOSTOMI. *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam,* Vide quoque aliam non mediocrem prouidentiæ rationem, quod pacem fruantur qui Deo addicti sunt, pax est Psal.110. enim iis, qui legem tuam diligunt, & non est ipsis scandalum: Nihil enim æquè pacem conciliare solet, ac Dei cognitio & uirtutis possessio, quæ turbarum animi intestinum bellum domo procul abigit, nec hominem secum dissidere permittit. Planè qui hac pace non fruitur, etiam si hostis nullus eum inuadat, omnium, qui in terra uiuunt, miserrimus est. Quocirca huius quoque prouidentiæ fructus Propheta capiens dicebat. *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam,* innuens, quod ei, qui hanc non habet pacem, ne communis quidem omnium portus est apertus, sed is quoque obstructus est. *In id ipsum,* In me ipsum (inquit) totus collectus, & conuersus, non in curas innumerabiles discerptus, non quæ sunt huius uel illius cogitans, nec in orbem terrarum sollicitudines dispertiens, sed quæ mea sunt cogitans, & quæ mihi conducibilia, & quæ hominem in primis decent. *Quia tu domine singulariter in spe constituisti me,* Quod dicit, huiusmodi est. Propter futurorum bonorum spem, & propter expectationem, quæ in te est, 2.Cor.4. omnes animi mei perturbationes compressi. Sicut etiam dicit Paulus, Quod enim in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Et illud; *singulariter,* non est paruæ uirtus doctrinæ, Quid est autem, *singulariter?* seorsum ab improbis. Hanc enim pacem (inquit) præclare apud te habui, & seorsum ab aliis habito fugiens improbos & corruptos homines.

IN FINEM PRO HAEREDE

PSALMVS DAVID.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.
Intende uoci orationis meæ, rex meus, & Deus meus.



EVSEBII. *In finem,* Pro gratiis agendis hymnus canitur pro anima uel Ecclesia, quæ in diuinam hæreditatem seruis Dei præparatam assumitur, nam seruientibus Deo, hæreditas obuenit, quæ non humanis, & fluxis diuitiis innititur: nam qui huius hæredes sunt, hæreditatem incorruptibilem, ut incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis adire dicuntur, ad quam uocat Saluator eos, 1.Pet.1. qui digni sunt dicens. Venite qui à dextris meis estis benedicti Pa- Matth.25. tris mei possidete paratum uobis regnum. Eius autem hæreditatis cupiens qui hic loquitur, preces ad Deum illius hæreditatis institutorem emittit, ut illius hæres in nouo testamento dignus declaretur, sicut etiam de ipsius anima significat, quæ secundum inscriptionem hæreditatem consequitur.

DIDYMI. De hæreditatem consequente dixit, non de hærede, quoniam semper Ecclesiæ multa ceu regina hæreditat: In Finem uerò dixit, Quoniam & Saluatoris aduentum & futuri seculi tempus expectabat: Nam testamentum, quod Prophetæ scripsere, Salvator per nouum confirmauit, & crucem moriens tanquàm clypeum, & coronam nobis reliquit, ideo dicit in fine Psalmi, *Domine, ut scuto bonæ uoluntatis coronasti nos.* Nam scutum & corona ipsa crux est, scutum propter pugnantes, corona propter uincentes, qui cum eo regnant. Verum Iudæi hunc Psalmum prò hæreditate consequente sibi uendicant dicentes, Deum sibi testamenta perscripsisse ignorantes, quod si gratiam hæredibus suam subtraxerit, testamentum pariter, atque hæredes esse mutaturum: Et quod Iudæis gratiam auferens primum testamentum mutauerit, Ier.31. & nouum scripserit, eorum ingratitudinem detegens, dicit Ieremias, Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris in die, qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Aegypti, pactum, quod irritum fecerunt, Quoniam ipsi non manserunt in pacto meo, & ego neglexi illos. Igitur quia neglexerunt, ex hæredes facti sunt, nec possunt quicquam responde-

dere,

dere, ipsi enim testamentum seruant. Proferant igitur illud, ut cognoscantur, quæ de ipsis in testimoniis dicta sunt. Audi cœlum, atque auribus percipe terra, quoniam dominus *Isa. 1.*
loquutus est: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Et quod de aliis sit sermo, subiungit. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. At de gentium gratitudine scribit: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. De Iu- *Psal. 17.*
dæis dicit: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit filius ancillæ cum filio libe- *Gal. 4.*
ræ. Dereliqui populum meum, abieci hæreditatem meam. Sed quamobrem? Quoniam facta est mihi hæreditas mea tanquam leo in sylua. Quid enim fecit? Dedit contra *Ier. 12.*
me uocem suam. Quid dicens? Tolle tolle crucifige eum: de gentibus dixit. Dedi- *Matth. 28.*
sti mihi hæreditatem tuam timentibus nomen tuum. Hæres igitur est Ecclesia de gentibus *Psal. 60.*
conflata.

THEODORETI. Sic quoque alii inscriptionem interpretati sunt; Notum ergo est, quod hæredem diuina lex communiter quidem uocat Ecclesiam Dei, propriè uerò animam, quæ piè uixit. Liceat Dominum audire in sacris Euangeliis dicentem. Venite benedicti Patris *Matth. 25.*
mei, possidete regnum, quod paratum est uobis à mundi constitutione: Hoc idem asserit Di- *Roma. 8.*
uus Paulus. Spiritus testimonia reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii, & hæredes, Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur, & rursus: Non amplius seruus sed filius, si uerò filius, & hæres Dei per Christum: *Gal. 4.*
Et huiusmodi alia multa in sacris literis inueniri possunt, quibus admoniti sensum huius Psalmi elicere poterimus.

HESYCHII. Statuit Psalmographus hic animam iusti posse liberè, ac fidenter in tempore sacrificiis cum Deo agere, ut uerba ipsius psalmi ostendunt, ut etiam ex inscriptione patet, quæ est, *Pro hæreditate consequente*, Nam Deum hæreditant sanctorum animæ ipsum partem, & sortem pro omnibus huius uitæ bonis suscipientes.

CHRYSOSTOMI. Accedamus ergò, & aperiamus scripturas, & ad ea, quæ scripta sunt attendamus, & uideamus, quibus nam de causis hæc hæreditas nobis relicta sit, & quæ sit ratio, & uis hæreditatis: Non enim simpliciter, & absolutè nobis hæreditatem reliquit, sed sub conditione, & subiectione quadam. Quæ nam ea est? Qui me diligit (inquit) præcepta mea *Ioan. 3.*
seruabit, & rursus. Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipu- *Matth. 10.*
us. Discamus etiam tempus, quo eam adituri sumus, Non est enim præsens, sed futura, uel *Luc. 12.*
potius, & præsens, & futura. Quærite enim regnum Dei, & hæc omnia adiicientur uobis. tunc autem perfecta, & integra dabitur hæreditas. Interea autem testatus est, & scripturas nobis reliquit, & dixit, quæ nam agentes hæreditatem consequemur, ut ab ea non excidamus, & exhærede efficiamur. Quod si quis perturbetur, quod nondum perfecti simus, & suspecta habeantur, quæ ei dicta sunt. Audiat Paulum dicentem. Quando eram paruulus sapiebam *Eph. 4.*
ut paruulus, cogitabam ut paruulus; Quando autem factus sum uir, euacuaui quæ erant par- *1. Cor. 13*
uuli. Loquebatur autem de præsenti, & futuro seculo. Et rursus: Donec occurrimus *Eph. 4.*
in uirum perfectum in mensuram ætatis, nam in uita præsenti ueluti apud nutricem quandam iis, quæ creata sunt, alimur. Quando autem in domum domini deducemur, exuentes *2. Cor. 15.*
uestes corruptionis, & incorruptibilitatem induentes, ad aliam uitæ conditionem traducemur. Hoc testamentum multos etiam exhæredes futuros comminatum est, si conditionibus in eo scriptis indigni fuerint. Sed uideamus deinceps quæ nam sit hæreditas: quæ nec oculus ui- *1. Cor. 2.*
dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; Quo pacto igitur in uita præsenti eorum sumus assumpti percepturi quorum uel cognitio nostram cognitionem superat? Propterea ea illic nobis sunt reposita. Vide autem curam eius ac prudentiam, Labores quidem præsenti uitæ attribuit, ut cuius breuitate pariter quoque molestia terminaretur. bona autem in futurum seculum reseruauit, ut cum æternitate sensi experti præmia extenderentur, Illam conditionem uocat etiam regnum. Quę & si rationem, & intelligentiam no- *Matth. 6.*
stram superant, quantum tamen licet audire per ęnigmata futura significant, nunc regnum uocantur, nunc autem nuptiæ: interdum imperium ex splendidis, quæ sunt apud *Matth. 12.*
nos nominibus, ad illa cogitanda nobis uiam aperiens, æternam gloriam, ab interitu *1. Timo. 6.*
alienam beatitudinem, cum Christo contubernium, cui nihil comparari potest. Quæ *& Apoc. 1.*
sunt autem conditiones? Illæ nimirum, quæ nihil habent difficultatis. Quæ multis (inquit) ut faciant uobis homines, ea uos etiam ipsis facite. Vides quomodo nihil *Matth. 7.*

 alienum

alienum attulerit; sed ea, quę natura prius constituerat? Quæ uis (inquit) ut propinqui tui in te faciant, ea ipse quoque fac. Est etiam alia conditio. Quæ nam ea est? Diligere proximum sicut se ipsum. Quid esse posset hac una re facilius? Odisse enim graue est, & turbas, ac tumultus excitat. Amare uero facile & expeditum. Sed quę nam hæres est? Inscriptio n. dicit, *Pro hærede*, Ecclesia sanè, & plenitudo eius, de qua dicit Paulus, Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Et Ioannes. Qui habet sponsam sponsus est, Ac sponsus quidem post primos dies remittit amoris uehementiam: Sponsus autem noster nos amat perpetuo, & auget desiderium. Et infra: Quid ergo de ipsa dicit Propheta? Multa sanè. Est enim eius patronus, & multa quę sunt ei euentura prædixit, & proclamauit, quemadmodum de sponso, de sponsalibus, & de deductione ad sponsum, de bonis, quæ sunt ei euentura. Et hic etiam pro ipsa loquitur, & incipiens sicut causarum patroni ostendit quem nam sua oratione defensurus sit, inquiens se uerba facere pro hærede. Quid autem petat hæres audiamus.

1. Cor. 11.
Ioan. 3.

NICEPHORI. *Pro hæreditante*, Hæreditantem quidem uocat communiter Ecclesiam Dei, cuius hæreditas sunt, quæ oculus non uidit, propriè uerò Deum amantem animam.

ASTERII. *Verba mea auribus percipe Domine*, Cur non dixit, sermonem meum, sed *uerba mea*? An quia sermo ex multis uerbis constat, Verba uero sermonis sunt partes? Atqui uerba etiam sermones dicuntur, sermones autem non item uerborum partes, Qui ergo propositum Psalmum dicit, ad particularem uerborum suorum examinationem Deum hortatur. ut pro iis etiam, quæ recitantur, petita concedat.

DIDYMI. Illud *auribus percipe*, Extra propriam significationem positum frequenter in scriptura legitur. & significat eum, qui prolata uerba audit, illa in auribus admittere, eò quod propè fit, qui ea profert: nam iusti habitudine quadam Deo proximi sunt, Vnde iustorum preces Deus exaudire dicitur, & aures ad eorum supplicationes intentas habere, *Domine*. Rex uerò & conditor Deus eorum est, qui non extollunt manus suas ad Deum alienum, neque peccati regno subiiciuntur.

THEODORETI. cum multis omnis generis, & ingentibus fluctibus agitetur Ecclesia Dei, & quælibet anima pietatis excultrix superior euadat enatetque ex tempestate diuinam opem continenter implorando, hoc ipsum nos Propheticus sermo docens qua ratione uniuersorum regem & Deum compellere ac deprecari deceat, inquit. *Verba mea auribus percipe Domine intellige clamorem meum*. cæterum ne clamorem pro clamore, nec aures pro auribus intelligere oportet: nam de omnium conditore Deo tanquam de re corporea loqui solet diuina scriptura, tanquam si corpus haberet, & ex humani corporis partibus diuinas actiones nominare consueuit. Videndi uim oculos, audiendi aures, clamorem uero deprecantium propensam uoluntatem, & sedulam orantium mentis supplicationem appellat. Illud uerò, *auribus percipe*, est, ut uerba deprecationis meæ intrent in aures tuas, & diligenter attendas uerba obsecrationis meæ: Quoniam te esse Deum, & regem cognoui.

CHRYSOSTOMI. *Percipe Domine*, Sponsum Dominum uocat: hoc est enim prudentis sponsæ munus, nam si id in iis, quæ sunt eiusdem naturæ fieri solet, & uxor maritum dominum uocat, multo magis in christo & Ecclesia, in qua & ipse est natura Dominus: ita igitur eum appellat Dominum, non tantum ut sponsum, sed etiam ut uere dominum, & eum ad preces audiendas attrahit. Quoniam enim illi proposita hæreditas est, hæc autem hæreditas non aliàs effectum sortitur, quam si quæ sibi præcepta sunt, recte fecerit, orat & obsecrat, ut ei opem ferat ad ea quæ proposita sunt, facienda, & non cadat ab hereditate dicit itaque: *Verba mea auribus percipe Domine*. Et hoc dicit audacter, & cum fiducia, quoniam ea petit, quæ ipse etiam dare uult.

ALIVS DICIT. *Verba mea*, Verba, quæ nihil prauum, nihil habent peruersum.

HESYCHII. Vsque adeo placere ac suscipi orationem suam optat, ut intus in Dei auribus admittatur, in quibus quidem auribus uerba ipsa res fiunt. Hæc anima quælibet in captiuitate afflicta, aut olim sensibili, aut nunc intellectuali proferre debet. Per aures uero audiendi uim, sicut per oculos perspicacem facultatem intelligit, & reliqua similiter.

ORIGENIS. considerare nos oportet qualem habere necesse sit intellectualis uocis magnitudinem, quę Dei attentionem, & intelligentiam aduocemus, ut huiusmodi uerba

di uerba auribus Domini conueniant, & uocem deprecationis in Domini aduersione fidentem.

CHRYSOSTOMI. *Intellige clamorem meum*, Clamorem hoc loco appellat non uocis intentionem, sed mentis affectionem. *Intende uoci supplicationis meæ.* Intelligit etiam uocem internam, ita etiam clamabat Anna, & non dixit simpliciter & absolute, *Intende uoci orationis meæ*, Sed supplicationis meæ, eum enim, qui orat, oportet & habitum & mentem supplicantis induere.

DIDYMI. Iustorum clamor est animæ deductio cœlestia sapientis & expetentis. Vox uerò est cordis gemitus. Deprecatio uel supplicatio est petitio eius, qui in angustia uersatur, in digentia n. & defectus quidam est.

HESYCHII. *Intellige clamorem meum*, Non sonum uocis clamorem uocat, sed internum animi gemitum & angustiam, cui attendere Deum postulat, dignoscere an obfutura, an profutura sint illi, qui profert: Nam quid oramus, sicut oportet, (Paulus ait) nescimus. Attende igitur diligenter, & disce quomodo affectus sum ego, qui te Deum ac regem agnosco. *Et intellige*, id est, exquire, & accuratè quæras propositum clamoris mei scopum, non enim quicquam humanum postulo. nihil quod tuis legibus aduersatur exquiro, sed illa, quæ accipientibus utilia sunt, & necessaria ad salutem, & tuam benignitatem dare decet. *Roma.8.*

ASTERII. O ingentem Prophetæ loquendi libertatem, ò miram Dei benignitatem. *Intellige* prò, ausculta, dicit: At qui nos, cum prudentem uirum alloquimur, non audemus dicere, intellige quæ dico. ne ille tanquam hebes, & crassus mente reputetur. Deo uero, qui cogitationes quoque inspicit, antequam postulet, Propheta dixit *Intellige*, At ne ei quidem tanquam ignoranti loquebatur, sed eum qui sensum mentis, antequam quicquam oraret, inenarrabiliter intelligebat. Sed quia sanctus non ore, sed affectu & attentione mentis clamauit, dixit, *Intellige clamorem meum*. Tu enim (ait) solus nosti corda hominum. Intende uoci orationis meę: Sicut enim cernis, audis: & sicut audis, cernis: nam diuinitas simplex est, & instrumentis & partibus caret.

EVSEBII. Verba igitur, quæ ore proferuntur, auribus audiuntur, & percipiuntur. At clamor, qui non à lingua corporis tollitur, sed ex uehementis affectus ui emittitur intelligentiam magnam quærit. Tertium Deum rogat, ut diligenter attendat, & considerans statuat, num cogitationes, & petitiones eius indignę sint.

CHRYSOSTOMI. *Rex meus, & Deus meus.* Quod frequenter dicit Propheta, uel potius quod erat Abrahæ præcipuum attributum, (ut dicit Paulus) qua de causa non erubescit Deus eorum Deus uocari, hoc sponsa sibi assumpsit, & desiderio compulsa præclare usurpauit: non enim dixit, Rex, absolutę, sed *Rex meus, & Deus meus*, amorem suum indicans. Tanquam Deus me condidisti, tanquam rex mihi prospicis, quatenus ego his, qui in terris uersantur, dominor, & Dei imperio subiectus sum. *Hebr.11.*

ORIGENIS. Nemo, qui à peccato subiicitur, dicere Deo poterit, *Rex meus es tu*, Et quorum Deus uenter est, illi non dicent Deo, Deus meus es tu.

Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies uocem meam.
Manè astabo tibi, & uidebo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es.
Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.
Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam ad te orabo*, Quis (inquam) Deum non orat? At qui multi quidem uidentur Deum orare, sed id faciunt, ut se hominibus ostentent, at hæc oratio non ad homines, sed ad Deum cęteris omissis ferebatur. Oratio enim soli Deo offertur: Et quoniam precari proposuit tanquam Deo adducit orationem suam, & tanquam regi supplicationem suam. *Bene intelliges.*

ASTERII. Non dixit, coram te, Sed *ad te*. Vt propinquitatem ad Deum ostenderet.

CHRYSOSTOMI. *Manè ex astabo tibi*, Videas uehemens studium, & contritum animum? A principio diei hoc ago, audiant, qui post innumerabilia negotia ad orationem accedunt.

EVSEBII. *Manè exaudies uocem meam*, Instruitur per hæc illa, quæ hæreditatem consequitur primitias diurnarum actionum diuino cultui consecrare, & precibus intendere. Cęterum à strato surgere castitatem significare potest & ipsam ad Deum

adorandum innocenter accedere, dum Deo dicere potest. *Manè astabo tibi, & uidebo*, nimirum per contemplationem.

DIDYMI. Illi cui Sol iustitiæ initio figurati diei illuxit, gratias agendo laudem illuminationis suæ authori profert. *Manè* (dixit) *Exaudies uocem meam*: Nam cui me pro tam ingenti beneficio gratias debere fatear, præterquam tibi ò Domine, qui lux mihi illuxisti, & meę maximę speculationis author factus es? Semper igitur inchoatas contemplationes amor propè sequitur: nam ex eo, quod ait, *Et uidebo*, Ostenditur eum ardenter cupere speciem ac pulchritudinem ueritatis intueri: nam quemadmodum incedere inambulationem indesinentem significat, ita inspicere accuratam & assidue adhibitam cogitationem ostendit. Nam quomodo non semper ille aspicit, qui promissionem illam consequutus est, quę dicit. Erit ibi Dominus lumen sempiternum. Et: Lumen iustis semper.

Isa.60. Psal.99.

THEODORETI. *Astabo tibi, & uidebis me*, Quod non cuiuslibet est. Sed eorum tantum, qui secundum magnum Eliam uitæ integritate, ac loquendi libertate dicere audent. Viuit Dominus, ante cuius conspectum hodie stò.

3.Reg.17.

CYRILLI. *Manè astabo tibi*, Tanquam ingens lætitia, aut gloria de castitate adducitur, quod statim à cubili Deo & Regi astet, & Solem in agendis gratiis pręcurrat.

ORIGENIS. Qui opera tenebrarum abiecit, & induit arma lucis, ista profert.

CHRYSOSTOMI. *Manè astabo*, Non loco, sed factis adero coram te. Deus enim est ubique, at propè, uel procul esse operum munus est.

HESYCHII. *Manè* in lumine & splendore uirtutum: nam quando peccati nox recessit, tunc oratio iustitiæ Soli placet. *Videbo* Aliqui uidebis tradidere, Aquila: considerabo & inspiciam diuina de te mysteria & opera, quæ pręparasti diligentibus te, si me astantem tibi inspexeris, & me à facie tua tanquam indignum non repuleris.

ORIGENIS. Simul cum oriente Sole astabo tibi, & in contemplatione uersabor, & considerabo, quod tu Deus non es, qui iniquitatem uelis, neque apud te malignus & flagitiosus manebit.

THEODORETI. Ego autem te meas preces admissurum sperans, cum primum lux exoritur, somnum à palpebris excutiens tibi ut Domino, & Regi præstò adsum, meam supplicationem profero.

ASTERII. *Manè exaudies*, Cur in meridie non exaudit? Vespere quoque, & in nocte non annuit? Et quomodo alibi dixit, uespere & manè & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet uocem meam? Quando pro me (inquit) & pro iis precor, qui mecum sunt, tum Deum omni hora supplex oro. Benedicam enim Dominum in omni tempore: nunc uero pro Ecclesia interpello, quæ ex gentibus hæreditatem consequitur: Hęc autem in hæreditatem admittetur, cum Patris hæres manè resurrexerit, & cohæredem illam declarauerit: propter hæc in Ecclesia manè promissa repetens dico. *Manè exaudies uocem meam*. Quoniam & Maria in typum Ecclesiæ diluculo consurgens ad sepulchrum tanquam ad Thalamum nuptialem properans sponsum quærebat. Manè uerò pro celeritate Dei, & uelocissima redemptione licet accipere. Sequemur enim, ut cognoscamus Dominum tanquam diluculum præparatum inueniemus eum, & ueniet nobis tanquam imber matutinus, & serotinus.

Psal.54. Osee.6. Ioel.2.

BASILII. Donec enim nox est circa animam nostram, & nondum ortus est Sol, non est quod à Deo exaudiamur, cum uero diuina puritate mundata anima in splendore rationalis & spiritalis diei posita suas preces emiserit, Deum habebit, qui eius uoces exaudiat. Propterea dixit, *Manè astabo tibi, & uidebis me*, nam si Deo astare uolueris, nulli spiritui nequam astabis.

NICEPHORI. *Manè exaudies*, uel celeriter, & sine cunctatione: *Manè astabo tibi*, uirtutis, & conuersationis propinquitate.

EVSEBII. *Quoniam non Deus uolens iniquitatem*, Hæres hæc nostra tanquam promissis bonis digna iam facta, iniquos & ex leges sibi indicat in precatione sua dicens. Non omnino penès te habitauit ò Deus inhonestus atque adulter. Iniusti sanè licet priusquam impie agerent, penès te olim habitauerint, cuiusmodi fuere Iudæi, qui legem Mosis suscepere, non tamen usque in finem coràm oculis tuis permanebunt, ut potè diuinę legis transgressores facti. Eos uerò, qui iniquitatem operantur, cuiusmodi sunt qui ab omni cultu & pietate recedunt, tam diu odisti, quam diu odio digna faciunt, siquidem non qui olim operati sunt, sed qui adhuc inique se gerunt, tanquam in nequitia perseuerantes odisti. Porrò quicunque huius notæ sunt, ut non solum quæ falsa sunt dolose cogitent, sed illa quoque alios docentes

centes loquantur (quales sunt impii hęretici) eos in interitum tradidisti. Sed & inter hos omnes uirum sanguinum abhominabitur Deus, & uirum dolosum æquo cum illis supplicio desti nabit. Huiusmodi Iudas fuit qui osculo Dominum tradidit conferens nimirum excedentem fœtidæ rei auersionem, tanquam in magno piaculo abominandi hominis ad abominandam rem.

D I D Y M I. cum uerum per se maneat, malum à Deo minime erit, iuxta eorum sententiam, qui opinantur actu & re ipsa malum subsistere. Ex ore enim altissimi non ueniet bonum & malum, cum ipse bonum tantum esse uelit, quo posito non erit ubi malum subsistat. perdit *Thim.3.* autem eos qui mendaciū loquūtur quatenus mēdaces & decept ores sunt, ut ueritatem, quā olim *Amos.3.* sciebant, agnoscant: Siquidem hoc ipsum cognitio indicat: nemo enim est qui cum agnoscendi alicuius rei principium habeat, eam cognoscere dicatur, cœterum sed cum qui loquuntur mendacium, omnes à Deo perdantur, is quoque perdetur, de quo Saluator dicit. Cum loquitur mendacium de propriis loquitur, Qu d si uerum est, sequitur quod non sit natura malus: non enim initio quando esse cœpit, malus fuit. Sed postea mutatus principium sumendi mendacium habuit, cum alioquin in ueritate stare potuisset Quod patet ex iis, quæ de ipso scripta sunt, in ueritate non stetit, quoniam ueritas non est in ipso: Damnatur enim propterea quod in ea, in *Ioan.8.* qua olim fuerat, ueritate non stetit: Is enim cum mendax sit, quoniam in ueritate non stetit huiusmodi perturbationum tentator & author est. Mendacium loquentes intelligimus eos, qui peruerso habitu mentiendo loquuntur, non qui simplici, ac nuda tantum uerborum prolatione solum uoce tenus loquuntur. Nam qui hoc ex dispensatione ac prouidentia quadam fecerunt, ad id minis adacti sunt. Sic loquuta est Raab meretrix, quæ mentiri uisa est ad eos *Iof.2.* qui ad exploratores uiros bonos & obedientes interficiendos missi fuerant: (namque à I E S V Naue cum mandati essent commendatione digni erant.) dum ingens illos seruandi studium ostenderet. Cum ergò mens & propositum hominis multum boni habeat, non continuò sequitur, ut inter perditos, ac loquentes mendacium ponatur: Nam quemadmodum qui olim quoquo modo hominem interfecisset, homicida dicendus non est, ita nec qui semel effuderit sanguinem, uir sanguinum dici potest. Non enim homicidas & uiros sanguinum appellamus eos, qui diuino iussu morte dignos interfecere: Quales uides Eliam, & Samuelem, qui pro re- *3.Reg.18.* ligione multos interfecere. Quare sermo est de iis, qui per legis transgresionem cœdis ho- *1.Reg.15.* minum authores sunt. Quare meritò ad illud, *Virum sanguinum*, *dolosum* attexuit.

T H E O D O R E T I. Meas preces admittis, atque me supplicantem respicis, quoniam omnem iniquitatem abiicis, & in malitia consenescentes penitus auersaris. Execraris autem omnes qui iniquitatem amplectuntur: nam hoc subiunxit. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Neque habitauit iuxta te malignus*, Malitiæ ac uitii partes in medium affert. Ostendēs ea diuinæ uoluntati penitus repugnare: nam non modo malignitatem, iniquitatem, mendacium, dolum, & homicidium auersatur, sed etiam eos, qui hæc admittunt nolentes resipiscere & pœnitentiæ studere, abominatur. Cum uerò huiusmodi homines recenset, illos præsertim describit, qui per tempora Ecclesiam oppugnare aggresi sunt, licet eam expugnare nequaquam potuerint, Deo nimirum, ac Saluatore nostro repugnante. Inquit enim: portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Hoc ipsum psalmus hic pariter declarauit. *Math.16.*

H E S Y C H I I. Non amat Deus iniquitatem, licet ad tempus pro eorum utilitate, qui inique agunt, eam sustineat: non enim delectatur iniquitate, sed inique agentium pœnitentiam expectat. Fortè igitur per illud *Manè* futurum seculum intellexit, tanto præsenti statu præstantius, quantum dies noctem antecellit, in quo astantes (sumpto de malis suppliciis) aperte uidebimus Deum nolle iniquitatem: Sed nec malignus iuxta illum habitabit: nam non modo à Dei tabernaculis, in quibus sancti habitant, sed ab omni illis pro imo consortio eiicientur: ita ut nec bonorum contemplatione etiam procul delectentur. Sed neque in conspectu Dei erunt, in quo prius erant dum spes aliqua salutis supererat. Est autem Dei uisitatio, qua Deus peccatores ipsos ad se trahens inuisit. Sed quando in peruersitate perseuerant, tanquam serui obstinati, & inobedientes ab oculis Domini necessario eiiciuntur

O R I G E N I S. Eos, qui in uitæ institutione aberrant, operantes iniquitatem nominauit: Nos.n. Deus odit; At eos qui à ueritate descilcunt, & opinionū uarietate à fide aliena sentiunt, loquētes mendaciū appellauit, & hos perdet Deus. Tu uerò uerborum, *perdes, & odisti*, discrimen obseruato: primum quidem quoniam deterius est, *perdes* quam *odisti*. Deinde quoniam hoc in præterito, illud in futuro inclinauit. Non dixit autem λαλήσαντας sed loquentes si uero hos perdet Dominus, & omnis homo mendax est omnes planè Deus perdet, ut renuentes homines esse,

Dii fiant, quando quidem & qui Dii facti,& filii altissimi omnes facti homines sunt. Cæterum in futuro seculo Deus perdet omnes qui aliena à fide sentiunt.

CHRYSOSTOMI. *Et uidebo quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es: neque habitabit iuxta te malignus* Simulachra hic innuit, & Dæmonas per ea honoratos, qui omni gaudent iniquitate,& malignitate, Tu enim malignorum osor es, *neque permanebunt iniusti*. Ostendit hic Deum illos odisse,docens eos,qui illi propinqui esse uelint,se ipsos tales exhibere: nempe quod alia ratione ulla illi propè esse non liceat. Nam si uiro bono ille qui peruersis & auersis ab eo moribus est, propinquus esse non potest, ei multo magis appropinquare non poterit. Odisti omnes qui *operantur iniquitatem*, Hæc dicuntur non solum ut audiamus, sed etiam ut hæc assiduò audientes doceamur,& sponsi moribus nos conformare, & illi esse propinqui: Siquidem si hæc non fiant, omni diuina ope destituemur, quo nihil deterius nobis esse potest. Loquentes autem mendacium hic appellat eos, qui malè uiuunt, eos qui res fallaces persequuntur,eos, qui auaritiæ,gulæ, libidini dediti sunt, nam hæc omnia uocat mendacia. Siquidem pseudos, utrumque significat. Virum sanguinum hic dicit hominem qui cædibus delectatur, qui insidiatur, qui fraudibus compositus est,& uersipellis, qui aliud habet in ore, aliud in pectore,qui lenitatis ac mansuetudinis personam induit, sed se factis lupum ostendit,quò nihil peius inueniri potest.

NICEPHORI. *Quonia n non Deus uolens*. Hoc autem propter falsi nominis Deos dicit, quos Idololatræ erroris ministri inducunt omni peruersitate lætantes: hanc enim ἀνομίαν, id est iniquitatem appellauit. *Neque habitauit iuxta te malignus* Habitationem uerò appropinquationem,& familiaritatem intelligit.

ORIGENIS. Quemadmodum qui morbo laborat, coram medico ipsum leuare potenti non permanet,sic iniqui ante oculos Dei non permanent. Vir aût sanguinum aut ex sanguinibus aut sanguinarius intelligitur.

» *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.*
» *Introibo ad domum tuam,adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*
» *Domine deduc me in iustitia tua,propter inimicos meos dirige in conspectu tuo uiam meam.*
» *Quoniam non est in ore eorum ueritas,cor eorum uanum est.*
» *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.*

ORIGENIS. Cum maligni & iniqui penès te non habitent, neque sub cura ac tutela tua permaneant,Ego (ait) in misericordia tua in domum tuam ingrediar,& tunc meritò dicam,*Manè astabo tibi & uidebo*, & tanquam misericordiam consequutus, pietate munitus flectam coram te genua & adorabo te in spiritu & ueritate. Cœterum præclara uirtutis conditio,& sancta uita domus Dei est,quam quidem uirtutem qui possident cum fiducia & libertate magna loquuntur. Christus uerò tanquam filius uenit in templum suum,cuius templum sumus nos,iis,
1.Cor.6. qui nobis similes sunt,dicentes, Templum sanctum estis,& corpora uestra templum sunt spiritus sancti. Quomodo uerò non ille domus & templum Dei est qui IESV sermonē seruat? apud
Ioan.14. quem Filius & Pater mansionem faciunt? Est quoque domus ac templum Dei ipsa Ecclesiæ
1.Thim.3. doctrina iuxta illud ad Timotheum. Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiui. Iuxta utramque considerationem ingreditur quilibet, & adorat ad templum sanctum Domini Dei potius misericordia, quam proprio uitæ instituto & consilio fretus.

THEODORETI. Cum enim ego benignitatis tuæ fructus percipiam,& tua dextera protegar, assiduam tibi adorationem profero in templo gloriæ tuæ dicato, timorem tuum iugiter circumfero,non enim permittam ut secluso timore benignitati tuæ confidam.

DIDYMI. Virtutes (inquit) non habeo,quæ me Deo coniungere, & in templum eius possint inducere,sed tua benignitate fretus ipsum ingrediar. Templum autem & domus Dei est sancta & in uirtute constituta conditio, quam qui habent cum fiducia & libertate loquuntur. Christus uerò tanquam filius in domum suam, cuius domus nos sumus, ingreditur. Non amplius (inquit) apud me despecta erit iustitia directa à deductione,& prouidentia tua,qua fortiora & maiora uiribus meis tanquam uiæ cuiusdam impedimenta tolluntur: ut iustitiæ ueritatem ac robur habens fortitudinem quoque habeam aduersus inimicorum impetus & inuasiones. Qui sibi moderari ac sapere proponit,& quæ decent agere statuit,plures homines & Dæmonas quoque aduersarios habet, qui inuidia in bene agentes flagrant, & in bonos consurgunt,contra quos cum imbecillus & infirmus sit,coadiutorem Deum inuocat. Ideo dixit, *Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos*. Dirigitur autem aliquis à Dei iustitia, Virtute enim legiti

me

me ſequens,iuxta illud poſt Dominum tuum ibis, uirtutem tibi ſcilicet ſubminiſtrantem.

EVSEBII. *In iuſtitia tua* nempe Chriſto : ipſe namque factus eſt ſapientia à Deo,& iuſtitia,& redemptio.

THEODORETI. In quibuſdam exemplaribus ſcriptum eſt. *Dirige in conſpectu meo uiam tuam*, Vtraque lectio pium ſenſum habet. Si enim uia noſtra dirigatur coràm Deo , non errabimus. Si uero Dei uia coram nobis, expedit ut cum alacritate eam peragemus. Prò,*dirige*, Symmachus dixit,explana,iuxta illud Iſaiæ. Erunt prava in directa , & aſpera in uias planas.Dictum eſt etiam & in alio pſalmo. A Domino greſſus hominis dirigentur,& : Viam eius uolet nimis. Cœterum quæ hæreditatem conſequitur,hæc magna cum humilitate profert,non enim rogat uiam ſibi pro ſua iuſtitia dirigì, ſed propter hoſtes & impios, qui illam oppugnant.Mox peruerſa illorum ſtudia per partes detegit , dicens. Mendacio linguam inquinant : Cor eorum uanum eſt: cogitationes pares ſunt , & mens cum ore conſentit. Occluſa autem ſepulchra occultum fœtorem habent, recluſa uerò atque patentia teterrimum odorem exhalant,ita ut proximos quoque corrumpant : ita iſti (inquit) huius generis uerba impietatis,ac fœtoris referta eructant: Quibus uerbis blaſphemias in Deum, ac uerba impudentiæ ac improbitatis latenter inſinuat.

Iſa.40. Pſal.36. Pſal.111

THEODORI Anthiochẽſis. Illud, *deduc me,& dirige in conſpectu tuo uiam meam* idem ſignificant : prò eo , Duc in altum : nam illud, *in conſpectu tuo* prò, dirige uiam coràm me dictum eſt,propter Iudæorum opinionem , qui exiſtimabant Deum in monte Sion habitare. Quod nerò ait. *Propter inimicos meos* cum interiectum ſit,ad utrumque refertur. Surſum igitur duc me (inquit) ut ab hoſtibus, qui me opprimunt , eripias,*Et in iuſtitia tua* dixit , hoc eſt , quemadmodum tibi perpetuus mos eſt iudicare. Demum oſtendit , qua ratione iuſtus ipſe ab hoſtibus uẽdicetur probationem ſumens à uiribus eorum.

CHRYSOSTOMI. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ*, Quoniam ex huiuſmodi hominibus collecta Eccleſia erat , gentibus nimirum , magis homicidis præſtigiatoribus mendacibus, impoſtoribus , dixerat autem, *odiſti,& auerſaris* : ſignificans quod ipſa non ex iuſtitia, & recte factis , ſed ex illius clementia ab illis liberata in penetralia introducta eſt , ſubiunxit. *Ego autem in multitudine* Ne enim diceret quiſpiam : Quõmodo ergo tu, quæ hæc & illa deliquiſti,ſeruata es ? modum ſalutis aperit ꝑp ingentem(inquit)benignitatem,propter ineffabilem bonitatẽ ſeruata ſum.*Adorabo ad templum ſanctum tuum* Vbi enim gratię particeps, factus fuero, tunc (inquit) & offeram quæ in me ſunt , hoc tibi ſacrificium offeram : *Adorab o ad templum ſanctum tuum in timore tuo* Non ſicut multi , qui orant fricantes, hiantes, torpeſcentes,ſed cum timore (inquit) & tremore . Qui enim ſic orat , omne uitium abiicit , ad omnem uirtutem adducitur, Deum ſibi propitium reddit. *Domine deduc me in iuſtitia tua* Dixit laudes Dei, dixit odium in malos,benignitatem , & clementiam, dixit ſalutem ſuam , & quomodo ſeruata ſit: dixit poſtquam ſeruata fuit,quæ nam attulerit,uitia auerſata eſt, ad uirtutem deducta eſt , iis etiam qui improbe uiuunt , ſpem attulit, ut ſi reſcipiſcere uoluerint, miſericordiam conſequi poſſunt, conuertit ſermonem ad petitionem , quæ deinceps dicit , *Domine deduc me in iuſtitia tua* Vides, nil fluxum,nil caducum poſcit,& quomodo ſupernum imploret auxilium. Qui enim uiam illam ingrediuntur, eo maxime auxilio indigent. Iuſtitiam uero hic dicit uniuerſam uirtutem , & recte dixit, *iuſtitia tua*, Siquidem eſt & iuſtitia hominum,quæ ab externis legibus ortum habet,ſed uilis eſt,& quæ nihil habet perfectum & abſolutum & conſtat ex hominum cogitatis . Ego autem iuſtitiam tuam poſtulo quæ à te delata eſt, quæ ducit in cœlum,& opem quęro ad hanc mihi iuſtitiam conciliandam. Recte autem dixit illud, *Deduc me* Siquidem uita præſens uia eſt, quæ ut à ſuperna manu deducatur opus habet , ſi enim urbem aliquam ingreſſuri opus habemus aliquo, qui uiam nobis indicet,multo magis in cœlum emigraturi diuino auxilio indigemus, ut indicet, confirmet & deducat:Multæ.n. ſemitæ ſunt quæ diuertunt propterea Dei dexterã teneamus.*Propter inimicos meos*, Multi (inquit)conſpirarũt hoſtes quærẽtes greſſus meos diuertere & in errorem abducere,& alio me uertere , quoniam igitur huiuſmodi inſidiæ mihi parantur, quoniam tales ſunt hoſtium conatus,tu ipſe me deducito : nam tuo ducatu , & ope indigeo.*Dirige in conſpectu tuo uiam meam*,Hoc eſt fac mihi eam clarã,apertã, notam.Fac ut ea apud me ſit certa & recta: Alius interpres dixit.Complanante me uiam tuam. hoc eſt planã & facilem redde.

NICEPHORI. *In domum tuam* per domum & per templum , tam terrenum,quam cœleſte intelligere potes,in quo multa cum reuerentia & timore Deum adorat qui Dei amator eſt. *in iuſtitia tua* in lege tua , uel per manum Filii tui, qui iuſtitia eſt & ſanctificatio *deduc me, propter inimicos meos* Explana quæſo Domine uiam, quæ ad te ducit: uel dirige me ne declinem ad

dexteram

dexteram aut sinistram propter insidiantes mihi hostes, & ponentes mihi scandala.

Psal. 59.

EVSEBII. *Cor eorum uanum est* Esse quoque isti possunt qui sapientes huius seculi dicũtur, de quibus scriptum est: Nouit Dominus cogitationes sapientum quod uanæ sunt. Horum guttur spirat mortua dogmata, quod non uiuificum Dei sermonem sed falsum atque mortuum & lætiferam quamlibet doctrinam exhalantem doceant. *linguis suis dolose agebant* longè molestiora & grauiora sunt quæ reticentur, quam quæ proferuntur uerba, nam qui se se per fraudem occultant, grauissima quæque aduersus proximos machinantur.

HESYCHII. *Sepulchrum patens* Vides cui nam comparet huiusmodi hominũ ora. Sepulchra guttura eorum appellat, dentes uermes: uerba mortuorum ossa sermones circunferentia, dolosum uerò infernum iuxta seriem collationis appellari inueniemus. Postquam uerò sermonibus dolosis ueritatis cognitionem confuderunt, & linguam ueritatis instrumentum arma iniquitatis fuerunt, iudica illos Deus, hoc est arguens & conuincens damna, nam te dolosus nullus latere potest.

CHRYSOSTOMI. *Sepulchrum patens est guttur eorum* Vel hominum cęde delectari, uel mortua & fœtentia dogmata proferre hic intelligit. Non abberrauerit etiam si quis eorum, qui obscœna uerba loquuntur, ora sepulchra appellauerit: nam fœtor ille, qui ex animæ putrefactione oritur sensibili grauior est. Non dixit autem simpliciter & absolute *sepulchrum*, sed, *patens* ut etiam innuat, maiorem inesse abominationem. *Linguis suis dolose agebant*. Vidisti aliud improbitatis genus. Hi quidem dolum in mente sua celant blandis uerbis utentes, alii autem adeo uafri & astuti sunt, ut in ipsis uerbis improbitatem obtegant fraudesque & insidias parent.

ATHANASII. *Vanum est* sapientium seculi cor, aut etiam de hæreticis hoc intelligito, nam & hi, & illi ueritatis sermonibus non acquiescunt.

Iudica illos Deus

Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine

Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis

Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen tuum; Quoniam tu benedices iusto, Domine ut scuto bonæ uoluntatis coronasti nos.

CHRYSOSTOMI. Vides hic quoque quam sit mitis oratio: non curo (inquit) quæ mihi facta sunt, sed ea propter doleo, quæ in te patrarunt: Hoc enim est imprimis pii & sapientis animi suas qui leni nolle ulcisci, Dei uerò iniurias uehementer persequi *& lætentur omnes* Vide orationis lucrum, & illi meliores euadent, & desistent à uitiis, & alii ingenti uoluptate afficientur uidentes illorum mutationem *in æternum exultabunt* Hoc est maxime perpetuum gaudium: alia enim gaudia nihilo stabiliora sunt, quam fluuiorum fluenta, quæ simul ac uidentur, præterfluunt. Quæ autem à Deo lætitia oritur, permanet, & firmis hęret radicibus, & per se satis est perpetua et stabilis, quæ nullis inopinatis, & inexpectatis casibus interrumpitur. Sed quo magis eius impedimenta crescunt, eò major, & sublimior redditur. Nam & Apostoli flagellis cędebantur, & gaudebant: Et Paulus affligebatur, & exultabat, moriturus erat, & gaudii participes appellabat. *Et gloriabuntur in te*, His enim solis licet maxime gloriari, his gaudere, his lætari: nam qui de iis, quæ ad hanc uitam pertinent, gloriatur, & lætatur, is nihil differt, abiis, qui in somnis uoluptate fruuntur. *Quoniam tu benedices iusto*, Quoniam multi ex iis, qui ita affecti sunt, probris & execrationibus ab hominibus impetuntur & irridentur, & præcipue qui uirtutẽ persequuntur, ne quis è crassioribus propterea animum abiiciat, uide quomodo eius mentem fulciat, & sustentet dicens. *Quoniam tu benedices iusto* Quid enim damni accipit, si homines contemnant, & uniuersus orbis terrarum despiciat, si Dominus Angelorum eum laudat, & prædicat? Quemadmodum si ipse non benedicat, & si omnes laudent, qui terram & mare habitent, ei nihil prodest. Domine *ut scuto bonæ uoluntatis coronasti nos* Rursus desiit in gratiarum actionem, quibus gratiæ aguntur hymnos offerens. Quod est autem scutum bonæ uoluntatis? Scutum optimum, arma, quæ sunt ex Dei sententia, arma optima & pulcherrima. *Quod* autem dicit huiusmodi est, nos optimo præsidio muniisti. Alius interpres dicit, coronabis ipsum. Dei iusto intellexit, quasi diceret, coronabis ipsum iustum, hoc est bona tua uoluntas est illi prò armis, iisque præstantissimis: Vel illud. Optimo auxilio iustum munis, & neque eius pulchritudo securitate, neque eius securitas gloria priuata est. Quid enim fortius, quid rursus pulchrius est eo uiro, qui à superna dextera munitur?

EVSEBII. *Iudica illos Deus* quos prædiximus inimicos, eos (inquam) qui mihi spem de

hæredi-

tate conceptam eripere moliuntur. (isti enim te irritant) iudica (inquit) Deus, si meæ ulla ti-
bi salutis est cura : nam qui ita instructi sunt, ut tecum pugnent, & te prouocent, insidias mihi
parare non desistunt. Quare hinc iam illos iudica, ut non solum ab insidiis mihi struendis ces-
sent, sed ipsi quoque à prauis consiliis desciscentes, & à multitudine iniquitatum suarum exem-
pti, utilitatem capiant, & per iudicium tuum ab ingenti illorum nequitia liberentur. *Et lætentur*
omnes Hic est autem bonorum finis hæreditate à se diù expectata perfrui, Dominum præcla-
ra hæreditate accipere, ipsum secum inhabitantem habere iuxta promissionem quam fecit, di-
cens: inhabitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quæ 2.Cor.6.
superius dicta sunt de Saluatoris aduentu etiam dicta intelligi possunt. Expectabatur enim à
prophetis, & ab iis, qui oracula illorum percipiebant; Nam Deus uerbum caro factus adue-
nit, ut in iis, qui in eum crederent, inhabitaret, & assumpta carne in publicum prodiit. Siquidem 2.Cor.6.
(inquit) uerbum caro factum est; & habitauit in nobis, quo inhabitante in æternum exultabunt,
qui in se illum susceperint. Videbunt enim uerbi in se per carnem habitantis gloriam quasi Ioan.1.
unigeniti à patre, plenum gratiæ & ueritatis. Qui hoc tempore in æternum exultant, re ipsa
unigeniti gloriam contemplantes ii sunt, qui dicunt, licet Christum secundum carnem cogno- 2.Cor.5.
uerimus; nunc tamen non ita illum cognoscimus habentes eius gloriæ speculationem, quate-
nus unigenitus est à Patre: *Et gloriabuntur in te omnes.* Duplex est gloriatio, bona & mala: De
mala dixit Apostolus: Nullus glorietur in hominibus. Et propheta, Non glorietur sapiens in 1.Cor.3. Ier. 9.
sapientia sua; neque fortis in fortitudine sua, neque diues in diuitiis suis. De bona uerò, quæ
longè ab ista dissidet, dicit Apostolus. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri
IESV Christi. Et: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et, qui præsentes sunt, non aliam Gal.6.
sibi gloriandi causam sument, quam quod nomen tuum dilexerunt, spontè quidem ac libe- 1.Cor.1.
rè, affectu & ingenti charitate, non autem metu & necessitate illud uenerati sunt. Causa uerò 2.Cor.11.
gloriandi erit illis, quod cœlestium benedictionum compotes facti erunt, de quibus loquitur
Apostolus. Benedictus Deus, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus. Eph.1.
Bonorum autem speratæ hæreditatis finis est corona iustitiæ, quam adipiscentur, qui conse-
quenter cum Paulo dicere possunt. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem ser- 2.Tim.4.
uaui, in reliquo reposita est mihi corona giustitiæ: Hæc enim corona bonæ uoluntatis placuit
Deo ut tanquam protegente clypeo aduersus omnes hostiles impetus, qui fiunt in domesticos
eius, uteremur.

ORIGENIS. *Iudica illos Deus* peccanti magis expedit à Deo iudicari, quam extra di-
uinum iudicium manere.

GEORGII. Non dixit, puni, sed *iudica*, quod est precantis pro illis, ne deterio-
res euadant.

ORIGENIS. *decidant à cogitationibus suis*, cadere à malo consilio cadenti & non in fi-
nem in malum procedenti felicitas est. in malum autem in finem cadere, est bonorum finem nõ
sortiri. *Expelle eos* Non expellit Deus quemquam: namque ait, qui se elongant à te peri-
bunt. Tu ergo à multitudine impietatum suarum expelle illos: *Et lætentur omnes* Sublatis in- Psal.32.
sidiatoribus aderit ęterna lętitia te in ipsis inhabitante. Et quomodo non est exultatio ubi Deus
tanquam in proprio templo habitat, & inambulat? Quare elongari à Deo in captiuitatẽ abdu-
cẽte peccato, res digna est luctu. Seculum est naturalis conditio ex multis corporibus differen-
tias continens rationales propter Dei cognitionem. In æternum (inquit) exultabunt, quoniam
ęterna ipsis est habitatio.

THEODORETI. *Iudica illos* Discutiantur iudicio tuo Domine, & frustrentur in his, quę
in nos parant, & experientia discant, quod araneæ telam texunt, & pœnas suis conatibus dignas
ferant: nam contra te bella mouent, & aduersus eos, qui tibi adhærent, aciem instruxerunt. *A*
multitudine impietatum suarum, Non unum (inquit) sed plura impietatum genera exercuere,
quando bonum, facilem, benignum Dominum multitudine impietatum suarum irritauerunt;
Expelle igitur *eos* hoc est, deiice, Nam dispersio huiusmodi timorem quoque reliquis, & com-
punctionem incutiet. cœterum iis, qui tibi credunt, lætitiam afferet, non illorum quidem in-
teritus, sed prouidentia tua. credunt enim quod in illis habites, & inambules, seque dicatam ti-
bi domum constitueris.

THEODORI Tua enim benedictione, ac procuratione seruis tuis impensa, qui se tui no
minis amatores constituerunt, declarata, efficitur, ut sub tutela tua glorientur, potentiam tuam
prædicantes. Vnde & beatus Paulus ait, Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1.Cor.1.

THEODORETI. *Domine ut scuto* bonæ uoluntatis. εὐδοκίας Scriptura Dei bonam uo
luntatem

Psal.84. luntatem appellat,iuxta illud. Benedixisti Domine terram tuam, prò, bene uoluisti terræ tuæ.
Eph. idest,dilexisti.Et apud Beatum Paulum. Secundum beneplacitum uoluntatis suæ, hoc est,iuxta suam bonam uoluntatem. Hoc idem hoc in loco dicit. hoc est bona uoluntas tua, & maximus in nos amor tuus, atque dilectio, scutum nobis in uictoria parans, & corona in triumpho extitit.

DIDYMI. Quomodo Deo conuenit illud (irritauerunt) cum ad hominem id spectet? An quia cum nos afficimur, uidetur & ipse affici & commoueri. De nobis enim dixit, obli-
Osee.4. ti sunt legem tuam, & ego obliuiscar filiorum tuorum. Simile quid Paulus dixit.Si quis igno-
1.Cor.4. rat,ignorabitur,ab eo scilicet dicente. Discedite à me omnes operarii iniquitatis,nunquam co
Luc. 13. gnoui uos. Hæc igitur cum ita sint, qui præfracta consuetudine, & sæuissima sui ipsius nequitia ad iram irritatur,dum pro male gestis digna & paria sustinet supplicia, Deum contra se irritari existimat. Proinde anima,quæ iudicio ac decreto Dei ob peccata collapsa est,dixit: Ego irritans irritata sum: Hinc cum iudicium ac damnationem sequi uideat, iustus est Dominus (inquit) quia os eius irritaui. *Domine ut scuto* Scutum & corona crux est, scutum ob pugnantes corona ob uincentes, scutum ob milites compatientes, corona ob uictores conregnantes.

NICEPHORI. *Iudica illos Deus* condemna. *decidant à cogitationibus suis*, hoc est frustrentur propriis consiliis. *In seculum exultabunt*, hoc est, semper, *Qui diligunt nomen tuum*, Siquidem christiani usque adeo Christi nomen diligunt,ut ex illo tantum cognosci uelint. *Quoniam tu benedices iusto* Non tantum in præsenti seculo tu eis benedices,eorum laudes omnibus
Matth.25. notas faciens, sed & in futuro, quando uocabis eos dicens. Venite benedicti patris mei. *Ut scuto bonæ uoluntatis coronasti nos* Tu ualde muniisti,& circundedisti nos scuto quodam probato, ac forti beneplaciti tui, aut bonę uoluntatis & beneficentiæ tuæ hoc est, muniisti nos potentia tua,& protexisti ab omni noxa.

HESYCHII. *Decidant à cogitationibus suis* Quod nam eorum consilium,quæ cogitationes sunt? nimirum supplantare iustum: nam si non aberrat à uera uia nec offendat iustus, huiusmodi homines à spe & à consilio suo cadent, aut decident à cogitationibus suis,ut puniti discât non uanum esse iudicium in his, in quibus postea reputabuntur. *Coronabis nos* Alii in diuitiis, alii in potentia,uel gloria uel pulchritudine, & eius generis bonis gloriantur,sed qui diligunt nomen tuum,in te gloriabuntur: nam te instar rerum omnium hæreditatem assequuti sunt. Quáobrem si nomen Dei nobis cordi est: nec temerè Christiani, hoc est Dei appellatione nominati sumus,in nullo fluxarum rerum bono,sed in eo solo gloriabimur.

ATHANASII. Coronã inquit laborũ nobis dabit in fine,qua tãquã scuto circundabit nos.

ORIGENIS. Idem est iustorum scutum,& corona. Ita ut qui scuto circundatus est, coronetur & qui coronatur scuto circundatus sit,habet enim aliquid cum hoc similitudinis, illud, corona glorię circundabit te.

IN FINEM IN HYMNIS

PRO OCTAVA PSALMVS DAVID.

Domine ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me.



EVSEBII CAES. *pro octaua.* Hic est Salutaris Dies Dominicus, quo Saluator ab inferis excitatus resurrexit.in quo peccatorum omnium mundationem fieri firmissima fide tenemus,& die octauo iuxta legis ritum infans nuper natus figura quidem circunciditur, re uero ipsa abluitur: nam omnis anima regeneratione in Deo nata, per salutarem Domini resurrectionem, quæ dies octaua est, expurgatur, quæ dies eò melior septima esse cognoscitur, quo in ipsa lex de sabbato abrogatur si ad ipsam infantis octaua redigatur. homo enim in sabbato circunciditur.

DIDYMI. Diuiniorem intelligentiam psalmus is habens, *in*
Rom.2. *hymnis* continetur. *In finem* uero canitur, quod absolutissimæ ac perfectissimæ sint de sabbato
Eph.2. & octaua speculationes. Qui habet spiritalem circuncisionem Deo circunciditur, qui carnalem

lem non item. Quare inquit Propheta. Circuncidimini Deo uestro, & non circuncidite carnem *Ier.4.* præputii uestri. Et propterea idem Propheta. Omnes (ait) gentes incircuncilæ sunt carne: *Ier. 9.* Domus uerò Israel incircuncisi corde suo. Nam quemadmodum qui ad sensum circunciditur aufert partẽ aliquam ad generationis opus accõmodatam, ita qui omnem ab animo cogitationem naturæ amicã abiicit, corde circũciditur. Hoc modo circuncisi sunt, qui uere cælibes, & innupti sunt, qui sollicitè cogitant quæ Domini sunt, ut illi placeant. In octaua aũt circuncisio hæc perficitur. Oportet.n. ut qui mundum sex diebus absolutũ supergressus fuerit, in septimo die, sancto utique *1.Cor.7.* & delitiis pleno Sabbato conquiescat. Et quoniam ad perfectam beatitudinẽ ab humanis operibus requiescere, ac cessare non satis est, oportet supra mundanam supra hanc accipere conditionẽ, quæ octaua est. Quam qui experiri desiderat, non diligat mundum, neque quæ in mundo sunt. Quod uerò ad hoc lex intentionem dirigat, manifestum ex eo est, quod interitum minetur infanti, qui non fuerit octaua die circuncisus: non autem minatur parentibus, aut pueri alumnis: non.n. rationi consentaneum est, illi comminari, qui præceptum seruare non ualet.

THEODORETI. Octauã futurũ statũ Propheticus sermo appellat, cum.n. uita præsens per septẽ hebdomadis dies conuertatur, tempus à prima die initium sumens, & in septimam desinens, iterũ in primã recurrit, & sic in septimã progreditur, merito quod extra septenariũ est, octauum diuinus sermo appellat. Mortis uero atque iudicii mentio fit in præsenti Psalmo, quare sic eũ inscripsit. *Non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Non enim ibi est pœnitentia, nec fieri potest, ut qui dum uixerunt, & pœnitentiæ saluberrimis remediis uti noluerunt, illic Deo confessionem afferant pro peccato. Quod ex stultarum uirginum parabo- *Matth.25.* la intelliges, quas nouimus extinctis lampadibus extra ianuas cubiculi sponsi mansisse, pulsantes tamen, sed reiectas, & exclusas. Dixit enim illis sponsus. Discedite non noui uos. Quòcirca beatus Dauid post duplex illud flagitium resipiscens has Deo preces affert, postulans ut sanetur, perinde ac si medicamenta pœnitentiæ in uita illa locum amplius non haberent.

ASTERII. Cum beatus Dauid in proximo præcedenti Psalmo de hæredibus dixisset, qđ oẽs qui sperãt in Deũ lætabũtur & exultabũt, de exhæredatis uero audiuerit, qđ non habitabit iuxta te malignus, neq; permanebũt iniusti ante oculos tuos, & qđ, uirũ sanguinũ & dolosũ abhominabitur Deus, ipse uerò Vriã dolose sustulerit, & sciẽs, quod oẽs fornicator, & impurus nõ habe- *Eph.5.* bit partẽ in regno Christi, ne & ipse pp scelus ab hæreditate adeũda arceretur, Psalmũ canẽs pro octaua & mortuorũ resurrectiõe orabat. Siquidẽ adulteriũ, & homicidiũ ab hęreditate propulsãt.

NICEPHORI. Laudat, ac magnificat Deum Propheta hoc Psalmo, rogatq; pro octaua, hoc est pro futuro seculo. In psona aũt nõ sua tantũ Propheta, sed & omniũ nostrũ preces ad Deũ mittit ad Deũ inquã, qui in futuro illo seculo oẽs iudicaturus est. Hunc aũt Psalmũ composuit beatus Dauid, postquã in angustias, atq. afflictiones decidit, quæ illi ob eius peccata obuenerant.

HESYCHII. De futuro iudicio Psalmus est, tanquam si uiri sancti, a iudicio liberari, & diuinæ mercedis dignos fieri postularent.

CHRYSOSTOMI. Vetus quidẽ testamentũ circũcisionẽ, nouũ aũt à mortuis resurrectionẽ in octaua nouit in qua circunciditur mors. Cæterum ad eos, qui dubitant an Dauid exauditus fuerit, per inscriptionẽ, quę in finẽ mandat, responderi uidetur. Sic.n. in fine legetur inscriptio, & quæ in ea scripta sũt, uidebis. *Discedite à me oẽs qui opa mini iniquitatẽ. Quoniã exaudiuit Dominus uocẽ fletus mei*, & quę sequũtur. Quoniã uerò hoc seculũ septẽnariũ ẽ nõ solũ quia dierũ hebdomade, sed millenario annorũ septẽnario mẽsuratur, iuxta illud, dà ptẽ his quidẽ septẽ, illis ãt octo: me- *Eccl.11.* ritò futurũ seculũ octauam appellat. tãquam de octaua mẽtionem faciẽs de morte, ac de iudicio.

THEODORETI. *Domine ne in furore tuo arguas me*, Nõ orat, ut non arguatur, sed ne cũ furore arguatur, neq; petit, ne corripiatur, sed ne cũ ira castigetur. Paterno (inquit) nõ iudiciario more me corrigas, medici nõ tortoris modo, ne metiaris uindictã peccato, sed benignitate iustitiã tẽperato.

THEODORI Antiocheni. Cõfitetur Deo peccatũ suũ beat' Dauid, qđ in Bersabeę cõmiserat, cũ ea cõcũbẽs. Loquitur aũt hęc in calamitatib' cõstitutus, quib' pp peccatũ grauiter torquebatur.

NICEPHORI. Caret affectibus diuinitas, cæterum digna peccatis nostris pœna Dei furor, & ira dicitur.

CHRYSOSTOMI. Quãdo furorẽ, uel irã audineris, nihil humanũ suspiceris, sunt.n. uerba, quib' se accõmodat, & ad captũ nostrũ se demittit. Deus.n. ab omni pturbatione liber est: nã si homines qui sapiẽtiæ studiũ meditãtur, quo ad eius fieri põt, se ab ira alienos pręstãt, multò magis natura illa, quę interitus & labis exps est, & quę nec dici nec cõprehẽdi põt. Nõ uides qđ medici quoq; dũ secãt, uel urũt, nõ id irati faciũt, sed ut malè affectas ptes corrigãt, nõ irascẽtes ægrotis, sed miserẽtes, & à malis subleuãtes? dicit ergo: Ne pœnas sumas de peccatis meis, nec delicta mea psequaris.

ASTERII. *Domine ne in furore*, Sed quomodo beatitudinẽ non recusas, qui correptionẽ,

Iob.2. Psal.93. & disciplinam detrectas. Nam in libro Iob scriptum est: Beatus homo, quem Deus in terra corripit, de quo etiam tu alibi. Beatus homo, quem tu erudieris Domine? Atqui non argutionem (inquit) deprecor, sed furorem metuo, quo soles arguere: nec correptionem fugio, sed eã,quæ cum ira fit: nam furor & ira eos manent, qui dum uita subest, non resipiscunt. Ego uero hoc non mereor,quando pœnitens me ipsum, (ut inferius decet) puniam & castigem.

DIDYMI. Qui sensum & cognitionem ex disciplina recipit, is solet dicere. Iram Domini perferam, quoniã peccaui illi,donec causam meam iudicet,& faciat iudicium meũ, & auferat peccatũ meum,& ducat me in lucem: (Mich.7.) Cum enim ad hunc statum ductus agnouerit irã sibi ue luti medicamentũ diuinitus adhiberi,non indignatur,cum ab eo, qui auxilii ferendi gratia ita iudi cat,causã dignoscatur. Siquidem nouit post iram ex sententia eã inferentis se à Deo peccato ex pulso in lucem euectum iri. Cæterum doctrina & correptio, quæ sermõne efficitur, melior est redargutione,quę cũ ira fit, quoniã illa spontaneam & uoluntariã omnino pœnitentiã parit. Hęc uero non omnino uoluntaria fit. De illa autem, quæ per sermonem absoluitur, Paulus ait. (Eph.5.) Oia, quæ arguuntur,à lumine manifestantur, nam reprehensio per lumẽ facta manifestatio est modo quodã demonstrationis,& propalationis, non peccatorum tantũ,sed iustorũ: dũ Deus peccatorũ,qui ob ignorantiam,& malitiã tenebræ nominantur,illuminat occulta,& consilia cordiũ iusto rũ manifestat. Veruntamen quanquã furor, & ira Dei malos malẽ tractet, conferunt tamen, cũ malitiã,& impietatẽ abigentes ad optimum finẽ deducant. Probatus ergo Propheta huiusmodi proficua ira & utili furore, Benedicam tibi Domine (inquit) quoniã iratus es mihi in salutẽ: Cõ (Isa.12.) uertisti furorẽ tuũ, & misertus es mei. At ipse Deus ostendens occultã in ira bonitatẽ suã dicit. (Psal.59.) Quando ueniet ira furoris mei, rursus sanabo: (Iob.3.) Illam.n.exerit, non ut hominibus noceat, sed ut morbos,quibus laborauerunt, consultò deleat. (Abac.3.) Si.n. reuelatur ira Dei, hoc tamen fit super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, cum ira illa,impietatem, & iniustitiam deleat. Quod (Exod.15.) autem ira in Deo non sit affectio,Moses ostendit,inquiens. Misisti iram tuã, quæ deuorauit eos sicut stipulam: nam ira, quæ affectio est, non mittitur: est enim irascibilis animæ facultas. His autem uerbis iram uocat miseriarum, ac dolorum in malos inductionem.

HESYCHII. Si arguitio tua cum furore fiat,is quem argueris pessum ibit. Si ira conci tatus corripias, inutilis redditur & intollerabilis disciplina, quoniam ab irato, & concitato rege proficiscitur. (Iac.2.) Propterea Iacobus Apostolorum moderator,nos docuit perfundere misericordiæ oleo iudicium, & eleemosinam permittentes contra iudicium gloriemur, & tempore oportuno iram humanitate declinare possimus.

ORIGENIS. Quanquam acutius furor arguat, & celerius ira corripiat, ego tamen prò pter meam imbecillitatem misericordiam requiro, & alia curandi ratione argui, corripi, quę non tam magnos dolores afferat, posco, ita non argui in furore, nec corripi in ira Dei petit, sed ut illi misericordia impendatur ob suam imbecillitatem, & ut à conturbatione ossium anima sua sanetur.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea conturbata est ualde, & tu Domine usque quo?

Conuertere Domine, eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam,

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

EVSEBII Cæsa. Quoniam peccatum omne ex ęgritudine oritur,dum anima ægrè deten ta ad propulsandum affectionis impetum nequit prospicere, hanc ob causam qui peccat, propriã imbecillitatem accusat, & prudenter admodum ac firmiter ad Saluatorem, ac medicũ Dei filium confugit: Solus.n.hic animæ rationalis uulnera & affectiones, morbos item ac ęgritudines sana re potest. nam inhærens animę rationali quatenus uerbum Dei est, omnem (ut ita dicã) irratio- (1.Cor.1.) nabilitatẽ aufert: quatenus uero sapientia Dei illam omni insipientia liberat, quin & tanquam iu stitia ab omni iniustitia illam uendicat, & tanquam ueritas mendacium ab ea propellit. Cum uero Propheta dicat ossa eius perturbari, fortes intelligit animi facultates, quibus uiriliter ac cõ stanter perferre, & ad irruentes in se perturbationes subsistere consueuit: nam si ipsum declarans inducit, & quomodo ipsa ossa conturbata sunt, exprimit, dicens. *Et anima mea turbata est ualde*, sanitas ac medicamentum infirmitatis animæ uirtus Dei est, quæ ab eo in nos proficisci- (Phil.4.) tur, quam qui consequetur, dicet: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christus. Quod uerò in scripturis ossa intelligantur, de rebus quæ sub sensus non cadunt, inde patet: Omnia

ossa

ossa mea. dicent, Domine, Domine quis similis est tui? & ibi. Dissipata sunt ossa nostra in Psal.34.
infernum. Psal.140.

THEODORETI. *Miserere*, Aptissima est uox ista peccatoribus: nam peccatum ipsum
ægritudo mentis est: Siquidem si ratio in nobis non ægrotauerit, perturbationes minime turbas
excitabunt. Quoniam se auriga scienter, & ualide equos conuertere, & inhibere nouerit, non
insultabunt.

ATHANASII. Omnis enim anima non prius labitur in peccatum, quam uires ipsa suas
abiecerit.

HESYCHII. Docet Propheta in peccato positus quomodo orare, & qua ratione se hu-
miliare, & Dei misericordiam implorare oporteat. Namque ait, eum in malis constituti, fortes
sumus, ac quieti, tunc Dei adest misericordia.

THEODORETI. Ossa hic cogitationes uocat: Quoniam enim ossa solidiori natura
constant, & corpus fulciunt, meritò ex translatione ossa nuncupauit cogitationes, quibus
homo dirigitur. Horum igitur conturbatio commouit, & concussit me. quapropter
uehementer oro, ut benignitate tua restauratus, per eam salutem consequar.

THEODORI Antiocheni. Idem plenius dicit. Nam illud. *Conturbata sunt ossa mea*,
contritionis, & perturbationis uehementiam declarat. Illud uerò, *Et anima mea conturbata
est ualde*. hoc innuit, corpore ex ægritudine turbato usque ad animam commotio ac tumultus
ipse penetrauit.

HESYCHII. Omnia eius ossa, & præterea animam suam perturbata esse dicit: Per ossa
uerò iuxta spiritalem intelligentiam uirtutes animi rationis compotes intelligit, quæ ipsam ad
intellectualem firmitatem euehunt, ut sunt prudentia, continentia, temperantia, fortitudo secun
dum Deum, iustitia, & demum absolutè genus omne uirtutum. Quæ cum ordinatim in nobis
non affuerint, necesse est animam, dum robur suum in hoc mundo non habet, maxime perturba
ri, perturbationibus, & affectibus in ea inuicem aduersantibus. Anima autem non peccat, nisi
robur remittatur.

CHRYSOSTOMI. *Miserere*, hac uoce omnes uti debemus, etiam si innumerabilia re
ctè & ex uirtute fecerimus, & ad summam iustitiam peruenerimus. Quocirca ipse quo-
que progrediens dicit. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, & rursus. Si iniquita Psal 142.
tes obseruaueris Domine, quis sustinebit? Et Paulus, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc Psal.139.
iustificatus sum. Et alius: Quis gloriabitur purum habere cor? uel, quis asseret se esse mundū 1.Cor.4.
à sordibus? Omnes ergo egemus misericordia, sed non omnes digni sumus misericordiam con Prouer.20.
sequi. *Sana me Domine*, non dixit remitte mihi, neque condona mihi, sed, *Sana*: rogat enim ut
priora uulnera deleantur. Ossa uerò hic appellat uniuersam uirtutem: Turbationem uerò ictū,
pœnam, supplicium. Quemadmodum autem perturbato auriga equi insolenter feruntur, ita &
conturbata ratione omnia confunduntur, omnia inuertuntur, & proprium locum amittunt.

EVSEBII. *Et tu Domine usque quo*, His uerbis ostendit confessionem, & constantem
pœnitentiam se diutius tenuisse: Nam sapiens animarum medicus non statim ab ipso conuersio
nis initio supplicantem exaudit: cumque ipsum in constanti habitu boni perseuerare uelit, & soli
dam peccatorum pœnitentiam consequi, opem suam differt, & in longum curam trahit, ut post
debitam tolerantiam, & post perfectam confessionem illi assistens dicat, Tempore accepto exau
diui te, & in die salutis adiuui te. Hoc igitur illis dicere posset, qui à peccatis non ita affecti con 2.Cor.6.
uersi sunt. nam iis, qui digne illum inuocant, dicit. Adhuc te loquente, Ecce adsum. Porrò il
lud, *conuertere*, apertè docet Dominum, quo tempore Propheta graui crimine se obstrinxerat, Isa 65.
illum auersatum fuisse. Quapropter mox in innumerabilia mala & domesticas se inuicē subsequē
tes calamitates incidit. Et denique post omnes clades filius eum aggressus est. Ideo dixit. *Et tu
Domine usque quo*; rogat aūt auersum Deū, ut indignationē abiiciat, ut ipse misericordiam con
sequatur: Et petit, ut ad se conuertatur, ut animam suam à malis eripiat, & à priori liberet ægri
tudine, idque Dominū facere pro magna sua benignitate, ac misericordia postulat.

THEODORETI. Non ut qui queritur, aut increpet, Verbo illo utitur *usque quo*, sed
tanquam is, qui in magnis doloribus constitutus diuinam sibi opem præsto adesse roget, Accō-
modate autem addidit, *Propter misericordiam tuam*, Non enim mihi ipsi (inquit) quicquam fi-
dens arrogo, neque iustitiæ meæ tribuo, ut mihi suffrageris, sed per tuam misericordiam auxiliū
tuum supplex imploro. Illud uerò, *conuertere Domine*, pro attende mihi, & *ne auertas faciem
tuam à me*, dictū est ex translatione eorū, qui præ ira, se auertunt, & supplicantes intueri nolunt.

CHRYSOSTOMI: *Sed tu Domine usque quo?* Frequēter apponit illud, *Domine* nā in eo

ratio quædam adduci uidetur gratiæ condonationis: Est enim hæc nostra spes maxima eius ineffabilis clementia, & benignitas, & quod natura sit propensus ad condonandum. Illud autem *usque quo* non est conquerentis, ac molestè ferentis, sed dolentis, ac mœrentis animi, qui tentationum molem non ferat. *Conuertere Domine, & eripe animam meam.* Duo hic ponit, & ipsum conuerti, & eripere animam meam: Hoc enim à iustis ingenti studio contenditur, ut & ipse reconcilietur, & benignus sit ac propitius, & non auersetur. Et hoc quoque consequitur, nempe ut anima seruetur: Non quemadmodum multi homines, & præcipue rudiores tantum quærunt, ut præsenti prosperitate fruantur: At iusti non sic: Sed ut salutem animæ consequantur, qua nihil est illis antiquius.

DIDYMI. Duplex illius uerbi *conuertere* sensus esse potest. aut enim sic interdum declaratur. Auertisti faciem tuam à me, & propterea in utilitatem meam hortor, ut te conuertas, & illam mihi ostendas: aut interdum ea huius uerbi notio est: Postquam anima mea peccando se
Ier. 3. auertit, teque auersata est propter eius peccata, ad te ipsum illam reuoca, iuxta illud: Conuertimini filii reuertentes, & sanabo auersiones uestras, hoc est liberabo à peccatis, quæ uos longe à me distinent, & à Dæmonibus, qui hæc operantur.

ORIGENIS. *Sana me Domine*, Aegrotantem me animo sana, etenim armoniæ, & compactiones ossium meorum, perturbatæ, & concussæ sunt: *Et tu Domine usque quo?* Per defectum dicitur, pro eò. Vsque quo non liberas animam meam, & non seruas me secundum misericordiam tuam, neque conuertis me? Postquam audiuit, quod Dominus abstulerit peccatum eius, cum tentationibus & tribulationibus pugnans Dauid, & pharmaca gustans amara medicû hortatur, ut pharmaca auferat, & illis amplius uti nolit.

NICEPHORI. *Quoniam infirmus sum*, Animi scilicet infirmitate laboro. *Conturbata sunt ossa mea* per ossa uires, & potentias, quibus mens ipsa sustinetur, intelligere possimus. *Et tu Domine usque quo?* auertis te scilicet. *Quoniam non est in morte*, Vbi quis mortuus fuerit, ablatum ei est, ut possit amplius Dei reminisci, aut Deum rogare, inutile enim esset.

EVSEBII. *Quoniam non est in morte*, Qui tempus uitæ huius tempus curationis esse nouit, facile persuadetur post seiunctionem animæ a corpore nullum sibi rectè agendi locum relinqui, & omnia tentat, ut hic eius morbi, & ægritudines animę curentur. Hæc sapiens cum esset Dauid, non ignorauit. Cum igitur satageret ne ante curationem ex hac uita discederet, quæcunque illi ad sanitatem comparandam conferre poterant diligenter experiebatur, propterea dicit. Quanquam me olim peccati nox una & caliginis obduxerit, pro una tamen illa singulas noctes meas confessionis, ac pœnitentiæ lacrymis exegi. meque ipsum purgare tentabo, quin & illum quoq; lectum, in quo scelus patratum est, non aliter quã lacrymis meis detergendum statuo. Et hæc omnia hic perficiam: ut qui bene nouerim post mortem nullum mihi ad ea perficienda tẽpus fore, siquidem, *non est in morte, qui memor sit tui. in inferno autem, quis confitebitur tibi? Quis* hoc loco, non rarum aliquem significat, ut alibi, sed de nullo dictum est.

DIDYMI. *Quoniam non est in morte*, Falluntur, qui hæc de communi morte dicta suspicantur, nam uiri sancti multo magis cum ab hac corruptibili uita decesserint, Dei memoriam habent. Quare intelligendum est de morte illa, quam gignit peccatum, per quod anima ab ea uita
1. Luc. 15. recedit, quæ cum uirtute coniuncta est. Quoniam uehementer cupio tui memoriam habere ad hoc ut inclinem benignitatẽ tuam serua me, ne superante morbo ac perturbatione à morte deglutiar. Non enim dictum est, qui est in morte, non memor est Dei, sed non est in morte, qui me-
Ioan. 8. mor sit tui, memoriam morte prohibente: De qua Saluator dixit. Qui sermonem meum audit, non uidebit mortem in æternum.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam non est in morte.* Vide quas afferat salutis implorãdę causas. *Quoniam infirmus sum* (inquit,) *Quoniam conturbata sũt ossa mea*; Quoniam hæc peto à Domino, *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Non autem hoc dicit, ut uitam nostram ultra hanc progredi neget, absit, nouit enim resurrectionem. Sed postquam decesserimus nullus pœniten-
Luc. 16. tiæ locus datur. Diues enim & confitebatur, & pœnitẽtia ducebatur, sed nihil ei proderat: Quo-
Matth. 25. niam tempus præterierat. Quæsierunt quoque Virgines oleum, sed nemo eis dedit. Hoc igitur hic uult, ut in præsenti peccata eluamus, ut in terribili iudicio ante tribunal Dei, fidentes, ac libere loqui possimus. Post hæc docet auditorem, quod ad Dei clementiã aliquid nostri cõsequi oportet: nam & si imbecillitatem adducamus, si turbationem, si Dei bonitatem, si hoc etiam, quod dixit, nostra autem non accedant, nihil prodest. Vide quid inducat? Laboraui in gemitu meo, *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, Audiant humiles, & demissi qualem Rex, & purpura indutus offenderit, pœnitentiã audiamus, cõpungamur, non modo laborauit, sed gemẽs laborauit,

non

non tantum lacrymatus est, sed lacrymis lectum lauit, non uno aut duobus, aut tribus diebus, sed etiam singulis noctibus: nec præteritum tantum dicit, sed futurum. Ne putetis enim quod cũ hęc semel fecisset, se quieti postea tradiderit, & remissione aliqua usus fuerit: Sed hoc assiduè fecit per totam uitam, non quemadmodum nos, qui uno die, ut plurimum laborantes, atque adeo ne uno quidem, postea nos iocis, & uoluptati, otioque tradimus.

THEODORETI. *Quoniam non est in morte*, Propterea peto ut in præsenti medicinam, & curationẽ tuam consequar, quoniam noui eos, qui de hac uita uulnerati discedunt, nullum postea remedium consequuturos, cum nullus ibi amplius sit pœnitentię locus relictus.

CYRILLI. *Non est* (inquit) in morte, qui memor sit tui: hoc est qui præcepta tua seruare queat. Illud *Laboraui* prò laborabo, positum est. Erit autem hoc ex sequentibus manifestum: non enim dixit, lauaui lectum meum, neque rigaui stratum meum, sed utrobique dixit, lauabo, & rigabo. Pollicetur enim se laboriosissimum fore, & non amplius uoluptariam, & dissolutam uitam sectaturum.

THEODORETI. Non me latet magna, & grauia admisisse peccata, ueruntamen continenter lacrymas effundo pro iis, & quæ à me temerè, atque audacter patrata sunt deploro, & cubile meum turpitudine inquinatum lacrymis abstergo, experiendo an illud fletu abluere & purgare queam. Quod si etiam remissionem consequutus fuero, non tamen hoc facere desistam. Hoc enim significat illud, *Lauabo per singulas noctes stratum meum*.

HESYCHII. Dicunt nonnulli lectum a propheta mentem, & stratum cogitationes appellari in quibus somnum modo bonum, modo malum capimus. ut sit lectus, hoc est sensus cum sternitur, cogitationibus nostris somnum afferat, quem rigauit, immoderate plorans, & luctum rursus protrahens lauit, ut sordes probè detergens peccatum expelleret. Oportet enim peccatum augentem, augere quoque pœnitentiam, & gementem laborare, ut uitii molestiam expellat.

ORIGENIS. *Qui memor sit tui*, Qui meminerit Dei dicentis. Ego sum uita. *Non est in morte*, quæ ultimus Dei hostis est, *qui memor sit tui*, quare libera me ab ipsa, ut tui memor sim, propter hoc, & qui ante mortem peccant, non sunt memores Dei, aut in inferno nullus con- Ioan. 1.
fitebitur, aut ualde pauci, hoc enim ex eo declarat, & fortasse ob illud, ueniat mors super illos & descendant in infernum uiuentes. Qui uiuentes in infernum descendunt, Dei meminisse Psal. 56.
possunt, quemadmodum qui non sunt in morte, ipsi confiteri queunt. *Laboraui in gemitu meo*, Huiusmodi gemitum gementes in Aegipto filii Israel exauditi sunt. Et Paulus dicens, Qui ingemiscimus habitationem, simile quid facit. huiusmodi est, Rugiebam à gemitu cordis mei. 2. Cor. 5.
Non satis autem est ingemiscere, nisi etiam laboremus, *Lauabo per singulas noctes*, Hoc scite utimur ad expiationem & excitandam Dei misericordiam exhortando nimirum ab iis solis, quę seruant nos ab omni, impuritate unde rectè dicunt illud dici. *Lauabo per singulas noctes stratum* Psal. 37.
meum, hi præterea orationi & precibus studentes in lacrymis uersant stratum suum, ob ea, quæ olim peccauerunt: propter hoc dixit. Beati qui nunc ploratis. Matth. 5.

Turbatus est à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam. Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, & conuertantur, & erubescant ualde velociter.

EVSEBII. Et hoc quoque consequenter affert, cum initio Psalmi dixerit, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Nam iræ (inquit) & furoris tui memoria me satis instruit, ut præ angustia, quæ à furore tuo in impios manat, animæ meæ oculus perturbetur. Cæterũ per oculũ animæ, facultas illa intelligi pôt, in qua ratio posita est. Quod docendo Saluator ostẽdit, inquiens, Lucerna corporis oculus est, ut una duorũ oculorũ corporis lucerna sit. Matth. 6.
Sed quomodo corporeus oculus turbari pôt? Quoniã uero qui Dei furorẽ impiis impẽdentẽ metuit, & futurã irã formidat, mente turbatur, meritò suas ipsius calamitates, ac erumnas pro rectè factis enumerat, propterea dicit. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*, Quibus uerbis uexationẽ & depressionem suã significat, quam in medio inimicorum suorum diù nimis pertulit.

THEODORETI. A furore (inquit) Dei oculus mentis meæ turbatus est. Oculũ aũt hoc loco mẽtẽ appellauit: Propterea de uno tantũ oculo mẽtionẽ fecit. Cęterũ malis oĩbus grauiora sunt inimicorũ cõnuitia, hęc.n. consumunt, & liquefaciunt, & immaturã senectutẽ inducunt.

DIDYMI. Intellige etiam sic. Priusquam peccarem, cum iustè uiuerem, florebam sanè in nouitate spiritus iuxta nouum testamentum institutus, ubi uero deliqui, & commendabiles uiuendi rationes abieci, hostibus meis expositus inueteraui, iuxta hominis illius uetustatem, quem exuere Paulus monet, (est autem hic uita praua) ut induamur nouum hominem, qui se- Eph. 4.

 cundum

cundum Deum creatus est in sanctitate, & cognitione ueritatis, homo is est uita immaculata.

NICEPHORI. *Turbatus est à furore oculus meus.* Confusa mihi mens est consideranti tum indignationem tuam aduersus peccatores in die iudicii, tum mala, quę me circunstant. Quin & corporeus oculus præ lacrymis caligauit. *Inueterani inter omnes inimicos meos,* Propter tuam auersionem ueterascentium uestimentorum instar neglectus sum ab inimicis meis,& nihili habitus.

CHRYSOSTOMI. *Turbatus est à furore,* Vidisti contritã animam? Postquam pœnitentiam dixit, rursus affert perturbationes animi,commotionem mentis, timorem,qui ex ira Dei procedit. Oculum enim intelligit perspicaciam & ratiocinandi facultatem, quam cogitatio propriorum scelerum perturbare solet: nam quia delicta sua prę oculis iugiter habebat, Dei quoque indignationem mente uolutabat timore affectus, & non more multorum doloris penitus expers,sed horrescens & contremiscens: Conturbatio huiusmodi mater est tranquillitatis, talis metus est fundamentum securitatis. *Inueterani inter inimicos,* Quid est, *inueterani?* Debilitatus sum (inquit) ab inimicis meis. nihil enim æque inueterare facit, ac natura peccati. Quamobrem Paulus quoque uolens inueterationem, quæ à peccato fit, amoliri, dicebat, Ne
Rom.12. conformemini huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus uestri. Quando igitur à peccato uetus fueris factus, tę ipsum per pœnitentiam renoua. *Discedite à me,* Non est quoque parua uia hæc ad uirtutem, malos declinare. Quod Christus etiam à nobis tanta hyperbole requirit, ut carissimos, qui necessariorum membrorum loco habentur, a nobis exscindere præci-
Matth.5. piat, Si oculus (inquit) te scandalizat, erue illum:& si manus te scandalizat,abscinde ipsam,& eiice a te. Non loquitur de membris: Absit. sed de necessariis & amicis, quorum amicitiæ aspernandæ sunt, quando nec nobis nec ipsis prosunt.

THEODORETI. *Discedite à me,* Non amplius me (inquit) irriseritis, qui propria delicta non uidentes mea conuitiis incessitis: Nam Dei beneuolentiam consequutus sum,& per ea, quæ petii, mihi persuasum est, quod despiciet Deus peccata mea,& me uenię participem reddet. Cum igitur hæc uideatis, quiescite iam, & desinite exprobrare mihi peccata mea, & iniquitates uestras in memoriam teuocantes, pudore, confusione, ac perturbatione impleamini, nam iustũ est, & terroris plenum Dei Iudicium.

DIDYMI, uel ORIGENIS. Hæc dici ab iis existimabis, qui se aduersus inuisibiles hostes, & malignas potestates diuinum Prophetæ progressum inuidentes instruxerunt. nam
Psal.3. hostes & potestates illæ insultabant Prophetæ, ac nequiter dicebant: Non est salus illi in Deo eius.

HESYCHII. *Exaudiuit Dominus,* Vides Deum preces nostras ac supplicationes admittere, cum ab operantibus iniquitatem, siue homines, siue cogitationes malę sint, longè discesserimus.

EVSEBII. Cum exaudientem Deum ac indulgentem sibi nactus esset, suas rursus ad Deum preces conuertit, oratque ut non solum procul abeant hostes sui, sed pudore suffundantur, cum uideant suas sibi insidias inanes & uanas extitisse. Et id ob auxilium illud, quod sibi in sidiis attrito dominus attulit. Petit etiam illos conturbari, & grauiter affici, & commoueri; Quod etiam illis accidet, quo tempore iustum Dei Iudicium experientur: rogat item ut hoc celeriter illis eueniat, scilicet ut erubescant citò, ubi intellexerint eum, qui lapsus, depressus, ac iamdudum debellatus fuerat, uictorem exaltatum surrexisse.

DIDYMI. Laudabili proposito pro inimicis orat, siquidem orat ut pro malè actis erubescant, per quæ & Dei & iustorum hostes facti sunt. Erit autem id ipsis admodum utile: nam qui ob malefacta erubescit & confunditur ex animo, cum ea cognouerit, cessabit, & non amplius aget. Quod ostenditur per illud, *conuertantur,* id est non amplius ueterem malitiam resumant, sed ad uirtutem, quam reliquerant, reuertantur,quod sanè non cunctantes ac remisse & negligenter, sed uehementer atque accurate celeriter fiat.

CHRYSOSTOMI. *Erubescant, & conturbentur,* Oratio hęc habet maximam utilitatem. Pudefieri inquam, & retrocedere: nam neglecta peccatorum uulnera sæpe maiora fiunt, nec usque ad uulnera solum sistit morbus, sed frequenter etiam mortem parit.

ORIGENIS. Nihil æque mentem obtenebrat, quam animus perturbatus, siquidem propter hanc oculi turbationem, non pure sed confuse uidemus ea, quę ad intelligentiam spectant. *Inueterani inter omnes inimicos meos,* Senior & multorum annorum factus

sum inter eos uersans, aut sic dices. Veterem hominem cœpi ab illis cum omnibus eius actionibus, hominem inquam ueterem, qui corrumpitur secundum desideria erroris *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem:* Dæmonum est semper iniquitatem operari: hominum non semper. Angelorum nunquam. *Erubescant* pudor ad sensum & resipiscentiam peccantem reuocat, *Erubescant ualde uelociter* Si uictores euadimus, omnia quæ contra nos pugnant, pudore confunduntur. præsertim cum homo quispiam melior his inuenitur, & confundens ea perturbat sapientia sua, sed & celeriter conuertit ea iam pudefacta: Quin & sanctus hoc celerius agit.

HESYCHII. *Erubescant* Quoniam non amplius me in captiuitatem possunt abducere, cum à te Domine seruatus sim.

NICEPHORI. *Erubescant*, quod propheticis oculis uiderat, rogat ut quam celerrime finem consequatur.

PSALMVS DAVID, QVEM CANTAVIT DOMINO PRO VERBIS CHVSI. FILII IEMENI.

Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.



ASILII Inscriptio psalmi huius septimi aduersari quodam modo regnorum historiæ uidetur, ubi res Dauidicæ narrantur. illic enim Chusi Dauid amicus, & Arachi filius, hic uerò Chusi filius Iemeni habetur. Cæterum neque iste, neque ullus alius ex iis, qui ibi describuntur, est filius Iemeni: Num igitur quod egregia & fortia facta ex amicitiæ simulatione ostenderit, tum transfugam se ad Absalon effingens, tum irritum Achitophelis consilium reddens uiri strenuissimi ac militaris peritiæ clarissimi, qui commodum Absaloni consilium dederat, propterea filius Iemeni filius dictus est: Significat enim filius Iemeni, filium dexteræ: Nam cum ille consuluisset nullum patri tempus ad colligendas uires concedendum, sed statim imparatum opprimendum, cō silium Achitophel non probauit Chusi, quò mala omnia super Absalon induceret Dominus, 2.Reg.17.
sed probabiliores dilationis ac moræ trahendæ causas proferre uisus est, ut cogendarum copiarum tempus Dauid ipsi suppeteret, unde etiam ab ipso Absalon commendatus est dicente: Bonum est consilium Chusi filii Arachi pro eo, quod dedit Achitophel, ipsi tamen Dauid Sadoc, & Abiathar Sacerdotibus internunciis significauit, quæ facta fuerant, præcepitque ne in Araboth deserti pernoctaret, sed ut inde discessum quā celerrime maturaret. Cū ergò Chusi ex bono consilio dexter & commodus ipsi Dauid extiterit, ex præclaro consilio & facti præstantia cognomentum accepit, unde filius Iemeni, hoc est filius Dexteræ appellatus est. Mos enim est scripturæ & deteriores filios à peccatis potius, quam à parentibus, & meliores à uirtute ipsos honestante nominare. Itaque Diabolum filium perditionis uocat Apostolus. Nisi reuelatus 2.Thes.2.
fuerit iniquus filius perditionis. & in Euangelio Iudam filium perditionis Dominus dixit. Nul Ioan.17.
lus enim (inquit) periit, nisi filius perditionis. Filios autem sapientiæ illos, qui in Dei cognitionem efformati sunt. Iustificata est enim sapientia à filiis suis. Et si fuerit (inquit) illic filius Matth.11. Luc.7.
pacis. Non est igitur mirum, si corporeus hic pater silentio prætereatur, & filius dexteræ uocetur præcipuus amicorum Dauid, qui sibi ex egregio facinore cognomen idoneum comparauit. Luc.10.

DIDYMI. canit hunc psalmum tum contemplationem, tum actionem complectens: dictum est enim in quarti psalmi prænotatione declaranda, psalmum quidem actionem, canticum uerò speculationem significare: Et quoniam nonnullæ inscriptiones habent, psalmum cantici, nonnullæ uero, canticum psalmi, ideo sciendum est canticum quidem psalmi esse speculationem circa facta, & morum disciplinam. Psalmum uero cantici esse actionem, quæ consequitur necessariò facti speculationem: meritò igitur propheta propositum psalmum, qui ad actionem

nem ſpectat,canit,& eſt, quæ agenda ſunt ſapienter,ac diuinè ſingula contemplatur ſcire cupiens quid ſingula ex iis, quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, ſignificent.

THEODORETI. Cum Beatus Dauid ſceleſtum, ac parricidam filium fugeret,amicum & adiutorem inuenit Chuſi, qui defectione à Dauid ſimulata, Abſaloni perſuaſit ne iuxta Achitophelis conſilium patrem ſtatim inſequeretur, ſed maiores copias prius compararet, & tunc aduerſus patrem exercitum duceret. qua re factum eſt, ut mœrore affectus egre ferens admodum Achitophel conſilium Chuſi ſuo prælatum fuiſſe ſui ipſius homicida laqueo uitam finierit. At Diuus Dauid cum eam cunctationem & impetus tarditatem ad ſuam fugam accomodaſſet,ſaluus euaſit. Quare hunc pſalmum tanquam hymnum quendam & orationem Deo Seruatori offert, Et doctrinam hanc addit, ut diſcant ii,qui iniuriis afficiuntur, ſpem omnem in Deo collocare, ut illinc opem expectent, delinquentes uerò & iniurios iuſti Dei Iudicii recordatione deterret.

NICEPHORI. *Iemeni filius* Chuſi in libris regum Arachi filius dicitur, & hic filius Iemeni. binomius enim eſt. Illud uerò *uerbis Chuſi* hoc eſt, quoniam pœnituit prophetam,quod omnino in cõſilio & uerbis Chuſi ſperauerit,quibus ille decepit Abſalon,& Achitophelis cõſiliũ irritum fecit.Eſt autem pſalmus ad propitiationem compoſitus, Deum laudans, & ad auxilium ferendum adhortans, profitente Dauid ſe non ſperare in conſilium Chuſi, neque omnino in hominem,ſed in Dominum. Congruit autem omnibus in calamitatibus conſtitutis.

HESYCHII. Pſalmus ipſi Dauid quem cecinit Domino de uerbis Chuſi filii Iemeni Chuſi interpretantur AEthiopem. Iemeni, dexteram Vaticinatur ergò pſalmus de populo propter peccatum denigrato, qui per Dei cognitionem & uerum cultum expurgari debet,& à ſiniſtra parte ereptum ad dexteram Dei collocari.

CHRYSOSTOMI. cum Dauid ea omnia didiciſſet, quæ fecerat Chuſi,& Achitophel, pſalmum ſcribit, gratias Deo agit hymnos offerens, & totum ſtratagema Deo tribuens. quo circa ita exordiens ait. *Domine Deus meus in te ſperaui*. primum hoc diſcas ne in huiuſmodi aduerſis rebus commouearis,cum iuſtos quoque affligi uideas, Aliud autem deinceps: Ne muteris pro tempore, ſed amicitiæ leges noſcas. Tertium, ut etiam pericula pro uirtute adire audeas, Quartum, ut etiã in rebus dubiis, & urgentibus bona ſpe præditus Dei auxilium expectes: dicit ergò: Non in Chuſi, nec in humana ſapientia, nec illius prudentia, nec in meo conſilio,ſed in te ſperaui, ita nos quoque faciamus, etiam ſi per homines pro nobis aliquod præclare geratur, Deo agamus gratias,tã pro iis bonis quę per nos,quã quæ per alios nobis obtigerunt. Non dicit autem, hoſtes plectas, inimicum de medio tolle,ſed quod ſuum eſt,tantum quærit, & dicit *Saluũ me fac* Hoc eſt ne permittas,ut mali quid patiar *ab omnibus perſequẽtibus me*,& libera me.

NICEPHORI. Perſequentes autem poteris intelligere ipſos Dæmones, & leonem, eorũ principem. qui animas in peccatum abripit,& in deſperationem.

EVSEBII. *Domine Deus meus* Neque ab hominibus, neque à conſiliis hominum, ſed nec ab exercitus multitudine pendere, ſpes meas uolui ſed te ſeruatoris mei titulo inſigniui, Et abs te ſeruari ab omnibus perſequntoribus meis obſecro: ſunt enim penè in numerabiles, qui non modo tantum, ſed ſemper antehac bellum contra me accerrimum parant. Siquidem non ſolum hoc tempore filium meum, & malorum ſocium Achitophel,uerum etiam ab ipſa iuuentute mea Saulem olim, & alios longè plures, qui nuſquam inter homines apparent, inuiſibiles & occultos hoſtes atque aduerſarios animæ meę cognoſco, qui hunc mihi in te Deum meum diuinum progreſſum ſemper inuident: Quare oro & obſecro, (cum in te uno,non in copiarum multitudine, aut amicorum dextera, aut auxilio ſperauerim) ut ab omnibus me perſequentibus dextera tua liberes, Verum quia omnium grauiſsimum ac urgentiſsimum in peccato ipſum
1.Pet.5. ſeculi huius principem agnoſco,de quo dictum eſt. Aduerſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: ab hoc ipſo inprimis & ante alios eripi & liberari obſecro: *Ne quando rapiat ut leo animam meam: Dum non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat*, Nam niſi mihi adiutor & Saluator adſis, nihil erit,quod impediat, quo minus abſorbear à leone, qui interitum animæ meæ inprimis ſitire uidetur, quique omne ſtudium confert, ut illam abripiat.

BASILII. cum ſimplex quid ac obuium uideatur, & à quolibet commode proferri poſſe. *Domine Deus meus in te ſperaui ſaluum me fac*. fortaſſe non ita eſt: nam qui ſpes ſuas in homine ponit,& propter bonum aliquod ex humanis ſuperbit, potentiam, pecuniam, & quæ uulgo
Pſal.145. præclara, & precioſa uidentur, effert, is non poteſt dicere. *Domine Deus meus in te ſperaui*.
Pſal.117. Præceptum enim eſt ſpem in principibus non eſſe collocandam,& maledictus homo qui confi-

dit in

dit in homine. Quemadmodum nec quid præter Deum colere decet, sic nec in alium quam in Dominum Deum sperare conuenit. Spes enim mea (inquit) & laudatio Dominus. Quomodo autem primum oret saluari à persequentibus, mox liberari, distinctio sermonem clarum reddet. Psal.61.2. 9c. Quæ igitur differentia est inter seruari, ac liberari? ea nimirum, quod salutis quidem propriè indigent, qui infirmi sunt, & imbecilles: liberari uerò non nisi in captiuitate detenti debent. Quare qui infirmitatem habet, in se ipso fidem suscipiens à propria fide ad salutem dirigitur: nã fides tua (inquit) te saluam fecit: Et: Vade in pace, & fiat tibi sicut credidisti: qui uerò redimendus est pretium redemptionis pro se ab aliis exterius deponi expectat. Marc.5. Matth 8. Qui ergò morti proxime subiectus est, & unum nouit esse, qui seruet, & unum esse, qui liberet: in te (inquit) speraui, serua me ab infirmitate, & libera me à captiuitate: Arbitror autem ego quod strenui Dei athletæ, qui continenter dum uiuerent, aduersus inuisibiles hostes luctati sunt, postquam omnes persequutiones & ictus declinauerint, ad exitum uitæ iam constitutum à principe seculi huius examinantur, ut si reperti fuerint uulnera, uel maculas, aut sordes aliquas peccati pugnando accepisse, capti detineantur. Si uerò illæsi, ac incoinquinati, tanquam inuicti ac liberi existentes à Christo in requiem inducuntur. precatur ergo tum pro hac, tum pro futura uita: serua me (inquiens) hic à persequentibus me, libera autem me istic in tempore examinis. *Ne quando rapiat ut leo animam meam* Atque hæc ex ipso Domino habere potes, qui crucis tempore dicebat, Nunc princeps huius mundi uenit, & in me non habet quicquam. Veruntamen qui peccatum non fecit, nihil in se habere principem mundi asseruit. Ioan.14. Sed homini sat erit, si dicere ausus fuerit, uenit princeps mundi huius, & in me pauca & per exigua habebit. At periculum est, ne hæc nobis accidant, nisi liberatorem, & seruatorem habeamus. Ad duo proposita duo respondent: serua me ex multitudine persequentiũ me, &c, libera me, ne forte aliquando præda fiam nisi sit qui me liberet.

CHRYSOSTOMI. *Ne quando rapiat ut leo*, At qui collegerat exercitum, & multos secum habebat: quomodo ergo dicit, *dum non est, qui redimat?* Quoniam ne uniuersum quidem orbem terrarum auxilii loco habet, nisi diuinũ auxilium fuerit assequutus: nec se esse putat in solitudine, modo sit illius particeps auxilii. Et ideo dicebat aliàs. Non saluatur rex per multam uirtutem, & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ. Psal.31.

DIDYMI. Quis autem est, qui saluum facit? nisi qui dixit: non est qui saluum faciat præter me, qui uenit quærere, & saluum facere quod perierat, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Luc 19. Matth. 20. Hæc autem declarant Patrem, cum Deus sit, per filium Deum, qui est uerbum, saluare, unde in his quæ proposita sunt, Patris & Filii diuinitatem, (ut quibusdam uisum est,) seiungere non oportet.

ASTERII. Si historiam seruas, leonem Absalon dices, at si ad speculationem te uerteris, Diabolum appellabis, & considera, quod cum multos hostes nominauerit, ad unum sermonem uerterit: is autem ex historia est Absalon filius eius princeps multitudinis. At secundum intelligentiam, Diabolus, qui nutu Dæmonas agit, & hunc leonem tanquam tyrannum, & rapax & fœtidum os habentem, & infamiã eructantem scriptura declarans animam non corpus rapere ostendit.

THEODORETI. Nulla (inquit) humana ope fretus, sed spe tua sola innitens precor, ut curæ, ac prouidentiæ tuæ compos fiam: nam uereor, ne moræ agrestis belluæ ii, qui bello me persequuntur, irrumpant, meque tua prouidentia destitutum inuenientes, penitus perdant.

ATHANASII. Quoniam (inquit) de mea salute nihil ab homine sperandum puto, licet Chusi consilia bona sint, tu tamen serua me, & quidem ex manifestis hostibus, præcipue uerò à leone intellectuali, qui animæ meæ insidias struit.

HESYCHII. Vides leonem furentem atque efferum nominari. Cum enim naturam, quam quis acceperit, ementitus fuerit, tum leo & lupus & quæuis alia fera crudelis appellatur. Fortè uerò leonem hoc in loco eum appellat, qui animas errantium rapere solet, cum Deo illas auersante non habeant, qui eas redimant.

NICEPHORI. *Ne quando rapiat* Ne quando aliquis ex iis, qui me persequuntur, uitam meam auferat, hoc est me tollat de medio, tanquam leo agrestis, & inhumanus.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis «
Si reddidi retribuentibus mihi mala; decidam meritò ab inimicis meis inanis. «
Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. «

EVSE-

EVSEBII. CAES. Sanctus quilibet non à se, sed à rectè factis testimonium accipit, siquidem sapientia Solomonem insignem reddidit: Ioseph castitas decorauit: Iob propter patientiam & tolerantiam laborum illustris habitus est. Abraham Deo credidit, & reputatum est illi ad iustitiam. Moses omnes orbis incolas mansuetudine superauit: In hanc classem reliquos omnes, qui uirtute præditi fuerunt, referre potes. huiusmodi fuit Dauid, qui patiens innocens, humanus, & clemens extitit. Quamobrē tua (inquit) Domine mi sola benignitate tua fretus magna in orando libertate usus sum. Dici uerò non potest quanta fiducia, quaue recte factorum persuasione hæc in pura conscientia perfecta fuerint. Suam igitur iniuriarum obliuionem aduersus eos, qui mala illi struxerunt, Deo per orationem exprimit. Nam diuino spiritu illustra- Matth.6. tus futuram Saluatoris promissionem non ignorabat. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cœlestis delicta uestra, quæ sanè opere præstans, & factis exequutus meritò fiduciam & libertatem loquendi consequitur: Et propterea post actam idoneam pœnitentiam, & confessionem, quę operibus absoluitur, remissionem adipiscitur: proinde ait, nisi uera loquar, nimirum quod pepercerim iis, qui me iniuriis affecerunt, & eorum malefacta obliuioni mandauerim, hæc & illa patiar. Quasi apertè dicat. Non liberetur anima mea, priusquam moriar, à peccato, neque ante mortem accipiam abs te gloriam meam: sed in ipsis detinear peccatis meis, ita ut uita mea & gloria mea (quemadmodum cū peccani,) mihi ab inimicis conculcetur, Donec ego in terram meam conuertar, & usque dum in puluerem mortis descendam. At si sermo meus uerax est, & si erga inimicos meos misericors, patiens, humanus, ac in condonandis iniuriis facilis & clemens fui, oro te ut in Saluatorem meum & redemptorem ab omnibus persequutoribus meis esse uelis. Quoniam & si semel quondam in carnalis & corruptibilis peccati puluerem tanquam in perniciosissimum morbum incidi, rogo tamen ne habitare, aut in ipso diutius permanere mihi contingat, ut anima mea redempta & recuperata pristinum & ipsa statum penes te Deum meum honestata repetere possit.

BASILII. In scriptura non semper retributionis nomen ęqualem remensum ac compensationem dum quis bonum, uel malum fecerit, significat, nam refertur quandoque ad præuenien- Psal.118. tes & in iis, qui dare auspicantur. Cuiusmodi est; retribue seruo tuo, nam prò, tribue, quod est dare incipias, dictum est, retribue. Quod est redditio, eius, qui ex æquo beneficium remetitur. Retribuere autem secundum quoddam principium est, & recursus bonorum, aut malorum, quæ in aliquos conferuntur. Cœterum (opinor ego) cum pro petitione, quæ tanquam debitum exigat, retributionem quærat oratio, tunc sensum huiusmodi afferre. Quod à natura necessariò filiis à parentibus debetur, hoc ipsum exhibito. Filiis enim secundum naturę affectum cura & sollicitudo uitæ à parentibus debetur. Nam debent (inquit) parentes liberis opes parare, ut ad uitam etiam uitæ sumptus ipsis exhibeant; Hoc significatum redditio, uel retributio in scripturain primis & actionibus plerunque accipitur: Nunc autem uidetur Dauid confidere cum à quibus grauia passus est, malorum uices non rependerit. Inanis autem ab inimicis decidit qui cadit a gratia quæ à plenitudine Christi manet. *Persequatur inimicus* Anima iusti cum seiuncta est ab affectibus quos habet cum corpore communes affectibus uitam in Christo cum Deo oc- Gal.2. cultatā habet, ut iuxta Apostolum queat dicere. Viuo autem iam non ego, sed uiuit in me Christus: Et: quod autem in carne uiuo, in fide uiuo: At peccatoris & secundum carnem uiuentis & uoluptatibus corporis addicti anima tanquam in cœno carnis affectionibus uolutatur. Nam & inimicus obterens, & conculcans inquinare adhuc magis & quasi obruere conatur irruens in eum qui lapsus est, suisque ipsius pedibus in terra, hoc est in corpus uita eius qui cecidit. conculcans. *Et gloriam meam* Sanctorum quidem quorum conuersatio in cœlis est, & bonorum, quorum diuitiæ in æternis thesauris repositæ sunt, gloria in cœlis est: at terrenorum & carnis legem sequentium gloriam in puluerem deduci, & in eo habitare dicitur. Nam qui in terrenis di uitiis gloriam habet, & breuem ab hominibus gloriam uenatur, bonisque corporeis fidit, is gloriam in se ipso habet, non quæ in cœlum aspiciat, sed quæ in terra permaneat.

THEODORETI. Virtutis multæ sunt partes: non enim temperantia solum, atque prudentia, sed etiam fortitudo atque iustitia: Hic igitur non supremam sibi uirtutem inesse testatur, sed cum persequutores meos (inquit) minime omnium læserim, exilium iniustum perfero. namque non modo iniquitatis, & iniuriæ author non fui, sed ne lacessitus quidem ulcisci uolui. Nam sæpe cum Saul sceleris caput in manibus haberem ab ipso iniustæ afflictionis meæ pœnas non exegi, Huius rei gratia te Domine, qui omnia probè nosti, obsecro, iuste mihi iudica: & si quid tale unquam perpetraui, tua me cura destitutum sinas. Hoc enim dicit, cum ait. *Decidam merito ab inimicis meis inanis* At me in hostium manus tradi, ut non modo me gloria, quā à te

à te expecto,& regno spolient,sed irridendæ morti adiudicent.hoc enim innuunt illa. *Et gloriam meam in puluerem deducat.*

HESYCHII. *Si feci istud* Apprime decens Dauid, & aptißima prophetæ persuasio, *si fecistud*,hoc est,pro quo tanta nunc patior. Si proximis (inquit) insidias struxi. *Si est iniquitas in manibus meis*, hoc est,si regnum, si opes, si agros alicuius uiolenter abripui, (oportet enim eum, qui facit iniuriam, similia à Deo & ipsum recipere) insanus, & ab inimicis meis irrisus concidam.

THEODORI. Antiocheni. *Si feci istud*, quod modo perfero, hoc est, si quemquam iniuria affeci,unde apertè magis subdit. *Si est iniquitas in manibus meis*, hoc est, si depreheudar aliquid iniuste fecisse, *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (quod maius est,posterius semper minore apponens) recedam (inquit) ab inimicis meis re infecta,& nihil ualens ne minimum quidem ulcisci. Quin honore omni ac gloria destituar, & fiam tanquam puluis sub pedibus inimicorū meorum: Vel, mei penitus memoriam deleat, *conculcet in terra uitam meam* hoc est ita mihi eueniat,ut perdat me penitus, & pessundet, ac conterat, ut ne ulla uitæ meę memoria relinquatur. Quare hoc dixit? Quoniam Israelitis gloria erat, si decedentes sui memoriā relinquerēt,contra uero inglorii è uita migrabant, si nullam post se prolē reliquissent. Hac enim de causa lex pręcipiebat,ut fratris sine liberis morientis uxorem alter è fratribus duceret, ut fratris semen suscitaret. ne memoria demortui deleretur.

CHRYSOSTOMI. *Si feci istud*,Hoc perpetuò seruandum est,ut non solum oremus,sed ita oremus, ut exaudiamur: non enim ad efficiendum propositum satis est oratio,nisi eam ad Dei uoluntatem conformemus. Iubemur ergò eam orationem afferre,quæ possit exaudiri:quod etiam in præcedenti oratione ostendit, se scilicet non simpliciter & absolute rogare, ut exaudiatur, Sed postquam sua quoque attulit. Quæ nam illa? *lauabo per singulas noctes lectum meum, in lachrymis stratum meum rigabo: Et illud. laboraui in gemitu meo; & hoc: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: & illud. Conturbatus est à furore oculus meus*: Hæc enim omnia satis sunt ad Deum exorandum. Luctus, lachrymæ, gemitus, resilire ab improbis, Deique pertimescere, ac horrere sententiam. Et alias dixit. Exaudiuit me Deus iustitiæ meæ in tribulatione dilatasti mihi: Hac enim ratione fit, ut exaudiamur. primum quidem ex eo, quod digni sumus accipere. Deinde ex eo, quod ex Dei legibus oremus. Tertium ex eo,quod asiduo. Quartum quod nihil petimus eorum, quæ ad hanc uitam pertinent. Quintum quod petimus, quæ utilia sunt, Sextum ex eo, quod afferimus quæ nostra sunt. Videamus ergò quid hic etiam orando dicat *Domine Deus meus si feci istud* quid est,istud? nempe quod patior (inquit,) si insurrexi aduersus patrem, si ita me inique gessi: Veruntamen ne hic quidem nominare illum,qui iniuriam intulit, animum inducit: sed pro filio erubescit, ac pudet. Et quid istud dico inquit? quæ nam uirtus est non fuisse parricidam, cum nec in belluis hoc cernatur? si *est iniquitas in manibus meis*,non dico de huiusmodi iniquitate: sed nec alia (inquit) iniquitas esse in manibus meis deprehendetur. Hæc autem dicit,non superbiens,non glorians,non magnifice se extollens, sed compulsus dicere, quæ à se recte facta sunt. Verum ne hoc quidem magnum est, si conferatur cum eo, quod dicendum est. *Si reddidi retribuentibus mihi mala* Attende diligenter, non est enim uulgare quod dicitur,bonum quidem est neminem lacessere,sed multò præstantius lacessentem non ulcisci. Atqui hoc lex ipsa permittebat: oculum pro oculo,dentem prò dente exigere iubens, nec ita legem transgrediatur: sed hic adeo erat sapientiæ studio præditus, ut non modo legem non præteriret, sed etiam ex nimia quadam abundantia eam longè superaret. *decidam meritò ab inimicis meis inanis* Vide quot sibi mala imprecetur: ut in cassum laboret: ut uincatur ab hostibus,ut intereat: ut ne morte quidem communi moriatur, ut eius memoria penitus deleatur, ut cum dedecore ac ignominia sit: non tot ac tanta sibi imprecatus fuisset, nisi conscientiæ suæ uehementer confidisset.

Psal.6.

Psal.4.

Deut.19.

NICEPHORI. *Si feci istud*, quod scilicet faciunt, qui me oppugnant. nam cum de ipsis bene meritus sim, illi me quærunt interficere: *Si retribui*, Retribuendi uerbo impropriè pro reddendi usus est. *inanis* spe scilicet: spero enim eos in te me superaturum *animam meam* idest me *uitam meam* Sanguinem hoc loco per uitam intelligit, ut qui uitam in corpore coaptet. *Et gloriam meam*, per gloriam, gloriosum ac nobile corpus suum intelligit ob eius maximas uires.

ORIGENIS. Vtile est hoc dictum, iis, qui iniuriarum obliuiscuntur. *Si reddidi retribuentibus* & si lex tanquam pedagogus, pueris qui erudiuntur reddere mala permittit,hic tamē non erat puer in Christo, sed tanquam uir quidam ad euangelium institutus, *ab inimicis meis*

inanis

inanis, Inanis est, qui non dicit, omnes de plenitudine eius accipimus: Qui uero tales sunt, arundines, quæ feras inter se latentes enutriunt, appellantur: de quibus dictum est. increpa, feras arundinis. Et Diabolus sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus, in papyro, & arundinetis, ut dicitur in Iob. ipse enim rex est eorum, qui in aquis degunt. *Et conculcet in terra uitam meam*, Vita eius, qui imaginem terreni portat, in terram conculcatur ab inimico, licet ipsum exaltare uideatur, habitare tamen facit gloriam eius in puluerem, ut pote qui agant quod agunt propter gloriam, aut laudem uulgi, aut propterea quod se ipsos pluris faciant.

Psal.67. Iob.40.

HESICHII. *Si reddidi retribuentibus*, Oportet iniuriarum obliuisci, nec malum pro malo reddere, nam si tenaces malorum erimus, sanè contra nos peccantes, Deus non erit longanimis, in quo enim iudicio iudicauerimus, iudicabimur.

Matth.7.

EVSEBII, ut puto. Nihil prohibet hoc in loco inuisibiles hostes intelligere, hi enim maximè animas nostras persequentur, & ueram gloriam nostram habitare in puluerem quærunt, hoc est in terrena, & uana inuolui, persequatur ergo me hostis, & omnem gloriam & honorem meum auferat, & fiam tanquam puluis sub pedibus inimicorum. Aut fortasse hoc ait propheta. Si sensibilibus, & contribulibus inimicis mala retribui, non sortiar aduersus inuisibiles hostes uictoriam, sed ab eis subactus unà cum gloria uitam quoque amittam, & si quid mihi illustre ac regium inest, & hoc mecum in sepulchro condatur.

Exurge Domine in ira tua, exaltare in finibus inimicorum tuorum,

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, & congregatio populorum circundabit te.

Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicabit populos.

EVSEBII. Seruatorem socium sibi, & auxiliatorem inuocat. Tu uero considera quomodo ad tam ingentes inimicorum copias, & tantarum uirium exercitum propulsandum ipso duce indigeat. Quare illum indignabundum, & iratum consurgere aduersus hostes hortatur, ut ipse Dominus per se ipsum contra hostes occultos, & inuisibiles bellum suscipiat. *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti*, ipse enim (inquit) cum præcepta nobis traderes, iussisti ut contra aduersarias potestates continenter decertaremus, sed tu Domine Deus per te ipsum hoc agito, nam si hoc etiam abs te factum fuerit, & qui decreti sunt hostes, superati fuerint, tum non ego solus salutem tibi acceptam referam, sed synagoga populorum circundabit te, quando hostibus profligatis, & impostura Dæmonum depulsa, uocatio gentium fiet. Tum enim ipse tanquam medius in choro Ecclesiæ tuæ hymnum Patre tuo dignum decantabis, iuxta illud, quod à te Domine dictum est. Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te: Hęc omnia Dauid spiritu Dei afflatus prædicit, & aduentum Dei non pro se tantum, sed pro uniuerso humano genere futurum uaticinatur.

Psal 21.

THEODORETI. *Exurge Domine in ira tua*, illud, *in ira*, Symmachus, in bili, Theodotio, in furore, Aquila uero ἐν ἀν ὑπερθεσία idest absq; cunctatione, ut spatiũ nõ relinquatur, interpretati sunt. Illud autem, *exurge*, prò, ne differas, ne diutius patiaris, positum est, cuiusmodi est illud: surge, qui dormis: etenim somnum illic tarditatem appellauit: &: Surge Domine adiuua nos: non enim benignitatis, sed iustæ iræ tempus adest. Impone igitur hostibus meis finem, iniquos eorum impetus cohibens. Tu enim legem sanxisti, ut iniuria affectos ulciscеremur. Quod igitur alios facere mandasti, tu ipse Domine perfice. Tu mihi auxilium tuum pręsta. nanque hac tua prouidentia declarata, omnes tibi hymnos afferent, & Deum altissimum tanquam omnia prospicientem, & meritas iniquis pœnas irrogantem appellabunt: Nam illud *in altum regredere* dictum est, prò. Tu, qui natura altissimus es, & à pluribus ignoraris, manifestare, quinam sis; & ostende aliquid, quo te adesse sentiant: propter tutelam & curam, quam de afflictis & lacessitis habes, & propter prouidentiam, quam soles in iniustis puniendis adhibere.

Psal.73. Eph.5.

BASILII. Mysterium resurrectionis iam aperiri, & agi optat propheta in detestationem peccati ipsorũ, scilicet exaltationem in cruce, quæ futura erat, cũ ad extremum finem malitia inimicorum peruenisset. Vel. *Exaltare in finibus inimicorum*, hãc habet sententiã, cũ malitia ad summũ aucta, & in immensum præ nimia potestate diffusa succreuerit, tu tanquã peritus medicus extremitates ulceris præoccupans, depascentem ac serpentem morbum sistere potes, & ipsum diu grassantẽ flagellis tuis salutarib. cohibere. Et *exurge Domine Deus meus, in præcepto, quod mandasti.* possunt hæc quoque ad mysterium resurrectionis referri, ut propheta iudicem hortetur, ut ad

ut ad uindicandum omne peccatum exurgat, & precepta nobis olim constituta perficiat. Potest etiam sermo hic ad eum statum rerum Prophetę, qui tunc erat, referri ita, ut Deum hortetur ad ultionem præcepti, quod mandauit. Præceptum autem à Deo traditum erat. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod transgressus fuerat eius filius: Quare tum ad ipsum corrigendum, tum ad multos alios castigandos, ne longanimis sit, Deum hortatur, sed exurgat in ira, & exurgat ad proprii sui precepti uindictam. *Et Synagoga populorum circundabit te.* Manifestum est, quod ex unius iniqui supplicio multorum conuersio fiet. Itaque Domine tu huius malitiam castigato, ut reliqui populorum cætus te circundent, & propter hanc populorum congregationem, quam per tuum discensum, & dispensationem acquisiuisti, ex gratia regredere in altum gloriæ, quam habuisti, antequam mundus fieret. Deut. 5. Exod. 20.

DIDYMI. Obsecro Domine, ut exurgas in ira sublimis in finibus inimicorum apparens. Ita enim impietas per quam mecum inimicitias exercent finem habebit. Potest etiam inimicorum fines arrogantiam & superbiam eorum appellare, quibus elatis, dum in ipsis stabiles esse opinãtur, in optimis finibus sese putant consistere. Nec est omnino uindictam expetẽtis: (neque enim) mala pro malis repeudit, sed misericordia ergà inimicos suos commotus orat, ut & ipsi cognoscant Deum in finibus eorum exaltari: non contra substãtiam, & naturam eorum, sed aduersum eos, qui pessimo animo, & mente sunt. Cum uerò scriptura dicat, *in finibus inimicorum meorum*, liquet eos, qui sanctorum uirorum sunt inimici, eos quoque Dei inimicos esse.

ATHANASII. *In finibus*, hoc est in fortibus inimicorum tuorum: Fines enim summitates significant.

HESYCHII. Exaltari Christum in cruce exhortatur in perniciem, ac interitum Dæmonum (inquit.n.) cum exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum: hoc.n.finis, ac dissolutio potentię inuisibiliũ inimicorũ est. Illud *in altum* aut honorabilẽ crucem innuit, in quam sustulit peccata nostra: aut in cœlũ reuersionem: Siquidẽ ille ascendit, ut pro nobis in cõspectu Patris appareret. Ioan. 12.

THEODORI Antiocheni. *Exaltare*, Non quod ipse exaltetur, (non enim opus habet exaltari.) Sed quia huiusmodi cogitatio, atque opinio in mentibus nostris ingeneratur, cum admirabile aliquod & formidabile signum ediderit. Propter hoc dixit *in finibus inimicorum meorũ.* Hoc est omnes hostes ad supplicium cogens omnibus notam facies celsitudinem & potentiam tuam: Hoc autem maximè notum fiet, si de omnibus supplicium sumpseris.

CHRYSOSTOMI. *Exurge Domine*, Vide quomodo rursus non se ulciscatur, sed hęc dicat prò Dei gloria: non.n.tantum dixit, punias inimicos meos, uel tuos, sed *exaltare*, Et quo modo exaltatur, & euehitur in altum, qui semper altissimus est? eius.n.naturæ altitudo nec crescit, nec decrescit, nam perfectus est, & nullius rei indigens, & qui semper similiter, ac eodem modo se habet. Quomodo ergò, & qua ratione exaltatur? Exaltatur in multorum mentibus, quemadmodum sæpe lenitate, ac longanimitate usus est, inimici uero existimabant hoc non esse longanimitatis, sed humilitatis, & imbecillitatis. Quo circa etiam humiliatur, non re quidem ipsa, sed illorum cogitatione. *Exaltare* persequere, & uires tuas ostende. ut qui te humilem putant, ex iis, quæ patientur, gloriam tuam uideant. Quid est, *In præcepto quod mandasti.* Vt opem feramus (inquit) iis, qui iniuriis afficiuntur, & non negligamus eos, quibus insidiæ parantur. Quod tu ergò lege sanxisti, hoc etiam factis ipse nobis exprime: Alii quoque aliud dicunt, quod iusserit nos non habere odio inimicos. *Et Synagoga populorum circundabit te.* Nihil humanum ne hic quidem suspiceris: quanquam enim huiusmodi sunt dictiones, notiones tamen ac sententię sunt, quæ Deo conueniunt, quid est ergò, *circundabit te?* Canet tibi, laudabit te, bonis & honorificis te uerbis affatim prosequetur. Quoniam enim hoc per choros faciebant in orbem circunstantes in templo & in altari, atque ita gratiarum actiones offerebant, ex ipsa standi forma laudationem eorum significauit. Quod autem dicit huiusmodi est persequere, & fer opem, hoc te apud inimicos reddet excelsum, & efficiet, ut populus tuus multis laudibus & hymnis concelebret. Vide quomodo non quod suum, sed quod Dei est, ubique quærat. *Et pro ipsa in altum regredere*, pro ipsa, quanam? Synagoga (inquit) Vide autem quo modo passim doctrinam cum precibus admisceat: Nam cum in Psalmo alio superius dixisset. Miserere mei, & exaudi me: Sermonem ad consilium uertit dicens. Filiũ hominum usquequò, graui corde, & hic cum dixisset, *in altum regredere* subiungit. *Dominus iudicat populos*, docens eos, qui omnia casu, & temerè ferri putant, prouidentiam quandam rebus preesse eorum, quæ fiunt, rationem exigentem. Intelligit autem hoc loco tã præsens, quam futurũ iudiciũ. Illic .n.erit, & uniuersum & manifestũ, hic aũt ex parte pęnas sumit, & segnes excitat, & incredulos ad Psal. 4.

 considerandam

considerandam uniuersi prouidentiam trahit.

NICEPHORI. *Exurge.* Cum altus sis, talis quoque appareas: *In finibus* hoc est in cędendis & delendis hostibus serui tui, & propterea etiam hostes tui. *Quod mandasti* præceptum *Exod.5.* à Deo traditum erat, Honora patrem tuum: aut: mandatum tuum esto ut de inimicis ultio sumatur. quod igitur mandasti hoc & ipse facies. *Et congregatio populorum* ad te accurrunt, *Regredere*, Ascende tu mediator ad patrem.

APOLINARII. *Dominus iudicabit populos*, Hunc(inquit)iudicem declaratum circunstabunt gentes maxime plaudentes: Significans & prænuncians Ecclesiam ad ipsum congregandam: Is enim in cœlis constitutus (id, quod est in altum regredi,) iudicem sibi regnum tradentem innuit.

THEODORI Antioch. Quoniam sub Absalon regnum diuisum fuerat, aliis quidem à Dauid, aliis stantibus ab Absalon: Consequenter dixit: Multi quidem me aggrediuntur, mihiq; crimen obiiciunt, uerum sublata hac omni populorum dissensione, quæ modo tam graue dissidium parit, omnes in unum ex tuo præcepto iterum congregandi sunt debitas tibi gratias agentes, & propterea excelsus ipse, ac sublimis uideberis.

THEODORETI. *Dominus iudicat populos*, Non meā tantum causam, sed omnem humanam naturam iudicabis.

BASILII. In pluribus scripturæ locis sermo fit de iudicio, tanquam ad doctrinam pietatis maxime necessarius & utilis, iis qui per Christum credunt in Deum. Quoniam uero multiplex de iudicio sermo scriptus est, confusionem quandam parere uidetur, iis qui parum animaduertunt in significationibus explicandis. Qui enim credit in me, non iudicatur, qui uerò non *Ioan.3.* credit, iam iudicatus est. Porrò, si qui non credit similis est impio, quomodo dictum est; impii *Psal.1.* non resurgunt in iudicio? Et si qui credunt, filii Dei fiunt per fidem, & propterea digni sunt, *Psal.81.* quod & ipsi dicantur Dii, Quomodo Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat? Sed illud iudicare, interdum quidem prò approbare, interdum uerò pro condemna- *Psal.26.* re accipitur à scriptura. Prò, approbare, ut illud. Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum. Illic enim mox infert. Proba me Domine, & tenta me. Prò, con- *1.Cor.1.* demnare, ut illud. Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Si enim nos(inquit)excuteremus, non utique condemnationi subiiceremur. Rursus dictum est, Dominum iudicatu- *Ier.25.* rum omnem carnem. hoc est in perscrutanda singulorum uita, sese ad iudicium exponet, & pręcepta sua producet, & cum factis peccatorum conferet, ut per eas collationes, & demonstrationes sese excuset, quod omnia quę ad salutem eorum qui iudicantur, ad ipsum spectantia fecerit, quo ii, qui peccauerunt, reos se esse peccatorum persuasi diuinum iudicium admittentes, pœ- *Matth.12.* nas sibi inferri non recusent. Est & aliud huius uocis κρίνειν. Significatum. Iuxta illud quod Dominus dixit. Regina austri surget, & condemnabit generationem hanc. Eos enim qui diuinam doctrinam auersantur, & recta studia paruipendunt, & quos sapientię dogmata salutaria, & pręcepta fastidiunt, iudicabit, & ex collatione illius genrationis ad recta studia pietatis grauius iudicium subituros esse dicit, propter ea, quæ neglexerunt. Cæterum non omnes (ut opinor) qui terrenum hoc corpus iterum assumpserint, similiter ab æquissimo iudice iudicandi sunt, propterea quod quæ nobis extrinsecus accidunt, cum inter se ualde diuersa sint, ut uarium, ac diuersum sit iudicium cuiuscunque efficiunt: nam rerum, non quæ nobis insunt, sed quæ nos inuitos etiam circunstant, copia, atque concursus, crimina nobis aut grauiora, aut leuiora reddit. Detur enim scortationem esse id, quod iudicatur, sed illam quispiam peruersis ab ineunte ætate moribus educatus exercuerit, nam à parentibus turpibus, & obscænis in uitam editus est, peruersaque turpium rerum consuetudine, ebrietatibus, comessationibus, ac prauissimis colloquiis innutritus: Alius uero sit, qui habeat multa, quæ ad optima quæque prouocare & impellere possint, liberalem educationem, præceptores, auditionem diuinarum literarum, lectiones salutares, parentum monita; sermones qui ad castitatem, & sobrietatem informent, honestá uitæ rationem, deinde in crimen superiori simile prolapsus sit. Quomodo uitę suæ rationem daturus, non grauiores pœnas hic, quam ille persoluet? Ille enim ob impetus, qui hominum mentibus natura salutares inditi sunt, propterea quod illis abusus fuerit, tantum accusabitur: Hic uero propterea, ut qui plurima salutis incitamenta, & adiumenta habuerit, sed propter intemperantiam, & breuissimi temporis inconsiderationem, ac segnitiem se ipsum perdiderit. Similiter etiam ut qui ab initio in pietate nutritus, & omnem peruersionem & prauam consuetudinem in diuinis dogmatibus euitauerit, nutritusque in lege Dei, quæ omne peccatum prosternit, & in contraria excitat, minime similem Idololatriæ excusationem pretendere

dere poteſt cum eo, qui à parentibus iniquis, ac legem ignorantibus educatus & à gentibus idololatris initio eruditus eſt. *Dominus iudicat populos.* aliter Iudæum, aliter Scythám iudicat. Ille enim in lege conquieſcit, & in Deo gloriatur, & præſtantiora probat: Edoctus igitur à lege, & communibus ſententiis aſſuetus, & in prophetarum oraculis, ac legalibus literis inſtructus ſi deprehenſus fuerit contra legem iniquè peccare, multò illi grauiora crimina imputabuntur. Scythæ uerò agreſtes, qui immitibus ac efferis moribus, rapinis item, ac mutuis uiolentiis aſſueti, intemperanti animo præditi, quique facile ad mutuas contentiones & cædes irritantur, & lites dirimere ſanguine, & ferro didicerunt: Si bonum quippiam & humanum ſibi inuicem præſtiterint, grauius nobis ſupplicium propriis uirtutis actionibus parant.

Iudica me Domine, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

BASILII. Videtur ſermo hic aliquid arrogantiæ præ ſe ferre, & conſimilis Phariſæi iactantiæ ſe ipſum extollentis: Verum ſi quis rem candidè æſtimauerit, Prophetam ab hac mente longè abeſſe comperiet. Iudica me (inquit) Domine, ſecundum iuſtitiam meam, & *Secundum innocentiam meam.* Multiplex.n.(ait) iuſtitiæ ratio, & fines perfectę uirtutis intellectu difficiles. Nam & quædam Angelorum iuſtitia eſt, quæ iuſtitiam hominum antecellit, & ſi aliqua eſt ſupra Angelos poteſtas, quæ affinem cum iuſtitia pręſtantiam et excellentiam habet. Et ipſa quoque Dei iuſtitia, quę cum ineffabilis & incomprehenſibilis ab omni genita natura omnem mentem tranſcendit. Me igitur Domine iudica ſecundum iuſtitiam meam, eam nimirum, quam homines aſſequi poſſunt in carne degentes: Et ſecundum innocentiam, quæ in me eſt: Sic enim loquentis propoſitum longe à Phariſaica arrogantia abeſſe ſtatuitur. Innocentiam autem ſuam uocat ſinceritatem, & inexperientiam rerũ ad cognitionem utilium, iuxta id, quod in prouerbiis dictum eſt. Innocens credit omni uerbo. Pro.14. Cum igitur plerique hominum præ inſcitia incautè in multis offendimus, Deũ orat, & obſecrat, ut ueniam in hac ſimplicitate conſequatur. Ex his igitur manifeſtum eſt, uerba illa humilitatem dicentis potius, quam arrogantiam prę ſe ferre. Iudica enim me (inquit) ſecundum meam iuſtitiam: Et iudica me ſecundum innocentiam meã, quæ in me eſt. Ita ut iuſtitiam quidem ad humanam imbecillitatem expendas, ſic me iudica. Simplicitatem uerò morum meorum doctus, neque ut acutum me, atque ut probè circunſpectum ad humanas res ſic peccantem me iudicet.

CHRYSOSTOMI. Qui fit, ut qui alibi dicat, ne ingrediaris in iudicium cum ſeruo tuo, hic dicat. *Iudica me ſecundum iuſtitiam meam?* An quia hoc aliud, illud aliud eſt? num illic dicens: Pſal.142. Ne ingrediaris in iudicium cum ſeruo tuo: ſignificat: Ne contendas mecũ iudicio, ne uitam meam cum beneficiis tuis conferendo, perſcruteris: & ideo ſubiungit: Quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens: Si tecum ſcilicet in iudicio contendat. Hic autem nõ hoc dicit, non.n. uult eum in iudicio, ſed ſecum contendere, & ideo dicit, ſecũdum iuſtitiam meã, hoc eſt, ſecundum iuſtitiam, quæ mea eſt: intelligit autem eam, qua neminem læſit, quod ſuperius dixit. *Si feci iſtud*, & quæ ſequuntur. Idem quoque ſignificat illud, *Secundum innocentiam meam.* Secundum hoc (inquit) uolo iudicari. Magna eſt etiam hoc in loco iuſti fiducia: Hæc uerò coactus dicit. Et quomodo. Quoniam plerique ſtulti ex calamitatibus, in quas inciderat, malam de eo opinionem conceperant.

EVSEBII. Quoniam opus omne in iudicium Deus adducet: atque omnes ſtare oportet Rom.14. ante tribunal Chriſti, meritò ipſe ſuum Dominus aduentum repręſentabit, ſibique cętum ex gẽ 2.Cor.5. tibus præparabit. Et propter hunc in altum, unde uenerat, ſublimis regredi, & omnia facturus nunciatur: Siquidem iudicaturus eſt orbem terrę in iuſtitia, & populos in ęquitate. Pſal.98. Cum igitur Dauid à ſpiritu inhabitante didiciſſet Saluatorem hæc omnia facturum. Eſto (inquit) mihi Domine iudex: non propter reliquas actiones meas, ſed ſecundum ſimplicitatem, & innocentiam meam: Et non ſecundum iuſtitiam, quam ſemper complexus ſum: in his enim iudicium de me fieri peto.

THEODORETI. Nullam ſibi his uerbis diuinus Dauid iuſtitiam arrogauit. Ipſum.n. contra clamantem audimus. Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt Pſal.50. ſemper: Et cum diceret: Confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino. Pſal.31. Sed iuſtitiam in propoſito dixit, ut qui nihil Abſalon, nec Achitophel, nec alios, qui cum illis in bello contra ſe conſpirauerant, læſiſſet. Proinde ſecundum hanc iuſtitiam, & innocentiam (inquit) non iuxta errata, quæ peccaui iudicari poſtulo: ipſum per ſe præſens rerum argumentum iudicari, nec me pro iis, quę aliàs peccaui, iudicium ſubire ſupplex peto.

HESYCHII. Dominus iudicabit populos, Iudæos intelligit Chriſti reſurrectionẽ calum-

 niantes.

niantes. *Iudica*, Ecce consequitur modo aliud diapsalma: ut notum esse posset, medios & interiectos uersiculos solius Saluatoris ordinationis & prouidentiæ causa dictos esse. Quos in se ipsum Dauid rursus perficit, immò magis in quemlibet iustum Prophetiam transfert.

DIDYMI. Quod hic ait, æquè est, ac si dicat, Iudicium de me feras secundum innocentiam tantum, ac iustitiam meam. Sic.n.iustus apparebo cum nulla in factis meis iniquitas deprehensa fuerit: Innocentiam uerò hic non simplicem quandam imperitiam, iuxta id, quod scriptũ est, innocens credit omni uerbo, sed simplicitatem dolo uacuam & fraude carentem intelligit;
Prou.14. Qua significatione à Propheta aliàs dictum Deo est. Me autem propter innocentiam suscepisti:
Psal.40. & In innocentia mea ingressus sum. Veruntamen cum in nonnullis exemplaribus legatur:
Psal 25. Iudica me secundum iustitiam tuam. Eam dictionem sic explicabimus: Est sanè iustitia quædam cuius homines compotes esse possunt, quæ ab minori & exiliori iustitia distincta est, Vnde Paulus cum de Iudæis loqueretur, horum discrimen posuit, dicens: Aemulationem quidem
Phil.3. Dei habent, sed non secundum scientiam: Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Intelligens Dei iustitiam illam, quę in omnes credentes per IESVM Christum facta est, cuius cum ipse quoque particeps fieri exoptaret, omnia se abiecisse testatur, quibus apud Iudęos iustus habebatur: Et iustitiam, quę ex Deo est per fidem, non suam ipsius habere inueniretur. Hanc IESVS discipulos suos habere cupiens
Matth.5. dixit. Si non abundauerit iustitia uestra plus quam Scribarum, & Pharisęorum, non intrabitis in regnum cœlorum: Cum igitur hoc intersit inter iustitiam Dei, & iustitiam hominum, iuxta Dei iustitiam iudicari postulat, Iudicium huiusmodi sibi ad salutem profuturum sciens.

NICEPHORI. Per iustitiam intelligit simplicitatem, per Innocentiam uerò, quod malum in rebellem filium inferre non cogitauerit.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum, scrutans corda, & renes Deus iustè.
Adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.

CHRYSOSTOMI. Quid est, *consumetur?* Inferas (inquit) supplicium, & cessare facies à uitio, Alius dixit. Peragatur uexatio aduersus impium, & stabilies iustum: nam quemadmodum putredines cędunt acrioribus remediis ustionibus & sectionibus, ita quoque à suppliciis expellitur improbitas. *Scrutans corda*, Alius uertit: Examinator cordium, & renum Deus: iustus defensor meus. Et alius: Deus iustus. Septuaginta uerò sic. *Scrutans corda, & renes Deus, iustum auxilium meum à Domino*, Dixit antea illum esse iudicaturum orbem terrę: dicit deinceps quomodo sit iudicaturus: dixit eum non egere testibus, non probationibus, non quęstionibus, non tabulis, aut instrumentis, aut aliis huiusmodi rebus, ipse enim est, qui etiam quæ sunt
Prouer.2. arcana, nouit. Non dicat ergo uesanus aliquis, quomodo iudicabit mundum, qui tantus est? tam
Ier.17. uastus, tam immensus? Qui enim fecit, cum non esset, is factum iudicabit. Renes autem intelligit arcana mentis, quę sunt intima, quę ex partis collocatione profundissima sunt: Quid est *Scrutans?* quod alius dixit, probans. Etsi uero sunt humanæ dictiones, sensa tamen Deo
Roma.8. conuenientia sunt. Nam quemadmodum Paulus cum dicit. Qui autem scrutatur corda: Scrutari ponit pro apertè scire, sic etiam hoc in loco, *Scrutans*, pro planè cognoscere affertur. Porro etiam, examinare, est, nudare, quod est perfectè scientię opus: ut etiam dicit Paulus:
Hebr.4. Omnia autem sunt nuda, & resupinata oculis eius. *Iustum auxilium meum*, Alius dicit. Iustus defensor meus: Quid est, *iustum auxilium meum à Domino?* Nihil petere à Deo iniustum. Quare si diuinum auxilium impetrare cupimus, ea petenda sunt, quæ iusti rationem habent.

EVSEBII. Statuit his uerbis Prophetam magnam illam esse ac sapientem precationem, quæ iniquitatis abolitionem precatur, & cum nequitiæ peccatorum deletionem, tum soliditatem ac firmitatem iusti uiri astruit. Itemque fulcimentum eidem asserit, quominus fluctuet, aut perturbetur. Post hæc cum de iustitia, deque iudicio Dei, quæ proposita sunt, loquutus esset, consequenter deinceps docet eundem solum esse omnium iudicem, qui iustè de peccatoribus ac iustis iudicare, & eorum causam possit agnoscere. Nā solus ipse est, qui diligenter ac solerti ratione corda & renes scrutatur: Solus item iustus, qui unicuiq; reddet iuxta opera sua, singulisq; prò meritis ac dignitate distribuit. Nam homo, qui in faciem respicit, & de rebus, per ea, quæ uidentur, iudicium facit, cum quæ in imis præcordiis delitescunt, intueri atque aperire nequeat, optimus, aut iustus iudex esse non potest: At Dominus ipse Filius Dei, consiliorum ac cogitationum cordis iudex, cuius conspectui nihil occultum est, is est, de quo modo dictum

dictum est, *Scrutans corda & renes Deus iustus*, Post hæc cum docuisset hunc ipsum Deum esse, suum ipsius cor aperit, & ingenua fretus conscientia liberè dicit. *Auxilium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde*, iustas sibi causas formans, quibus iudicium scrutantis corda & renes non reformidet, ut potè qui bene norit in corde suo nihil prauum repertum iri: Quapropter de iustitia iudicis fidens spero (inquit) forè, ut Deus, qui saluos facit rectos corde, aliquam mihi misericordiam, & auxilium largiatur.

THEODORETI. Renes internas cogitationes per figuram uocat, quoniam pudendos appetitus renes excitant, atque hinc concupiscentię cogitationes suscitantur. Symmachus prò, *consumetur* posuit, conficiatur; nam si malitia eorum, qui uitium sequuntur, delitescat, uirtutis amatores rectius iter propositum atq; ardentius persequentur. Qui ergò arcana humanę mentis cogitata nouit, iustũ mihi auxilium impendet, ut potè qui hæc agere consueuit, afflictorum.n.est uindex: Hinc & iniquos deterret iustã uindictã ostendens, & Achitophelis interitum prædicit.

BASILII. *Consumetur nequitia peccatorum*, Qui hæc precatur, certus est & indubitatus euangelicorum præceptorum discipulus. Orat.n.prò persequutoribus suis, cupiens demum ne [*Matth. 5.*] quitiæ peccatorum finem imponi. Perinde ac siquis ęgrotanti corpore orando diceret, consumetur & aboleatur ægrotantis morbus; ne autem ulterius peccatũ serpens uelut cancer depascat etiam orat Deum, ut consistat, & finem habeat peccati diffusio, & hoc petit ex inimicorum dilectione, ac uoto benefaciendi iis, qui illam oderunt, & propterea pro suis persequutoribus Deum interpellat: *Et diriges iustum*. Rectus nominatur iustus, & rectum cor, quod rectificatum est. Quid ergo sibi uult oratio Prophetæ? precatur enim, ut qui iam rectitudinem est assequutus dirigatur: neque.n.quis dixerit in eo, qui iustus est, aliquid obliquum, aut inflexum, & tortuosum inesse. An fortassis necessaria est pro iusto petitio, ut quod iuxta propositum eius rectum est, per Dei manuductionem dirigatur, ut neq; præ debilitate nutet unquam, & à norma ueritatis discedat, neque ab hoste ueritatis peruersis dogmatibus lædatur. *Scrutans corda & renes Deus iustus*. Quoniam scriptura multis in locis, cor, prò præcipua animę parte, renes uerò prò concupiscente ponit, idem quoq; hoc loco significant: nempe dicit iudica me Deus, tum ob pietatis dogmata, quæ cognosco, tum ob affectus animi, quos cohibui: Tu enim es, qui corda & renes scrutaris. Scrutatio propriè inquisitio est quæ tormentorum acerbitate ab iudicibus illatorum extorquet ea, quę aliquis occultare intendit ut manifesta illa fiant, de quibus quæstio est, Itaq; in diligẽtissima infallibilis iudicis perscrutatione & cogitationes & actiones nostræ expenduntur: Nullus ergo uerũ iudicem præuertat, neq; ante tempus quis iudicet donec ueniat Dominus, qui & occul [*1.Cor.4.*] ta tenebrarum illuminabit, & consilia cordium manifestabit. Inscrutando itaq; cor & renes Deus suam ipsius iustitiam ostendit. Examinatum fuit cor Abraham, an Deum ex toto corde suo & ex tota anima sua diligeret, cum filium suum Isaac iussus est in holocaustum & sacrificiũ offerre, quo appareret, quod filium supra Deũ non diligeret. Examinatus quoque Iacob, cũ illi à fratre insidię struerentur, quo in tantis criminibus Esau fraterna ipsius caritas non obscurata fulgeret: & horũ quidem corda expensa sunt. Renes uerò examinati sunt ipsi Ioseph, cũ lasciuiente Domina erga ipsum libidinis furiis exagitata turpitudini uoluptatis prętulit temperantiæ grauitatem. Ea uerò gratia examinatus est, quò spectatores iudicii Dei uideant meritò ipsi præmium rependi: propterea quod in magnis experimentis ipsius castitas effulserit. *Auxilium meum à Domino*. Qui in pugna oppugnantur propriè auxilium quærunt. Itaque hic etiam inuisibiles hostes suos sentiens cernens ab hostibus se circum uallantibus ingens sibi periculum imminere dicit. *Auxilium meum à Domino*, non à diuitiis, non à corporeis commodis, non à potentia, non à robore meo, neq; ab humana cognatione, sed auxilium meum à Domino. Quale uero auxiliũ mittat Dominus timentibus ipsum, didicimus alibi dicente Psalmo immittet se Angelus Domini in circuitu timentiũ ipsum, & liberabit ipsum; Et alibi: Angelus qui liberat me. *Qui saluos facit rectos corde*. [*Psal.35.*] Rectus est corde qui cogitationẽ ad excessum, aut ad effectum uergentẽ non habet, & rectà pergens ad uirtutis mediocritatem dirigitur: nam qui a fortitudine ad inferiora declinat, iuxta timorem peruertitur: qui supra effertur, ad audaciam & temeritatem prolabitur. Quapropter scriptura eos obliquos uocat, qui excessibus & defectibus a medio aberrant: quemadmodum.n.obliqua linea dicitur, quæ interim in conuexum, interim in concauum recta diffracta flectitur, itaque quoque obliquum cor est, quod nunc effertur arrogantia, nunc errore deprimitur. Quapropter inquit Ecclesiastes: distortum non dirigitur.

DIDYMVS. Scrutator & quęritat Deus non tanquam qui inquirat & indagetur, sed tanquã cognitor, & perspector: Siquidem scrutari est absolute noscere, cognitor enim est occultorum, nec illum ulla mens latet. Renes autem non corporis sed intellectuales animæ

Iere.12. facultates intelligit, quod patet ex pluribus scripturę locis, quorum unus est. Propè es tu ori eo
rum, & longè à renibus eorum: quod dictum est de improbis, qui Deum esse uerbis fateban-
tur, ipsum uerò in cogitationibus & deliberationibus suis non habebant, *Auxilium meum à*
Domino, qui saluos facit rectos corde, quasi uelit hoc intelligi uerborum ui. Si Deus saluos fa-
cit rectos corde, ego autem iustum ab ipso, ut me seruet, auxilium imploro, & rectum habeo & si
ne dolo cor, meritò in innocentia mea iudicari postulo.

NICEPHORI. *Consumetur nequitia*, Si aliquando peccatorum malignitas cessauerit,
iusti absque impedimento uiam uirtutis ambulabunt. *Scrutans corda*, Nonnulli per cor irasci
bilem animæ facultatem, & per renes concupiscentem intelligunt, ex quibus facultatibus pecca-
ta omnia ortum habuere; Alii uerò per renes intimas cogitationes capiunt.

ORIGENIS. *Consumetur nequitia*, Quando aliquis non peccat, nequitia eius peragi-
tur, & consummatur. Vel nequitia peccatorum Diabolus est. Quando ergo ad finem deducta
fuerit nequitia peccatorum, iustus rectà peraget uiam suam, nulla ab illis oppugnatione impe-
diente. Porrò ultio & supplicium in peccatores, iustorum gubernatio est, ne amplius humanis
fluctibus agitentur.

ATHANASII. *Auxilium meum à Domino*. Iusta petenda sunt, ut ipsa petitionis ui, &
natura momentum eius, qui seruat rectos corde, facile attrahendo inclinemus.

Deus iudex, iustus, fortis, & patiens, & non irascitur per singulos dies.
Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum.
Et in eo parauit uasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

DIDYMI. Cum orando peteret ut peccatorum nequitia absumeretur, & dominus in fi-
nibus, inimicorū in ira consurgeret, propter suam in proximos charitatem, neminem optat, nequi
tię abolitionem inuitum ferre, sed electione, ac proposito Deū iustum iudicē agnoscentes, hoc
facere: Quod si iustus est Deus, peccare timendum est, siquidem respectum habemus ad iudicem
qui occulta intuetur, nec quicquam eorū, quæ fiunt, ignorat. Qui sanè ut iudex, ita iustus est, &
de singulis, quos seruat pro dignitate iudicium facit. Sed & cū iustus iudex sit, potens est etiam de
linquentes, quamcelerrime punire: Quod si quis interdum pro sceleribus suis iustas longa boni
tate iudicis pœnas non dat, patientia Dei fit ulciscendi criminis dilatio: nam si iudex tantū iustus
& potens esset, omnem hominis intellectum ad peccandum propensum funditus euerteret. Sed
cū patienter præterea, ac leniter ferat, (bonus enim non irascitur per singulos dies, quanquā ubiq;
debacchetur impietas, & maxime delinquatur) longanimis & patiens fert, non quidem ut diu in
peccatis immoremur, sed ut tempus & locum pœnitentię habeamus: non.n.uult mortem pecca-
Ezech.18. toris, sed ut uiuat. Mortem autem ille oppetit, qui peccare non desinit, illud ignorans, quod beni-
2.Pet.3. gnitas Dei ad pœnitentiam adducit. Cęterum & si prę nimia benignitate, ac lenitate quotidie
Rom.2. non irascitur, obstinatis tamen ac in peccato uitam ducentibus inferetur ira in die iræ, idest in die
iudicii. Nisi.n.conuersi fueritis à uoluptate peccandi, *gladium suum uibrabit*, pro acuet: & arcum
suum pariter instruet, in ipso præparans uasa mortis, & aduersus æstuantes cupiditatum incendio
ultionis sagittas intendet. In scriptura sępe nomine gladii pœna significata inuenitur, illud enim
Amos 9. quod in Amos Propheta dicitur: In gladio morientur omnes peccatores populi: non sensilem
gladium significat: non enim penitus omnes peccatores cædibus, & iugulationibus traduntur.
Quod cum minime sit necessarium, patet iam peccatores omnes suppliciis interire, dum animæ
Soph.2. simul cū corpore Gehēnæ incendiis destinantur. Illud ipsum exploratum est apud Sophoniā Pro
phetā de Deo loquentē. Et uos Aethiopes interfecti gladio meo eritis. Tenebras autē, & igno
Exod.5. rantiam Aethiopes ob eorum inscitiam & nequitiam appellat. Porrò in Exodo gladius pro sæ-
uissima pœna manifestissime sumitur, ubi scribę filiorū Israel, qui in operibus à Tiranno iniun-
ctis oppressi detinebantur, comminationibus grauissimis subiecti, cum Mosen offendissent, cla-
mantes dicebant. Videat Deus, & iudicet uos: Quoniam fætere fecistis odorem nostrum co-
ram Pharaone, cum dedistis gladium in manibus eius, quo occideret nos: non enim gladium
ferreū, sed Principis sęuitiam intelligentes hæc dixerunt. Ex his quoque apparet Dei longanimi
tas & lenitas, qui non seuerè in eos, quos delictorū non pęnitet gladio utitur: Sed uibrat illū, atq;
arcū tendit, & parat ipsum, sagittas supplicii sumit, nō iaculatur, licet eas effecerit, & ut libuerit ia-
culari sine difficultate queat. Vasa mortis in arcu parare intelligere pōt eos, qui uasa irę multis in
locis dictis pœnis deseruiunt. Isti sunt praui Angeli, per quos ira & furor & afflictio contra me
rentes immittitur. Quod si uasa, quæ ardentibus effecta sunt, ueneno plena sunt, certè uasa mor
tis appellari possunt.

THEODORETI. Habet uerò & lenitatem diutius hominū peccata perferentē: quoniā

si uiderit

ſi uiderit homines interdum nihil ex eius patientia utilitatis percipere, minis interim deterret, uindictam differt, ſupplicia parat: Quod ſi eius lenitate abutuntur, & in peccatis perſeuerant, extremum ſtatim iudicium, quod iuſtitiam e.equitur, puniens inducit. Hæc autem per ea, quæ ſequuntur, explicauit dicens: *niſi conuerſi fueritis*, & reliqua. Hæc enim non uindictæ, ſed comminationis uerba ſunt. Vibrabit enim (inquit) non, percutiet, tetendit arcum, non emiſit ſagittam; Et docens contra quos iaciet ſagittas, ſtatim ſubdit. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, Qui enim combuſtibilem peccati ſyluam conſtruxerunt, & ligna ac fœnum ſtipulamque congeſſerunt, (ut ait diuinus Apoſtolus) ignitis iaculis configentur.

HESYCHII. Bonus igitur, & terribilis iudex noſter Deus: ut enim bonus, longanimis, 1. Cor. 3. ut terribilis potens eſt. Cœterum non ſolum quatenus fortis peccatoribus eſt formidabilis, ſed etiam quatenus iuſtus eſt: nam iuſti iudicis eſt unicuique reddere ſecundum opera ſua. Quod ſi iram inferret per ſingulos dies, nullus quidem ſeruari poſſet, & futurum iudicium fruſtraretur, ſi antequam adeſſet, punire ac ulciſci uellet, ſed nondum gladio in peccatores utitur, ſed uibrat, quo minarum terror peccatores ad pœnitentiam compellat. Ardentes uero uocat libidinis igne accenſos, contra hos ſagittas comparare dicit.

BASILII. *Deus iudex, iuſtus*, Videtur hoc dicere propheta in eos inuehens, , qui propter ea, quæ tunc euenerant, perturbati erant, ut potè qui ſedare hominum turbationem uellet, ne interim uniuerſorum prouidentiæ detrahant, cum uideant inultum patrem inſurgente in eum filio, etiam nequitiam Abſalon in his, quæ ſtruebat, fęliciter procedere, Veſanas igitur eorum cogitationes cohibens, & dirigens. hoc teſtimonium adducit. *Deus iudex, iuſtus, & fortis*, patiens, non iraſcitur *per ſingulos dies*. Nil citra Dei iudicium fit, ſed ſingulorum menſuris remetitur Deus, ut quiſque prior uitæ ſuæ actiones dimenſus eſt. Quandoquidem igitur peccatum à me cõmiſſum eſt, iuxta merita mea rependitur mihi, ne igitur loquantur contra Deum iniuſtitiam. Deus enim eſt iudex iuſtus. Cœterũ neq; adeò dè Deo humiliter ſentiatis, ut imbecillum eum eſſe ad ulciſcendum putetis: nam idem quoque fortis eſt. Sed quid cauſæ eſt quod non ſtatim de peccatoribus pœnas ſumat? quia patiens, & longanimis eſt, non inducens iram per ſingulos dies. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum uibrabit*. Comminantis ſermo eſt hic, qui ſegnes, & tardos ad pœnitentiam, ad conuerſionem hortatur, Non ſtatim uerò uulnera, & plagas, & mortem minatur, ſed armorum uibrationem & tanquam accinctionem quandam ad uindictam. nam quemadmodum qui arma expoliunt, & rubiginem auferunt, & parant ea, concitationem ad bellum ſignificant, ſic uates Dei motum ad uindictam uolens oſtẽdere, eum uibrare gladium ſuum dicit. *Arcum ſuum tetendit*, Non neruus eſt, qui arcum Dei tendat, ſed puniendi facultas, quæ aliquando intenditur, aliquando remittitur, peccanti ergò minatur ſermo cum parata eſſe, quæ illi ſupplicium ſunt illatura, ſi in peccato perſeueret. parata enim ſunt in arcu uaſa, & inſtrumenta mortis, Vaſa autem mortis ſunt poteſtates inimicos Dei deſtruentes. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*. Quemadmodum ignis pro combuſtibili materia factus eſt à conditore Deo: (non enim propter adamantem creatus eſt, qui ab igne non liqueſcit) ſed propter ligna, quæ comburuntur, ſic Dei ſagittæ animabus, quæ facile incenduntur, & quę materiam multam ad comburendum aptam collegerunt, ab ipſo factæ ſunt. Qui ergò anteuerterunt, & iam in ſe ipſis ignitas diaboli ſagittas habent, hi ſagittas Dei excipiunt: propterea dixit. *Sagittas ſuas ardentibus effecit*. Vrunt porro animam amores carnis, cupiditas diuitiarum, ignitæ iræ, triſtitiæ ardentes, ac animam conſumentes, & timores à Deo alieni. Qui uero ab inimici telis ſauciatus non eſt, & armaturam Dei induit, is à lætalibus ſagittis illæſus, integerque manet.

CYRILLI. *Vibrabit*. prò, nudabit, poſuit: ſimili modo, quo nos gladiis noſtris uti ſolemus. Benigna eſt proclamatio, & ex Dei lenitate intenta in eos, qui in infirmitatibus poſiti ſunt: non enim ſimpliciter, propterea quod iniquitates operantur gladium minatus eſt illis, ſed niſiſquã primum reſcipiſcere, ac conuertere ſe uoluerint, omnino in grauia, & moleſtia incidere permittet. Intendit uero arcum, ideſt paratum habet ipſum, iſtrumentis mortis ideſt ſagittis refertum, quas ſe effecturum dicit ardentibus Geenę filiis, Qui aliquando audient iudicem dicentem, Diſcedite a me omnes; & reliqua. per Gladium uero, arcum, ſagittas, & inſtrumenta Luc. 13. mortis uaria, & diuerſa pœnarum genera innuere uoluit, ſcilicet nonnullas poteſtates intelligens prò meritis pœnas ſingulorum peccatis inferentes.

CHRYSOSTOMI. *Deus iudex iuſtus*, Quod dicit, eſt hoc. Si iuſtus eſt, punire omnino iniquos uolet, ſi fortis, omnino poterit: Et ubi (inquit) eſt clementia, ſi ex iuſto iudicabit. Sanè primum in eo, quod non ſtatim pœnas infliget, uel in eo potius, quod ante omnia

remi-

remiſerit per regenerationis lauacrum, ſecundo autem in eo, quod poſſe pœnitere conceſsit. Si enim tecum cogitaueris non continenter per ſingulos dies peccare, tunc maxime ineffabilem eius clementiæ magnitudinem uidebis, quod etiam oſtendens ſequitur. *Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens,* Dubitas cur cum poſsit, & uelit, non puniat, diſce (inquit) quod eſt patiens, & non infert iram per ſingulos dies: ne quis enim inſipiens putet euenire, ut propter imbecillitatem non exequatur, quod uelit, cauſam dilationis affert, quod latos habet fines & menſuram amplam patientia: Ne uero qui illum patientem eſſe audiunt, negligentiores fiant, ſubiunxit. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrabit,* & reliqua. Quid afferent ad hæc illi qui Deum eſſe humana forma præditum dicunt ex eo, quod dicatur manus habere, pedes, & oculos? ſunt ne in ſupernis regionibus cœli arcus, & tela, & cotes, & gladius, & pharetra? atqui dicit alius, Dum tu reſpexeris, turbabuntur à te montes terræ, & hic ipſe uates: Qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Quod ſi qui terram ſolum aſpicit, & liquefacit lapidum naturam, quanto magis hoc præſtabit in hominibus? Cur ergo qui ſolo obtutu, immò ſolo nutu, poteſt orbem euertere, dicitur arcum, & gladium habere? poteſt autem ſolo nutu ac uoluntate ſola orbem euertere, qui ſolo nutu ac uoluntate orbem fecit. Nam ſi in manu eius ſunt omnes fines terræ, & eius incolæ tanquam locuſtæ, & gentes omnes tanquam gutta à cado, & tanquam trutinæ momentum reputabimur; Et Angelus quoque ab eo immiſſus temporis puncto centum octoginta quinque millia uirorum interfecit. Quod dico, Angelus? Muſcæ, erucæ, & uermes AEgyptiorum exercitū perdiderūt, ubi illi arcu, ubi gladio opus eſt? cur ergo hęc dicta ſunt? planè ob auditorum craſsitiem, ut his conſuetis armorum nominibus, eorum mentem perterrefaciat. Vide quod omnia per translationem & expreſsionem dicta ſunt? ut per hæc omnia timor augetur, quod enim dicit huiuſmodi eſt, ſupplicia parauit iis, qui puniendi ſunt: At ſi non ita loquutus eſſet, non tantum terroris incuſsiſſet. Nunc autem cum ſagittarum & arcus & gladii & immiſsionis & tentionis & inſtrumentorum mortis & incendii meminerit, nominum narietate metum & terrorem iniecit. Orationem præterea grauiorem reddit: nam uibrauit, uel acuit, ſupplitiū uehementiam intendit, imminentiam appropinquauit, certitudinem, ſi non conuertantur, oſtendit, & uerbo illo, *ardentibus* reos ſignificauit. ut per hęc omnia docti malitiam comprimant. Quod ſi hæc eſſent furoris & excandeſcentiæ, non monuiſſet eos antea, quos eſſet inuaſurus.

Rom. 8.
Rom. 2.
Pſal. 103.
Luc. 1.
Pſal. 45.
Iſa. 40.
4. Reg. 10.

NICEPHORI. *Et iram non afferens per ſingulos dies,* iram, ideſt, punitionem, *gladium* uibrabit: uibratio, uel nitidatio (ut ita dicam) gladii, & arcus intentio ſigna ſunt comminationis & longanimitatis. *uaſa mortis,* uaria mortis genera; *ardentibus effecit,* ardentes uocat ſubiectos pœnarum ardore, qui omni prorſus carent humore uirtutis.

Act. 9. ORIGENIS. Vaſa mortis appellat impuras animas nimirum quod mortem contineant quemadmodum uaſa uitæ dicuntur animæ, quæ uitam habent. ſic enim, & Paulum uas electionis uocauit Dominus. *Sagittas ſuas ardentibus effecit.* Hæc ſunt accenſa maligni iacula, quæ fabricauit iis, qui inflammati ſunt & ardentes affectionum incendio: quemadmodum ſunt uaſa agriculturæ, & nauticæ artis, ita ſunt & uaſa mortis ſagittæ mortem inferentes.

Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit, & effodit eum, & iacidit in foueam, quam fecit.
Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipſius iniuſtitia eius deſcendet.
Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

EVSEBII. Hæc mihi quatenus ad literam ſpectat in Achitophel perfecta fuiſſe apertè uidentur: nam quo tempore ex Chuſi conſilio ſua ſpe fruſtratus eſt, tanquam gloria, & honore ab ipſo uictus, cumque inuidiam illam ferre non poſſet, & ſagax es rerum peritia prouideret Abſalon Dominum ſuum perditum, & neglectum iri, ſeque, ſi quiſquam alius, à Dauid puniendum, illinc abiens, & ſe domum conferēs, laqueo uitam finiuit, & omnia iniquitatis ſemina, quæ ſuis uerbis contra Dauid parturierat in animo colligens, & concipiens, eadem in interitum ſuum peperit, & in foueam, quam effoderat, ut in eam alios conijceret, deuolutus eſt: quin & in caput ſuum iniquitatem ſuam infixit. propoſitæ uoces conſentientem rebus ipſis rationem continent: nam qui dolos in proximos animo uoluit & iniurium aliis eſſe cupit, iisque lacum perditionis effodit, is omnia contra ſe parat: & cuiuſque iniquitas in caput eius, & in uerticem ipſius deſcendet: Nam quilibet dignam factis in die iudicii ſententiam referet, & laborum ſuorum fructus percipiet.

2. Reg. 17.

DIDYMI. Quicunque iniuſtitiam parturiit, dolorem quoque in pariendo iniquitatem concipit: Huiuſmodi fœtus cum iniuſtitiæ, ac iniquitatis pœnas luit, parienti interitum afferunt

runt: omnis autem malitia eum laborem concipiet, qui in supplicio inest: Et peccatum grauis-
simus labor est, quod nonnulli plumbeo talento simile esse existimant, deorsum enim habentem
trahit. Verum propter malitiæ inordinationem, & confusionem præposuit dolorem, qui ex par
tu prouenit ipsi conceptui: nam in iis, quæ uterum ferunt, post conceptum dolor, post dolorem
partus sequitur: Quare & ante iniustitiam iniquitas ponenda est, nam quilibet ab iniquitate
correptus, uim legum contemnit, neq; amplius sub lege iustitiæ commoratur. Hoc præcipuè, in
Caim deprehensum est, nam prius exlex factus est, cum male seligeret, quę Deo dicanda erant
Deinde cum fratricidium perpetrasset iniustitiam peperit. Cœterum huiusmodi uoces ipsi Dia *Gen.4.*
bolo peccatorum authori præcipuè quadrant, quod ante omnes iniuste egerit, & iniquitatem fe
cerit. Atque omnes quidem qui peccant, primum se, deinde alios lædunt. Siquidem cum graue
ac damnosum ualde sit peccatum, eum ante omnes damno, & molestia afficit, qui prius eius
est particeps. nã uecordia hominis corrũpit uias eius. Vnde aptissime illud dictum est; peccato-
res malum persequitur. Lacus autem, quem peccator effodit, iniquitas est quam facit. Nam de *Prouer. 3.*
anima peccante dictum est: sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit mali- *Hier.6.*
tiam suam iniquitas. Fouea quoque in scriptura sępe sumitur pro iniquitate, ut illud, Si cœcus
cęcum ducat ambo in foueam cadunt. Hic itidem eos, qui præ ignorantia, & alia malitia cęci *Matth.15.*
sunt, hoc est malos, & iniquos magistros, atque discipulos intelligere oportet.

BASILII. Quatenus ad ordinem spectat, dictio confusionem uidetur habere, nam fœ-
minæ uterum gerentes primum concipiunt, deinde parturiunt, postremo pariunt, At hic con-
trarius ordo est: nam prius ponitur parturitio, mox conceptus, demum partus. Verum si ad cor
dis conceptionem illa referas, significantem maxime dictiouem uidebis. Effrenes enim proter-
uorum impetus, & furentes concupiscentiæ motus tanquam estro quodam concitati parturitio
nes appellantur, propterea quod cum uehementia, & dolore in anima fiunt. At qui secundum
huiusmodi impetus, qui prius consiliis non præualuerit, dolorem concepit, & qui corde insi-
dentem malitiam prauis operibus effuderit, iniquitatem peperit. Hæc autem pudore quodam
suffusus dicere uidetur, quod tam perditi filii sit pater. Non meus hic (ait) non inquam meus
unquam filius est, sed eius cui sese peccando emancipauit. Nam (ut Ioannes asserit,) Qui facit
peccatum ex Diabolo natus est. Ecce igitur parturiit ipsum per iniustitiam; & concepit ipsum, *1. Ioan. 1.*
hoc est ad intimas suas partes, sub propriæ affectionis uiscera induxit, & in utero ipsum gessit
Diabolus: Deinde ipsum peperit eius iniquitate propalata: Siquidem iam notus erat omnibus,
& manifestus illius in patrem insultus. *Lacum aperuit & effodit*, Laci nomen non adeo in bo-
nam partem, ut puteum aquæ in malam acceptum inuenimus in scriptura. Lacus enim est, in
quem Ioseph à fratribus suis coniectus est. Et cum primogenitus omnis occiditur à primo ge- *Gen.37.*
nito Pharaonis usque ad primumgenitum captiuæ quæ est in lacu: Et in psalmis. AEstimatus *Exod.12.*
sum cum descendentibus in lacum. Et in Hieremia, Me (inquit) dereliquerunt fontem aquę *Psal.87.*
uiuę, & foderunt sibi lacus confractos, qui non poterant aquam continere, sed & in Daniele *Hier.2.*
lacus leonum descriptus est, in quem Daniel coniectus est, puteum uerò effodit Abraham, & fi-
lii Isaac. Et cum Moses ad puteum peruenisset, quieuit. Et præceptum habemus, à Solomo- *Dan.6.* *Gen.21.26*
ne, ut à fonte puteorum nostrorum bibamus aquas: Et Saluator apud puteum de diuinis myste *Exod.2.*
steriis mulieri Samaritidi loquutus est. Cur uero lacus in deterioribus, putei in melioribus usur *Prouer.5.*
pentur, hanc esse causam censemus. Aqua in lacubus aduentitia est è cęlo cadens. In puteis ue- *Ioan.4.*
rò uenæ antequam loci fodiantur aquarum plenæ sunt, & ablatis aggeribus & quacunque na-
tura incumbente (quæ sanè terra omnis est) quæ aquam occultant, erumpunt in lucem, & mani-
festa fiunt. Itaque in anima quoque quasi fossa quædam est, in quam colliquant meliora, quæ
mutantur, & degenera fiunt, ubi quispiam honestas cogitationes quę illi ueniunt, in deterius, con
uertit, & in ea, quæ ueritati contraria sunt, eas mutans nihil honesti sibi inesse statuit. Contra
uero putei sunt, cum ablatis prioribus uelamentis lumen, & fons aquæ in sermone, & diuinis sen
tentiis ebibitæ effulget. Idcirco necesse est quemlibet sibi puteum fodere, ut propositum sibi
præceptum seruet, quod ait, Bibe aquam de cisternis tuis, & à puteis fontis tui. Sic enim filii *Prou.5*
prophetarum Abraham, Isaac, & Iacob, qui puteos effoderunt, appellabimur. Lacum uerò
facere non oportet, ne iuxta id, quod hoc loco dictum est, in foueam decidamus, neq; audiamus
ea, quæ ab Ieremia in peccatorum opprobriũ scripta sunt. Me reliquerunt fontem aquæ uiuæ, *Hier.2.*
& foderunt sibi lacus confractos, qui aquam continere non possunt.

THEODORETI. *Ecce parturijt iniustitiam*. Cum Achitophel prauum illud consilium è
pectore prompsisset, *dolorem cõcepit, & peperit iniquitatem*, Ex malitia enim quæ nullum reliquit
excessum, contra innocentem patrem iniquũm armauit filium. Lacum *aperuit, & effodit eum*

IN FINEM PRO TORCVLARIBVS, PSALMVS DAVID.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra.

EVSEBII. Quæ de seculorum fine hoc psalmo prædicuntur, inscriptioni eius argumentum præbuere: nam titulus eius est, *In Finem*. Illud uerò, *prò torcularibus*, dicitur propter eas, quæ per orbem constitutæ sunt Ecclesiæ, quæ per allegoriam torcularia nominantur: Quando enim unus erat populus (erat enim is Israel cui dabantur oracula) tunc turris erat ad templum, & pro torcular ante altare templi iuxta Isaiæ uocem: Modo uero torcularium numerus plura significat altaria per singulas ecclesias distributa. Quapropter, & in psalmo octuagesimo tertio, eodem inscriptionis genere usus est, in quo altaria multa, & tabernacula, & atria prænuntiantur, iuxta illud. Quã dilecta tabernacula tua Domine, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: ac deinde subiungit: Altaria tua Domine uirtutum. *Isa.5.* *Psal.83.*

ORIGENIS. Et in psalmo octuagesimo tertio in scriptionem, pro torcularibus, inuenies, Ad hæc quoque accipere possumus ea, quæ de Noë referuntur, quod prius uineam plantauerit. & benedictio Iudæ à Iacob data, cum dixit: ligans ad uitem pullum suum: & de Isachar, qui uidit requiem quod esset bona, & terra quod optima, supposuit humerum suum ad portandum & factus agricola est. Ozias quoque agricola erat, uineam & uineæ cultores habens in montanis: & uxor iusti uiri est tanquam uitis abundãs in lateribus domus suæ, ex qua uinum exprimitur, quod lætificat cor hominis; & Ecclesiastes: Plantauit uineas, fodit torcular: Et Solomon Vino torcularia tua redundabunt. Torcularia sunt rationales naturæ quæ fructus è spiritali uite suscipiunt. *Gen.9.* *Gen.45.* *Par.26.* *Psal.127.* *Psal.103.* *Eccl.2.* *Prou.3.*

DIDYMI. Cuiuslibet uita uitis dicitur in scripturis: quare Naboth elegit potius mori, quam permittere, ut uinea sua uiolenter ab Acab rege Samariæ sibi auferretur. Cupiebat enim rex ipsam in hortum olerum redigere, cum proxima esset regiæ. Cæterum uinea, de qua contentio erat, uita est actrix, & contemplatrix: quam peruersi, & flagitiosi homines in res temporarias, & fluxas quærunt conuertere, qualia sunt olera: quoniam citò decidunt. De huiusmoui uineis sponsa dicit. Filii matris meę pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem uineis, Vineã meam non custodierunt. Qui in hac uinea ferax ueritatis racemus est, uuam, quoque profert, quam uindemiæ tempore collectam in torcularia conijcere oportet, ut inde copiosè uinum exprimant, quod exhilaret cor hominis. Aliis quidem ueritatis speculamina, aliis uerò opera spiritualia producentibus: non enim unum tantum torcular est, Quoniam multæ agendarum rerum uirtutes sunt, & cuiusque fructus proprium torcular est, ut ad torcular temperantiæ, qui cęlibatum colunt: Item & ii, qui immaculatum thorum conseruant fructus afferunt, & ita de reliquis. Multò autem plura sunt contemplatricis torcularia, ad quæ fidei dogmata perferunt, qui ueritatis speculationes producunt. Hęc autem ita intelligas, ut uirtutum possessionem non auferas. Sed quoniam qui illarum participes sunt, non omnes ad eas æquè propendent. Ideo qui ad eas magis pertingit, earum gestat insignia. Hac de causa multæ ac diuersæ in Euangeliis beatitudines ponuntur. Cęterum decenti, quidem, & congrua collocatione ac numero canticum istud positum est, cum in ordine octauum sit. Respondet enim & consonat dominico die resurrectionis, in quo dimissis discipulis ad testificandam resurrectionem usque ad extremos terræ fines, ui nearum multarum uindemia parata est. *3.Reg.21.* *Psa.36.* *Cant.1.* *Matth.5.* *Marc.16.*

THEODORETI. Sciendum est, quod in quocunque psalmo, in quo titulum, *In Finem* apposuerunt septuaginta, Aquila quidem ac Theodotio, Victoriæ authori, Symmachus uerò canticum prò uictoria, interpretati sunt. Et sanè psalmus hic prò uictoria uictori deo canitur, qui inimicum, & ultorem Diabolum deuicit, & homines in finem, hoc est, perpetuò, ab illius tyrannidis seruitute in libertatem uendicauit. Appellat autem ecclesias torcularia: nam & Dominus, uitis, nuncupatur in euangeliis asserente ipso. Ego sum uitis uera. Qui uerò hanc uitem uindemiant, sunt fideles mysticum uinum præparantes. Maxima quoque hic est Iudęorum perfidię criminatio: nam multitudinem torcularium audientes, & manifestò scientes unum tantum torcular sibi datum fuisse, atque adeò ne torcular quidem, sed protorcular. (protorcular enim (ait) effodi in illa, & expectaui, ut faceret uuas, & spinas produ cit) intelligere nolunt ue- *Ioan.15.* *Isa 5.*

tera præteriisse,& noui testamenti gratiam omnes homines ad salutem inuitantem illuxisse. Qua propter non amplius iuxta ueterem legem sacerdotes in uno altari fructus hominum uindemiant, sed innumerabilia altaria in omnem terram & mare,introducta sunt. Et hoc apertè magis ostendit psalmus octuagesimus tertius: Nam & ipse, prò torcularibus, prænotatus, multorum altarium mentionem fecit. Quàm dilecta (inquit) tabernacula tua Domine uirtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, Et octauus, *prò torcularibus* inscriptus orbis terræ salutem uaticinatur, & Dei prouidentiam erga homines docet,atque unigeniti humanitatem prædicit.

Matth.13. Isa.66. APOLINARII. Torcular, quemadmodum & messem in Euangelio collectionem fructuum in consummatione seculi sermo posuit. Fructus autem hominum opera sunt, & cogitationes iuxta Isaiam dicentem. Ego opera eorum,& cogitationes eorum uenio, ut congregarem cum omnibus gentibus & linguis.

THEODORI ANTIOCHENI. Et hoc psalmo uaticinatur beatus Dauid,quæ de christo uentura sunt, prædicit enim quod de spiritus sancti efficacia pueri lactantes,& infantes ipsu in templo eius laudaturi sunt,Dicunt uerò nonnulli,& in communem hominem de tabernaculorum celebritate hunc psalmum fuisse dictum, in qua fructuum repositio fieri solebat, Et propterea,*prò torcularibus*, inscribi.

Leuit.23.

ATHANASII. Vnum quidem olim inerat in legali cultu, protorcular,id est altare quod erat in templo: sed post gentium uocationem,multa sunt torcularia,ipsæ scilicet Ecclesiæ, fructus eorum,qui piè uiuunt,percipientes.

Psal.7. CHRYSOSTOMI. In præcedenti proximo psalmo dixerat, confitebor Domino secundum iustitiam eius, Et psallam nomini Domini altissimi: hic præstat,quod promiserat,ei hymnum offerens: Et in illo ea sunt, quæ tanquam ex persona una dicuntur,ait enim: In te speraui, saluum me fac: Hic autem tanquam ex persona multorum. *Domine* enim (ait) *Dominus noster*, quam *admirabile est nomen tuum*.

Ioan.15. NICEPHORI. *Prò torcularibus*, Torcularia intelligit Ecclesias fidelium, Dominus enim uitis est, Apostoli palmites, botrus autem fides, quæ in Ecclesiis compressa disciplinæ Christianæ uinum præbet, quo fidelium corda lętificantur. Ex persona igitur horum spiritalium, torcularium hoc est Ecclesiarum hic psalmus à propheta conscriptus est.

HESYCHII. Canit hunc psalmum propheta de iis,qui in extremis temporibus suscipiendi sunt,& habituri uinum in se ipsis,quod eorum corda lætificet, nimirum Dominum nostrum

Matth.9. Marc.2. Luc.5. IESVM Christum,iuxta euāgelicum dictum,Vinum nouū in utres nouos mittendum esse. Nā quemadmodum torcularia multis botris plena unius uini gustum exprimunt, sic ex diuersis gentibus in unius fidei confessionem & Dei laudationem consentientibus Ecclesiæ constitutæ perficiuntur.

Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos

Ex ore infantium,et lactantium perfecisti laudem propter inimicos tuos,ut destruas inimicū,et ultorē,

EVSEBII. *Domine Dominus noster,quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra* Nō olim,sed post Saluatoris aduentum nomen Domini in uniuersa terra admirabile fuit;quando Synagoga populorum circundedit eum,quod egregiè quadrat ei,quod hic dicitur:*Ex ore infantium & lactantium*, & quæ sequuntur. Docet enim recentem,ac nouam Synagogam post eius in cœlum ascensionem per regenerationem in Christo ubique locorum constitutam ex infantibus cō

Matth.21. stare animis. Quarè cum pueri illi acclamarent. Osanna in excelsis, Benedictus,qui uenit in nomine Domini osanna in excelsis: indignātibus Iudæis dixit: nunquam nè legistis. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Ac fortasse illud. *propter inimicos tuos*, tum propter principes sacerdotum, tum propter pharisæos dicitur. inimicus uerò & ultor is est, qui in præcedenti psalmo leo nominatur. Illud uerò maximè admirandum est,quod tantus hostis, &

Ioan.15. leo, qui & princeps huius seculi nuncupatus est, per infantes, & lactantes deuictus est: quo deuicto Deus ubique in omnibus admirabilis prædicatur. Cum autem sit inimicus, insidiatur nobis ut delinquamus, supplantans ut inde graui nos pœna puniat, & flagellet.

THEODORETI Illud, *Quàm*, hoc loco non comparationem,sed amplificationem, & intensionem quandam significat. Admodum(inquit) uehementer ò Domine tuū nomē ab omnibus decantatur, & te conditorem cœli, ac terræ omnes uocant. nam illud. *Eleuata est magnificentia tua super cœlos*, hoc innuunt: omnes scilicet agnouisse te cœlo, ac terræ, & rebus uniuersis dominari. Ille siquidem magnificentiam semper habuit; sed non semper ho-

minibus

minibus nota fuit. Similia quoque beatus Abacuc uaticinatur: nam cum dixisset: Deus de Abac.3.
longè ueniet, & sanctus de monte umbroso: subiunxit: Operuit cœlos uirtus eius, & laude
eius impleta est terra. Et ipse cum apparuisset Iacob, de nomine suo interrogatus respondit. Gen.32.
Quid quæris nomen meum, quod est mirabile? *Ex ore infantium*. Hoc enim maximè poten-
tiam tuam declarauit, quod non per homines, qui humanam sapientiam didicerunt, sed per eos,
qui lactentium infantium simplicitatem imitati sunt, perniciosissimum illum tyrannum euer-
tisti, qui cum tibi Domine sit infensus, & homines instiget, ut in te bellum gerant, rursus tan-
quam ultor insidiarum pœnas ab illis exigit: Ita cum induxisset Achithophel, ut uerba illa dice- 2.Reg.17.
ret, illum postea tanquam carnifex compulit, ut sibi mortem afferret: Eodem modo cum Iu- Matth.27.
dam ad proditionem instruxisset, laqueum illi propter obedientiam sibi præstitã, tradidit pro mer
cede. At secundum historiam quoque ueritas prophetiæ cognosci potest: Nam in sacris Euange
liis Christus Dominus indignantibus Iudęis, quando pueri cum ramis oliuarum præcedentes
clamabant, Osanna in excelsis, Benedictus qui uenit in nomine Domini · respondit. Non legi- Matth.21.
stis ex ore infantiũ, & lactentium perfecisti laudem? Illi ergo pueri perfidum,& ingratũ Iudęo
rum populum similem diabolo, inimicum, & ultorem condẽnant: Nã cũ populus is Dei legem
semper uiolauerit,& semper cõtra Dei pręcepta peccauerit,rursus perinde ac si pro legislatore de
certarẽt,Dominũ Christũ tãquã Deo inuisũ,& legis trãsgressorẽ uocãtes deniq; cruci affixerũt.

Didymi. Olim sanè de Deo dictũ est. In Israel magnũ nomen eius: at nunc impletum
est uaticiniũ de illo,quod dicit. Omnes gentes seruient illi, Ipse.n.est expectatio gentiũ, iccirco Psal.75.
admirabile est apud oẽs nomen eius:cuius rei causa esse dicit, exaltationẽ eius. Quoniã exaltatum Psal.71.
est super oẽs nomen eius,ut in alio Psalmo dicit. nec est alia ab eius gubernatione eleuata magni Gen.49.
ficentia: Quid enim in ipsa est, quod non sit maximè decens? hęc enim ratio nominis μεγαλο- Psal.148.
πρεπείας est. Ipsa igitur exaltata est post expiationẽ peccatorum sedens ad dexteram maiestatis Psal.137.
in excelsis. Illud quoque ita intelligendum,quod dicitur, illum post resurrectionem cœlis excel Heb.1.
siorem factum esse. Infantes uerò sunt omnes, qui accedentes ad fidem malitiæ repubescunt, Heb.7.
& eos, qui adhuc lactent, ipsi iam paruuli facti ætatis innõcentia superarunt,quibus postea lac ci-
bus impertitur. Isti omnes, qui conuertuntur, sicuti paruuli fiunt.

Hesychii. Hic loquitur Ecclesia: nam post Christi agnitionem ab Idolorum seruitute
liberata Dominum suum tanquam uerè Deum, ac Dominum uocare cępit. Semper quidem uni
uersa terra mirabilibus Dei operibus repleta est, sed id multo magis, ex quo nomen illius, scilicet
Christi,apud omnes gentes, ac barbaras nationes per fidem in eum, admirabile fieri cępit. *Magni
ficentia eius*. Nonnulli magnificentiam Christi humanitatem eius decenter maximè intelligunt;
nam illam decuit ualdè magnitudo mysteriorum,partus ex uirgine,inambulatio supra mare,incor
ruptibilitas in morte, & quæ iis similia sunt. *Inimicum & ultorem*. Diabolum intelligit. Is.n.
tanquam hostis in peccatum coniicit,& tanquam ultor arrepta Dei permissionis occasione pœ-
nas irrogat,non uerè Deũ ulciscens,sed in malis nostris se oblectans: Huius autem imperiũ infan
tes.i.peccatores destruunt,cum Ecclesiæ mysterium tanquam lactentes sugunt.

Athanasii. Diabolum intelligit inimicum,& ultorem,qui postquam compulit ad pec
catum peccantes ad supplicium rapit, peccati eorum grauitatem ante oculos obiiciens. Aut
Iudæorum populum inimicum quidem ueritatis, ultorem uero, quia uidebatur legem uin-
dicare.

Chrysostomi. Qui regem in terris laudant, coram eo loquuntur de amplitudine
imperii sui, de trophæis,de uictoria contra hostes relata, deuictas ab eo gentes narrant, eum uo
cãt urbium expugnatorem,barbarorum debellatorem, atque alia dicunt huiusce generis. Can-
ticum huic simile canit etiam hic beatus uates. Siquidẽ uictorias recenset,bella exacta,triũphos,
& similia,nõ tamen paria, sed longè difficiliora,& præstantiora. Vide aũt quõ rem aggreditur.
Domine Dominus noster, Eorum.n.qui non credũt in ipsum,uno modo est Dominus: noster ue-
rò duplici ratione. & quod ex iis, quæ non erant, fecerit, & quod agnoscatur à nobis. *Quam
admirabile*, hoc est, ualdè admirabile, quàm uerò admirabile sit, non dixit, neque enim dimeti
ri potuit, sed tantum amplificationem, & hyperbolem attulit. Vbi sunt qui Dei naturam cu-
riosè peruestigant? Si enim cum Dei nomen dixisset tanta admiratione affectus est, ut
obstupuerit, quomodo uenia iis dabitur, qui se Dei essentiam nosse iactant? cum Pro-
pheta ne quàm sit quidem admirabile eius nomen cognoscere potuerit? In nomine enim
tuo mors uicta, dæmones uincti, cæli aperti sunt, fores paradisi patuere, spiritus demis-
sus est, serui facti sunt liberi, inimici filii, alieni hęredes, homines Angeli. Quid di-
co Angeli? Deus homo factus est, & homo Deus. *Quoniam eleuata est magnificentia*.

H Quia

Quia terræ mentionem fecit, transfert etiam orationem in cœlum, quod semper facere solitus est, ostendens uniuersum terrarum orbem Dominum suum laudare: hoc quoque hic ostendendo dicit. admirabile infra, admirabile supra. *Ex ore infantium*, Quod dicit, huiusmodi est. Potentiam tuam ex hoc maximè notam fecisti, quod uires imbelles moueris, & balbutientem lin-
Matth. 21. guam ad illam magnificationem claram, & expeditam feceris. Intelligit autem illam hymnorū decantationem, quę in templo à pueris facta est. At qua de causa omissis miraculis aliis, mortuorum excitatione, leprosorum mundatione, dæmonum expulsione, nunc puerorum miraculi meminit. Quoniam illa quidem prius quoque acta sunt, & si non ita, facta tamen sunt, & aliquid
4 Reg. 4. inter se commune habuerunt, licèt non modum. Ab Helisæo enim mortuus excitatus est, &
4. Reg. 5. leprosus mundatus, & dæmon cum Saul ab eo affligeretur, expulsus est à Dauid: Sed chorus in-
1. Reg. 16. fantium, & lactantium, & non ante alias loquutus est. Nè igitur impudenter se gereret Iudęus asserens hæc miracula de iis dicta esse, quæ sunt edita in ueteri lege, signum elegit, quod tunc primum, & solum factum est. Et alioqui quæ fiebant erant figura, & typus Apostolorum: Nam cum ipsi ualdè infantes, & ipsis piscibus magis muti essent, uniuersum orbem terrarum cęperit. Magna ergò est, & ualida demonstratio: In aliis enim (& si præter rationem,) aliqua tamen habebant suspecta, quæ eorum erat impudentia: hic uerò nihil dicere potuerunt, cum ipsa per se nuda natura contenderet: Et hac de causa: non dixit simpliciter, *infantium*, ne quis innocentes, ac simpliciores eum intelligere suspicaretur, sed subintulit, *& lactantium*, alimenti adiectione ipsam ætatem declarans: non enim dixit infantium tantum, sed ubera sugentium, qui non dum solidi cibi participes fuerant. Non est igitur hoc solum admirabile, quod uocem eamque claram, & expressam emiserint, sed etiam quod plenam bonis innumerabilibus. Quę enim Apostoli nondum nouerant, ea pueri laudibus, hymnisque celebrabant. Ex hoc præter ea nonnihil aliud significat, oportere scilicet eos, qui ad dogmata accedunt, animo pueros esse. Si quis, n.
Matth. 18. (ait) non susceperit regnum cœlorum, ut puerulus, non poterit id ingredi. *Propter inimicos tuos*, Affert etiam causam, propter quam hoc miraculum factum sit: nanque alia non propter inimicos acta sunt, sed ut accedentes ad fidem beneficium inde referrent, & docerentur. Hoc autem non solum propterea factum est, sed ut inimicorum ora obstruerentur. Quod alius apertè magis explicans dicit. Propter alligantes te: Ii siquidem eum alligarunt, dum ad crucem duxerunt. *Vt destruas inimicum, & ultorem*, Vt compescas inimicum, & qui seipsum ulciscitur, Iudaicum populum hic intelligit, Eiiciebant enim Christum, ut inimicum: Hoc autem facere præ se ferebant, ut patrem ulciscerentur. Et ideo hanc illis excusationem auferens, dicebat,
Ioan. 15. Qui me odit, odit & Patrem. Et rursus: Qui credit in me, credit in eum, qui me misit. Ho-
Ioan. 5. nori suo & iniuriæ, honorem & iniuriam Patris usque coniungens. Vide autem quàm accuratè sit loquutus Propheta: Non dixit, ut punias, sed *ut destruas*, quod expresse magis alius dixit. Vt cessare facias, Hoc est impudentiam illorum de medio tollas, non ut doceas, siquidem indocilitatis, morbo laborabant.

GREGORII Theologi. Magnificentia est operum, & creaturarum Dei magnitudinis illustratio.

ORIGENIS. *Ex ore infantium*. In Euangelio secundum Mattheum, primum quidem
Matth. 21. turbę, quæ præcedebant, & quę sequebantur, clamabant, dicentes. Osanna filio Dauid: Benedictus qui uenit in nomine Domini Osanna in excelsis: Paulò autem post scriptum est, quod uidentes Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei. Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legistis. Ex ore infantium, & lactantium perfecisti laudem? & reliqua. Videtur igitur Matheus easdem turbas pueros uocare. Sed Saluator non simpliciter pueros, sed infantes, & lactantes dixit, nos docens, quod per quæ dicta psalmi exposuit cum allegoria, psalmum quoque allegoricè dici. Quare hic potes utrum idem sit οἶκος Dauid, & υἱὸς Dauid quod si non idem est, errauit illud quod secundum Mattheum scriptum est, cum aut bis deberet habere τῷ οἶκον Dauid aut τῷ υἱῷ Dauid. ubi dicitur Osanna filio Dauid. *Inimicum & ultorem*, Intelligito uerum Nabuchodonosor diabolum, quem per piscatores rudes, & malitia pueros destruxit.

NICEPHORI. *Quam admirabile*, id est ualde. *Quoniam eleuata est*. Illud *Quoniam*, pro uerè ponitur. Eleuata (inquit) est magnificentia tua super cœlos. Ad hanc enim Angeli obstupescunt. Magnificentiam uero hoc in loco humanationem Dei appellat. *Perfecisti laudem*. Perfectam fecisti laudem illam, cum alioqui lingua eorum adhuc esset imperfecta. *Inimicum & ultorem*, Inimicum, & ultorem intellige Iudaicum populum; tanquam Christo aduersantem

& tanquam

& tanquam se id pro patre facere simulantem: Et Diabolum quoque inimicum, & ultorem dices, ut qui nos ad peccatum instiget, & inde nobis diuinam indignationem comparet, ut in desperationem abducat.

Quoniam uidebo cœlos opera digitorum tuorum: Lunam, & stellas, quæ tu fundasti.
Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam uisitas eum?

EVSEBII. Quanquam mirabilia opera tua sunt, cœlum, & quæ cœli ambitu continentur, quæ fecisti ut in omne æuum permanerent (firmauit enim ea in seculum (ut alibi dixit) & Psal. 148. præceptum posuit quod non prꝑteribit.) non tamen hæc tibi magna sunt, ut ea esse & consistere, & permanere possint, sed parua, & modicæ facultatis, ut potè, quæ digitis comparentur. Ita enim paruas Dei uires appellauit, & hæc quidem sic fundata perdurant. At homines ad unum contemplans obstupesco, quomodo & illius memor fueris, & de eo curam gesseris. Sed hoc non extitisset, si breuem, & corruptioni obnoxiam uitam sortitus esset. Ita uero eximium, & honoratum constituit, ut ex ore infantium, & lactentium laudem sibi exhiberi uoluerit. Qui & si exiguus corpore sit, animi tamen imagine honoratus est. Quare propter hoc admirabile fit nomen tuum in uniuersa terra.

DIDYMI. *Quod memor es eius*, Non dixit: quoniam formasti eum: non enim de formatione, sed de prouidentia sermo est. Sępe autem exaggeratione quadam, & quodammodo tragicè, scriptura hominis conditionem per contemptum uanitatem appellat. Homo enim Psal. 102. (ait) uanitati similis factus est: dies eius sicut umbra prætereunt. Et rursus: Homo tanquam fænum, dies eius tanquam flos agri, sic efflorebit: Psal. 143. Spiritus transiens in ipso, & non subsistet: & non cognoscetur amplius locus eius. Possunt autem qui accuratè considerant, discere quod cœli, & quæ in eis sunt quadantenus ad sanctitatem nobis fundata sunt. Potes etiam cœlorum nomine illos intelligere, qui quæ sursum sunt sapiunt, & non quæ dilabuntur. Isti enim cœli enarrant gloriam Dei. Lunam uero dices Ecclesiam. Stellas Col. 3. autem eos, quibus dicitur: Vos estis lux mundi: Et illud: Inter quos lucetis tanquam lu- Psal. 18. minaria in mundo, ut hoc perinde sit, ac si diceres: Homines opera manuum Dei sunt, Matth. 5. opera enim (ait) manuum tuarum sunt cœli: nisi quis dixerit, prꝑstantiores creaturas mani- Phil. 2. bus, reliqua uero digitis Dei fieri. Declarans enim se hominem secundum corpus acce- Psal. 101. pisse subiunxit, *aut filius hominis*, Nam ex corpore, non ex anima aliquis est filius hominis. Deinde ostendens naturam participem rationis, magnitudinem illius infert.

THEODORETI. Satis sunt (inquit) elementa, ut tua Domine in operibus magnificentia declaretur, & cœlum, & terra, & Sol, & ordo rerum ornatusque pulcherrimus, qui in iis inest: Sed prouidentia quæ usque ad infimos homines pertingit, tuam multò magis inenarrabilem prædicat benignitatem. *Quid est homo*, Hæc de opificio, sed de eius prouidentia percurrit. non enim dixit, quod formasti, sed, *quod memor es eius*, Aliàs uerò euidentius naturę utilitatem deplorat. Homo enim (inquit) uanitati similis factus est: Dies eius tanquã flos Psal 143. agri, sic efflorebit, & non subsistet, & non cognoscetur amplius locus eius: Et alia huius generis Psal. 102. plura in sacris literis inueniri possunt, quæ humanam insolentiam compescant. At hic Prophetæ sermo admiratur clamans. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam uisitas eum?* Non solum id, quod sumus dedisti, sed quod bene simus largitus es, & memor es, hominemque malè affectum inuisis.

EVSEBII. Diuinum spiritum admiratur, & miraculum profitetur. Cęlos quidem uideo uniuersum orbem continentes. Video prætereà Lunam, & astra, & omnia hæc agnosco, quod natura sunt magna, & mirabilia totius opificii momenta. Verum ut hæc magna sint, noui tamẽ, quod exigua sunt maximè, & minima operum tuorum. Opera si quidem sunt digitorum tuorũ, non manuum, neque alicuius magnę potentię, tanquam si quis ea diceret extremorum digitorum, tropicè, sic Dei uires nominat, quibus sensilia, & uisibilia condidit.

CYRILLI. Errauerunt Iudęorum magistri mysterium non intelligentes. Ego uero (inquit) mentis oculis creaturam intuens, opera tua cuncta inspicio. Tu perfecisti Solem, & Lunam, & ipsis legem sempiternam imposuisti: hoc enim (reor) significare illud, *Quæ tu fundasti*. Paulò post. Non igitur (inquit) licet factus sis, ut nos sumus, teque ad mensuram humanitatis altissimo consilio demiseris, a quibusdam cognitus es. Ego uerò gloriam tuam probè noui: nam didici excellentiæ tuę super omnia dignitatem. Fateor te in carne natum rerum omnium conditorem. Scio prætereà te Dominum Solem, & Lunam ad te transferre. Hæc autem per partes sumuntur, ut omnem intelligas creaturam.

APOLINARII. Verum licet tantorum operum effector sis, hominis tamen per quam exigui & abiecti, aliàs curam habes, & memoriam abs te prolapsis conseruas, & infirmitate detentum uisitas, erat sanè tibi ab exordio honorata illius conditio, & parum aberat ab angelica gloria Gen.1. in corpore terreno: Gloria enim illum circumstetit, ut qui omnibus iis, quæ à te super terram facta sunt, imperaret, & ratione carentem naturam uniuersam subiectam sibi haberet, non terrestrem solum, & captu facilem, sed & aeream & aquatilē utramque hominum manus effugientē, illam quidem quod in altum feratur, hanc uerò quod in profundo demergatur, & aquas permeet. Cæterum hæc ingenio, & arte capiuntur, & qui in terris degit, aerea, simul & aquatica uenatur. Atque hinc intelligitur eum uniuersam animantium naturam, mentis ac rationis expertem mente ac ratione antecellere, similem quidem diuinę, ac Angelicæ ratione mentis, consuetudine uero particeps cum brutis ratione corporis.

CHRYSOSTOMI. Cum dixisset, *destruxisti inimicum*, huius illustris uictoriæ probationem affert. Tu enim (ait) qui cruci affixus, qui de medio sublatus es, tu ipse creator; & conditor uniuersi orbis apparuisti, propterea dixit. *Quoniam uidebo cælos tuos*, Significans multos hoc antea non cognouisse, postea uero cunctos apertè id cognituros. Sed cur singulas mundi partes non est persequutus? An quia potiora eorum quę sub aspectum ueniunt, recensuit, ita ut de reliquis docere minime opus fuerit? Adeò igitur inimicos suos deleuit, ut quí ab eis expulsus & sublatus è medio uidebatur, omnium uisibilium conditor apparuerit. At quare non dixit, manuum tuarum, sed, *digitorum tuorum*? Nimirum, ut ostenderet ea quæ oculis subiiciuntur, minima esse inter opera, quæ ipse fecit. *Quid est homo quod memor es eius?* Postquam de opificio loquutus est & ex parte uniuersum significauit, rursus sermonem inserit de Dei prouidentia, quam de hominibus habet: nam illa quoque iam commemorata propter humanum genus facta sunt. atque adeo cura, & prouidentia illarum rerum ad hominem refertur: nam uniuersa creatura propter hominem condita est.

NICEPHORI. *Quoniam uidebo cæ'os*, id est cognoscam. *Quoniam uisitas eum*, Venisti uisitare illum, qui per transgressionem ceciderat, & à casu subleuare hominem nihili. & regem primum constituisti orbis, eum qui nihil merebatur: cum uerè superadmiranda sit bonitas tua.

ORIGENIS. *Quoniam uidebo cælos tuos*, Rem illam planè scimus, quando & rationē eius, & causam cognoscimus. *Digitorum tuorum*, Quęrere hic poteris nunquid opera digitorū Dei alia sint ab operibus integrarum manuum, si quę priora sunt, in posteriorum parte collocantur. *Lunam & Stellas*, Quoniam nonnulli sunt, qui noctem à Deo alienam faciunt, per lunam & astra, ostendit eam quoque inter opera Dei connumeranda esse. Sed cur Solem non nominauit? Nunquid cum quispiam introducitur primum quidem quæ noctis sunt intelligit, postea uero quæ ad diem pertinent. *Quid est homo quod memor es eius?* Potest hoc esse, & eius qui hominem deiiciat, & admirantis quoque ac dicentis. Magnum sanè aliquid est homo, quum tanto honore à te dignetur, & quod de ipso curam tenes, & humanitatem indutus inuisis. *Aut filius hominis, quoniam uisitas eum?* Si admirans, quod homo hominis memor sit, & quod filium hominis inuisat, hæc dicit, nulli dubium est, quod & illud uisitare, sit benefici & beneme-

Psal. 88. rentis. hoc uero significatum est per illud. Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus

Osee.4. peccata eorum. Et per illud: non uisitabo super filias uestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas uestras, cum adulterauerint, & similia.

HESYCHII. Atqui non solum hominem, sed omnem creaturam uisitat Deus. Verum omnia propter hominem fecit, & facit. An fortè Dei uisitationem aduentum eius in carne pro nobis intelligit?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, uniuersa insuper & pecora campi.

Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra.

ORIGENIS. Creatus homo aptus ad tui notitiā consequendā minimè destituitur: Quādoquidē iuxta eam facultatem, qua uirtutis, & sanctitatis compos fieri potest, & propter imaginē, & similitudinem, quā illi in imperio mortaliū animaliū tradidisti tibi admodum similis est. Verba hęc de Christo afferri Paulus in Epistola ad Hebræos affirmat, dicit.n. Eum autem, qui modi

Hebr.2. co quā Angeli minoratus est, uidemus IESVM pp passionē mortis, gloria & honore coronatum.

CYRILLI. Nos autem gloria, & honore coronauit, propterea quod cum esset natura

tura Deus, nostri causa minor factus est, ut nos supra naturam diuites essemus in ipso: Conresuscitauit enim nos, & consedere fecit in cœlestibus in Christo: nam cum ipse in uniuersa homi num natura concurrat, etiam gloria concurrit: ita enim paupertate illius diuites facti sumus: quamobrem filius gloria, & honore coronatus est, quanquam gloriæ Dominus tanquam Deus sit. Cum enim ob Adam transgresionem inglorii essemus, in Christi obedientia, quam pro nobis præstitit, glorificati sumus. Eph. 2.

EVSEBII. Atqui aliter gloria, & honore Deus hominem coronauit, cum de homine solo diceret: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Atque cum diuersis modis uiris sanctis apparet, diuinum illis spiritum, ac cœlestem uirtutem immittens, ut & futura prænoscant, & morbos depellant, & mortuos ad uitam reuocent, & cum (quod omnium maximum est,) præsentia unigeniti filii sui illum honorasset. Gen. 1.

THEODORETI. Refertur hoc ad sententiam post lapsum editam: Siquidem mortalis (inquit) factus, minor Angelis redditus est. *Gloria & honore coronasti eum*, Nam post Dei & Saluatoris nostri humanitatem, natura nostra hæc recepit. Gratia enim salui facti estis, quemadmodum (inquit) diuinus Apostolus, & conresuscitauit, & consedere nos fecit in cœlestibus in Christo. Eph. 2.

CHRYSOSTOMI. Hic meminit condemnationis, ac ueteris peccati, dum mortem in medium adducit. Sed & hanc quoque soluit, cum uenisset unigenitus. *Gloria & honore coronasti eum*. Narrat imperium illi à principio conditionis traditum. Dicit etiam, quæ bona post Christi aduentum consequutus sit, *Et constituisti eum*. Alius dicit: Fecisti ut haberet potestatem operum manuum tuarum.

CYRILLI. *Minuisti eum*, Superiores illæ potestates ratione præditæ sunt, & intermina bilem uitam ducunt. Homo pariter in terris rationis est compos, sed illi inferior, propterea quod morti, & corruptioni obnoxius est. Christus igitur minor Angelis dicitur propter mortem, quam pertulit, nam mori sustinuit in propria carne, manente utique diuinitatis natura perpessionis immuni.

EVSEBII. Cum Deus dixisset: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, subinnxit. Et dominetur piscibus maris, & reliquis animalibus; quibus etiam dixit: Crescite, & multiplicamini, & replete terrã, & dominamini ipsi: nam rationali naturæ tanquam Deo simili, imperium de omnibus dedit. & homo diuinæ imaginis uirtutem accepit. Quemadmodum rex omnium Deus est, ita eorum, quæ sunt super terram Princeps est constitutus. Si uerò in uniuersum dictum est. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum*, alibi uerò dicat: Opera manuum tuarum sunt cœli, manifestum est quod etiam supra cœlos ipsum constituit: & fortasse non latenter, hic innuit conuersationem in cœlis, eorum qui à terrenis illuc transferuntur, quando ipsi regnum cœlorum (ut scriptum est) hæreditatem promissam accepturi sunt: Inquit enim Paulus, hæredes quidem Dei, cohæredes uerò Christi: Ita & illud, animalia omnia subiecit sub pedibus eius, in hunc sensum accipiendum est: Quoniam uerò uita æqualis Angelicæ in cęlo, reposita hominibus nũciatur, illic super opera manuũ suarũ, cęlos, & oĩa, quæ in eis sunt, contemplabitur. Hoc etiam in futuro seculo beatus Paulus de Saluatore futurum accepit. Quare illi Pater dixit: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Gen. 1. Psal. 101. Phil. 3. Rom. 8. Heb. 1. Psal. 109.

DIDYMI. Alius inquit. Vide consequentiam, non enim hominem omnium animalium principem constituit, sed cicurũ tantum, siquidem nec unicorni, nec efferatis aliis, & ferocibus ut mansuetis dominatur, ex eo, quod dicitur. *Oues & boues, & uniuersa insuper pecora campi*. Arbitror ego hoc non rectè dici, nam antequam Dei præceptum transgrederetur, omnibus imperauerit homo. & iusti etiam post transgresionem, ut leonibus Daniel, & uiperę Paulus, qui illa in ignem excussa illæsus mansit, cum dictum est, Feræ syluarum tecum pacem habebunt. Præterea per pecora campi, feræ quoque (ut in genesi didicimus) manifestantur. *Domine Domi nus noster quam admirabile*, decet autem ut canticum in resurrectione Saluatoris dictum, consentientem principio finem habeat: nam incipiens, & desinens iisdem uerbis usus est. Dan. 14. Act. 28. Iudith. 11. & Iob. 6.

THEODORETI. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, Tuæ autem benignitatis, ac uirtutis euidens significatio, est hæc, cum abiectam hominum naturam tanta sapientia repleueris, ut non solũ terrestribus animalibus, uerũ ẽt uolatilibus, natantibus, atq; iis, quæ sunt ambiguæ naturę, dominetur: & quæ in profundo sunt, arte ac ingenio aucupãdo capiat, utq; illa, quæ aerẽ penetrãt, & quæ aquis occultãtur, subiecta teneat. In his quidem cõe oĩbus hominibus imperiũ largitus est. Cũ uerò Deus uerbũ naturã nostrã assumpsisset, nosq; sibi tẽplum effeci set, & suã carnẽ nuncupasset, cũ inexplicabilem illã unitatẽ operatus esset, eum constituit, super omnem principatum, Eph. 1.

ac potestatem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, non tantum oues, & boues omnes, uerumetiam omnem uisibilem, & inuisibilem creaturam. Et horum testis est diuus Apostolus, Heb. 2. clamans. Eum autem, qui modicum quam Angeli minoratus est, uidemus IESVM propter passionem mortis gloria, & honore coronatum: Et paulo superius: Omnia subiecisti sub pedi 1. Cor. 15. bus eius. Et in Epistola ad Corinthios ait. Cum autem dicat: omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia: Nam sola increata natura tanquã ab huiusmodi subiectione libera exempta est: Quæ uero ab hac accipit, ut sit; quęcunque illa fuerit siue uisibilis, siue inuisibilis, Domino Christo tanquam Deo, & tanquam homini subiacet: tam ingentem naturæ hominum à Deo uniuersitatis honorem accepit. Ideo idem in fine posuit, quod in proœmio. *Domine Dominus noster.*

HESYCHII. Volens Deus imaginem suam honestare, hominem eorum omnium, quæ secum creata fuerant, hoc est uisibilis creaturæ principem constituit. Per uolucres cœli eos intelligit, qui alta, & sublimia dogmata perscrutantes, Theologiæ incumbunt. Pisces uerò maris eos interpretatur, qui in huius uitę negotiis tanquam in fluctibus natant. Quibus salus quoq; reposita est, cum non amplius maris, sed marium per baptismum, & pœnitentiam uias inambulauerint. Erunt præterea illi sensibilia omnia opificis lege subiecta. Cæterum rursus oues intellectuales, hoc est, homines innocenter uiuentes Christo subiectos inuenimus. Boues item præceptorum obseruatores illi subiecti sunt, de quibus dixit legislator Moses: Non obturabis os Deut. 25. boui trituranti: Vnde non boues simpliciter, sed boues uniuersos Psalmographus posuit: Ab omnibus enim Deus qualemcunque uirtutem exercentibus inuenitur. Pecora uerò peccatores dixit, siquidem pecora prona, & terram spectantia dum pascunt, creata sunt. Sic quodam modo homo miserabilis factus est, qui cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis Psal. 48. insipientibus, & similis factus est illis. Atqui & hęc ipsa si pœnitentiam egerint, ac se subiecerint, salua fient, cum Christum per euangelicam moderationem ascensorem admiserint: Homines enim (inquit) & iumenta saluabis. Accipit autem homo glorificationem Dei, quoniam & ip- Psal. 35. se quoque pro nobis humanitatem suscepit.

ATHANASII. Per oues & boues, latenter innuit eos, qui ex Israel crediderunt. Cum Heb. 1. uero Paulus hæc exposuerit, & apertè retulerit ad Saluatorem nostrum, hoc satis esse ad interpretationem decet. Per pecora campi gentes indicat, per uolucres cœli, & pisces maris, elatos in uita, & alta sapientes, & maximè à ratione alienos. Repetitio uerò illa. *Domine Dominus noster*, admirationem geminat: obstupescens enim mirabile illud factum, quod homines Dei cognitionē susceperint, *Quam admirabile est nomen tuum* resumpsit.

CHRYSOSTOMI. Quemadmodum cum de creatione loquitur, non modo superiores potestates tangit, sed ad hęc sensilia orationem deducit, ita etiã cum loquitur de honore hominibus exhibito, cum ea tantũ innuisset arcana, & incorporea, quæ recensuit, nunc amplius in sensibilibus immoratur. Sed quænam illa? Terrenum nempe imperium illius: Est autem admirabile, & quod maximè significauit, quod eum ante trangresionem honoratum, nec post peccatum quidem honore carere uoluit. *Minuisti enim (ait) eum paulominus ab Angelis*, Hoc est morte condemnasti cum peccasset, non tamen postquam morte illum condemnasti, donō eum spoliasti: Et propterea quum illud dixisset, hoc quoque apposuit, inenarrabilem Dei clementiam ostendens, quod uel diminutum ob transgressionem suam permiserit gloriæ honore coronatum esse, nec ei abrogauit imperium. Quod si parum quid detraxit, hoc est etiam eius prouidentię opus: nam ante inobedientiam feris etiam dominabatur, postea uero de hac potestate aliquatenus detractum est: nunc enim illis quibusdam artibus dominatur, sed cum metu, & formidine: nam nec totum imperium sustulit, nec totum reliquit: sed quęcunque ei erant necessaria ad uictum, & exercitium subiecit illi. Feras autem non omnino subiecit, ut ex sua cum illis contentione, primi parentis Adam ueteris peccati admonerentur. Vnde etiam ex eo, quòd non omnino subiecta sunt nobis, magnum lucrum accedit: Sed cur non omnia quę uidētur persequutus est, plantas, arbores, semina? An quia ex parte totum significauit, & studiosis de iis reliquit, quod dicerent. Et rursus in idem desinit, unde cœpit. *Domine Dominus noster*, & ante, & post probationem eadem uerba posuit. perseueremus ergò & nos eadem assiduò dicere, admirantes eius prouidentiam, suspicientes sapientiam, clementiam, & quam de nobis gerit procurationem.

NICEPHORI. *Gloria & honore coronasti eum* Gloria, propter imaginem Dei, ad quam factus est: Honore, quia omnia illi subiecta sunt animantia.

ORIGENIS.

ORIGENIS. *Gloria & honore coronasti eum.* Hinc & Apostolus immarcescibilem gloriæ coronam nominauit. Et interdum honore coronatur aliquis non intelligens. ut ibi homo cum in honore esset, non intellexit. Hæc uero post humanationem Dei Saluatoris nostri intelliguntur, nam gloria, & honore coronatus est homo: nam conresuscitauit, & consedere nos fecit in celestibus in Christo. *Oues & boues,* quandoquidem puræ sunt oues, & boues, addidit uerbum illud, uniuersas, ubi uero & immunda esse animalia possunt, non dicit omnia, ut in pecoribus agri, ita in uolucribus cœli, & piscibus maris. 1.Petr.6. P.sal.48. Eph.2.

IN FINEM PRO OCCVLTIS FILII PSALMVS DAVID.

Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.
Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.
Cum conuersus fuerit inimicus meus retrorsum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua.



EVSEBII. Apertè hoc loco de prophetia Filii sermo habetur: qui licet quamplurimis testimoniis filius Dei confirmetur, ipsius tamen Patris allatu testimoniũ satis erit, dicẽs Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quod ergo sit Filius inuentum est. At hoc inuento haud erit difficile mortem eius perpendere, neque cætera, quę sanè quamplurima sunt mysteria, nos latebunt: nam & generatio secundum carnem ex Virgine p spiritum sanctum occulta fuit, atque adeo illustres, ac memorandæ efficiendorum miraculorũ uires reconditas rationes habent. Mors quoque ipsius, & descensus ad inferos, & ea, quæ illic peracta sunt, nec non a mortuis resurrectio, & inter omnia ascensus ad cœlos occultorum obsignatio, & quasi sigillum fuere: Hæc enim omnia latenter ab ipso transacta sunt, atque eadem principes mundi huius latuere: nostram que nobis ignorantibus salutem peperere. De huiusmodi occultis propheta intelligit, quæ ab oc cultis filii non sunt aliena: Hæc sigillatim omnia interpretando percurremus. Matth.17

THEODORETI. Symmachus, triumphi carmen de morte filii; Aquila, prò iuuentute filii canticum Dauid. Theodotio; prò ętatis flore, interpretati sunt. Cum autem maximè inter se omnes consentiant, mentionem de filio facientes, docent nos, quod hic quoque psalmus, Victoriæ, quam Dominus Christus de morte retulit, prædictionem continet. Viriliter enim, ac strenuè peccato deuicto, & nulla nocendi occasione morti permissa, uires eius destruxit. Hoc autem mysterium septuaginta occultum nominarunt: nam cum alios omnes, tum Apostolos hoc latebat, cuius rei Euangelista testis est. Cum enim eis sæpe dixisset Dominus. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucem, & occident illum, & tertia die resurget. Subiunxit Euangelista: & erat hoc occultum ab oculis ipsorum. Quapropter & diuus Paulus clamat. Sapientiam Dei loquimur in mysterio reconditam, quam nemo principum huius sęculi nouit: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et rursus: Mysterium occultum à seculis, & à generationibus. Meritò igitur septuaginta interpretes filii mortem, occultum & arcanum appellauere. Matth.20. Luc.18. 1.Cor.2. Col.1.

HESYCHII. Filium uocat eum, qui nuper ad uitam incipit erudiri, nempe hominem à Deo hæredem dictum, quem ad occulta, hoc est, peccata, quæ latent confitendum adhortatur, ut purè, ac sincere Dei gratia perfruatur.

DIDYMI. Cum hic cuius filius sit non addatur, certè Saluatorem intelligere oportet, qui in plurimis scripturæ locis indistinctè filius appellatur: Nam in epistola ad Hebræos Paulus dicit. Tanquam filius in domum suam, cuius domus nos sumus. Et rursus postremo nouissimis his diebus loquutus est nobis in filio. Et ipse de se loquens Saluator in Euangeliis inquit. Si igitur nos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Liquet igitur quod & hoc loco illum eundem significat, quoniam nihil opus est afferre cuius filius. Pr bè quoque, IN FINEM, pro positum prò uictoria canticum refert, nam eius finis gratia Saluator in mundum uenit: de quo & Petrus scribit. Reportantes finem fidei nestræ salutem animarum uestrarum, de qua salute exquisiuerunt, atque scrutati sunt prophetæ: Et paulopost. Antea testantes eas, quæ in Christo Hebr.3. Ioan.8.

sto sunt pasiones, & posteriores glorias. Reprehenduntur Iudæi, qui tanquam omnino decepti, scripturas minimè perscrutando, inscriptionem illam de Absalon psallentis filio esse dicunt, ut qui non rectè illam interpretentur: Nam quid uero simile possunt dicere, quod explicet illud: *pro oc:ultis* nisi fortè prò consiliis, quæ Absalon latenter iniit, prò occultis positum esse asserant. Sed quæ dicuntur à propheta, uana & amentiæ plena essent, non enim mortuo filio con **2.Reg.18.** fiteretur, & gratias ageret, quoniam & cum occidi uetauerit, & mortem quoque defleuerit.

CHRYSOSTOMI. Prolixior est psalmus hic: sed hoc quoque ad sapientiam referendum est, qui neque omnes breues, neque omnes longos fecit, sed multiplici mensura hunc librum uariauit, longitudine quidem socordiam excitans, breuitate autem laborem leuans.

ORIGENIS. Occulta est ineffabilis mysteriorum Christi ueri Dei cognitio.

NICEPHORI. Occulta filii Dominica mors dicta est: Hoc enim mysterium à sæculo occultum fuit.

Luc.10. EVSEBII CAES. *Confitebor tibi Domine* Similia & ipse Dominus dicit in Euangeliis.
Matth.11. Confitebor tibi Domine cęli & terræ: quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Videas quomodo & Saluator ipse pro occultis patri suo gratias agit, unde in psalmo, uates proiisdem confessionem, hoc est, gratiarum actionem facit: nam postquam de salute nostra Deo gratias egit, de mirabilibus Patris nos docere pollicetur exultans, & gestiens de uisione Dei dicens. *Lætabor, & exultabo in te*, & sanè dicebat Dei Filium omnem creaturam supergressum sola paternæ diuinitatis uisione lætari, & in ipso solo exultare. *psallam nomini tuo altissime.* Nam eidem soli tanquam filio, & tanquam Patrem suum cognoscenti paternæ diuinitatis nomen, quod cæteris omnibus est ineffabile, nec nominari potest, cognoscitur. Hic uerò Deus erat altissimus. Verum hæc (inquit) tum imprimis faciam cum retrorsum
1.Cor.15. cedet inimicus meus. Cæterum quis hic inimicus, nisi mors uitæ inimica? de qua dictum est: No uissimè autem inimica destruetur mors. Veniet autem eius interitus, postquam retrorsum con
Sa.1.&2. uersa fuerit. Sed quò, retrorsum? nisi ad priorem statum suum, quando nusquam erat, nam Deus mortem non fecit, sed inuidia diaboli mors intrauit in mundum. Cum igitur mors retrorsum abierit non amplius erit: Tum reliqui omnes inimici, & hostes uerbi tui *infirmabuntur, & peribunt à facie tua.*

Origeni. 1. HESYCHII. Sed quomodo toto corde confitemur? Cum non amplius in ea peccata pro
Didymi similis. labemur, de quibus ueniam obsecramus.

THEODORETI. Perfectorum proprium est, totum cor Deo dicare, & ei mentem suam
Deut.6. & consilium omne consecrare. Ait enim. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Qui autem partitur cogitationes suas in Mammonam, & Deum, in aurum, & Christum, in præsentem uitam, & futuram, nequit uerè dicere: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, Vates uerò cum propheticis oculis futura præuidisset, non solum in toto corde confitetur, sed etiam narrat omnia mirabilia eius, auditores faciens huius cantici particeps: Cumque uellet tanti beneficii authorem decantare, pro huiusmodi lætitiæ occa-
Psa.31. sione, non opes, non potentiam, non sanitatem, non uires, sed tantum Dei memoriam sumit. *Læ*
Psa.32. *tabor enim (ait) & exultabo in te* Sic & alibi: Memor fui & delectatus sum, & aliàs: Lætamini Do
Psal.14. mino, & exultate iusti, & rursus: Exultet cor quærentium Dominum. *in conuertendo inimicum*
Psal. 104. *meum retrorsum*. Hæc Symmachus sic exposuit. Euersis inimicis meis post me, & sublatis à facie tua, cantabo nomini tuo altissime. Conspicatus enim hostes meos fusos, fugatosque, dein de captos, ac extrema passos, laudo te, & tua beneficia prædico: Hæc uates de natura humana percurrit, tanquam à diabolo erepta, & libertatem per diuinam gratiam consequuta: Non enim psalmus is, (ut quidam suspicantur) ab ipso Saluatore, sed magis ad ipsum tanquam beneficii authorem dictus est, ab iis qui beneficiis ab eo aucti sunt, quemadmodum uerba ipsa docent.

ATHANASII. Ostendit, de quibus est confessio: inimicam uerò ipsam mortem dicit, quę & retrorsum conuertetur: hoc est ita, ut amplius non sit. Cum enim (ait) retrorsum mors con uertetur, tunc omnis aduersaria potestas destruetur, Nam si postremus hostis destruitur, mors
1 Cor.15. patet, quod prius aduersariç potestates destruentur.

HESYCHII. *Narrabo omnia mirabilia* primum quidem confitebor, deinde per purgatam à confessione linguam narrabo omnia, non simpliciter, sed quæcunque in me ob tuam summâ benignitatem facta sunt, ut perfectam & absolutam de omnibus quæ peccaui, ueniam cõsequar. nam qui non ex dimidio omnem morbum ostendit, curatur. *Lætabor & exultabo*, lætabor animo & exultabo corpore, nam illud παρὰ τὸ εὐφρονεῖν, hoc uero παρὰ τὸ ἄγαν ἀγάλλεσθαι deductum

ctum est. Cum enim Satanam inimicum retrorsum conuerterimus,(tum enim conuertitur cum nostrum in rebus diuinis studium,& constantiam uidet,qnemadmodum Christus dicit, Vade retro,) tum toti partis illius facti, Deo altissimo psallere possumus.

CHRYSOSTOMI. Duplex confessionis genus est,nam uel condemnatio est propriorũ delictorum, uel in Deum actio gratiarum: Hoc in loco gratiarum actionem significat. Quid est autem *in toto corde meo?* Cũ omni animi alacritate,cũ studio & animi contentione,non solũ pro secundis,sed etiam pro aduersis:nam si in bonis gratias agis,reddidisti debitum,si in malis Deum constituis debitorẽ.Sic uersaberis in his narrationibus,narrans Dei miracula,quæ quotidie fiunt priuatim,quæ cõmuniter,quæ in omnes,quæ in singulos,plena.n. est uita his narrationibus,& undecunque inceperis, uidebis luculentum manare proemium : siue à cœlo, siue à terra, siue ab aere, siue à brutis, siue à feminibus, siue à plantis,siue ab arboribus, si uelis dona antiqua recensere,si quæ legem antecesserunt, si quæ fuerunt in lege, si quæ sunt in gratia, si quæ post emigrationem, si quæ in ipsa morte, inuenies immensum pelagus narrationum. *Canam nomini tuo altissime,* Qui enim amant,hymnos canunt in amantes, & si illos non uideant : & cantu se ipsos consolantur : sic etiam agit prophera, quoniam Deus uideri non potest, mittit ad eum cantica: per cantus cum eo colloquens, & desiderium accendens, & ipsum uidere existimans, uel potius cantando,& hymnis celebrando multorum desiderium inflammat. Vide quomodo se ipsum è terra euexerit, & sui mentem ad illam essentiam sustulerit, si ipsum Deo dedicans, & propterea eius nomen assiduò uersat,is enim mos est amantis. *In conuertendo inimicum meũ retrorsum,* Hic quoque amantium mos est perpetuò beneficia prædicare, & in ipsis sibi placere, hoc enim ab amore proficiscitur, & ipsum uersus amatum accendit. Non aberrauerit autem quispiam, si uatem dixerit hoc in loco intellectuales hostes intelligere : nam ii quoque auertuntur, eum in generosam, & constantem animam inciderint. Considera autem quomodo Dei uirtutem prædicat. *Infirmabuntur (inquit) & peribunt à facie tua* Rursus cum audis,faciem,nihil corporeum *Psal. 130.* suspiceris, sic enim operationem eius apparitionem, & eius uirium facilitatem ostendit; sicut alibi dicit, satis est enim solus obtutus ad perdendos improbos.

NICEPHORI. *Infirmabuntur & peribunt,* tempus prò tempore, scilicet, defecerunt, & deleti sunt à conspectu tuo.

Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.
Increpasti gentes, & perijt impius, nomen eius delesti in æternum, & in seculum, seculi.
Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates destruxisti.
Periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet.

THEODORETI. *Quoniam fecisti iudicium.* Quomodo? *Sedisti super Thronum,* & quam sententiam protulit? *Increpasti gentes & periit impius,* Non enim diutius passus, est (inquit) cernere hominum naturam à truci, & aspero tyranno crudeliter oppressam detineri, sed tanquã iudex quidam, in sublimi solio, & formidabili tribunali sedens tam ingentem illi pœnam intulisti, ut eius memoria obliuione penitus deleretur. illud uerò *increpasti gentes, & perijt impius,* hunc sensum habet. per sacros Apostolos, & ueritatis præcones, qui post illos fuerunt, diuina dogmata gentibus attulit, quæ cum illæ admisissent, & animos ab errore liberassent, periit impius, nõ amplius habens quos fraudibus suis in sui adorationẽ alliceret. Sic Barnabas,& Paulus Ly- *Actu. 14.* caones, qui studebant illis sacrificare, increpauerunt, clamantes, uiri quid facitis & nos mortales sumus similes uobis homines, ab his uanis ad Deum uos conuertentes, Nec secus Galatas beatus Paulus increpauit, clamans, ò stulti Galatæ, quis uos fascinauit, ante quorum oculos Chri- *Gal. 3.* stus proscriptus est, & crucifixus. ita Corinthios increpat. Omnino auditur inter uos fornicatio, *1. Cor. 5.* qualis nec inter gentes nominatur. *Increpasti igitur gentes, & perijt impius, nomen eius delesti in æternum, & in seculum seculi.* Nam sacrificiorum ceremoniæ prorsus extinctæ sunt, & perpetuæ obliuioni traditæ, ita ut nemo ex hominibus huius temporis impietatis mysteria cernat.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam fecisti iudicium,* Vide rursus uiri philosophiam, quemadmodum non ipse ulciscitur inimicos, sed Deo concedit iudicium, Apostolicum seruans præceptum. Non uos ipsos ulciscentes. Sed nec hoc solum considerare possumus : uerum etiam *Rom. 12.* quod iniustè hæc passus est, siquidem nisi iniustè passus esset, ea Deus non esset persequutus. Humano autem more loquitur Thronum dicens, aut sedem. Illud autem, *qui iudicas iustitiam,* id dicit, quod Deo consuetum, & eius naturæ eximium est, Nam in hominibus non licet hoc dicere: non iudicant enim iustitiam etiam si millies iusti sint, ut qui aliquando propter inscitiam, interdum uerò propter socordiã, quod iustum est ignorent. Deus uerò, qui ab iis omnibus liber est, & sciens, & uolens iustam sententiam profert. Illud ergo. *Sedisti super Thronum,* Iudicasti

dicasti

dicasti(inquit)persequutus es, ultus es. *Increpasti gentes, & perijt impius,* Vide quomodo armis non opus est Deo? non gladio, non arcu, non sagittis, sed illa humano more dicta sunt, Deo enim satis est increpare, & perdere eos; qui puniendi sunt. Vt autem eius potentiam intelligas, audias etiam quæ sequuntur. *Nomen eorum delesti in æternum,* Radicitus perdidisti, conuulsisti, ita deleuisti, ut eorum quoque memoria, periret. *Inimici defecerunt framea in finem,* quid hoc est? Machinationibus(inquit)& consiliis consumptis, cum propriis armis destitutũ reddidisti: talis enim est ira Dei, omnia delet, & perdit. *Perijt memoria eorum cum sonitu,* Quid est, *cum sonitu?* uel dicit internecionem, uel malorum mœrorem. Cæterum hoc quoque est prouidentiæ dei, quod hoc aperte faciat, ut aliorum calamitatibus alij meliores efficiantur. Significat ergo manifestum exitium. *Et Dominus in æternum permanet,* sedere sæpe ponitur, pro stabili, & permanente substantia, ut declarat Ieremias, dicens, tu sedes in seculum seculi.

Gen. 17. Marc. 3. Psal. 68. ORIGENIS. Seu Dydimi. *Nomen eius delesti in æternum* Deleuit nomen Abram, eundem Abraam efficiens, & Sarræ, illam Sarram uocans, & Simeonis, Petrum appellans. Et hoc pacto eorum, quos increpauit, nomen deleri consentaneum est, imprimisque quibus infertur: Annunciate inter gentes studia eius, quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est. Non dixit autem: deleuisti de libro uiuentium: (nam gentes non fuerant scriptæ in libro uiuentium,) sed à syngraphis contra ipsos factis, aut debitorum tabulis exemisti, aut ex libro mortuorum, qui apud œconomum iniquitatis, mortuos (ut par est) idque in terram scribentem, asseruatur. Saluator enim discipulorum nomina in cœlis describit,

Luc. 10.

HESYCHII. Ego uero (dixerat) non tantum præstare possum uiribus meis, ut Dæmones superem, nam illi carnem non habent, ego autem carnalis; ipsi ab alto me oppugnant, ego terra sum, & cinis, cæterum infirmabuntur à facie tua, ob imaginem scilicet, quam mihi circumposuisti, per quam *fecisti iudicium meum, & causam meam,* cognoscis (inquit) quod imbecilla est caro nostra, fortes uero oppugnantes nos Dæmonas, & propterea nos imagine tua decorasti, ut nos fortibus fortiores essemus. *Defecerunt frameæ.* frameas hoc loco actiones malas intelligit, quæ acutiores factæ animas feriunt, & occidunt: ciuitates uero in quibus omnino abundauit peccatum, ut Sodoma, Babylon, & Hierusalem antiqua: ipse enim in perpetuum deletæ sunt, quoniam regnum Satanæ, quod in ipsis radicens egerat, euulsit. Vel ciuitates appellat uitæ concupiscentias, quoniam omne hominum genus in ipsis tanquam in bene institutis ciuitatibus immoratur.

THEODORETI. *Inimici defecerunt,* propriis enim armis denudatus est, cum impietatis ministris destitutus impietatis operarios non habeat, qui sese illius instrumenta præstant: nam isti modo mutati bellum contra illum susceperunt & ciuitates in quibus olim impietas domicilium habebat euersæ, modo pietatis ædificationem recepere: non enim fieri poterat, ut pietas extrueretur, nisi destrueretur impietas. Hoc et Diuus Paulus (inquit) Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrie, piè, & iuste uiuamus in hoc seculo: Et quæ sequuntur. Ita quilibet non simul cum Christo resurget, nisi prius in morte cum ipso communicauerit. Quare diuus Paulus ait; Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et rursus. Et si mortui sumus cum Christo, & simul uiuemus. eodem modo & inimicorum impietate destructa, pietatem construxit. *perijt memoria illorum cum sonitu* illorum uero (inquit) interitum manifestum, & conspicuum ualde omnibus fecisti, nam illud, *cum sonitu* hoc significat, translatione sumpta, ab ædificiis aliquo terræ motu ruentibus, quæ sonitum, & fragorem ingentem faciunt. *Dominus in æternum permanet.* Deus uero noster, & Dominus (inquit) sempiternum habet imperium, & perpetuum regnum.

2. Tim. 2.

Rom. 6.

CYRILLI. Non modo (inquit) infirmati sunt, & perierunt hostes, quos increpasti, sed etiam nomen eorum deletum est. Nomen hoc loco non simplicem nuncupationem intelligit, quoniam ne hoc quidem factum est: nam & Satanæ adhuc, & impurissimorum Dæmonum, qui cum eo sunt, memoriam tenemus: sed nomen hic gloriam dicit.

DIDYMI. *Frameæ* Frameas intelligit alienas doctrinas, & malitias singulorum hæreticorũ: ciuitates uero conuenticula, & conspirationes nefaria coeuntes, & gubernantes: De eo enim, qui eas fundauit, dictum est. Væ, qui ædificat ciuitates in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate: nam eorum materies sunt iniuriæ, & sanguinum effusiones, eorum qui scandalizantur. Has destruxit aduentu suo Saluator noster, inimicum destruens, qui tyrannicè imperare nitebatur ciuitatibus quas subegisse putabat. Qui tam admirabilem fortitudinem contemplantur, fortissimum uictorem laudantes, ac unanimes unam quasi uocem proferentes, dicunt. Deus

Abac. 2.

Isa. 25.

meus glorificabo te, laudabo nomen tuum, confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia cogitationes antiquas fideles, Amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum ut non sit ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. Vide num forte irreparabilem ciuitatis Hierusalem interitum significare uelit, Saluatore in ipsa crucifixo; cum ciues ipsius, impii esse deinceps ob necem Domini perseuerauerint. *parauit in iudicio.* Hortatur hic gentes ut ab iniquitate, ac ab impietate recedant, uirtutem, ac pietatem sequantur. Quis enim est mentis compos, qui huiusmodi sermonibus fidem præstans non pertimescat, ne in illum incidat, qui & turpes actiones, & cogitationes impias, in iustitia & æquitate diiudicat? nam ipso sic iudicante ineuitabile iudicium erit. illud *cum sonitu* non cum silentio significat, sed cum clamore uictorum illud factum memorabile sequutum est.

ATHANASII. Exactè enim ac benè audita fuit eorum perditio.

NICEPHORI. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam* Iudicium, & causam iustificationem intelligit. Thronum uero iudiciariam potestatem; Frameam ignominiosas persessiones, & erroris monimenta. *perijt memoria eorum*, per hæc omnino Idololatriæ euersionem dicit, & manifestam eius ubique locorum auditam perditionem: *Et Dominus in æternum* per hæc pietatis stabilitatem, & æternitatem intelligit.

Parauit in iudicio Thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in iustitia, iudicabit populos in rectitudine.

Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti exquirentes te Domine.

Psallite Domino, qui habitat in Sion; annunciate inter gentes studia eius.

Quoniam qui exquirit sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum.

ORIGENIS. Formidandus igitur est huiusmodi iudex fugiendæque sunt turpes actiones, & impiæ cogitationes. *Orbem terræ*, Ecclesiam intelligas, quæ à Patre, & Filio inhabitatur, iuxta illud. Ego, & Pater meus uenicmus, & mansionem apud eum faciemus. *populos* reliquos omnes accipe, qui sunt extra Ecclesiam. Ioan.14.

THEODORETI. *Parauit in iudicio*, Non enim solum in hac præsenti uita propriam potentiam ostendit, sed & in futuro tremendum eius iudicium demonstrabit, cum omnes iudicabit, & pro dignitate unicuique retribuet. *In opportunitatibus.* Aquila in tempore, Symmachus, opportunè, interpretate sunt. Docet autem sermo in tempori opportuno illum salutem nostrã operatum esse: nam pauperem uocat naturam humanam, ob nimiam iniquitatis mendicitatem. Huius temporis mendicitatem Paulus docet inquiens. Quando enim eramus paruuli sub elementis mundi huius eramus seruientes. At ubi uenit plenitudo temporis misit Deus filium Gal.4. suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

THEODORI ANTIOCHENI. Symmachus, in iudicio thronum suum firmanit: hoc est iudicium huiusmodi firmum fecit, ut quæ ab eo semel iudicata sunt, amplius mutari non possint.

CYRILLI. Num qui semper Rex est, ut Deus, imperauit gentibus, cum eas decretis euangelicis subiecit? hoc est enim thronum suum in iudicio parare, & iudicare orbem terræ in iustitia, & populos in æquitate.

THEODORI ANTIOCHENI. *Factus est Dominus*, prò, fiet: nam sequentia hoc indicant. Sed mutatum est tempus. Opportunum est autem auxilium in tempore tribulationis exhibitum.

ATHANASII. Vt illud. In tempore opportuno exaudiui te. Isa.49.

DIDYMI. Huiusmodi opportunitatem declarat illud ex persona Dei dictum, tempore accepto exaudiui te. Et quod in centesimo primo psalmo habetur. Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia uenit tempus. 2.Cor.6. Psal.101.

THEODORETI. Illud *sperent*, Aquila & Symmachus indicandi prò imperandi modo utentes dixerunt. Cum enim (ait) hæc salus à te nobis euenerit, quotquot te Deum creatorem didicerint, spem suam omnem in te collocabunt. *Qui habitat in Sion* ex ueteri opinione hoc dicit Propheta: Didicimus tamen ex Apostolica doctrina cœlestem quoque Sion esse: de quò dicitur. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem cœlestem. Heb.12. *studia eius*, Symmachus machinationes, Aquila mutationes dixit, re uera enim fuit mutatio rerum maxima, cum qui olim inimici erant, amici facti sunt, qui longinqui, proximi; qui serui, filii: Qui in ignorantia, in cognitione: qui in tenebris in lumine, in spe uitæ, qui mortui erant, pauperes hære-

hæredes regni cœlorum, Iudęi procul,gentes propè filii canes , & canes filii facti sunt. Et hæ:
Saluatoris machinationes,atque artes decorę sunt . Inmortalitas enim per mortalitatem , & per
mortem uitam : per ignominiam decus , per execrationem benedictio, per crucem , salus nobis
donata est. Hæ artes,hæc sunt Domini nostri studia. *Quoniam requirens sanguinem.* Qui omnia
inspicit,& quæ fiunt omnia exactè inquirit, cum nosset cędes à Diabolo per fraudem,& audaciā
patratas,opportunè uenit in auxilium eorum , qui iniustè , & grauiter laborabant: Hoc enim si-
gnificat illud. *Non est oblitus clamorem pauperum*,clamorem autem hoc in loco non precationē,
aut supplicationem intelligit , sed miserias,quæ per peccatum superuenerunt , cuius causa mor-
tes execrabiles,luctus , & calamitates inualere.

D I D Y M I. *Et sperent in te.* Qui enim illa,per quæ salutem operatus es,didicere,in reliquū
humanas spes negligentes , in te fiduciam , & spem suam collocabunt. Deum uero inquirunt,
qui ea tibi ab ipso præstari cupiunt , quæ à se ipsis habere minimè possunt ; quare fit , ut ab ipso
non destituantur : multi enim rem bene agunt in iis, quę uitæ commodis inseruiunt , qui cum
impiè uiuant,ab ipso derelinquuntur: Alioquin & qui Abel , & qui Prophetas occiderunt, pote-
rant dicere illos ab eo destitutos : sed hoc nequaquam conuenit iis,qui ad extremum usque spi-
ritum sub Dei tutela positi sunt , licet grauia & acerba plurima ab hostibus passi sunt: nam hoc
Sap.1. est uerè à Domino non destitui. Cæterū ex iis,quæ in sapientia scripta sunt, ratio est,quemadmo
dum Deum quærere oporteat : Sentite de Domino in bonitate cordis, quærite illum , quoniam
inuenietur ab iis , qui non tentant illum , apparet autem eis,qui fidem habent in illum.

Math. 5. E V S E B I I. Cui pauperi refugium factus est iudex , nisi illi,qui in priori uita angustam uiā
ingressus,afflictus est , & tribulationes passus,& pauper scilicet spiritu , beatus est dictus? Hoc
ipsum cum didicerint ii,qui cognoscunt nomen tuum , te scilicet iusti iudicii tui tempore illos
non deserturum,qui nunc quærunt nomen tuum,in te iam omnes sperabunt,& omnes æquo ani
mo afflictiones sustinebunt , propter eam,quam apud te illis repositam habes retributionem.

O R I G E N I S. In omni anima,quæ Sion, hoc est specula fit , Deus habitat,& requirit san
guinem gentium ab his , qui illas occiderunt,recordatur item illarum , dum eas excitat,& in ui-
tam reuocat. Quod si ita est,illud, *perijt memoria eorum cum sonitu* , ad francas referendum erit.
Cęterum illorum recordatur,quibus refugium factus est.

D I D Y M I. *Psallite Domino* præcipiuntur hymnum dicere,qui spiritu,& mente psallere pos
sunt,qui & pia cogitatione , & spiritus aspiratione canunt : corde enim canere,& psallere iuben-
tur, qui Domino in Sion habitanti,secundum sancti spiritus impulsum ita canunt: eiusdem quo
que alterum præceptum seruant, quod est. *Annunciate inter gentes studia eius*, Hæc autem sunt,
quæcunque aduentu suo mirabilia fecit, tam ea,quæ intelligentia , quam ea , quæ sensu percepta
patent,potest autem hoc præceptum Apostolis imprimis accomodari,qui ad docendum omnes
Math. 28. gentes missi sunt. Et quoniam qui requirit sanguinem, eorum recordatus est , qui ignitis inimi-
ci iaculis interfecti sunt,his (aiunt) illis infertur: *Non est oblitus clamorem pauperum* . Sed quo
modo pauperes , qui ex gentibus ad Deum clamauerunt,licet interficerentur , cū alioqui à frau-
de Idololatriæ,quæ illos cęperat,& ab inuisibilibus hostibus eā struentibus detinerentur? An hoc
Gen 4. ad rem ueram refertur per similitudinem . quemadmodum sanguis Abel clamat ad Deum ; Et
Luc. 5. merces operariorum,quæ fraudata est. Ecce(ait)merces operariorum , qui messuerunt regio-
nes uestras,quæ fraudata est a uobis,clamat. Merces cum non est penes illum, qui operatus est,
sed apud possessorem messæ regionis, clamor existit . Sed & sensus alius dari potest. pauperes
isti,quorum sanguinem recordatus, & quorum clamorem beneficus pater non est oblitus , non
omnino sunt ex gentibus,isti enim esse possunt,qui olim de gentibus uaticinati sunt,quorū unus
Ier. 16. dixit. Ad te gentes uenient ab extremis terræ: Alius uerò : Omnes gentes , quascunque fecisti,
Psal. 85. uenient & adorabunt coram tè ; inter hos etiam pauperes dicti sunt, qui diuinitatis diuitiis , &
Psal. 71. cognitione Dei destituti fuere : tum enim ex parte prophetarunt.

C Y R I L L I. *Factus est refugium*, Hoc est cum nos uisitauit,nostram similitudinem homo
factus subiens crucem sustinuit, dedecoris negligens,ut omnes proprio sanguine redimeret.

C H R Y S O S T O M I. *Parauit in iudicio thronum suum*, Vides quomodo paulatim attollat
orationem, Quoniam de throno mentionem fecit,naturam throni declarat;non ex lignis, neque
ex aliqua materia compactam, sed ex iustitia , in iustitia enim(ait)collocatum est,*iudicabit orbem
terræ in rectitudine*. Et præsentia,& quæ futura sunt,prædicit . Nam generale illic iudicium est
reseruatum . quod uerò ad singulare spectat,hic quoque multa seorsum facit : ne uesani putent
Deum rebus non prospicere : quod si omnes in hac uita coronas minimè referunt ; ne mireris:
nam diem parauit, in quo iudicaturus est orbem terræ. Sed nunc stadium , luctæ ; ac certami-

na

na proponuntur: propterea non recipiunt hic omnes prò meritis: sed iis, qui se rectè gerunt, prę mia illic reposita sunt: Et iis, qui secus agunt, supplicia. hic lenitas, hic patientia, ut per pœnitentiam abstergamus peccata, illic non ita est. Vide sapientiam Prophetæ, quomodo præsentia, quomodo futura dicat. præsentia. *increpasti gentes & periit impius*, Futura. *Parabit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in rectitudine*, Hoc autem facit, ut qui illis non credunt, ex præsentibus argumenta sumant. *Refugium factus es pauperi*, sæpe se & paupe rem, & mendicum uocat, licet regni solium teneat. Ita enim alibi. Ego autem mendicus sum, & pauper: nouerat enim apertè nouerat (inquam) humana omnia umbris exiliora esse, & nihil Psa. 39. nobis magis proprium quam uirtus ipsa, reliqua autem omnia foliis, quæ extrinsecus apponuntur, quam simillima esse. Quod uero nobis propria sit uirtus, uel inde liquet, quod eam quocunque recesserimus, nobiscum circunferimus. illa uerò non itidem. *in opportunitatibus in tribulatione*, Quid est in opportunitatibus? in tempore (inquit) opportuno. Duplicem dicit opportunitatem, quod ferat auxilium, & quod in tempore. Opportunitatem uerò hic Psal. 48. appellat afflictionem, qua de re? quia mater est studii sapientiæ, & maximè diuinum attrahit auxilium. Tunc tollitur socordia, & nimia dissolutio, tunc orationibus acuratè magis uacamus, *& sperent in te*, Propheta hoc sępe facit, ut à precibus ad exhortationes orationem conuertat; ut potè qui cum sit communis doctor orbis terrarum, philosophię thesauros depromat. Aptè autem dicit. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum*, qui te nouerunt (inquit) & auxilium, & defensionem tuam, satis firmam anchoram tenent, spem scilicet, quam in te habent. *Quoniam* Eccl. 2. *non dereliquisti*, Respicite antiquas generationes, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est: Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? *Qui habitat in Sion*, Quid dicis? cuius cœlum sedes, cui terra est scabellum pedum, cuius in manu sunt fines terræ, is habitat in Sion? certè, habitationem enim hic dicit, non loco circuncludi, & enim infinita magnitudo eius: sed peculiarem in locum affectionē, & peculiariter in eum affici, ut per hanc sui demisionem Iudæos attraheret. *Annunciate inter gentes studia eius*, Vult eos esse precones beneficiorum Dei, & nullo unquam tempore cęlare illius beneficia, & hoc dicit, ubique, tam propter eos qui dicunt, quam propter eos, qui audiunt: nam & hi, & illi, si attenderint lucrifacient. *Quoniam requirens sanguinem*, Hic magnum quoddā decretum profert, nullam cędem inultam relinqui. Quod etiam Moses ostendit in Genesi dicēs: Gen. 9. Sanguinem uestrum requiram. Hoc est inditiū infinitæ illius prouidentiæ magnęq; & accuratæ tutelæ. Si autem non statim requirit, ne mireris, dat enim pœnitentiæ tempus his, qui delinquunt. *Non es oblitus clamorem pauperum*, Vide rursus pauperes esse in hònore: non autem absolutè, & simpliciter pauperes dicit. Sed illos, qui sunt pauperes spiritu, sicut dicit Christus: Matth. 5. ii enim maximè exaudiuntur, dum orant qui sunt corde humili, & contriti. Hic autem duo ponit, & orationem, & humilitatem. Ad quem enim (ait) respiciam, nisi super humilem, & quie- Isa. 66. tum, & timentem uerba mea.? Semper enim humilitas orationis uehiculum inuenitur: propè enim est Dominus contritis corde.

NICEPHORI. *Parauit in iudicio*, hoc dicit propter futurum iudicium, *Refugium pauperi* ostendit apud Deum non esse personarum respectum. *Adiutor in opportunitatibus*, ut illud: in tempore accepto exaudiui te. *Qui habitat in Sion*, Habitationem dicit familiaritatem Isa. 49. siue cum Hierusalem, siue cum Ecclesia fidelium. *Studia eius*, opera, hoc est beneficientiæ, & prodigia. *Sanguinem eorum recordatus*, Sanguinem intelligit fusum in sacrificiis: *recordatus*: nanque natura nostra prius per rebellionem abierat in obliuionem, *Clamorem pauperum*, inops omnis boni natura nostra acerbè tractata tantum non clamat ad eum, qui seruare potest.

Miserere mei Domine; Vide humilitatem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo, infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Cognoscitur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

THEODORETI. Huiusmodi (inquit) clamor quidam erat ploratus, & lamentationis qui prò afflictis quandam quasi petitionem habebat. *Qui exaltas me* Hæc (inquit) summa est, & præcipuus bonorū finis, liberatio à corruptione, & mortis euersione, quod cū assequuti erimus, usquequaq; beneficia tua decantabimus. *In portis filiæ Sion*. Sion uocat cęlestē ciuitatē, ut docuit Hebr. 12. Beatus Paulus. portas aūt illius ecclesias appellat oēs ubiq; terrarū. p quas ingressi sunt credētes. In his igitur exultantes, & choros ducentes ob spem resurgendi, horū largitorem Deū celebrabimus,

cum enim labefactare, ac perdere fidelium genus contenderent, ipsi se proprio interitu transfixerunt. Quin etiam qui laqueum contra populum Dei absconderunt, ipsi suo laqueo irretientur: & pes eorum nullis insidiantibus, non in alios laqueos incidet, quam in eos, quos ipsi aliis sua malignitate tetenderant. Tunc sublatis istis, *cognoscetur Dominus iudicia faciens*, Nam iustum Dei iudicium hoc modo constituetur, cum peccator inciderit in ea, quæ manibus suis parauerit. Canticum uero Diapsalmatis hic est, perinde ac si mutatio fiat, aut carminis iuxta Hebraicam dictionem, aut modulationis, aut sententiæ ipsius, cum ea, quæ dicta sunt, in alium sensum immutentur.

CHRYSOSTOMI. Videas Prophetam orationi continēter affixum. A malis enim liberatus, & in tuto positus, rursus ab oratione non desistit dicens. *Miserere mei*, & rogare eum pro futuris: semper enim egemus Dei prouidentia: præcipuè autem dum liberemur à malis. Aliud enim bellum excipit priori difficilius, socordiæ, & arrogantiæ. Tunc enim uehementius spirat diabolus. *Qui exaltas me de portis mortis.* Ad eum enim, qui præsidet, & prouidet mihi, & semper manus porrigit, confugio, Vidisti eum in futuris poscendis præteritorum quoq; gratias agere, & duplex beneficium commemorare: non enim dixit, qui liberas me, sed *Qui exaltas me, de portis mortis*, Non enim in soluendis eorum malis tātum substitit Dei beneficium, sed fecit eos etiam admirabiles, insignes & illustriores: & cum uellet pericula multa significare: non de porta, sed *de portis*, dixit. *Vt annunciem omnes laudationes*, ipse met agit, quæ, alios agere persuasit. Hoc ego quoque nunc faciam, & non solum uno nel duobus aut tribus præsentibus, sed in medio Theatro faciam. *Exultabo in salutari tuo.* Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci. Ita nos etiam non absolutè seruari, non simpliciter à malis liberari quæramus, sed per Deum. Hoc autem dico propter eos, qui cum ægrotant cantibus, & præstigiis utuntur, hoc enim non est seruare, sed perire: maxima siquidem salus est, per Deum esse seruatum. *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt*, Alius, immersæ sunt, dixit in corruptione. Et per corruptionem uitium intelligit: nihil enim æquè ac uitium labefactat: nam improbo homine nihil est imbecilius, propriis armis capitur, quemadmodum ferrum à rubigine, & lana à tinea, sic improbus à uitio. unde etiam ante supplicium, quod à Deo infertur, ipsum uitium, ab eo, qui id agit, pœnas exigit. Vide autem quam propriè loquatur, *infixæ sunt*. hoc est per uim detentæ sunt, eis ineuitabiles insidiæ paratæ sunt. *In laqueo, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum*, Vide quomodo inenarrabilem illorum uituperationem ostenderit. Quoniam enim quod agebant, ignominia, & turpitudine plenum erat ideo tegunt, & conantur latere. *Cognoscitur Dominus iudicia faciens*, Alius dicit. Cognitus est iudicia faciens, hoc est puniens, ulciscens, persequens. Vidisti aliud beneficiū genus ex castigatione profectum: Siquidem non solum meliores efficit eos, qui castigantur, sed facit etiam, ut cognitionis Dei ratio eluceat, & ex eo illum magis hominibus prospicere aliquis cognoscit. *In operibus manuum suarum*, Non Dei, sed peccatoris, manuum dixit, Vides quomodo uariam facit orationem, & quomodo supplicium. quod à superis infertur, & pœnas, quæ à uitiis infliguntur, inducat. Siquidem cum dicat, *Dominus iudicia faciens*, supplicium ostendit, quod à superis infertur. Dum uerò ait, *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt*, pœnas, quæ infliguntur à peccato declarat.

NICEPHORI. *Miserere mei*, in persona omnium Christianorum dicitur: *Filiæ Sion* Sion appellat Ecclesiam sanctorum in cœlestibus: portas autem ipsius particulares fidelium Ecclesias. *Infixæ sunt gentes in interitu*, Gentes, Dæmones: interitus, perditio, quam in Christum machinati sunt. *iudicia faciens*, hoc loco supplicia iudiciorum nomine intellexit,

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum.
Quoniam non in finem obliuioni erit pauper, patientia pauperum non peribit in finem.
Exurge Domine non confortetur homo, iudicentur gentes in conspectu tuo.
Constitue Domine legislatorem super eos, cognoscant gentes, quoniam homines sunt.

EVSEBII. *Conuertantur peccatores*, Nunc sanè impii. cum nullum malorum suorum sensum habeant extolluntur: Cœterum Dei iudicium adueniet, quo tempore pro his, quæ malè hic egerint, abeuntes in infernum pœnas luent. Illuc uerò cum peruenerint, conuersi dicentur. Quilibet autem pius licet iniurias, & afflictiones modo perferat, itemque spiritu pauper esuriem patiatur, & malis undique impiorum uexetur, ita ut oblitum illius Deum putare possit: non tamen propterea ut improbus reiectus est, nulla enim in perpetuum obliuio erit pauperis, & patientia, ac tolerantia, quam hoc tempore præstat, finem fructu carentem non habebit.

dicentur: illos enim non mediocris sequetur utilitas: Illud uero *homo*, de diabolo intelligi potest, Isa.10. de quo in parabola zizaniorum dictum est. inimicus homo, Et propheta inquit, hic ho- Matth. 13. mo, qui concitat terram. Isa.10. Et quoniam homo iste antè Saluatoris aduentum confortatus est, dicens. Vniuersum orbem terræ manu tanquam nidum comprehendam, & tollam tanquam oua, quæ relicta sunt: non est qui fugiat me, uel resistat mihi. propter hoc Propheta illius superbiã non ferens, pro humano genere Deum interpellat dicens. *Exurge Domine*, ad nos descende, ne homo, qui contra nos arroganter effertur, diutius inualescat. Homo autem dictus est Diabolus, non quia secundum naturam animal sit rationis, & mortis compos, sed quia à diuinitate deiectus est, quemadmodum illi, ad quos Deus loquitur, Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes Vos autem sicut homines moriemini.

CHRYSOSTOMI. *Conuertantur peccatores*, In iisdem rursus persistit, ostendens uitio Psal.81. supplicium paratum esse, & impietatem mortem, peccatum uero pericula generare. *Quoniam non in finem obliuio*, Alius interpres dicit, Non enim in finem mitium expectatio obliuioni tradetur. pulchrè autem dixit. *in finem*, ostendens non semper quæri remissionem, & laxamentum: nã si semper quies, & remissio futura sit, ubi nam ostendetur patientia? quod autem dicit, huiusmodi est. pœnas improbi dabunt, & extrema quæque patientur: neque enim patietur Deus, ut iis, qui iniuria afficiuntur, perpetuæ struantur insidiæ.. His uerbis, & eos consolatur, & illos terret, & Dei clementiam manifestat, quod hos quidem cunctando probatiores facit, illos uerò ad pœnitentiam trahit. Vide autem rursus quomodo pauperes in honore habeantur: pauperes autem non absolute, sed qui corde contriti sunt. Hi enim sunt uel maximè apti ad patientiam: Vel ea potius se inuicem astruunt humilitas patientiam, patientia humilitatem. Quod siquis sciscitetur, quomodo paupertas est humilitas, dicam paupertatem esse ad uirtutem aptiorem: nam qui diues est facilè animo laborat, & perturbatur, pauper uero susque deque fert omnia; ut qui in paupertate, tanquam in palestra quadam frequenter exerceatur. Iccirco dicebat Christus: Difficilè esse cum diuitiis regnum cœlorum ingredi. Quid est autem: *patientia pauperum non peribit in finem?* Matth. 19. Nunquam peribit (inquit) sed fructum proprium omnino recipiet: quod quidem non semper euenit in iis rebus, quæ ad uictum pertinent, sed finem minimè consequuntur pereuntibus laboribus. *Exurge Domine*, postquam uitium exposuit, quod humanum genus uniuersum inuadit, & hominum improbitatem, rapinas, auaritiam, cędes narrauit, prò iniuria affectis Deum orat... Huiusmodi enim sunt sanctorum uiscera, ut non modo sint de se solliciti, sed perinde ac una domus sit orbis uniuersus, uel corpus unum hominum multitudo, ita precantur Dominum. Quid est autem. *Exurge Domine?* persequere (inquit) fer opem, punias eos, qui iniurias faciunt. Et egregiè nudis nominibus usus est, cum dixit. *Exurge, & non confortetur homo*, ut significet quod uilis, quod terrenus, quod puluis, & cinis est. *Iudicentur gentes in conspectu tuo*, Quid hoc est? Dent (inquit) suorum peccatorum pœnas, non enim redditi sunt patientia meliores, audaciam inceptorum ab eis rationem exposce. *Constitue Domine legislatorem super eos.* Quandoquidem omnia faciunt, perinde ac si sui iuris essent, nolentes pœnas dare, persequere illos, & sit eis pro admonitione supplicium. Hoc alius quoque significans dicebat. Constitue Domine eis timorem: Vide quomodo non quærit, ut puniantur, sed ut admoneantur, & corrigantur, & impiè non uiuant. Erit enim (inquit) supplicium loco legis, nõ eis tantum, sed etiam aliis, & ut sciant, quantum ex eo lucrum proueniat, & quomodo morbum reprimat, Audi quod sequitur. *Et sciant gentes quod homines sunt*, Alius dicit, *ut sciãt semper*, Quod autem dicit hoc est, Multi hoc etiam perdiderunt, naturæ obliti sunt, in furorem impegerunt, se ipsos ignorauerunt. pulchrè adiecit illud, *semper*, ut significaret non solum in rebus aduersis, sed etiam in secundis. Veruntamen si eos modo punieris, magnum timorem concipientes, & perceptorum malorum memoriam habentes, etiam in prosperis naturam suam cognoscent.

ALIBI.. *Exurge Domine nõ præualeat hõ*, Quis est iste homo, nisi Antichristus? Audite fratres dilectissimi, multi in isto seculo caduco, & fœneo habitant Antichristi, & audite, quinã isti sunt. Antichristi dicũtur ficti christiani. Antichristi dicũtur hæretici, pagani. Ecce isti omnes antichristiani dicuntur, quia non in uno Christi nomine catholicæ Ecclesiæ simplicitas illis placet. qui aut sub laude uituperant, aut apertè inimicitas exercent. Cum uero homines isti pessimi nos à fide non anocant, tum non præualet homo.: Atque utinam nos neque humanæ laudes extollant, neque uituperationes frangant: utrumque enim æque periculosum est. nam ea laudum prosperitate anima labefactatur, dum humanis laudibus oblectatur. ea uero aduersitate frangitur, dum uituperatione quasi tenebris offusa obtunditur. Oremus ergò, ac dicamus. *Exurge Domine, non præualeat homo.* Non quasi Deus noster sedeat primum, deinde surgat,

aut corporatus sit, aut oculis istis uideat, sed aliquid de illo dicitur, quod ex ipso intelligere possumus. Quod dicimus Deo, exurge, ut in nobis surgat, & nos ad illum surgamus: Psal.43. Psal.102. nam alio loco dicitur. Exurge, quare obdormis Domine? Et alibi. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Nunquid autem ista se mutuo impugnant, quia hic dicit. Exurge, quare obdormis? & ibi Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel? Sed perquam diligenter attendendum est ad ea testimonia: nam si locis suis ponantur, non claudicant: etenim quod dictum est. Quare obdormis Domine. Exurge, & ne repellas in finem. Vox est martyrum flagitantium se in præsenti à persequentibus defendi: Nam clamor illorum in Apocalipsi reperitur dicens. quousque sanctus, & iustus non iudicas sanguinem Apo.16. nostrum? & de iis, qui in terris habitant? Volebant enim martyres, ut in præsenti Deus miracula faceret, & aduersariorum fortitudinem confundetur & inimicorum Christi uires confunderet, sed Deus qui suos perpeti uolebat, ac afflictiones, & tormenta multa perferre, eos torqueri, excruciari, affligi permisit, ut ubi esset ingens pugna, ibi concederetur gloriosa uictoria. Exurgit ergo in nobis Christus, cum æquo, & patienti animo aduersa sustinemus, quando ad eius suauitatem erigimur, quando inuigilamus, ne hostis quicquam nobis subripiat. *Non præualeat homo*, Iste filius perditionis. Veniat ergò pietas tua, & iudicentur gentes in conspectu tuo, constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt. Nunc orandus est, ne supra quam ferre possumus, nos tentari permittat. Sed faciat tentationem cum prouentu, ut sustinere possimus.

ATHANASII. *conuertantur peccatores in infernum*, Dæmones scilicet, & quicunque illis seruierunt

ORIGENIS. quemadmodum paradisus habitaculum est iustorum, sic infernus peccatorum est pœnarum domicilium, concludantur (inquit) ut ne uideant quidem animā IESV descendentem, & ascendentem, intus conuersi, quandoquidem qui illam expectarunt, in inferno detenti, tanquam extra uiderunt primum prophetæ, postea reliqui omnes iusti, aut qui primum inter nos peccatores, postea gentes.

ATHANASII. *Omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum* Græci, hæretici, Iudæi.

ORIGENIS. *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.* quemadmodum spiritus non extinguitur, sic patientia non aboletur, Dominus enim Psal.70. spiritus est, & patientia mea Dominus. Sic in Galatis formatur Christus, qui omni caret figu- Gal.4. ra, & hic dicitur dormire, Exurge, quid dormis.

ATHANASII. *Exurge Domine non confortetur homo*, precatur unigenitum in terris illucescere, ne Diaboli superbia supercilium amplius tollat. quoniam (inquit) tua patientia meliores facti non sunt, punias eos promptitudine tua, pœnas dent peccatorum suorum. *Iudicentur gentes in conspectu tuo*, orat Propheta in gentium salutem iudicium fieri. *Constitue legislatorem*, qui noui testamenti legem inducat, euangelicam scilicet. *Cognoscant gentes quoniam homines sunt*, qui ex ingenti Dæmonum deceptione in belluas, & feras mutati erant.

ORIGENIS. *Non confortetur homo*, iactanti, & dicenti robur meum, dices tu, quod Deus est, qui confirmat sanctum, deletis eius humanis cogitationibus, & motionibus.

Hic finis psalmi apud Hebræos.

NICEPHORI. *Conuertantur peccatores* ab hac nimirum præsenti uita, & illuc differantur, ubi ultrices pęnæ sunt per peccatorem infideles intelligit *pauperi*, pauperes, & inopes populum uocat ad pietatem modo conuersum. *Non confortetur homo*, idest non præualeat, non audeat, non insurgat. *constitue Domine legislatorem* subiicias ipsos tibi, nouam illis legem impone.

Vt quid Domine recessisti longè, despicis in oportunitatibus, in tribulatione.
Dum superbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant.
Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniustus bene dicitur.
Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non exquiret.
Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt uiæ illius in omni tempore.
Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur.

DIDYMI. Propheta Deum tanquam hominem interrogat, cur longè recesserit? cui ratio respondet. quod bonitas Dei ad pœnitentiam peccatores adducit. peccatum uero longè disterminat peccatores à Deo. Iuxta illud peccata uestra diuiserunt inter me, & uos. Alioquin Deus omnibus prestò semper adest & omnia complet. Propè sum ego dicit Dominus, & non Deus de longè. Cum uerò in hac uita iusti affligantur, & ab

Rom 2. Isa.59. Ier.23.

& ab impiis grauiter oppugnentur, perinde ac si procul abesses, eos Domine relinquis, & præteris. Ideoque malorum arrogantia augetur, tuum uero pauperem, & egenum incendit zelantem pio zelo, & animo interius inflammatum.

THEODORETI. Videris Domine procul esse, neque humanis prospicere, cum iniuriam non propulses, & iniuriam patientibus opem non feras. Cæterum qui afflicti sunt mœrore, ac tristitia tanquam igne intabescunt iniquorum arrogantiam uidentes. Aptè autem posuit uerbum illud *incenditur*: nam qui angustia pręmuntur, accensis similes sunt, & gemitus, ac suspiria tanquam fumum quendam ex ore mittunt. Detrimentum uerò (inquit) ex innocentium mę rore nocentibus euenire, qui indecentibus, & iniquis cogitationibus de tua prouidentia malè senserint. Hoc autem significat illud. *Comprehenduntur in consilijs, quæ cogitant*. & causam docens subiungit. *Quoniam laudatur peccator*. quoniam eum scelera innumerabilia committant, laudes tamen ab adulatoribus consequuntur.

THEODORI Antiochensis. Hunc sensum, series & ordo uerborum postulat. *Dum superbit impius incenditur pauper quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ*. Illud uerò. *Comprehenduntur in consilijs, quæ cogitant*, interiectum est. Hæc autem in medio metri causa inter posita sunt. Quoniam cum quæ in psalmis sunt, non solutè, sed mensura quadam proferantur, nonnulla frequenter (ut hoc ipsum est, quo metri ratio seruetur) in medio coniiciuntur. Alia quoque huius generis inueniemus. Vult autem dicere. Fastum, superbiam, & prosperitatem impii, pauperem mirum in modum excruciare, & quasi liquefacere, cum uidet impium ob eas artes, quibus alios opprimendo ditescit, laudari, cum potius accusari, ac odio esse deberet, esse tamen admirationi apud multos. Iniquitas enim pauperes inprimis mœrore, ac tristitia conficit, & præsertim si iniqui non statim pœnas luant, & adhuc etiam ob prosperos successus, ab assentatoribus, & admirantibus eos inquiri, & propter diuitias iniuriis partas suspici. Series igitur sententiæ isthæc est. Illud uerò quod interiectum est: *Comprehenduntur in consilijs, quæ cogitant*, de diuitibus intelligitur. In iis, (ait) quæ cogitant, comprehenduntur. hoc est in propriis eorum desideriis condemnantur, & in Dei sententiam compelluntur.

EVSEBII. Quoniam Deus est, qui comprehendit sapientes in astutia sua, ut dicit Apostolus. 1.Cor.3. Hoc ipsum tandem fieri nunc rogat dicens. Comprehenduntur in consiliis, quę cogitant: nam cum multi eos uideant impiè uiuere, rectè tamen rem gerere, ac in nullas calamitates incidere beatos eos arbitrantur. & laude dignos censent, atqui tamen illi multum nocent, propterea dictum est, *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Non modo ergò peccator desideriis animę suæ actus malè agit, sed & ipsi, qui hunc ipsum uidentes laudant, eique bene dicunt, maximo animæ suæ sunt detrimento, utpotè qui imitatores, & ęmuli eius nequitiæ efficiantur. *Exacerbauit Dominum peccator*, eorum conditionē, & statum pereurrit, qui in hac uita Deum ignorant uolens ostendere necessarium Dei iudicium forè: Nam si iudicii metus impendeat, iniquitas hominum nullum accipiet incrementum. Prò eo quòd dicit. *Exacerbauit Dominum*, Aquila, conuiciatus est Dominum impius, dixit. Quod frequenter ab iis fieri uidemus, qui sermones Dei irrident, & eius iudiciis detrahunt. Qui uerò in peccatis persistit, quò minus Deum quęrat, coaceruata sibi irę multitudine impeditur: ideo dictum est: Secundum multitudinem iræ suæ non quęret. Sed ne *Deus quidem est in conspectu eius*: Nam uehementia iræ illius, animam, quæ naturales eius cogitationes Deo implet, ab ipsius sensibus aufert. Deinde dictum est. *Inquinatæ sunt uiæ illius in omni tempore*, idque peroportunè. Nam quemadmodum qui Deum non habet præ oculis, suas omnes uitę actiones, mores, studia, uiasque fędas, turpes, & impuras agit. (non est.n.Deus in conspectu eius) merito etiam procul a se Dei iudicia propellit; usque adeò impius, & flagitiosus in præsenti uita prosperè agit, ut omnibus quoque inimicis suis dominetur. In hoc quoque malitiam suam exerit, dum hostibus suis omnibus superior euadit.

DIDYMI. Qui diuinarum diuitiarum, & sapientiæ inprimis exortes sunt, neque pietatis documenta diligenter amplectuntur. hi diuinæ prouidentię tuæ iudicia cauillantur, & peccatorem in desideriis suis commendant: cum tamen pateat, peccatorē non potiora, sed iucundiora, non uirtutem, sed uoluptatem appetere. Præterea eodem errore, copias, gloriam humanam, atque fluxam benedictionem existimant, dicentes à Deo malis benedici: nanq; coniicere opus erat, non malis, sed iustis uiris Dei benedictionem impertiri.

THEODORETI. *Quoniam laudatur*, Cum enim grauissima scelera committant, laudes tamen ab adulatoribus consequuntur. *Exacerbauit Dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ*. Hic sistendum est, mox inferendum. *Non quęret*, prò, *Exacerbauit Dominum*,

dicens,

dicens, *non quæret*. Namque dum res humanas neminem curare putat, insanit, & furit, & in omne genus impietatis prorumpit, existimans factorum nostrorum rationẽ iudicem nequaquã exquirere. Deinde hoc ipsum manifestè magis declarat, dicens: *Non est Deus in conspectu eius.* Quid uero causæ est? *Quoniam inquinatæ sunt uiæ illius, in omni tempore. Auferentur iudicia tua à facie eius.* Tuas leges omnino despicit, tempus omne in iniquitatibus consumit. *Omniũ inimicorum suorum dominabitur.* Et licèt hæc tamen indigne agat, beatè tamen ac fœliciter agit, post hęc superbię illius excessum describit. *Dixit enim in corde suo.*

DIDYMI. Quamquam abesse ac despicere oppressos Deus uidetur, quod hi ab impiorũ arrogantia exagitentur, nihilominus contra superbum offendiculum ponentem, & (ut ex scriptura loquar) contra incendentem pauperem, uehementer indignatur. Propterea quod donis, quę Dei prouidentia sibi collata sunt miserè abutatur: Quod ex sequentibus uerbis innotescit, cum dicitur. *Exacerbauit Dominum peccator.* Hic est enim impius, qui superbit, & qui laudatur in desideriis animi sui. Tam uehementer autem Dominum exacerbauit, ut incideret in illã irã, quam ipse sibi collegerat, iuxta illud, quod dictum est. Secundum duritiam tuam, & impœni-
Rom. 2. tens cor tuum thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ. Veruntamen licèt multa, & uehemens sit ira, quæ ab ipso collecta est, non tamen ad eius mensuram, & uehementiam in die iudicii propter iudicantis benignitatem inquisitio fiet, nam si quæstio iræ multitudini par esset, iniqui funditus,
Psal. 192. & illico perirent. Hoc autem qui cernunt, benignitatem præferentes dicunt. Si iniquitates
Ier. 12. obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Qui uerò se auertit à Deo, is exacerbat eum.
Gen. 4. Quisquis enim peccat, hoc agit: Ideo de his omnibus Deus dicit. Verterunt à me terga sua, & non faciem: Hanc impietatem Cain exorsus eggressus est à facie Domini, ipsum scilicet auersatus. Quod si hæc de peccatoribus afferuntur, multò magis de diabolo dici possunt, qui Deũ exacerbauit, & ipsum non habuit in conspectu suo: Pręsertim uerò sequentia uerba de diabolo dicta intelligentur. *Inquinatæ sunt uiæ illius in omni tempore*, Nam cuius hominis uiæ in omni tempore inquinatæ sunt? Cum impii multa quoque frequenter rectè faciant? Cæterum diabolus inquinatus in peccatis ambulat, nec solum homines ad turpia, & improba facta compellit, sed & prouidentiam intra limites cohibet. nam plurimis persuasit, ut mundum nulla prouidentia regi docerent, primus ipse à recta prouidentiæ, ac iudicii Dei opinione prolapsus. Hoc ostendit ex eo, quod de ipso dictum est. *Auferentur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur.* Non quod re ipsa inimicis suis dominaturus sit, sed quod ita sibi in animum induxerit: Nulli.n. sanctorum dominatur, sed iis tantum imperat, qui peccatum faciũt:
Ioan. 8. dictum est enim; Qui facit peccatum seruus est peccati. nam subiigitur à Diabolo, qui in ipso peccatum fecit. Iuxta uero inexplebilem, & effrenem eius malitiam illud postea infertur: *Dixit enim in corde suo.*

CYRILLI. Cuiusque hominis, qui in uitiis oblectatur, & inexplebili animo indelectè fertur, ac omnino ad Deum exacerbandum propensus est, cum Deum non habeat in conspectu suo, inquinatæ prorsus eius uiæ, idest actiones, & impuritatis plenæ sunt. & in malitiæ cœno fœdatæ, ut quæ ad auferenda Dei iudicia, & leges tollendas respicere uideantur. Omne enim peccatum ex aduerso cum diuinorum decretorum intentione pugnat.

THEODORI Antiochensis. Et hoc quoque loco mutatio temporis facta est, dixit enim, *Dominabitur*, prò dominatur: Narrat enim quæ ab iniusto fiunt, & hoc innuit. Propter hoc omnibus imperare nititur, & omnes sine discrimine iniuria lædit, & immaniter exagitat. quod Symmachus apertè magis expressit, omnes inimicos suos uentilat.

HESYCHII. *Inimicorum suorum dominabitur*, Hoc est, inimicorum Dei: nam domina ri animæ sanctæ, ac Deo dilectæ minime potest. Sed illi bene imperare poterit, quæ propter intemperantiam, & libidinem se illi subiecerit, *Auferuntur*, non dixit ἀναιρεῖται hoc est tolluntur, & destruuntur, sed ἀνταναιρεῖται. hoc est, auferuntur: nam cum Deus ad auferendum peccatum iudicium se missurum comminatus esset, diabolus peccatores inducit, ut iudicii comminationi non credant. & tanquam iudicii abolitionem incredulitatem excogitauit.

CHRYSOSTOMI. *Vt quid Domine recessisti longè.* Orat, & supplex obsecrat hęc propheta ex persona eorum, qui affliguntur, non autem accusat: Absit. *Dum superbit impius*, Propheta imposita sibi supplicis persona rogat pro iis, qui ab improbis petuntur iniuriis: narratq; affectiones prouenientes, quæ sunt humanę imbecillitatis. Scilicet, quod priusquam malus puniatur, angitur, & excruciatur, is cui iniuria infertur impii prosperitatem non ferens: Non est autem paruum hoc supplicium. Deinde rogat, ut dent pœnas, & eorum in ipsos uertantur insidiæ.

ſidiæ. Narrat quoque intolerabile iniquitatis genus. Quodnam? *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*, Pro iis, pro quibus deliteſcere, pro quibus erubeſcere oportebat, pro iis (inquam) admirationi habetur, pro iis ſuſpicitur, pro iis laudatur. Quomodo autem poterit huic deinceps remedium adhiberi, quando laudatur uitium? Hæc deflet Propheta, quod uitium ita inualuerit, ut ſibi placeat, & blandiatur. Et quod grauius eſt, ut minime erubeſcat. Nec ſolum ſeipſum laudat, propter ea quæ facit, ſed alios quoque laudatores habet. *Exacerbauit Dominum*, Vidiſti, quò uitium proceſſerit. Quid dico (inquit) quod pauperes moleſtat, Dominum irritat. *Et ſecundum multitudinem iræ ſuæ*. Alius oſtendit hoc eſſe dictum de impii exaltatione, hoc eſt arrogantia, & inſolentia. Vidiſti inſignem, & perditam inſaniam? Aduerſus contribules ſuos hoſtis eſt, & inimicè ſe gerit, à uirtute alienus. Vnde interpres alius rectè dixit, Non eſt Deus in omnibus ſuis cogitationibus, ſignificans eum Deum non quærere, plenum eſſe tenebris, præ oculis eius timorem non habere. *Inquinatæ ſunt uiæ illius*, Alius dicit. Exaltatum eſt iudicium tuum. Vidiſti fructum uitii. Lux eius extinguitur, orba ratio redditur. captiuus traditur improbitati: nam quemadmodum qui luminibus captus eſt, frequenter in barathra incidit, ita peccator quoniam præ oculis timorem Dei non habet, continenter uerſatur in uitio: non interim in uirtute, interim in uitio, ſed ſemper in uitio: nec gehennæ meminit, nec futuri iudicii, nec reddendæ rationis, ſed iis omnibus auxiliis tanquam freno excuſſis, tanquam nauis quæ gubernaculo caret, malis ſpiritibus, & ſæuis fluctibus traditur, cum non ſit, qui eius animum regat, & inſtituat. Vidiſti malum in ipſo etiam uitio pœnas dare. Quid enim equo indomito, quid naui ſine gubernaculo, quid oculis orbato homine grauius? Sed iis omnibus infœlix magis, & miſer eſt qui in uitio degit, ut qui extincta luce, quæ ex Dei timore proficiſcitur ca*e*ptiuus efficiatur.

NICEPHORI. *Vt quid Domine receſſiſti longè*. Cur non ſpectas, & conſideras præcipuè iis temporibus, in quibus tua uiſitatione opus eſt? dico autem in tribulationibus afflictorum, *Dum ſuperbit impius incenditur pauper*. Qui mente pauper eſt, cum uidet impiorum inſolentiam in proſperis eorum ſucceſſibus, ſuccenditur intus, & maximè conſternatur animo, & impingit. *Comprehenduntur in conſilijs*. Puſillanimes illaqueantur ex iis, quæ ſecum ratiocinantur uidentes peccatorem laudari. *Exacerbauit Dominum peccator*, Ad iram inflammauit, ſed cum Dominus ſit longanimis, non quemadmodum irritatur, ita pœnas exigit. *Inquinatæ ſunt uiæ illius*, Vias eius intelligit actiones. *Iudicia tua à conſpectu eius*, neque planè antè oculos ſibi iudicia tua proponit. *Omnium inimicorum eius*. Omnibus qui illi aduerſabuntur, dominabitur.

ORIGENIS. *Vt quid receſſiſti*, Ad eum, qui dubitat Deum non adeſſe his, qui iniuriis afficiuntur reſpondere aliquis poterit illud: Ecce, qui elongant ſe à te, peribunt, & illud: Putas ne, Deus ex uicino ego ſum, dicit Dominus in Prophetis. Videris non adeſſe his, quę fiunt, ſed ſtare procul, & non uidere. Quę res malis improbitatem auget, tuum uero pauperem incendit, & in deſperationem mittit. *Deſpicis in oportunitatibus*, Oportunitates intelligit proſperos ſucceſſus. atque nullam uideris habere curam illorum, qui iniuriis afficiuntur, ſed potius eos deſpicere, nec in tribulationibus conſolari, nec contra inſidiantes fouere. *Quoniam laudatur peccator*. Nam ſæpe uſuuenit, ut peccantes in mundo fœliciter agant, Hoc enim & Apoſtolus dicit. Mali autem homines, & ſeductores proficiunt in peius errantes & in errorem mittentes: Et in alio Pſalmo. Ecce hi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias. Peccantes igitur & iniuſti, tum à ſe ipſis, tum ab adulatoribus, & paraſitis ſuis laudantur, & cum benedicuntur, magis ad peccatum incitantur. *Et iniquus benedicitur*, Tua (inquit) longanimitate, & mora in malis puniendis, fit ut eorum uita beata, & benedictione digna exiſtimetur: Non quæret, quis? Dominus an peccator? nullo quidem modo peccator quęret, quoniam peccator nõ quærit, quæ ad iram Dei pertinent, nec quod multitudine peccatorum laboret, quare & plurimũ peccat. *Inquinatæ ſunt*, id eſt in malitia demerſę. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*. Tentationum aliæ corpori, alię animæ, alię rebus externis promouentur, & aliæ cauſæ ſunt plagarum, tormentorum, perſequutionum, carcerum, aliæ impuræ ſunt cogitationes, quæ peccata, falſa dogmata efficiunt. Quædam uero damna rerum habent, liberorum amiſsionem, uxorum iacturam. At manifeſtum eſt ex his, quod omni iuſto dominatur ſatanas: nam ſi omnium inimicorum ſuorum dominabitur, & iuſti omnes eius inimici ſunt, omnibus ergo ſatanas dominabitur, Cæterum non in omni re dominabitur, ſolus enim Chriſtus peccatum non fecit, nec eſt inuentus in ore eius dolus. An fortaſſe ſcriptura ad diaboli uoluntatem reſpexit, quæ eſt ad finem ducere, quod non poteſt, ſiquidem cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire? Nam & in Iob deceptor diabolus ait circuiui terram, & inambulans totam quę ſub cælo eſt, adſum.

Psal.72. 2.Tim.3. Iob.1.

ſum. Atqui efficere non potuit, ut Iob quicquam peccaret. Si qui proficiunt, per decrementum malitię proficiunt, iuſti uerò dicuntur, qui perfectum habitum iuſtitiæ poſſident, iuſtus .n. (ait) in principio ſermonis accuſator eſt ſui. & ſi iuſtus quomodo accuſator? & ſi accuſator, non planè perfectus eſt iuſtus. ἡ γνώριξ δὲ κακῷ καὶ προσθήσει τοῦ δίχαιου. rectè igitur dicitur quod diabolus omnibus inimicis ſuis dominabitur. Non perfectorum ſcilicet inimicorũ, ſed eorum qui ad perfectionem tendunt. nam ſi non eſſet odium aduerſus ſatanam, & imperfectum, & perfectum: non utique dixiſſet Dauid. Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.

Dixit enim in corde ſuo non mouebor à generatione in generationem ſine malo.
Cuius maledictione os eius plenum eſt, & amaritudine, & dolo, ſub lingua eius labor, & dolor.
Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem.
Oculi eius in pauperem reſpiciunt, ut rapiat pauperem, dum attrahit eum.
In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.
Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne uideat uſque in finem.

DIDYMI. Verba ſunt arrogantiæ plena, ut quæ ipſius temeritatem ſimul ac impudentiã oſtendant. Aliquis huic uoci fidem adhibens, de ſolis hominibus, qui ſunt illius inimici, dictum fuiſſe illud interpretabitur. *Omnium inimicorum ſuorum dominabitur*. Nam ſi dixit in corde ſuo à generatione in generationem ſeſe abſque malo concuſſum iri, liquet, hoc dictum eſſe, de ſolis hominibus, qui iuxta ſeſe conſequentes generationes ſibi inuicem ſuccedunt. Sed ne hoc quidem omnino uerum eſt: Siquidem nec in ſanctos Patriarchas, nec in Prophetas, nec in Apoſtolos imperium ullum habuit. nam ii potius eum ſub pedibus tenuere, huiuſmodi poteſtatem illis IESV præbente.

THEODORETI. Manifeſtè magis hunc locum Symmachus expoſuit dicens. Non conculcabor in generationem, & generationem: neque moleſtiam ullam patiar. Hac utitur audacia, & nil ſibi graue imminere cogitat, qui omni facinore plenus eſt.

HESYCHII. *Non mouebor*, Satanæ deſperationem hoc loco narrat, ut potè qui pœnas nouerit, quæ illum maneant in futura generatione: nihil enim non turpe, non uitioſum agere molitur. antequam à generatione in generationem, hoc eſt à præſenti in futurum ſeculum tranſeat.

THEODORETI. *Cuius maledictione*. Hic fraudes nectit, mala ſtruit, inſidias in pauperes, pro uita, & delitiis habet. *Sedet in inſidijs*. Et in conuentibus, & in conſeſſibus ſedens inſidias quaſdam & artes in innocentes parat. Quemadmodum leo huc & illuc oculos conuertens prædam quęrit, ita hic die noctuque rapinæ, & auaritiæ artes excogitat: Sed tamen, *Inclinabit ſe, & cadet*. Cum enim omnibus ſuperior factus fuerit: mortis tamen fauces non effugiet, ſed æquè ac ceteri homines ſepulchro tradetur. Verumtamen nihil uel impia uerba, uel nefarię de Deo cogitationes, quod humana non curet, illi proderunt: Verum ex rebus ipſis cognoſcet, Deum omnium præſidem res humanas inſpicere. Propter hæc autem impiorum uerba Propheta mirum in modum dolore affectus rurſus ad preces orationem conuertit dicens. *Exurge Domine*.

ATHANASII. Permanentem ſe fęlicitatem habiturum exiſtimauit, ideo *amaritudine & dolo*, os eius impletum eſt. Quin etiam pauperi inſidiatur, ut eum ſuis laqueis interficiat. Illud uerò, *cum diuitibus*, Quid aliud eſſe cogitare oportet, quàm cum iis, qui uitiorum multitudine diteſcunt? hi enim patri ſuo diabolo contra pauperes ſimul operam ſuam præſtant.

DIDYMI. *Cuius maledictione os*, Qui ab eius ſanctitate cadit longè ſe ipſum à ueritate, ac benedictione conſtitutus, os habet plenum maledictione, qua deceptos à ſe in ſuppliciũ, & maledictionem trahere conatur. Cuius enim ſermo doloſus eſt, & cum dolo caliditatem magnam coniunctam habet: Ideò maledictione, & amaritudine, & dolo ſermo illius, qui os eius appellatur, plenus eſt: non.n. blandum, aut benè quicquam uel bonum profert, ſed id tantum, quod dolorem pariat, & laborem.

EVSEBII. Qui neque Deum, neque eius iudicium nouit hæc audet tam ingentia mala, & ſecum ea reputat, ad quę nullius temeritas nunquã perrupit, exiſtimans ſine ullo detrimento perpetuam ſibi fęlicitatem permanſuram. Os eius execrationibus impietatibus plenum eſt. Iam prorſus audacter, & confidenter mala loquitur. Blaſphemare audet, æque ac nullus ſit Deus, qui humana curet, aut iudicet: nec iis contentus eſt, quin etiam inſidias collocat his, qui ſunt ſpiritu pauperes, idque ad prædicta mala coniungit. *Sedet in inſidijs cum diuitibus*, Symmachus

machus ita interpretatus est, Sedens insidians iuxta portas in occultis,ut interficiat innocentem. Sed & *oculi eius in pauperem respiciunt*, Pauperem inquam beatum spiritu cui semper insidiatur, & in quem omnem fraudem excogitat, ut ipsum à Deo deficere compellens, morte animæ interficiat, uel si hoc consequi non possit, ut ipsum saltem de medio tollat. Et hæc faciens insidiatur in abscondito quasi leo rugiens non in agris, sed tanquam in cubili suo requiescens in thesauris suis, & diuitiis, & hoc agit, *ut rapiat pauperem* spiritu scilicet. Omni enim studio ac diligentia utitur, ut rapiat hominem Dei,deque eius statu ipsum deiiciat, & attrahat ad locum suũ; hoc enim significat illud: *dum attrahit eum*. Quod sæpe consequitur, dum labi,ac cadere eum facit: & hæc agit se ipsum decipiens, tanquam Deus hæc omnia minimè curet.

DIDYMI. Diabolus, & qui omnino perditus est,diuites eligit in sermone mendacii,cum quibus sedet occultus, ut quis ipse sit, ignoretur, insidiari nititur, ut perimat innocentem, ipsum ardentibus sagittis suis traiiciens. Lætiferæ enim sunt, quæ simul a felicitate emittuntur, & ab honesta uita uulneratum ab illis auellunt. Possumus quoque ita distinguere: *Sedet in insidiis cum diuitibus*, ac distinctione facta inferre. *Vt in occultis interficiat innocentem*. Illud uerò, *in occultis*, ambiguum est, utri nam parti aptari possit, quod iam primum fecimus,ita distinguentes, *Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat pauperem*. Nisi fortè diuitibus prædictis insidietur cum illis sedens, ut auferat, ac interficiat innocentem. Cæterum notandum est, neminem, qui secundum Deum sapiens est, quique indutus sit armatura Dei, à diaboli sagittis confici posse: Vnde oculos in pauperem, tanquam captu facilem coniicit, qui idem est, cum eo, quem supra diximus, impii superbia incensum. Insidiatur in abscondito ceu leo syluestris in spelunca sua, ut rapiat pauperem, tum uerbis decipientibus, tum etiam factis dolosis, quem cum rapuerit, trahet in laqueum suum ut deuoret, fera enim syluestris est,atque hoc ipsum magis leo. Sæpe igitur dum insidiatur, de erogandis diuitiis loquens, auaritiæ uerba latenter suggerit: uti etiam rursus de castitate uerba faciens, libidinis, & intemperantiæ modum subiicit. Ita Euam per mandati transgressionem in paradiso decepit, cum eam Deo parem futuram edixisset. Iudam quoque per auaritiam decepit. *Inclinabit se*, Iacentem arguit tanquam qui humi oculum ad ima deflectens,procumbat. Quomodo enim non deorsum oculos uertit, qui dicit: *Oblitus est Dominus?* Et prouidentiam Dei irridet,respuit, & negat.

CYRILLI. Aiunt leones in mõtibus quiescere & speluncis suis abditos latere,ne eius aspectu animalia, quibus aluntur, terreantur, cum autem proximè accedere illa uiderint, exilire statim, & magno rugitu frementes, terrere, ac intolerabili sono montẽ resonare facientes insultare, ac rapere. Leo.n.(inquit) rugiet, & quis non timebit? Leoni ergo similis est diabolus. *In laqueo suo humiliabit eum*. Isa.31. Laqueum Christo tetendit diabolus, sed proprio laqueo irretitus depressus est. Solutus enim est laqueus in morte Christi, & tyrannis diaboli deleta est, qui nunquam se casurum iactabat. *Inclinabit se, & cadet*. Hæc aliqui sic interpretantur. Cum impius pauperibus dominatur, quisquis tyrannidi illius mancipatus est, omnino inclinabit se, & cadet, hoc est deprimetur, & interea iacebit, tanquam ii, qui in bello cæsi prosternantur.

HESYCHII. *In laqueo suo*, Laqueus diaboli est omnis actio, quæ ad malum, & peccatum inuitat, quę cum peccatores cæperit, eos deprimit, & humiliat. Si diabolus superatur, confunditur, si superior euadit, mulctat peccatores, & potestas, quam modò habet, cadendi occasionem in futuro seculo illi præbet. *Oblitus est Deus*, Hæc diabolus dicit, non quod ita sint, sed quærens nos decipere, ut erremus res humanas Deum negligere existimantes.

THEODORI Antioch. In hoc maximè exacerbauit Dominum impius,quod cogitare de ipso audet,nullum eum de iniustis sumpturum supplicium.

CHRYSOSTOMI. *Omnium inimicorum suorum dominabitur*, Alius dicit. *Omnes inimicos suos uentilat, dicens in corde suo: Non conuertar à generatione in generationem: non ero in afflictione*. Vidisti arrogantiam, uidisti inenarrabilem perditionem. Vidisti quod paulatim augetur exitium. Vidisti quomodo quæ sunt beata apud stultos, plena sunt multis miseriis, & quomodo obruuntur. Laudatur in peccatis, benedicitur in malè factis: Hoc est primum barathrum, quod satis est,uel ad pręcipitandum eum, qui non cauet: Iccirco magis admittendi sunt qui accusant, & corripiunt, quam qui laudant, & in perniciem blandiuntur. Vidisti peruersum uitium, quod non solum non accusatur, sed & laudibus afficitur: Hic propria arrogantia laudũ improbitatem auxit. Oblitus est timoris Dei, iudiciorum eius: Hic est propriè naturæ oblitus: nam qui iudiciorum Dei obliuiscitur, sui ipsius quoque tandem obliuiscitur. Vide ergò quæ cogitat.

gitat. *Non mouebor in generatione, & generationem.* Quid est hac cogitatione stolidius, cum scilicet hæc imaginari, qui homo est, & morti obnoxius, caducis, & temporariis rebus implicatus, & innumerabilibus mutationibus subiectus? Vnde nam autem hoc fit? Ex stultitia. Quando enim uir stultus multis rebus secundis usus fuerit, & inimicos uicerit, ab omnibus laudatur, & suspicitur, omnium miserrimus efficitur: nam propterea quod mutationem non expectat secundas quidem res modestè fert: Quod si aduersæ illi euenerint, cum exercitatus non sit, turbatur maximè, ac commouetur. *Cuius os maledictione eius plenum est.* & reliqua. Vidisti eum etiam in ferram euasisse, & in immanem belluam mutatum. Nam eum tanquam feram effingens Propheta, ita de eo loquitur dolos, insidias, fraudes eius detegens. Quid eo potest esse miserius? quid pauperius, cum pauperis pecuniis egeat? Hunc nè (quæso) diuitem appellabimus? Ergo etiam furem, & murorum effossorem? Absit, Quid enim si noctu iudicia non perfoderit? quid si noctu non aggreditur, sed dolo iudicis lumen extinguit? Quid enim si non dormiẽtibus, sed uigilantibus cunctis? Hic enim est impudentior. Ex furibus enim eos leges grauius puniunt, qui interdiu furantur. Vidisti paupertatem, uidisti crudelitatem; paupertatem, quod bona pauperis concupiscit. Crudelitatem uerò, quod ne calamitate quidem frangitur, sed cui misereri, cui opem ferre oportebat, eius paupertatem opprimit. Veruntamen non hæc impunè faciet, sed quando præualuerit, quando superior sibi uisus fuerit, quando se inexpugnabilem esse crediderit, tunc peribit, ut & Dei uideatur uincendi facilitas, & pauperum patientia, & huius corrigendi facultas, & Dei lenitatis tolerantia. Ne igitur quando uiceris inimicos, & omnia tibi prosperè cesserint, confidas, improbè uiuens, sed pertimescas. Augetur enim uitium, præripitur tibi defensio, præciditur, & aufertur uenia, si malo persistas. *Dixit enim in corde suo oblitus est Deus*, Vide in quantum perditionis barathrum prolapsus fuerit: qualia dogmata collegerit, quę propter impudentiam efferre non audens apud se uersat, cum ueritate pugnans, quæque sole clariora sunt, ob mentis cæcitatem adumbrat.

NICEPHORI. *In generatione, & generationem*, hoc est, per omnem uitam meam sine molestia degam. *Cuius maledictione os*, Conuitia scilicet omnibus, & iracundiæ plena uerba, & flagitiosa dicit. *Sub lingua eius labor, & dolor*, Lingua (inquit) detrahit, aut ea loquitur, quęcunque damnum, aut dolorem afferunt iis, quibus insidiatur. *Sedet cum diuitibus*, cum auaris, & quibus opus est, ut diuites sint, & ex rapina, & cædibus diuitias comparare. *In pauperem*. Pauperem, & inopem dicit eum, qui omni humano robore, & potentia destitutus est. *Humiliabit ipsum*, Dominabitur illi. *Inclinabit se & cadet*, in perditionis barathrum tanquam incorrigibilis trahetur.

ATHANASII. *Non commouebor in æternum*, non inducar in errorem, non euertar, non ero in malis: nam quicunque uitii particeps est, nihil graue se subiturum putat.

ORIGENIS. *Cuius maledictione os eius plenum est*: Ex ore impii nihil boni prodit, sed quæcunque dolorem, & laborem percipientibus immittunt. Et aliorum ora implet, maledictione eorum, quæ opificem execrantur, conuitiis eorum qui conuitiantur amaritudine, iratorum, & dolo eorum, qui dolis utuntur. *Sedet in insidijs cum diuitibus*. In his quidem, qui abundant ignorantia, & iniustitia insidet diabolus. In his uero qui cognitionẽ habent, & uirtute prędíti sunt, sanctæ potestates conquiescunt. quorum symbola sunt uolucres cœli in ramis synapis habitantes: quod significat regnum cœlorum, quod uirtute in nobis est. *Vt rapiat pauperem, dum attrahit eum*. Hoc dicto aduersus diuites impios maximè uti debemus.

IOANNIS Damasceni. *Inclinabit se, & cadet*. Insatiabilis (inquit) est & nunquam ab insidiis desistit. Sed dum dominatur iis, quibus insidias struxit, aliud quoque insidiarum principium aggrediuntur, tanquam uenator se inclinans, & cadens, & terræ, ut lateat, inhærens.

HESYCHII. Per internas & malas cogitationes iustum rapere conatur, & dum se humiliat & inclinat tentans sub eius pedibus iustos ponere, cadit ipse, quoniam Deus iustorum susceptor est.

IOANNIS Damasceni. *Auertit faciem suam ne uideat in finem*. Quoniam per tot annos expectatum eius aduentum in carne non fecit, neque in reliquum faciet, neque prospicit humano generi.

Exurge Domine Deus meus, exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum tuorum in finem.
Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, non exquiret.
Videas quoniam tu laborem, & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.

Tibi

Tibi derelictus est pauper orphano tu eris adiutor.

Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

CHRYSOSTOMI. Iniquus quidem hæc dicit, raptor. auarus, ut potè qui non det pœnas: At Propheta eius dogmata euertens, de patientia Dei diffusè loquitur. Ille enim dicit. *Auertit faciem suam, ne uideat in finem*, hic autem contra, & uides, & consideras, & pateris, donec ii ceciderint in manus tuas. *Quid est, ut tradas eum in manus tuas?* Humano more loquutus est. Quod autem dixit huiusmodi est. Expectas, toleras, ut insigni tradantur improbitati, nam poteras eos, uel à principio subiugare, & euertere, sed ineffabile est pelagus tolerantiæ tuę, qui uides, & non persequeris, sed expectas eos ad pœnitentiam. Quod si abnuunt, tunc punis, cum nihil ex patientia tua ad eos lucri perueniat. Quod uerò afflictorum magnam rationem habeat, audi quomodo per sequentia confirmet. *Tibi derelictus est pauper.* Quod ait huiusmodi est. Hoc est officium tuum, nullus alius, sed tu solus orphanorum, & pauperum curam geris. *Contere brachium.* Non uult peccatorem absolutè conteri, sed uires, potentiam, & eius improbitatis fomitem. uult tamen deinceps eorum, quæ fecit, eum rationem reddere, & iniurię magnitudinem ostendens, dicit, si hoc fecerit, ne stare quidem poterit, sed peribit, interibit, radicitus delebitur, iis, quæ fecerit perpensis.

THEODORETI. *Exurge Domine.* Cum peccatores, & qui improbè, ac impiè uiuere consueuere, dictitent Deum oblitum esse. Age, docet ipsos per experientiam, te non esse immemorem, neque faciem tuam auertere, sed eorum, qui iniuria afficiuntur, curam gerere, ac non ferens eorum blasphemias intulit. *Propter quid irritauit impius Deum?* Quanquam ille hæc ipsa secum millies animo uerset, tu tamen perspicis. Sic. n. intelligendum est illud. *Quoniam tu laborem, & iram consideras.* Ita enim et Symmachus distinxit. Vides, quoniam tu laborem, & & indignationem aspicis. Et si millies dixerunt impii, te res humanas non intueri; nos tamen nouimus te transgressores & exleges uidere, & condignas eorum sceleribus pœnas exigere. *Tibi derelictus est pauper.* Propterea te obsecro. *Contere brachium peccatoris.* Erit autem hoc cum illius peccatum spectare solum uolueris, nam si hoc euenerit, quamprimum uanus erit, & in interitum tradetur. Hoc enim significauit dum diceret. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Propter ipsum peccatum. Hoc etiam Symmachus clarius explicauit. Quæretur impietas eius, ne inueniatur ipse, illa. n. quæsita, & publicata, ipse interit.

EVSEBII. *Exurge Domine.* Postulat his uerbis, ut Deus tandem reiecta tolerantia, longanimitate, ac lenitate sua in iudicium aduersus impios exurgat. Quo manus Dei exaltata aduersus singulos uindictam sumat. Per manum uerò exaltatam tropicè iudiciariam Dei potestatem significat, quæ quandiu malos non plectit, tandiu depressa, & pacata stare uidetur. Cum uerò postea moueri cœperit, ius unicuique tribuens, tum dicitur exaltari. Ideo ne obliuiscaris pauperum spiritu, cum omnes sub manus tuas esse noueris, nec quemquam extra illos quicquam efficere posse. Iccirco dictum est, *ut tradas eos in manus tuas.* Cum igitur pauper tuus eloquia tua audierit, dicentia. Non uos met ipsos defendentes carissimi, sed date locum irę, mihi Rom. 12. uindictam, & ego retribuam dicit Dominus; suam tibi uindictam relinquit, seque ipsum tibi de- Deut. 32. dit, iusto se iudicio tuo protectum iri credens.

DIDYMI. Cum possis ò Deus superbum repente ulcisci, et eum cohibere, ne pauidos, & timentes audacię suę parere cogat. quid causæ est, quòd, cum illis præsto esse ualeas, eos per aliquod tēpus agitari permittis? Hoc fit, ut qui ex tēporariis perturbationibus utilitatem percipiunt, se ipsos spontè, ac lubentes tradant in manus tuas. Inde abs te erudiri, tibi subditos esse cupientes. Tibi ergò derelictus ē pauper, tu eius salutē procurabis: utq; illū diuitē reddas bona cœlestia condonabis, Ita quoq; orphano tu eris adiutor, illū tuēdo, & tanquā filiū nutriēdo. Orphanū hic eū potes intelligere, qui olim propter peccatū diabolū patrē habuit, sed qui iā illū p pœnitētiā reiecerit. Hoc modo assūpti sunt prophani, ut diuinā opē cōsequerentur. Abrahā uocatus, ut Deū Gen. 12. sequeretur, patris sui domū reliquit. Et filii Zebedæi, hortatione illius, qui dixit, sequimini me, pa Mar. 1. & trem reliquerunt. peccator uerò, & malignus, qui cū articulo hic profertur, quis alius esse pot, Matth. 4. quā diabolus? Huius brachium à Deo conteritur, & peccatum illius quęsitum non inuenitur. Illud. n. cùm patratur suū esse habet & desinit cum perfectū est, non est. n. peccatum uis & natura aliqua, sed qualitas, & ita in omnibus finis instabit, cuius gratia cætera omnia facta sunt, ipse uero nullius causa subsistit.

CYRILLI. *Exaltetur manus tua.* Flagellet (inquit) & feriat manus tua & exaltetur, ut puniat delinquentes iuxta illud, quod per Isaiam dictum est. In omnibus his non est auersus Isa. 5. furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Extenditur autem, & eleuatur quodam modo ma-

Isa. 48. nus eorum, qui flagellum intentant. Si enim hoc modo uersiculum intelligas recte erit; alioquin manum intelligit uirtutem Dei omnipotentem, per se uiuentem, ac subsistentem: hoc est filium, per quem omnia fecit. Ita enim alibi Deus, & Pater ait. Ego manu mea firmaui coelum.

HESYCHII. *Propter quid irritauit impius Deum.* Interrogat, quod nam impii, scilicet diaboli uel ualdè impii hominis peccatum Deus auersetur: Deinde inductam ipse interrogationem soluit, cum dixit. *Dixit enim in corde suo non requiret.* Nam Deum conuiciatur, ut qui res humanas sine prouidentia, & cura esse permittat.

ATHANASII. *Vides, quoniam tu laborem.* Tu (inquit) ô Domine omnia nosti, nihil te latet eorum, quæ fiunt, sed neque eorum, quæ in mentem, & cogitationem ueniunt, quin labores hominum & iras, & indignationes eorum, qui uexantur, exactè nosti: Quoniam omniū cogitationes consideras, tuq; is es, qui corda, & renes scrutaris: Et cum hæc uideas, nihilominus lenis es, & benignus, sciens omnes sub tua esse potestate casuros, nec quemquam aufugere posse.

CYRILLI. *Propter quid irritauit.* Primus uersiculus cum interrogatione, ac distinctione legendus est: ut sequentem esse causæ redditionem faciamus. Sed impius secum cogitat Deum non curare, non inquirere, non prospicere humanis rebus. Quoniam uerò à ueritate aberrauit, auertitque se à cognitione inditę Dei mansuetudinis, & benignitatis, ideo procul ablatus est: Resque ipsæ per se clamabunt, Deum eas minimè neglexisse, sed de cœlis filium suum misisse, ut quæreret, quod perierat, & errantē conuerteret, infirmū sanaret, contritū à morbo leuaret.

THEODORI Antioch. Verba inuerso ordine procedunt: nam prò, Quoniam uides: positum est: *Vides quoniam.* Hoc autem ex Hebraica interpretatione desumptum est: nam cum de iniustis illud attulisset: Dixit in corde suo, non requiret, illud intulit. *Vides quoniam laborem, & dolorem consideras,* quasi Deo dicere uellet. Quod impius ille hæc de te existimare inducitur, te nullam de iniquis curam agere, neque facta hominum abs te exquiri: Siquidem cū iram, & malignitatem illorum uideas, non statim ulcisceris, sed consideras, hoc est, expectas, donec præ multitudine iniquitatum suarum ipsi se tradant in manus tuas, propriæ iniustitię multitudine in uindictam contra seipsos adducti. Hoc enim dixit translatione sumpta ab iis, qui post unum, & alterum delictum non desistunt, sed facinorum multitudine ipsi se in supplicium compellunt. Vult enim Propheta ostendere Dei longanimitatem.

CYRILLI. *Tibi derelictus est pauper.* Debilem ac propè destitutum à te & solū auxiliū petentem amplectere: nam pauperes, & orphanos ditare potes. Hi uerò pauperes, & orphani meritò dici possunt, qui natura, & uerè Deum nō cognoscunt, Pauperes quidem tanquam diuinorum, & sacrorum Charismatum diuitias non habentes, eorum scilicet, quæ ex institutione sinceritatis, & uitæ quæ est secundum Christum, proficiscuntur. Orphani uerò, qui nondum acceperunt Deum in patrem: Dedit enim IESVS potestatem credentibus in nomine eius, Filios

Ioan. 1. Dei fieri. Qui igitur nondum crediderunt, nec sunt ex aqua, & spiritu regenerati, orphani omnino esse cogitandi sunt. *Contere brachium,* Digna sancto uiro petitio, & omni laude plena supplicatio: Honestum enim & omni uitæ institutioni utile conteri brachium, id est, potestatem peccatoris: Nā peccatores uires suas non aliò uertunt, & protendunt, quam ad pauperes conterendos, & orphanos perdendos.

NICEPHORI. *Exurge Domine.* Per surrectionem intelligit motum ad uindictam. Exaltatio uero manus magnam uindictæ illationem significat. Vel aliter, Cum potentia tua excelsa semper sit, & sublimis, nunc præcipuè talis appareat. *Non exquiret.* Tantorum (inquit) scelerum causa est, quod existimat Deum flagitia illorum non inquirere. *Et furorem consideras.* Afflictionem iniuriam patientium, & feritatem iniuriam inferentium dicit. Considerare autem, est subtiliter discernere. Magno (inquit) cum examine perspicis, ut in futurum illos pœnis tradas. *Quæretur peccatum illius.* Si magnitudinem peccati illius exquisiuerit Deus, statim peribit iudicatus morte dignus.

ORIGENIS. *Vides quoniam dolorem, & laborem consideras.* Cum labores, & indignationes operatur Satanas animas puniendas iudici tradit.

GREGORII Theologi. *Tibi derelictus est pauper,* tanquam Deo tutelæ tuæ relictus est pauper, etiam si percurras aliquando naldè longanimitate utens, tibi tamen humanitatis & benignitatis argumentum incumbit.

ORIGENIS. *Tibi derelictus est pauper,* Ab his qui ad sortem ueniat, quoniam stulta mundi elegit Deus. *Orphano tu eris adiutor.* Orphanus est qui malignum patrem abiecit. Vos enim (inquit Saluator) ex patre diabolo estis. *Contere brachium peccatoris.* Contritio brachii delet peccata, liberari uerò à peccatis beneficentia est. Ita enim

arbitror

arbitror Deum punire. brachium uero dicit malignam animam profligatam. Alibi. Conterens brachium, per ipsum peccatum. Totum uero quod ait, hoc est. Si (inquit) mali peccatum exquiras, non inuenitur, hoc est perit peccator, qui per illud improbus est. Vbi Iudæ auaritia? ubi Pharisæi iactantia? una cum fructu radix quoque interiit.

Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.
Dominus rex est in æternum, & in seculum seculi, peribitis gentes de terra illius.
Desiderium pauperum exaudisti Domine, præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua.
Iudicare pupillo, & humili, ut non apponat ultrò magnificare se homo super terram.

EVSEBII. *Dominus rex in æternum.* Quoniam regnum eius nullum finem est habiturum: (non.n.idē sub duobus dominis & regibus esse potest) cum dominabatur peccatum & regnabat in peccante, Deus non dominus, neque rex peccantis erat, sed postquam peccatum quę situm non est inuentum, *Dominus in æternum regnat, & in seculum seculi. Peribitis gentes de terra illius.* Terra Dei cor iustum appellatur, ab hac terra gentes pereunt, cum omnē malum desiderium, & praua cogitatio eiecta fuerit: nam gentes, quæ diuino beneficio pereunt, nefaria sunt desideria & cupiditates prauæ. At si quis hoc loco terrā mitium significari uelit, (nā & Matth.5.
hæc ipsa Domini est) ab hac etiam pereunt gentes: omnis enim qui peccat, ad illam ascendere prohibetur: nam soli sancti eam in hæreditatem accipiunt: dictum est enim: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Et ad alium Deus dixit. Ascendere te faciam ad bona terræ. Psal.26.
Desiderium pauperum exaudisti Domine. Desiderium pauperum fuit ut is caderet, qui illis per tyrannidem dominabatur. Quoniam uerò contrito peccatoris & maligni brachio illorum desiderium rectè processit, meritò Deo, qui corda nouit, & occultorum cognitor est, desiderium illorum (quæ est efficax oratio) manifestum fuit. Exaudiuit autem illos Dominus, aurem que suam eorum mentis pręparationi clementer admouit. Quomodo enim non illi cor paratum habent, ut salui fiant, qui eorum, quæ suprà diximus desiderio flagrantes, animam ad sibi promissum Dei regnum præparatam habent.

THEODORI Antiocheni. Tanta est (inquit) peruersitas & malitia, quæ aduersus pauperes exercetur, ut si eam quæras, & accurata de illa inuestigatio fiat, nequaquam subsistere possit, usque adeò magna est, ut ne ferre quidem inquisitionem ualeat.

ATHANASII. *Dominus regnabit.* Hæc dicit ad ostendendum præsens, & futurum regnum illius. Quod si Domini regnum fine caret, quod nullus regni illius finis futurus sit, iusti, qui eius participes sunt, perpetuam regni possessionem adipiscentur.

THEODORI Antioch. Desiderium hoc loco orationem uocat: nam quæ fieri uehementer optamus, hæc itidem orando petere consueuimus.

EVSEBII. *Iudicare pupillo, & humili.* In hoc enim Dominus uota pauperum exaudiuit, & præparationem cordis eorum audiuit auris eius, ut pupillo, & humili iudicet: quod si fiet, sanè is, qui rex est, & iudex seculorum, illos etiam uindicabit, qui in hac uita bonis omnibus destituti, angustiis rerum ac difficultate premuntur.

DIDYMI. *Magnificare se homo super terram.* Duplici modo hominem intelligere potes, aut enim animal ratione utens, morti obnoxium se insolenter efferens, aut diabolum dices, qui ait. Orbem terræ manu comprehendam, & non est, qui fugiat à me aut resistat mihi. Non.n. am- Isa.10.
plius magnificabit se sub sanctorum pedibus potentiam illius conculcantium contritus: Hoc illis domino IESV præstante.

THEODORETI. *Quoniam Dominus regnabit in æternum.* Quoniam impii dixerunt in corde suo, non quærit, neque inspicit Deus: Iure hoc loco docet Propheta Deum regnaturum, nec simpliciter regnaturum, sed in seculum seculi: Proprium uero regum est subiectorum rebus consulere. *Peribitis gentes*, quę in impietate uersatis, nec salutis præconiū admisistis. *Præparationem cordis*, Propositum uertit Symmachus: nosti enim probè (inquit) cuius rei auentes sint pauperes, & quo tendant, & quod propositum habeant. Deinceps hoc apertè magis declarat. *Indicare pupillo, & humili.* Hoc enim optat uehementer qui iniuriis lacessitur: *ut non apponat.* Nam si merita dent supplicia, quæ impietate ac iniustitia delectantur, maximum inde cæteris hominibus emolumentum proueniet, nam reliqui in eos inspicientes, eadem perpetrare non audebunt. Hæc autem Propheta huic Psalmo non simpliciter adiunxit. Sed ut ostenderet in primis quomodo olim natura hominum affecta esset, & quod unigenitus Dei Filius cum homo factus esset, opportunè uulneribus nostris propria

 adhibuerit

adhibuerit medicamenta. Propterea docet uniuersorum Deum in die secundi eius aduentus, acerbioribus, & grauioribus suppliciis eos traditurum, qui nullam ex tam ingenti beneficio utilitatem percipere uoluerunt.

CHRYSOSTOMI. *Dominus regnabit in æternum*. Respondet hoc loco illis, qui perturbantur, & queruntur, quod peccatores, & iniuriosi non statim pœnas luant. Quid times (inquit) quid formidas? non est iudex temporarius: nam regnum eius interminatum est, quod si modo tyrannus, & qui se intrusit in regnum, & qui raptor, & auarus est, pœnas scelerum suorum non soluit, dabit nihilominus postea, manet enim, & regnat perpetuò, qui exiget. *Peribitis gentes*, & reliqua. Vides Prophetam maiorem malorum curam habere: nam eorum est maximè malè pati: qui enim iniuria opprimitur pecuniæ tantum damnum accipit: qui uerò facit, in rerum maximarum discrimine uersatur. Quid tum enim si eum, quo premuntur morbum non sentiant? Eò magis crescit stupor eorum, & ea de causa magis misereri eorum oportet. Vt ergo ea exscindantur, orat Propheta, minans, uociferans, Deum rogans, ut ad puniendum huiusmodi mentis torporem exurgat: & ideo subiungit, dicens: *Peribitis gentes de terra illius*, interitum illis comminatur, & orat Deum, ut adiutor, & uindex sit oppressorum, ut & hi respirent, illi uerò meritas pœnas luant.

NICEPHORI. *Et rex in æternum*. Docet hic pusillanimes, quod & si flagitiosi pœnas nunc minimè dent, Deus tamen eas exiget in futuro: Quoniam eius regnum æternum est: *Peribitis gentes de terra*. Gentes intelligit eos, qui Deum æternum regem non agnoscunt. *Desiderium pauperum*. Interpretatio est eius, quod superius dixit. *Iudicare pupillo, & humili*, ut huiusmodi sit desiderium, & uotum pauperum. *Præparatio*, & propositum cordis eorum, ut non amplius sese homo efferat, & exaltet.

ORIGENIS. *Quæretur peccatum*; An erit, quod quæretur illius peccatum, & non inuenietur, cum ipse à peccato expurgatus fuerit? *Dominus rex in æternum*, Oportet enim Dominum in æternum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus eius: nam regnum ipsius uisio est præteritorum, & futurorum, per quam etiam hostes amici fiunt. hoc enim est, quod dicit illud: *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*. Regnat autem in æternum Deus, proprium autem regum est subiectis suis prospicere: *Peribitis gentes de terra illius*. Terra Domini consideratio omnium præteritorum, quam & regnum cœlorum esse dicimus. Gentes appellat eas, quæ salutis præconium non admisere, sed in omnes diuisæ sunt, peribitis autem gentes, quatenus gentes estis. gens enim una est si in unum consenserit.

APOLINARII. *Desiderium pauperum*. Quatenus est eorum ardor, & desiderium, ut cœlestium bonorum digni fiant.

ORIGENIS. Tunc exaudit Dominus desiderium pauperum, cum desideranti animæ cupita largitur. Desiderant autem, ut brachia peccatorum conterantur, ut ab eorum tyrannide liberentur. Quod & factum est. Desiderium uerò bonæ mentis nihil aliud est, quam oratio efficax, quam implet, qui corda nouit. Non autem omne desiderium audiri arbitrandum est, sed quod honestum, & Deo gratum est. *Præparationem cordis*. Adhibet Dominus aures promptitudini pauperum beandorum, non attendit iis, qui prompti non sunt, & præparati. Hoc enim (inquit) appetit quilibet eorum qui iniuriis afficiuntur. Nam si modo Deus pauperes, & destitutos uindicaret, nemo amplius gloriaretur, sed & qui iniurias inferunt, male agere, & quibus inferuntur, malè pati desisterent.

IN FINEM PSALMVS DAVID.

PSALMVS X.

In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.
Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.
Quoniam quæ perfecisti destruxerunt.


HEODORETI. Dictauit hunc Psalmum beatissimus Dauid insequente ipsum filio Saul. Dum nonnulli consulentes persuaderẽt, ut salutem fuga sibi compararet: Conuenire autem potest omnibus, qui iniuriam patiuntur, & in Deo spes omnes suas repositas habent. Inscribitur autem, *In Finem*: ut qui iusti Dei iudicii, & pœnæ sceleratis infligendæ prædictionem continet. Quid nam (inquit) consulitis, ut fugam arripiam, & in montibus instar passeris euolantis exulem, huc, & illuc tentorium transferam, cum mea omnis spes in Deo posita sit, & ea fretus hostes minimè timeam?

EVSEBII. Quoniam Psalmus hic *In finem* inscriptus est, secundum Aquilam: Victoriæ authori: uel canticum prò uictoria ipsius Dauid, ut Symmachus tradit, meritò dices post calamitatem, quæ Prophetam inuaserat, ipsum cecinisse.

NICEPHORI. Psalmum hunc cecinit Dauid, cum Saul eum persequeretur, titulus eius est. *In finem*, quippe redemptionem à Christo faciendam continet.

HESYCHII. Nomen Dauid & hanc habet cum aliis interpretationem ut dilectum significet. Vt Psalmus sit de extremis temporibus dictus à choro sanctorum desiderante & diligente desiderabilem Dominum.

EVSEBII. *In Domino confido*. Perfecti uox est, & eius, qui iuxta Apostolum dicere potest, (Roma. 8.) quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? & reliqua. Perfectus ergo est, qui ita dicere potest: at imperfectus qui ex hoc in illum locum emigrando circumcursat, tempore afflictionum, & persequutionum capitur. Similiter ac passer circumuolans, ac uenatores fugiens, qui se opitulante Deo effugerit, se seruari contigerit, meritò dicere poterit: Anima nostra tanquam passer erepta est de laqueo uenantium.

CYRILLI. Eos, qui in Domino confidunt, ad montem sicut passer euolare oportet, Montes autem dicimus esse uirtutes, quæ nihil sordidi habent, nihil abiecti. (Psal. 123.)

DIDYMI. Sic et legi potest, *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas in pharetra*, quibus uerbis animam suam excitat, ut in altum sese uirtutis alis, more passeris extollat, ut spiritales montes in altum egressa occupans extra omne malum tuta permaneat.

CHRYSOSTOMI. Magnæ sunt uires spei in Domino, præsidium quod non uinci, murus, qui non expugnari, auxilium, quod non potest superari. Portus tranquillus, turris, quæ nõ potest capi, arma insuperabilia, uires inuictæ, & quæ in rebus difficillimis, & impeditissimis exitum inueniunt, per eam inermes armatos, mulieres uiros superauerunt, pueri & tirones, prouectos & ueteranos uicerunt, quid autem mirum si hostes uicerunt, quando ipsum quoque mundum superauerint? Elementa enim propriam naturam ignorantia, ad id, quod erat illis utile mutata sunt. feræ non amplius feræ, fornax, non fornax fuit: Omnia enim componit spes in Deũ. Hæc quoque Propheta philosophatus dicebat iis, qui eum fugere hortabantur, & ex locorum tutela sibi salutem parare. *In Domino confido*, Quid dicis? Eum, qui est orbis Dominus, habeo socium, eum qui ubique omnia facile facit, habeo ducem, & pro mè stantem, & me ad inhabitabilem terram mittis, & ex solitudine securitatem comparas? Maius ne erit ex solitudine auxilium, quam ex eo, qui omnia quam facillime potest? Quid me pulchrè armatum, & probe instructum, tanquam nudum, & inermem ad fugam commoues, & transmigrare iubes?

THEODORETI. *Quoniam ecce peccatores*, Nonnulli hæc quoque supradictis uersibus coniunxere, sed sequentia non permittunt; infert enim: *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt.*

Hinc enim docetur Prophetam, sermonem ad Deum conuertisse, tanquam si cum eo colloqueretur, d scentemque arcus, & tela hostium parata esse, & instructa: atque eorum propositum scopum esse, ut uelut in tenebris & illuni nocte, fraudibus, & insidiis contra nos utantur. Occultas autem & latentes decipulas appellauit ἐν σκοτομήνῃ quod obscuritatem sonat. rectos uerò corde dixit, non summam sibi uirtutem uendicans, sed conscius se nihil mali unquam excogitasse ut ipsum Saul offenderet, immò in eum summa beneuolentia semper usum fuisse. *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt*, Non rapui regnum (inquit) sed eius administrationem gratiæ tuæ acceptam fero: Sed illi contra sententiam tuam instructi, destruere me conantur.

EVSEBII, uel ORIGENIS. Non acquiescentes (ait) peccatores internicioni suæ, sed peccata producentes ueluti longas funes ac iniquitates tanquam loro iugi uitulæ cogentes Dei homines infestant: Eosque malitiæ suæ telis perfodere nituntur, & eorum eximiæ puritati inuidentes, ut sepiæ atramentum, sic illi tenebris tanquam noctis illunis offendunt. Hæc uerò illi agunt illa ab animis suis auferentes, quæ Deus in ipsis perfecit. Ideo dictum est. *Quoniam quæ tu perfecisti destruxerunt*. Hæc autem sunt notionum semina, quæ secundum naturam rectam Deus cunctos homines creans, in animis ipsorum iniecit, quę sensus naturales etiam uocantur.

DIDYMI. Secundum speculationem hæc interpretari posses, quod multi sunt fraudulenter instructi hostes uisibiles, & inuisibiles, qui cor quidem ob promptitudinem tanquam arcum intentum habent: persuasibiles uerò sermones tanquam sagittas depromptas ad te, ô anima, feriendam. Sed tuum est in altis montibus uersari, in quibus latens à nemine uulneraberis. per montes intelligas diuiniores scripturarum intellectus uel prophetas, atque etiam Apostolos: possunt etiam hęc dici à spiritu, qui fugere hortetur, ac secedere illum uelit, qui sagittariorum ictus declinare quæsiuerit. Quod si inuisibiles potestates, quæ iaculatoribus comparantur eas esse dicas quæ illud: *Transmigra in montes sicut passer*, proferant, ex irrisione quadam dictum interpretabimur, in timorem compellere uolentes eos, qui in Deo toto corde confidunt. cum uerò illi sint filii tenebrarum, & noctis, in ea quoque latentes, rectos corde iaculari sibi proposuerunt.

ASTERII. Amentiam, & imprudentiam eorum insectatur, qui sanctos infestāt, quia tanquā in nocte miseri nō uident, quos iaculis petant: nam bellatorum imaginem non rem habentes intendunt arcum, non feriunt: sagittas parant, non iaculantur, prohibente Deo. In obscuro autem iaculantur, qui amicis clam insidiantur, qui nocte ac tenebris, hoc est hypocrisi, & fraude feruntur. Ego tamen Domine cogitaui, cur peccatores iustis bellum mouerunt: *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt*, non orbis partes destruentes, sed aures suas imperitia, & inobedientia auertentes. Quod autem aures quoque perfecerit, Propheta Deo dicit. Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.

Psal. 39.

CYRILLI. Cum diuino proposito pugnant, & quæ uniuersorum Dominus ad bene agendum instituit, ipsi destruunt. Sedes enim iniquitatis, hoc est Satan fingit laborem in præcepto.

Psal. 93.

ATHANASII. Compulit (inquit) inimicus hominem in corruptionem, licet in incorruptionem conditus esset.

HESYCHII. *Quæ perfecisti*, legem & mandata intelligi manifestum est: Hæc enim in salutem nostram perfecit Deus: at hostes inuisibiles propter transgressionem nostram ea destruxerunt: propterea Symmachus scripsit. Quoniam sanctiones dissolutæ sunt.

NICEPHORI. *In Domino confido*, quomodo? pro accessu in Domino animum confirmo quoniam peccatores, & quos Deus odit, illi me bello infestant. Quomodo igitur qui mihi bene nolunt, dicere possunt *animæ meæ*, (.i. mihi) fuge ad altitudines deserti *in obscuro* deest illud, in obscura, & illuni nocte, hoc est latenter. *Quæ perfecisti*, quę tu fecisti Domine, isti subuerterunt, leges scilicet. Ergò & propter hoc confidi, At iustus Dominus quid fecit? num neglexit? at qui in templo est, & in cęlo, & ubique, & uidet omnes & exquirit.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam ecce peccatores*. At habent arcus, & pharetrā, & eis parata sunt omnia. pararunt. n, (inquit) ea in pharetra: sed nullę sunt eorum uires, nec eos propterea timemus: nā neq; si uiderē quempiā, qui haberet arcū solutum, timerem: quid enim arma possunt, si uires desunt, nec hic etiam, nisi adsit beneuolentia Dei. At dolos struunt, & non recta aggrediuntur, & propterea eos maximè rideo, quod sagittant in tenebris. *Quoniam quæ tu perfecisti destruxerunt*. Quod autem dicit est huiusmodi. Tecum bellum gerunt, & prœliantur, legem tuam,

tuã, & præcepta destruentes: præcepta enim tua, eaque perfecta conantur destruere: uel hoc dicit, uel quod etiam sunt trangresfores legis. Iam uerò hoc quoque est non paruum imbecillitatis argumentum, quod qui tua præcepta non custodierunt in bellum prodire audent.

ORIGENIS. *Intenderunt arcum*, Arcus peccatorum est impura mens: Ego(inquit)in Domino confido, qui pugnant peccatores sunt. Quis autem timebit, aut fugiet, qui opitulantem Deum, & pugnantes habeat peccatores? *parauerunt sagittas*, sagitta est indita affectio, & per turbata cogitatio, pharetra malus habitus est impurarum cogitationum plenus. Hæc ad intelligentiam relata de Dæmonibus intelliguntur, Verum si ad sensum referatur, sensibiles hostes in nuent. *In obscuro*, Obscuritas est ignorantia rationalis animæ. Ait ergo in illuni & obscura nocte eos insidiari, ostendens latentes insidias: Et rectos corde illos eosdem, qui cum eo erant, intelligit. neque id tumidè & arroganter facit, sed ut mentem suam ostendat quod nihil unquam in damnum Saul parauerit.

Iustus autem quid fecit?
Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.
Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius examinant filios hominum.
Dominus examinat iustum, & impium, qui autem diligit iniustitiam odit animam suam.
Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.
Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius.

THEODORETI. Illi quidem malignè mecum agunt, tu uerò iustus iudex cœlestibus in sedes thronis, & tuam in terreno templo faciem exhibens orbem inspicis uniuersum: Satis enim sunt tibi uel oculorum palpebræ ad omnia humana cognoscenda, nosti uerò exactè tùm iustorũ tũ iniustorũ actiones, & digna operibus repẽdis. Cęterũ scire oportet, & oculos, & palpebras, & sedes, & cætera huiusmodi tanquam de re corporea dici, ut diuinis actionibus à membris humani corporis nomina imponentes, de rebus diuinis nomina instruantur. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*. Qui ergà iniquitatem bene instructus est animæ perniciem machinatur: nam diuinam iram aduocat, de qua loquitur Prophetæ sermo, *Quoniam pluet super peccatores*, Ab iis, quę olim Sodomis euenerunt, istorum supplicia effingit: Nam super ciuitates illas pluit Dominus. A Domino enim ignis, & sulphur de cœlo. Hęc igitur hoc quoque loco mina Gen.19.
tur Propheta: non ut hæc ipsa illaturus sit Deus, sed ut per hæc omnia suppliciorum genera indi caret: calicem enim hoc loco supplicium intelligit, sic enim & in alio psalmo. Quoniam calix Psal.74.
in manu Domini uini meri plenus misto. Et paulo post: bibent omnes peccatores terræ: Hunc calicem beatus Ieremias gentibus propinare iussus est, *Quoniam iustus Dominus*. Hæc ait in- Ier.25.
fligit uniuersorum Dominus iis, qui iniquè uiuunt: quoniam iustitiæ fons est, & tanquam clauo æquitate utens omnia regit.

DIDYMI. Dominus cum iustus sit, quid aliud aget, quam quod superpluet peccatoribus laqueos, & eis supplicii calicem propinabit, ut eorum uires ab impetu iaculandi debilitet? *Laqueos*, hoc est supplicia, quæ intus sibi peccatores comparant: nisi fortè significet illos Rom.1.
tradi in desideria cordium suorum, & in pasiones ignominiæ, ac in reprobum sensum, unde nõ, pluet, dixit: sed *super pluet*, iam enim illi à se ipsis capti laqueis super pluunt, ex eo, quod ait aliàs: declinantes autem in obligationes adducet Dominus eum operantibus iniquitatem. Ad utran- Psal.124.
que interpretationem adaptari poterit illud, quod in prouerbiis scribitur. Ad prauos prauas uias mittit Dominus. Iuxta priorem interpretationem, supplicium esse possunt uiæ prauæ, quæ prauis in malitia immittentur: Iuxta uerò alteram, prauæ sunt, quibus traduntur qui sponte peccant, quæ per ignominiæ pasiones, & per eã, quæ narrauimus, significantur.

EVSEBII. Solus uniuersorum iudex, solus uerè iustus Dominus, cum uideret suos infestari, & contra eos impios insurgere, quid fecit in templo sancto suo, in cœlis habitans, & in throno regni sui sedens? cum omnia, quæ in terra fiunt, aspiciat, nihil eorum negligit: Et cum ad pauperem respicit, donat ei beneficarum uirtutum suarum considerationem, quas oculos appellat, tanti facit pauperem, palpebræ autem uires iudicialis eius prouidentiæ, quam in quæstione, ac iudicatione rerum adhibet, nuncupantur. Veruntamen cum sit iustus, non tantum filios hominum interrogat, (eos enim, qui eius partis sunt, nulla habita de illis quæstione, post habet) sed eos etiam perinde ac impios diiudicat, si quid unquã ab illis peccatum est: Itaque ut qui omnes indicet, deinceps dicitur: *Dominus interrogat iustum, & impium Pars calicis eorum*, calicis nomine graues in scriptura punitiones significantur, quemadmodum in Isaia eleuare, eleuare Hierusalem quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, ad fundum soporis bibisti, & potasti usque ad feces. Dixit autem Ieremię Deus sume calicem uini furoris de manu mea, & pro

pinabis

Isa.51. pinabis illum cunctis gentibus, ad quas mittam te, Num igitur æque, ac ea, quæ supra dicta
Ier.25. sunt pars calicis illis propinati pœnam significat? cum præsertim huiusmodi calix igne, sulphure,
& spiritu procellę sit plenus? cuius symbola sunt, quæ olim contra Sodomam, & Gomorram à
Gen.19. Domino illata sunt. Ignis enim minas conflagrationis innuit, sulphur excitatum ignem ipsum
significat, uel potius ignis causam. Spiritus uerò procellæ tentationis alicuius quasi uorticem
Isa.21. significat. Dictum est enim in Isaia sicut turbines ab Affrico ueniunt, de desereto uenit, de ter-
Psal.22. ra horribili, uisio dura nunciata est mihi. Est tamen suus quoque bonis calix inebrians, quam
Psal.15. præclarus, de quo fortasse & illud dictum est. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. *Iu-
stus Dominus, & iustitias dilexit.* Et propterea oculos habet ad pauperem, & eius salutis curam
gerit: quin & contra peccatores laqueos immittit: non enim temerè Dei prouidentia regitur,
& iudicia fiunt. Cæterum Deus natura non participatione iustus est. Verum & si naturam eius
modi habeat, iustitias, quæ plerisque sanctis in sunt, singulorum uoluntatem, ac propositum
suscipiens amplectitur. Aliter quoque illum iustitias diligere intelligemus: quoniam cuiuslibet
iudicii iustitia quædam est, multa autem sunt Dei iudicia, de quibus scriptum est: Iudicia Domini
Psal.18. uera, iustificata in semet ipsa, pluras etiam esse iustitias necesse est. Quemadmodum uerò iustus
est, & ita etiam æquitatem aspiciens, (ęquitatem dixeris mentem, quæ recta ratione regitur,)
hanc in habentibus eam cum lætitia cernit. Quod etiam de æquitatis armonia intelligi potest
iuxta posteriorum interpretationem iustitiarum de inscrutabilibus iudiciis eius. Verum pro-
pterea quod quis rectitudinem suscipit, faciem eius uidet. nam prouidentiæ operibus, & iudicio
rum perfectionibus se Deus præsentem ostendit.

HESYCHII. *Dominus in cœlo sedes eius,* non in lustris, & specubus, hæreticorum, sed in
templo sancto suo, & ipso cœlo.

ORIGENIS. *Dominus in templo sancto suo,* De patre, uel etiam de ipso Saluatore; prius-
quam carnem sumeret, templum sanctum suum, sanctam, atque cœlestem ipsius intelligentiam
interpretari oportet. In templo sancto suo existens, & diuine, atque admirabiliter regnans sedem
habet in cœlo: Et supra diximus sedem prò regno accipi: At Dei potentiæ inspectrices, & cu-
stodes oculi ipsius dicuntur, quæ pauperi adiunctæ illæsum, & indemnem illum custodiunt. His
circa ipsum adhibitis palpebræ oculorum Dei exquirent facta, & mentes hominum. Hinc cle-
mentia iudicis innotescit. Nam si oculis, non palpebris exquireret, intolerabile iudicium eius
esset. Sed cum eorum facta palpebris suis exquirat, non omnia eorum qui iudicantur delicta, ne-
Psal.129. que quali magnitudine sint exquirit. Rectè autem & congruè dicimus oculos eius, illi, in quem
beneficia conferuntur, licet unus sit, idemque pauper, palpebras autem multis filiis hominum
admoueri, ut beneficia largè, & palàm conferantur, supplicia uero à Deo illata, ualdè abdita sint.
Hęc ad uerbum perpensa non sensiles palpebras significant. Quare hęc quoque ut de diuinis sen-
2.Cor.5. tire par est, intelligenda sunt. *Dominus interrogat iustum, & impium,* Christus est, ante cuius tri-
bunal oēs stare oportet, ut referat unus quisq; propria quæ p corpus ministrauit, siue bonū siue
malum. Quare cum dixisset de iusto, ac impio ęque Deum quærere addit eum animam suam odis
se, qui malitiam, quæ est iniquitas, adamauerit: nam peccando eam supplicio dignam facit. cui
contrarium agit, qui iustè faciens animam suam, & proximum suum tanquam se ipsum diligit,
& eam ad uirtutem inducit. Nec illud: *interrogat iustum, & impium* pugnat cum eo: non resur
Psal. 1. gunt impii in iudicio: nam illud omnino impios significat, hoc eos, qui Deum peccando ne-
Gen.18. gligunt. pluribus locis hoc in scriptura significatur: præsertim ubi dicitur: Erit iustus sicut im-
pius in generatione: nam qui prorsus sine Deo est, in iudicio non resurget.

HESYCHII. *Qui autem diligit iniquitatem,* Quoniam diuitiarum opum, & auaritię causa
Matth.16. animam preciosam in æternum supplicium tradiderunt, de quibus Dominus dixit qui prodest
homini si totum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur: *pluet super peccato-
res laqueos,* hoc est offensiones, & scandala contra illos obiiciet, ut cadentes impediantur, quo mi
nus propositum peccatum perficere possint: ita enim quærent, qui erigere se, ac subleuare il-
los possint.

NICEPHORI. Laqueos, pœnas intelligit, citra spem effugi. *pars calicis,* si uel sola hu-
ius diuinæ iræ pars calicis intolerabilis est, quid dicendum est de toto, hoc est reliquis supplicio
rum partibus?

CHRYSOSTOMI. *Iustus autem quid fecit?* Cum illi sic aciem instruerent, quæris, unde
nam se iustus armauerit? Audi. *Dominus in templo suo,* Vides, quam paucis eius narrauerit au-
xilium. At rogabis fortasse, quid fecerit? Ad Dominum confugit, qui est in cœlis, qui est ubi-
que præsens. Non arcum intendit, nec pharetram, ut ille, parauit, nec in occulto aciem instru

xit,

xit,sed his omnibus prætermissis spe in Deum se contra omnes muniuit, & eam illis opposuit, qui nullo horum indiget,non loco, non tempore,non armis, sed solo nutu omnia facit. Vidisti inexpugnabile,expeditum, & facilè auxilium. *Oculi in pauperem respiciunt*,Vidisti paratum adiutorem, promptum opitulatorem,ubique præsentem,omnia respicientem: cuius hoc maximè munus est, & si eum nemo roget,prouidere, curam gerere, iniurios cohibere, iniustè lacessitis opem ferre, rectè facta remunerare, pro peccatis supplicia infligere: nihil ergò ignorat: nam oculi eius orbem terræ respiciunt. Deinde quod in priori psalmo dicebat, ostendens satis esse uitium, ad se ipsum consumendum, id ipsum etiam hoc loco significans subiunxit. *Qui autem amat iniquitatem,odit animam suam:* Vitium enim,animæ inimicum est, infestum, & perniciosum: quare uel ante supplicium dat pœnas improbus. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur*, postquam pœnam ex peccato ortam narrauit,quoniam eam multi negligunt,mentem deinceps malorum, ex ictu qui superne infertur, meritò concutit, uehementi, & expressa oratione utens, & per nomina terribilia procedens. Ignem enim, & sulphur, & spiritus procellarum, & carbones dicit eis superne pluiturum,translatione dictionum pœnam ineuitabilem,supplicii profusionem,feriendi facilitatem,& consumptricem uim uolens ostendere.Quid est autem, *pars calicis eorum?* Hæc (inquit)est sors eorum: hæc possessio, in eo uersabuntur, in eo consumentur. Deinde causam quoque affert,quod qui omnia intuetur, hæc impunè abire non permittit. quod alius quoque Propheta dicit, purus oculus tuus ne uideat mala, & super iniquitates respicere non poteris: id etiam hoc in loco ostendit dicens. *Quoniam iustus Dominus,& iustitias dilexit*. Abac.1. Hoc Dei est eximium, quæ iusta sunt admittere, æquitatem amplecti, & quæ nefariè fiunt minimè sustinere.

ORIGENIS. *Oculi eius in pauperem*, Et nos etiam fieri pauperes curemus,ut nos oculi Domini respiciant,nisi uero diuites fiant pauperes, non respiciet Deus diuites, oculis autem respicit pauperem effusam & liberalem faciens beneficentiam, quamuis unus sit pauper, *& pluet super peccatores laqueos*,ut sub suos laqueos ipsos ponat, & subiectos accipiens, tanquam suos disponat,& illis prouideat. *Et iustitias dilexit*. idest: eos enim ab actione appellauit. Huiusmodi est illud, Charitas non agit perperam idest qui habet charitatem. 1.Cor.13.

IN FINEM PRO OCTAVA
PSALMVS τῷ DAVID.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt ueritates à filijs hominum.

Vana loquutus est unusquisque ad proximum suum, labia dolosa, in corde, & corde loquuti sunt mala.

Disperdat Dominus omnia labia dolosa,& linguam magniloquam.

Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est.



[E]VSEBII. Huius psalmi eadem inscriptio est, quæ & sexti,ibi enim diximus, quod octaua die secundum legem Mosis circuncidebatur puer: eam uerò tantam uim habere, ut a lege de sabbati obseruatione immunis sit, si puerum nasci in sabbato contigisset. Diximus eandem uim habere diem dominicæ resurrectionis, qui ab ipso quidem primo incipiens numero octauus natura primus existit,quoniam in ea cuiuslibet purgatio fieri solebat.

THEODORETI. Eundem cum superiore psalmus hic sensum habet,accusat enim eos, qui fraude utentes sub amicitiæ prætextu, illum inimico Saul prodebant, & ubi latitaret Dauid indicabant: prænotatur autem psalmus,*pro octaua*,tanquam de iusto Dei iudicio, quod iustus iudex post septimam (ut alibi diximus) facturus est,mentionem faciens. propterea quoque, *in finem*, inscribitur,ueluti uaticinium nouissimis temporibus sit futurum.

CYRILLI. Iniustum quemlibet, atque malignum increpat uis cantici huius,duplici eidem, desidii, mendacii,& scurrilitatis amatorem, & in dolis, & decipulis enutritum. Cæterum & in-

& ingentē Græcorum ſapientiæ euerſionem continere uidetur. præterea Chriſti omnium noſtrum Saluatoris mentionem facit, habetque pollicitationem, quæ ab ipſo facta eſt, ſe iam iam poſseſsis à Dæmone opem allaturum, errantesque in uiam reuocaturum eſſe. Canitur autem prò octaua. in qua reſurrectio, & gentium uocatio facta eſt.

NICEPHORI. *In Finem pro octaua*, Octauam hic appellat diem reſurrectionis, Dominica enim eſt & prima, & octaua ſi tanquam principium, & finis conſideretur. In ipſa enim Dominus reſurrexit: Et rurſus Domini reſurrectio, octaui ſeculi ſeu futuri conſtitutionem præcognitam fecit. Hortatur ergo Propheta ut Chriſti ueniat reſurrectio ad eos ulciſcendos qui à diaboli tyrannide opprimuntur, & Idolorum cultui inſeruiunt.

DIDYMI. *Saluum me fac Domine*, Multiplicata hominum malitia, & errore, ita ut nec miſericordia, nec ueritas, nec Dei cognitio ſuper terra exiſteret, ad diluendam, & delendam huiuſmodi noxam Saluatoris aduentus ad nos neceſſarius fuit.

THEODORETI. Ego à te Domine ſalutem peto, ſiquidem ueritas, ne prorſus extincta pereat, in diſcrimine uerſatur, & (ut rem paucis abſoluam) mutuo infidelitatis morbo omnes laborant.

CHRYSOSTOMI. Ardua ſanè res eſt uirtus, & per ſe difficilis, præcipuè autem cum qui in actione uerſatur, præ uirorum bonorum paucitate, ſolus penè agit. Nam quemadmodum ſi aliquis iter incipiat abſque comite laborem ſentit, & moleſtiam, ita hic quoque non par
Heb.10. ua res eſt ad laborem ſubleuandum fratrum ſocietas, & adhortatio, & propterea Paulus dicit, cōſiderantes uos ipſos ad prouocationem dilectionis, & bonorum operum: Et ideo ſunt uel maximè beati iudicandi priſci illi uiri, non tantum quod uirtutibus exculti rectè ſe geſſerint, ſed quod tum ita uixerint, cum uirtutis magna ſterilitas eſſet, & eorum uirtutis aliqui nuſquam ſo-
Gen.6. cij apparerent: Quod innuens ſcriptura dicebat: Noë iuſtus perfectus in generatione ſua. propterea hic quoque iuſtus ut qui ſolus eam apprehendiſſet, cæteris contra nitentibus ad prouidentiam Dei confugit. *Saluum me fac Domine*. Nil ergò aliud hic, quam hoc ipſum ſignificat. Superna mihi manu opus eſt, cœleſti ope, ac diuino auxilio: cum enim uiam ingrediar omnibus contrariam, magna mihi opus eſt prouidentia: Et non dixit, Saluum me fac quoniam non eſt ſanctus, ſed, *Saluum me fac, quomam defecit ſanctus*, oſtendens eos etiam qui erant, periiſſe, poſtquā inualuit uitium, & morbus craſſatus eſt. Quid eſt autem, *diminutæ ſunt ueritates?* Multæ ſunt ueritates, quemadmodum in coloribus, & aliis rerum generibus. alia quidem uera, alias falſa ſunt, & eſt purpura uera, & purpura falſa, & in croco, & in lapidibus, & in aromatibus, & aliis eiuſmodi: ita quoque in uirtutibus: Veritas enim eſt, quod uerè eſt, falſum autem quod non eſt. quoniam uero hæc inuerſa, & obſcurata fuerant, non quod uim & naturam ſuam amiſiſſent, ſed quoniam ab omnibus fuſa, & fugata fuerant: propterea non dixit, tantum, *diminutæ ſunt*, ſed adiecit *à filiis hominum*.

THEODORI ANTIOCH. *Quoniam defecit ſanctus*, Sanctos appellat hoc loco illos, qui mente pura amicitiam colunt, tanquam rem ſanctam, & admirabilem. *Diminutæ ſunt*, prò, defierunt, ſic enim & Symmachus ait. Quoniam fides ex pedibus abiit, prò, apud quemque nō eſt ueritas.

DIDYMI. In hanc ſententiam illud quoque accipies, quod in Ieremia ſcriptum eſt,
Ier.9. Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat: & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet & uir fratrem ſuum deridebit, & ueritatem non loquentur, docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, ut inique agerent, laborauerunt. Quamobrem non ueritas, ſed ueritates dixit, cum propter uarias impoſturas, quibus in commerciis utebantur, tum ob fœdas, & abominabiles de diuinis opiniones. *Diſperdet Dominus omnia labia doloſa*, Non enim corporeas partes, ac membra diſperdet, ſed doloſum, & uafrum eorum uſum, & ſermonem ſe extollentem auferet. Nam in prouerbiis dictū
Pro.4. eſt. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia procul expelle à te. Hi uerò de quibus ſermo eſt, cum prò libidine, efferantur proferunt uocem illam, quæ in Iob dicit: Recede à nobis, &
Iob.21. ſcientiam uiarum tuarum nolumus: quis eſt omnipotens ut ſeruiamus ei?

THEODORETI. *Vana loquuti ſunt*. Quæ per audaciam homines patrare audent, apertè narrat: Amicitiam uerbis prætexunt, & factis ſeſe hoſtes præbent. *Labia doloſa*, fraudulenter (inquit) inter ſe loquuntur, & hic labiis utitur, ut in cor proximi falſa tranſmittat, ille rurſus ſimiliter paria remittit. Hinc deinceps pœnas illis minatur, *Diſperdat Dominus omnia labia doloſa*.

THEODORI ANTIOCH. *Vana loquuti ſunt*, Vana poſuit, prò, doloſa, communiter aūt quæ

quæ absurda sunt, ut quæ temerè fiant, uana solet appellare.

HESYCHII. Labia (inquit) cordi consona fuere, & cor labiis: dolo .n. & mens, & lingua Iudæorum plena fuere, & propterea ad Dominum sæpe accedentes, tentabant eum, qui tentari non poterat. *Disperdat Dominus*, semper quidem hoc petere; ac orare oportet, nam nihil æquè humanos mores labefactat, ac superbia, & dolus.

EVSEBII. Diuinæ siquidem non humanæ uirtutis erat malitiam illorum superare: solus enim Dominus labia eorum disperdet, & os impium obturabit: ne contra IESVM quem conuitiabantur, præualere possint: nam suis cogitationibus praua meditantes dixerunt. *labia nostra à nobis sunt*, Deinde cum Pharaone quoque dicente: Nescio Dominum, ipsi pariter dicunt. *Quis noster Dominus est*. Et quasi sui iuris, & Domini uoluntatis propriæ, & labiis prò libidine abutentes, conuitiis, & probris, & calumniis Saluatorem nostrum impetere ausi sunt, se illius uerbũ expugnare, ac doctrinam extinguere arbitrantes. Huiusmodi fuerunt Pharisæorum, & Saducæorum labia, qui in hypocrisi ad Saluatorem accedentes, & ipsum magistrum appellantes, aliàs occultò alia moliebantur, & ipsum obseruabant, ut eum caperent in sermone. Magniloqui, & iactantia pleni erant seniores, & principes sacerdotum populi, qui Saluatorem interrogare audebant, & sciscitari ab eo; in qua potestate hæc facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem? [Exod. 5.] [Matth. 21.]

THEODORETI, *et linguam magniloquam*, Quod magniloquentiæ genus est hoc? qui *dixerunt linguam nostram magnificabimus*, Non enim (inquit) sermones cum re, ac natura metiuntur, nec ad diuinarum legum ueritatem respicere uolunt; sed procaci, ac effreni ore utentes, petulanter, ac impudenter, quicquid libet effutiunt, diuinam longanimitatem nihil pendentes, & sub Dei manu se nihil perficere posse existimantes. Huiusmodi notæ Pharao fuit; dicebat enim nescio Dominum: Huiusmodi & Rapsaces, qui dicere ausus est: Ne te decipiat Deus tuus, in quo habes fiduciam, ut liberet Hierusalem de manu mea. Huiusmodi fuit, & Nabucdonosor, qui generosos, ac fortes illos pueros territans non est ueritus dicere, quis est Deus, qui eripiet uos de manu mea? Veruntamen & illi pro iis, quæ ausi sunt, pœnas persoluerunt, & isti de quibus Propheta loquitur, merita supplicia penderunt. Et hoc per sequentia significat dicens. *propter miseriam & gemitum pauperum*. [Exod. 5.] [4. Reg. 18.] [Dan. 3.]

THEODORI ANTIOCH. *Labia nostra à nobis sunt*, Libertas (inquiunt) est nobis loquendi quæcunque uolumus; nam quem Dominum habemus, quem timere oporteat? Cæterum hoc non modo loqui eos dicit, sed rebus quoque ipsis, ac factis exprimere, adeò audacter omnia, & insolenter agunt, tanquam nullus sit iudex futurus.

ORIGENIS. *Saluum me fac*, Deficiente sancto, salute indiget, tanquam difficile sit superiorem euadere. *Quoniam diminutæ sunt ueritates*, si sancti defecerunt, & ueritates diminutæ sunt, non in solis sanctis ueritates, nec in ueritatibus sanctitas: At qui quoniam sancti defecerunt propterea ueritates diminutæ sunt. An fortasse sanctorum paucitas causa fuit harum multarum hæresum? dolosè (inquit) mutuò colloquuntur, per maligna labia in corda sibi inuicem falsa immittentes: cum autem cognitioni non studemus, tunc ueritates imminuuntur. *Vana loquuti sunt*, propter hoc neque temerè ociosum sermonem, neque blasphemum, neque omnino qui carpi possit, proximis ingeramus. *Disperdet Dominus*, Dum quæ deteriora sunt, Dominus aufert, disperdere dicitur, ut ablatis iis, & deletis, quæ aliunde adueniunt, prima illa Dei creatura suscipiat altiora, ubi se in deteriora incidisse senserit. *Labia dolosa in corde & corde*, quoniam quæ dolo plena sunt, animo & cogitatione uersant, ideo inutilia & uana, & falsa ore protulerunt.

CHRYSOSTOMI *Vana loquuti sunt* Duo hic uitia narrat, & quod uana loquuti sunt, & quod proximo suo. Vel ea, quæ falsa sunt uana dicit, uel ea, quæ sunt superflua, & inutilia. Huiusmodi quid Paulus dicit; non inuicem mentientes. Et quod est omnium grauissimum, quod huiusmodi morbus ad omnes peruenerat, & ideo non dicit, hic, uel ille, sed *unusquisque*, neque enim erat tantum, quod natabat in superficie, sed in profundo erat, & in imo cordis. *in corde & corde*, quod alius interpres dicit: in corde alio, & alio, docens magnam esse in corde duplicitatem. Quod omnibus hostibus magis acerbum est: nam illi patent, unde facilius caueri possunt: hi uerò aliam personam induti cum aliud sint, non possunt ab iis, quibus insidiantur, deprehendi. *Disperdat Dominus uniuersa labia dolosa*. Vidisti quomodo eorum curam gerit Propheta, quomodo pro eis orat, neque enim contra ipsos est, quod dictum est, sed pro ipsis: neque enim orauit, ut abolerentur, sed ut uitium eorum de medio tolleretur. Non dixit enim: perdat ipsos Dominus, sed *labia dolosa*. Et rursus, non substantiam, sed linguam, arrogantiam, fraudem uult auferri, superbiam excindi, irridens autem eorum stultitiam dicit. *Labia nostra à nobis sunt*, [Colos. 3.]

Quis

Quis noster dominus est? Delirantium, & amentium uerba sunt hæc.

NICEPHORI. *Labia dolosa.* idest dolosa, *in corde & corde,* Intus quidem erroneam mentem, habent, extra uero diuersam ostendunt. *Linguam magniloquam,* arrogantes & tumidos dicit. *Qui dixerunt, linguam nostram,* Interpretatio est superioris dicti. Qui intra se magna cogitant ad iactantiam. *labia à nobis,* potestatem habemus labiorum nostrorum, quis est, qui imperet nobis? ut nos magna loqui prohibeat?

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.
Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.
Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.
Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.
In circuitu impij ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

THEODORETI. *Propter miseriam inopum,* Non enim eos despiciam lugentes, & gementes propter audacem patratam in eos iniquitatem, sed patientiam tanquam somnum quendam excutiens perspicuam, & illustrem efficiam eorum salutem: Sic enim Symmachus interpretatus est: Manifestam constituam salutem: & ostendens quam uera futura sint, quæ dixit, addit *Eloquia Domini eloquia casta,* septuplum autem pro sæpe posuit, hoc enim scripturæ consuetum est. *Tu Domine seruabis:* nam tua gratia custoditi non modo huius generationis laqueos effugiemus, sed etiam perpetuam salutem consequemur. *In circuitu impij ambulant,* Qui impiè uiuunt posthabita uia recta, huc & illuc errantes feruntur. mansuetos, & quietos circundare, & quasi obsidere nitentes. Tu uero ex celsitudine naturæ apparens dignos protectione tua illos duces, qui ab illis oppugnantur: nunc quidem solatium in afflictionibus præstans, perfectam uerò posthac propediem salutem largiturus.

CYRILLI. *Nunc exurgam dicit Dominus,* Exurgere autem dixit, non qualem corporis surrectionem intelligimus, aut expergisci dicimus; sed quale est annuere cum seruantem manum laborantibus præbere parat.

ORIGENIS. Seu DIDYMI. Cum impii superbia elati se iactant, & lingua eorum se magnificè extollit, ac dolosa eorum labia arroganter se uenditant discruciantur miseri, & ingemiscunt pauperes eorum tyrannidem non ferentes. Quare Dominus (inquit) *Nunc exurgam:* Et *consilium meum ponam in salutari & fiducialiter agam cum eo,* contra eos qui superbè aduersus infimos gloriantur. Inopes uerò & in calamitatibus constitutos ab omni miseria, & gemitu liberabo. Inopes autem ac pauperes hoc loco eos dicere poteris, qui ob eorum infirmitatem atque etiam malitiam, quæ illos ad hunc statum adegit, iniurias propulsare, aut ulcisci non possunt. isti in miseria, & gemitu constituti, tum à Domino superiores facti sunt, cum ipse exurgens uenit ad nos, ut eorum salus manifesta fieret, qui extra miseriam, & gemitum collocati
Rom. 7. essent. Nam Paulus cum dixisset, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? subiunxit: Gratias ago Deo per IESVM CHRISTVM: Nam his uerbis IESVM Christum esse indicat, qui miserum liberat, quapropter mortis corpus habuit, qui hoc loco dicit. *Nunc exurgam,* Aiunt nonnulli eos inopes appellari, qui à diuitiis exciderunt: pauperes uerò, qui labore uictum quæritant. Et iuxta hanc intelligentiam inops necessario pauper est: non tamen continuò
Psal. 33. sequitur, ut pauper idem sit, & inops, & fortasse quæ de inope dicuntur à scriptura confirman-
Psal. 78. tur: Inquit enim scriptura: Diuites eguerunt, & illud: pauperes facti sumus nimis: Et de Salua-
2. Cor. 8. tore. Qui cum esset diues, inops factus est; ut nos illius inopia diuites essemus. Cum iis quoque quæ de paupere dicuntur illud congruit. *Inopũ gemitum pauperum,* tanquam semper gementium
Heb. 1. præ angustia, quæ in rebus necessariis premuntur. Illud autem, *ponam in Salutari* constituam, & faciam significat. Quemadmodum ibi. Quem posuit hæredem uniuersorum: ubi dictio signi-
1. Cor. 15. ficat, quem definiuit, & demonstrauit hæredem. In hanc quoque sententiam sumes illud. posuit
Act. 20. Deus in Ecclesiam primum Apostolos, & quæ sequuntur: & quod Ecclesiæ præsbiteris dictũ est. Vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Hoc enim loco posuit, ostendit eos Apostolos & Episcopos, definitos, & constitutos esse. Qui thesaurizat in cœlis in salute positus, hęc loquitur, fiducialiter agens in Deo. eius enim conscientia nullo terrore aut angore premitur. *Eloquia casta,* Nam licet eloquia quædam eorum, qui in partem Domini non sunt asciti pulchra fuerint, tamẽ casta non sunt. quoniam innumerabilibus mendaciis iniquinata sunt. At Christi eloquia sola sunt casta, quibus nihil adulterinum permixtum est.

EVSEBII. *propter gemitum pauperum,* Qui propter me inopes, & pauperes spiritu fiunt, ingemiscunt semper, ac lugent humiliantes sese, ac me continenter precantes, & inconcussam fidem seruantes. itaque eorum causa exurgam. Et decenter resurrectione mea salutare ponam

nam

nam cunctis hominibus, & hoc ipso salutari tanquam magno, ac præclaro facto confidenter agam. *Argentum igne examinatum*, Vt argentum sæpe igni probatum, & iterum atque iterum in fornace purgatum ab externa, & aliena materie seiunctum est, ita Domini eloquia ueritate plena sunt, casta, immaculata, nec mendacii quicquam perfusum habent. *Tu Domine seruabis nos*, Quoniam ergo pauperes tuos seruabis Domine, & nos una cum futura generatione, quæ æterna dicitur, quasi uallo obduces, tum impii, à gratia tua, quæ ad omnes effundetur, eiecti, & seclusi obambulabunt & circundabunt, eorum, qui saluabuntur, spectatores facti: Et hoc fiet cum filii hominum abiecti, & humiles exaltati fuerint. Quoniam uerò circulus rectæ lineæ contrarius est quo ad obliquitatis, & rectitudinis rationem pertinet, impii in orbem, pii rectà pergunt.

CYRILLI. *Eloquia casta*, hoc est, quæ castos reddunt: nam nulla ex parte inquinata sunt, sed ita pura, & purgata, ut argentum imitentur, quod non semel, sed sæpius purgatum sit: hoc enim arbitror, illud, septuplum significare: probata ergo eloquia Domini omnibus mortalibus.

ATHANASII. Quare dicit: *seruabis nos*? Quoniam circundant nos impii, & nostræ saluti insidiantur. Sed quinam hi, nisi hostiles & malignæ potestates.

THEODORI ANTIOCH. Illud, *à generatione hac*, pro pessima, & nequàm generatione positum est, ita enim cum superioribus sequentium rerum series consonat, hoc est à uiris generationis prauæ: Quoniam fieri non potest, ut qui ab impiis circumuallantur, aliter liberentur nisi Deo adiutore utantur.

DIDYMI. *Seruabis nos*, Iuxta huius uerbi significationem, de discipulis Saluator ad Pa-
trem loquutus est dicens. Pater sancte serua eos. cum essem cum eis, ego seruabam eos, nec ma *Ioan. 17.*
lignus tetigit eos. Dixi, iuxta huius uerbi significationem: propterea quod in Genesi de Adam
ad serpentem dictum est, ipse seruabit caput tuum, tu uero seruabis calcaneum eius: nam hoc *Gen. 3.*
loco seruare non est idem ac custodire, nam pro obseruare dictum est. Suppliciter uerò hoc
orando dicit. *Tu Domine seruabis nos.* Postquam omnia, quæ in nobis sunt absoluerimus, ut
præceptum illud seruemus. Omni custodia serua cor tuum: Et quoniam hæc rectè habita non *Pro. 4.*
satis sunt, si desit manus Dei, ut uoti compotes efficiamur, & in tuto collocemur, (nam nisi Do- *Psal. 126.*
minus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam) ordo postulat, ut postquam nos
ipsi custodierimus, orationem illam subiungamus, quæ ait. *Tu Domine seruabis nos*, & custodies
nos: nos enim te custodiente confidimus ab omnibus insidiis perpetuò tutos fore: cum enim *Psal 112.*
Domine altissimus sis, & in altis habites, iuxta celsitudinem tuam, quæ tuæ bonitati perpetuò
inest, filios hominum custodis, eos dignos reputans qui prouidentiæ tuæ cura regantur.

CHRYSOSTOMI. Disce quanta sit uirtus humilitatis. Pauperum uirtus, & potentia,
eorum (inquam) qui sunt contriti corde; est quod malè patiantur, defensio, Non enim uitá, &
uirtutem sed malorum perpessionem dicit excitare Deum, & illum ad supplicium, & uindictam
euocare. quid est autem, *ponam in salutari, fiducialiter agam cum eo*? Cum fiducia (inquit) aper
tè, & manifestè eos defendam, ut omnes intelligant. *Eloquia Domini*, Et quomodo rectè hęc ad
dicta consequentur? pulchrè admodum. Ne (inquit) existimetis hæc temerè dicta esse, ac
inanes fuisse, ac superfluas comminationes, nam uerba eius pura sunt, à mendacio libera: Nam
quemadmodum argentum fusum ignitum, & hoc sæpe passum, nihil habet alienum, & adul-
terinum, sed exactissimè purgatum est, ita quoque Dei decretum. *Quid est autem, in circuitu
impij ambulant?* conuenienter quidem iuxta septuaginta dicendum est ita. Etiam si nos im-
pii obeuntes circumcirca obsideant, nihil tamen graue patiemur: Tu enim nos seruas, & ex-
tollis, clarosque & illustres facis? At si interpretem alium sequamur, sic dicendum est. Impii ex-
trudentur, quando humiles ex filiis hominum exaltaueris; hoc est quando nos qui uiles & ab-
iecti reputamur, humiliatos gloria affeceris, seiunges illos, ac expelles: quid est autem *secundum
altitudinem tuam*? pro eo est, similes tui effecisti, quatenus fieri potest, ut homo sit similis. Facia- *Gen. 4.*
mus enim (inquit) hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Nam quod ipse est in cœ-
lo, nos sumus in terra, & quemadmodum superne nullus est eo superior, ita nullus in terris est
huic animali uirtute similis. Estote (inquit) similes patris uestri, qui in cœlis est. Quin etiam nos *Matth. 5.*
appellationis suæ participes fecit. Ego dixi, (inquit) Dii estis, & filii excelsi omnes. Et rursus, *Psal. 81.*
Cōstitui te Dominum Pharaonis, & fecit esse opificem corporeorum, & incorporeorū. Et nunc *Exod. 7.*
quidē mutat Moses creaturam: nunc autem alii alia elementa. Nobis autem iussit, nos ipsos Deo
templum extruere. quod si cœlū non fabricas, Dei tamen tēplū ædificas. propterea. n. cœlū est
splendidum, quoniam habet Deum in ipso habitantem; immò uerò per Christum, nos una

ORIGENIS. *Vsque quò Domine obliuisceris me in finem?* Non simpliciter dicit obliuisci, sed, in finem obliuisci. Et in alio psalmo dicitur *Vsque quò auertis faciem tuam*, Hanc faciem semper intuentur Angeli: quando enim Deus aspectum suæ faciei animæ capaci ostendit, tum cessat ipsam auertere. Occultat etiam interdum, quod & in Mosè factum est, non permittens ipsum faciem suam uidere quoniam homo erat. Auertit uero faciē suam, prospectu & cura quadam, quando indigna eius præceptis committimus: Hoc autem facit, ut nos euocet. An forte quia facies patris filius, est petit, quam celerrime ipsum aduenire, & carnem sumere, ideo hoc dictum posuit? Consilia uerò multa primum in anima sua quispiam ponit: mox Dei consilium in omnibus seruat, cuius spiritus in uirga Iesse requieuit.

EVSEBII. Propter finem illum, qui propè Deum est, omnia uates uiriliter ante finem pugnando sustinuit: at finis ille, qui laborum fructus est, uitam æternam, & regnū cœlorum conciliat. quare in finem respiciens canticum suum Deo destinauit. At in principio psalmi, tanquā qui adhuc confligeret, ac decertaret, priora protulit uerba, ostendens tempus fuisse, quo ipse à memoria Dei prolapsus esset. Obliuiscitur autem illorum Deus, qui peccando eius obliuiscuntur: & cum auertat faciem suam abiis, qui turpiter uiuunt, (nam oculi eius, hoc est perspicax illa uis, qua cuncta intuetur, & prospicit, illos cura sua indignos iudicat) ideo Propheta de ipso Dei iudicio uehementer anxius, ictusque angore conscientiæ, & cogitatione scelerum animum stimulante, discrutiatur, inquiens. *Quandiu ponam consilia in anima mea*, Quod Symmachus explicauit: quandiu ponam sollicitudinem in mente mea per diem. Hæc uerò ad correctionem nostram scripta esse inquit, ut si fortè pœnitentia, & confessione admissorum scelerum aliquando opus esset, eodem animi affectu cum eo, qui hæc protulit, atque eodem uerborum compendio, præsentibus inquam confessionis uerbis, tanquam remedio animi salutari sine ullo negotio uteremur.

ATHANASII. Sollicitudine, & angore discrucior de anima mea consulens, ne in peccato moriar, & hoc est, quod maximè dolores animi mei confirmat.

THEODORI ANTIOCH. Consentaneum erat, ut qui hoc tantū curaret, ut Deum propitium haberet, animo timore perculso frequenter uolutaret, & ambigeret dicens. An reconciliatus est mihi Deus? an ab ira cessauit aduersum me? an adhuc est iratus est, & quæcunque huiusmodi sunt: Hoc. n. significat. illud. *Quandiù ponam consilia in anima mea? Vsquequò auertis faciem tuam à me?* hoc est quandiù mihi iratus eris? necesse est hæc me suspicari, & sollicitè mente uersari.

ATHANASII. *Vsquequo exaltabitur inimicus meus?* Nam si colentibus nobis Deum, ac religiosè uiuentibus deprimitur inimicus, manifestum est, quod peccantibus nobis extollitur.

HESYCHII. Exaltatio Satanæ depresio est hominum, quoniā quemadmodum Deus in salute nostra exaltatur, sic diabolus in perditione extolli dicitur. cæterum ô Deus, primum (inquit) respice, postea exaudi, prius enim peccantium rectè facta inspicere, quam uerba consueuit.

THEODORI ANTIOCH. cum Deus illū pp peccatum affligi permisisset, ualidi aduersus eum hostes erant & quicquid libebat omnes magna cum licentia statuebant. Tunc enim qui propè Absalon erant, eum infestabāt, iccirco dixit. *Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?*

DIDYMI. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem*, Non dicit hæc Sanctus uir tanquā Deus obliuioni subiiciatur, licet hæc dicat in modū supplicantis, sed potius quæ hominum sunt, in se ipsum admittit, *usquequo auertis faciem tuam à me?* Intelligit autem de lumine cognitionis. Accendite. n. (ait) in nobis lumē cognitionis. Et illud: Accedite ad eū & illuminamini. Accidit autē lux uera oculis iustitiæ solem intuentibus. Eū uerò, qui intellectuales uires illuminatas habet, sequitur beata uita. Ego enim (inquit Dominus) sum lux mundi: qui ambulat in me nō manet in tenebris, sed habet lumen uitæ, qua accedente longè abest in mortem obdormire: in qua dormitat, qui in ignorantiæ tenebris uersatur, nam qui ex negligentia oculos ad somnum præstat, moriatur cum fuerit ab honesta uita delapsus. Fugiendus ergò quam maximè est somnus iste, ac mors ut illuminatis animæ oculis, hostis dicere non possit, præualui aduersus eum: putans se solim, cum in peccato essemus, præualuisse. Psal. 33. Ioan. 8.

EVSEBII. Sanè dum iustè uiuimus deprimitur aduersarius noster: peccantibus uerò contrariū sequitur, dū is contra nos insurgit, & extollitur: nos uero à peccato deprimimur: Huiusmodi. n. est uis peccati, quod animam prosternit, ac deiicit, primum uerò Deum prospicere hortatur, & sua rectè facta intueri, mox illud subiungit. *Exaudi me*, quasi nolit gratis exaudiri, uel quod planè persuasus esset Deum eos non exaudire, qui bona opera non exhibuerint. Quoniam uero Dei facies lumine plena est: (siquidem nihil aliud est facies Dei, quam benefica eius uis) consequitur; ut qui lumine digni sunt, facie illius non secus, ac radiis à sole immissis perfruantur. Quod si Deus interdum faciem suam nonnulla de causa auerterit, lumen quo-

que tũ aufertur, quo qui deſtituitur, tenebris animæ obducitur, nec internis oculis, hoc eſt mentis ſuæ ſenſibus efficere aliquid poteſt: Perſiſtente aũt adhuc in peccatis, & tenebris amplius inualeſcentibus, Deus itidẽ perget faciẽ ſuã, & illuminationẽ auertere: Et ſi tenebris traditus diutius in illis cõmoratus fuerit, tãquam in habitu malorum conſtitutus, immedicabilia, ac inſanabilia cõmittit, ut nonamplius euigilare, ac expergiſci probabiliter credatur, in morte obdormiſſe dicetur,

CHRYSOSTOMI. *Vſque quo Domine obliuiſceris*, Non paruum eſt bonum Dei obliuionem ſentire: Ne putes autem obliuionis nomine affectionem intelligi ſed derelictionem. Multi ſanè quibus hoc accidit, hoc ipſum quidem norunt, neque deflent: Hic autem beatus non ſolum hoc nouerat, ſed tempus etiam animo reputabat: Nam illud *uſque quò*, eſt eius, qui longum tempus oſtendit: *Vſquequo auertis faciem tuam à me?* Maxima eſt hæc obliuio: Dei nanque actiones ex humanis figuris oſtendit, & eius indignationem, & ultricem uim exprimit. Deus autem rurſus faciem ſuam auertit, cum agi- *Iſa.1.* mus ea, quæ præceptis eius indigna ſunt. Quando enim extendetis (ait) manus ueſtras auertam oculos meos à uobis. Deinde apponitur cauſa: Manus enim ueſtræ ſanguine plenæ ſunt. Poſtquam uero auerſionem poſuit, obliuionem quoque & quæ ſibi ex ea prouenerunt, addit. Quæ nam autem ſunt ea? Nimirum hæc. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea?* Hoc autem non parum confert ad conuertendum Deum ad ſe, curis, & ſollicitudinibus angi, dolore, ac mœrore extabeſcere, auerſionis eius rationem ducere. *Vſque quo exaltabitur inimicus?* Quemadmodum enim cum cohibet, & tuetur nos Deus, & ſtat, omnia à nobis moleſta, & grauia recedunt, ita etiam cum ipſe procul abeſt, ac obliuiſcitur, anima diſcerpitur, & cor dolet, & qui urgent inſultant, & omnia ſcopuli ſunt, & præcipitia: Hæc autem in utilitatem noſtram permittuntur, ut qui pigriores ſunt, ſtudio ma- *Ier.2.* iori eò redeant, unde exciderunt. Erudiet enim (inquit) defectio tua. Dei ergò derelictio, prouidentiæ genus quoddam eſt.

NICEPHORI. *Obliuiſceris in finem*, obliuio Dei eſt derelictio peccatorum, illud uero *in finem*, diuturnitatem, & protenſionem quandam ſignificat. *faciem tuam*, Inſpectricem, & peſpicientem uim dicit, ſicut auerſio deſpicientiam. *Illumina oculos meos*, ideſt mentem meam peccati caligine obtenebratam: Et mœroris nebulas diſcute, quas ex delictorum perturbatione, & ob calamitatum liberationem contraxi, ne præ nimio dolore in ſenſibili morte obdormiam.

Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.
Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero: Ego autem in miſericordia tua ſperaui.
Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

CHRYSOSTOMI. Reſpice (inquit) uide inimicum meum, qui exaltatur ſupra me, & ſi non propter meam miſoriam, ſaltem propter illius arrogantiam, & proteruitatem exaudi me: Et quid petis? Vt uincat inimicos? Non hoc dicit, ſed ut illuminentur oculi cordis, ut tenebræ perſpicaci animæ facultati offuſæ; & intelligentiæ oculum obfuſcantes penitus expellantur. Hoc peto. *Illumina oculos meos*, *Ne quando dicat inimicus meus*, (cum me in peccati mortem detruſum uiderit,) *præualui aduerſus eum*, ipſum ſuperaui, quod erat in uotis, ut uiderem, hoc uidi, hoc euenit: Quid eſt: *præualui aduerſus ipſum?* Et ſi ſuapte ui fortis non eſt, certè contra me fortis eſt: Vires illi uictoria noſtri miniſtrat, & eum reddit potentem; & inexpugnabilem. *Qui tribulat me*: Tres cauſas affert Propheta, ut Dominum moueat, ut reſpiciat, & faciem ſuam conuertat, & eius orationem exaudiat. Vires inimicorum, & ante hoc, elationem, & erectionem eorum, tertium uerò lætitiam, & exultationem ipſorum. *Ego autem in miſericordia tua ſperaui*, Vide humilitatem Prophetæ, Vide pium, & gratum uiri animum. licet innumerabilia poſſet à ſe rectè facta commemorare, & per ea Deum exorare, nihil tamen eorum recenſet, ſed ad ſolam Dei miſericordiam confugit: Deinde confidens forè, ut ſpe ſua non fruſtraretur, ſubiunxit. *Exultabit cor meum in ſalutari tuo*, Vidiſti animam bene ſperantem, petiit, & priuſquam acceperit, tanquam ſi accepiſſet, gratias agit, & Deo hymnum canit, & quæ prædicta ſunt, omnia facit. Sed unde nam tam bona ſpe præditus eſt? nimirum ex pio, & grato animo, ex magno, & uehementi petitionis ardore: ut pote qui bene nouerat, eum, qui ſic peteret à Deo exaudiri. *Exultabit cor meum in ſalutari tuo*. Hoc (inquit) animam meam lætitia cumulat, quod à te ſalutem conſequitur: gaudet enim anima mea, quod ſalus eius ſis. *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi.* Canticum (inquit) Deo offeram huius beneficii monimentum, quod in me beneficus fuerit

quod

quod hostem humilem, & deiectum reddiderit, ignominia, & dedecore impleuerit, imbecillum esse conuicerit, & preces meas admiserit, ut me uultum suum conuerterit omni, per quam ad mortem ferebar, caligine discussa.

THEODORETI. Ne facias me inimicis meis ludibrium esse, hoc enim mihi omnium molestiarum molestissimum erit. *Ego autem in misericordia*, Et hinc patet post peccatum prophetam hunc psalmum dictasse: non enim iustitiæ, sed misericordiæ confidit, & hanc se consequutum fuisse declarat. *Exultabit cor meum*, Nunc quidem in misericordia spero, ubi uerò salutem consequutus fuero, & à mœrore discedam, & cum omni animi iucunditate, & alacritate hymnos concinam, Hoc enim subiunxit. *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*, Quamquã enim tuam ineffabilem naturam ignoro, mihi tamen nomen tuum ad colendum, decantandum, & omne abs te debitum auxilium implorandum satis est. Credo enim me hoc uel sola tui nominis inuocatione consequuturum.

HESYCHII. *Ne quando dicat inimicus meus*, Cuius nam gratia dicet? Quoniam reluctantes in eos, qui perstant, laborant, & feriuntur magis quam feriant, pugnando. Sed si dimouebimur, & loco cedemus, etiam absque armis nos superare sperant: Non est igitur quod cedamus, & titubemus, ne inimicis nostris gaudium afferamus, Nam quemadmodum Athleta si à cauea pedem nioueat, uincitur, sic & fidelis, si ab ea, quam initio fidem accepit, discedat, facilè superatur. *Ego autem in misericordia*, Vbi, & quando? Sanè cum uirtutibus perfectus dignè fiam hæres salutis eius, quæ à te proficiscitur. Vel planè per salutare intellige Christum, in quo omnes uitæ hæredes exultari debent. *Exultabit cor meum*, Hoc quoque futurum est, quemadmodum quod supra dictum est: non quia nunc non canat Propheta, sed quia per fectius cantare progrediens, & sanctius debet. Cui uerò cantabit? benefacienti scilicet, creanti, & recreâti: beatus uero est, qui psallit spiritu, psallit & mente, & iuxta id, quod noscit, operibus instat: nam psalmus huiusmodi cælum secat, nubes transcendit, & altissimo, cuius nomini psallit, nullo impediente astat. 1.Cor.14.

ORIGENIS. *Qui tribulant me exultabunt*. Iustorum oppugnatores hostes magnopere lætantur, si eos peccando commoueri contingat. Veruntamen ut cunque illi, siquis cadat, exultent, ego sanè tua fretus misericordia id non patiar, quod illi uidere in me cupiunt: Nam salutare tuum expecto, in quo qui lætatur, salutem Dei experitur. Cæterum prophetia de Christo id esse potest, quoniam cum ad mundi salutem uenisset, destruxit eos, qui aliorum calamitatibus insultabant, & inimicum una cum illis superbè se efferentem prosternens, oculos illuminauit, ne quis animæ interitum uideret: respiciens, enim aduenit: Vndè propheta beneficio affectus, pro gratiis agendis uictoriæ canticum canit, inquiens. *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi et psallam nomini Domini altissimi*. Cum re ipsa didicerit, & expertus fuerit, quod à Domino rectè precantibus dictum est. Adhuc te loquente, dicam: Ecce adsum. Quare, & hymnum canit. Ita nos quoque decet singulis diebus: beneficia Dei recolendo speculando canere; & opera præstando psallere.

NICEPHORI. *Si motus fuero*, Hoc est si demouear ab ea, quam in te habeo securitate, *Exultabit cor meum* Propheticè hic loquitur. Lætabor ego (inquit) in salute, quæ à te mihi danda est.

L 3 IN

IN FINEM PSALMVS τῷ DAVID

PSALMVS. XIII.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.
Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum.



HEODORETI, Et hic quoque psalmus in finem tendit, quoniam de futuris uaticinatur. Argumentum est hoc. Sennaehetib Assyriorum Rex Iudæam bello aliquando infestauit,& urbes plurimas partim deditione & pacto, partim obsidione & ui occupauit: eum uero Ierosolymorum quoque potiri speraret; misit Rapsacem ad
4 Reg. 18. & 19. Ezechiam, qui tum temporis in Iudæa regnabat, execrationibus, & impiis in Deum sermonibus utentem. Dicit enim (aiebat Ezechiæ) Ne te decipiat Deus tuus, in quo confidis, quoniam liberabit Hierusalem de manu mea, ubi est Deus Emath, & Arphat? Vbi est Deus ciuitatis Sepharuaim? nunquid poterunt liberare de manu mea, quoniam Dominus Hierusalem de manu mea eripiet? Hæc ille: At Ezechias cum & magnum eius exercitum,& uerborum insaniam despexisset, & propria pietate usus esset, diuinum opem implorauit,& eam illico assequutus est: Nam cum Deus æquus uindex, & illius impietatẽ execratus,& huius pietatem amplexus esset, unius Angeli ministerio centum octuaginta quinque millia Assyriorum perdidit, alios uerò in fugam conuertit,& obsessis inopinatã salutem attulit. *Dixit insipiens* exordium psalmi ualde congruit uerbis Sennacherib,& Rapsacis. *Corrupti sunt*, Nam eum se intemperantiæ, ac ferinæ uitæ diuisissent, memoriam Dei de mente expulerant, & insanientis ducis uecordiam subdit de sequuti sunt.

EVSEBII. Quoniam quæ prophetico spiritu dicuntur, in consummatione seculi uentura sunt: merito psalmus, *In finem* prænotatur. Non est autem appellatus psalmus, quia homines uniuersos arguit.

NICEPHORI. *In finem* prædicit de iis, quæ Ezechiæ,& primi Christi aduentus tempore euentura erant, Insipientem autem intelligit Sennacherib,& Iudaicum populum. *Corrupti sunt*, Insipientes, qui Deum non esse dicunt, qui profana,& impia meditantur, & Deo abominabiles facti sunt, & in operibus eorum sceleratis,& fœdis. Aut hyperbaton corrupti sunt in studiis suis,& Deo inuisi,& abominabiles facti sunt.

EVSEBII. *Dixit insipiens.* Ex iis, qui athei dicuntur, nonnulli sunt, qui Deum esse prorsus negant, sed tantum inane nomen,& nullam illi nomini naturam subiectam putant: Nonnulli esse quidem Deum arbitrantur, sed non existentem ipsi ex se formant, existentem autem negligunt. Alii deniq; uerbis esse quidem affirmarunt, nullam tamen eorum, quæ in terris fiunt, prouidentiam, aut rerum humanarum curam habere censueruet. qui omnes in uniuersum, cum Deũ non esse cogitarent, in belluinam & feram opinionem ducti ad negandos Deos conuersi sunt: Sed quoniam id ore profiteri non ausi sunt, (siquidem innata quędam semina & notiones de Deo natura insitæ ad Deum confitendum cogebant) ideo labiis quidem negare non audebant, quin scire se non unum tantum, sed plures esse Deos simulabant, Cœterũ corde, non ore dicebant Deũ non esse, cuius impiæ opinionis argumentũ erant, quæ continenter ab ipsis agebantur (A fructu
Rom. 1. enim arbor dignoscitur) Nã cũ omni scelerũ genere animum,& corpus inquinassent, in omnem corruptelã traditi, ita ut mares maribus commiscerẽtur,& se omnibus impietatibus, & nefandis facinoribus corrupissent: quorum causa facti sunt abominabiles, quomodo non manifestum fiet, licet illi mille Deos esse ore faterentur, eos nullos in corde Deos habuisse: hoc est in eorum cogitatione, ne minimum quidem uerum de Deo sensum habuisse. Huiusmodi erat uita hominum ante Saluatoris nostri aduentum, quæ quam uerissime insipiens, & natura maximè Dei ignara nominata est: Nam si principium sapientiæ est timor Domini: nil timere profectò, & contem
Eccl. 1. nere sapientiæ contraria sunt.

DIDYMI. *Dixit insipiens*, Insipiens is non est cui desunt communes animi notiones,
Pro. 4. aut uis rationis: sed qui una ex uirtutibus prudentia destruitur, de qua scriptum est: Qui pos-
Pro. 19. sidet prudentiam, se ipsum diligit. Et qui prudentiam custodit inuenit bona. Quod autem insipiens naturæ uim, & rationem habuerit, sermo declarat: dum dicit insipientem non in alicuius aures insusurrasse, sed in corde suo dixisse, non esse Deum. Scribat enim interno quodam sensu neminem admisurum esse uerba, quæ Deum esse negarent: cum ferè humanum genus

genus Dei notionem minimè peruersam habeat. Forte primum uersiculnm dictum de diabolo intelligere poteris, ille enim non uni, non alicui, non pluribus, sed in mente sua dixit. In cœlum conscendam, super astra cœli ponam solium meum, ero similis altissimo. Quemadmodum uerò qui Dei cognitionem habet, sermonem eius seruat, & præcepta illius opere perficit. Ita qui cunque peccat, Deum ignorans, huc delabitur: Scribit enim Ioannes, quod omnis, qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum; procul enim à Dei cognitione peccato abest. Cum enim pre sidem reliquarum uirtutum pietatem ab animo eiecerit, uirtutibus quoque eam consequentibus careat necesse est: Et hoc manifestum est ex filiis Eli: nam Dominum ignorantes perditi, ac perniciosi facti peccabant, & impiè se circa sacrificia gerebant, contaminantes se in studiis legislationis, & pietatis. Hæc quoque cum his, quæ in Ieremia dicuntur, connectere poteris, inquit enim: Vsura supra usuram: dolus suprà dolum, omnes adulteri sunt, & cætus præuaricatorum, de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Qui enim Deum nouit, legem Dei seruat. Studendum ergò est, ut semper legis Dei memores simus: Quicunque autem in studiis suis corruptus est, cum obdurato sit corde, omnem pietatem expellit. *Isa.14.* *1. Ioan. 3.* *1.Reg. 3.* *Ier.9.*

CYRILLI. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Nam despicit ea, per quæ Deus ui detur, etiam si uoce nihil proferat, operibus tamen ipsis, ac uitæ obscænitate tantum non clamat: Non est Deus: nam qui ita uiuere consueuerunt, tanquam Deus non inspiciat, nec omnia faciat, hi sanè inconsideranté, turpiter, & impiè agunt, & operibus, ac rebus ipsis Deum negant.

CHRYSOSTOMI. Vt intelligas hoc loco eum insipientem non dici, qui naturalis rationis, & intelligentiæ usu priuatus esset, uide quantum prudentia ualebat. neque enim lingua dixit, non est Deus, neque per os loquutus est, sed in corde celauit improbitatem: nouerit enim se in periculo futurum, si id eructasset; nam si emotæ mentis fuisset, & naturali prudentia caruisset, non corde solum, sed ore etiam protulisset: *non est Deus.* Tunc nec apud Deum, nec apud homines in periculum nocatus esset. *Corrupti sunt.* Quoniam conati sunt eum corrumpere, qui corrumpi non potest: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis hominis corruptibilis, homines mente corrupti corrupti sunt: Sed &, *abhominabiles facti sunt.* quare? Quoniam abhominationem desolationis impietatem in templo cordis sui collocauerunt. *In studijs suis.* quamobrem? quoniam quæ natura negauit, ea mala excogitauit affectio. *Non est qui faciat bonum.* Nam qui Deum negauit, & de eo, qui prouidet, & curam gerit, minimè cogitat, nom mortem, non consummationē, non resurrectionem, non iudicium, nō retributionem expectat, & ideò nihil boni facit. *Rom 1.*

HESYCHII. *Corrupti sunt.* Abhominanda enim & ob ingentem impietatem, eorum studia hoc est operum apparatus erant: *Non est qui faciat bonum,* Siquidem in omnes gentes ne quitia, & impietas ita diffusa est, ut ne causam quidem, propter quam medicus aduenerit, intellexerint: quæ causa, quid aliud (quæso) fuit, quam mundi Salus? & uocatio gentium, & Israelis.

CHRYSOSTOMI. *Non est usque ad unum.* Ne illum quidem unum militem, qui etiã post mortem lancea latus eius pupugit. Et quamobrem ò Propheta ante carnis & humanæ naturę susceptionem mundum taborantem tanquam medicus non uisitauit? Visitauit certè, & opē ferre, ac seruare uoluit, sed nullus quęsiuit sibi medicinam adhiberi.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne cognoscunt omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis.

Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore ubi non erat timor.

Quoiam Dominus in generatione iustorum est, consilium inopis confudistis: Dominus autem spes eius est.

THEODORETI. Eos quidem, & si talia agerent, & dicerent, non neglexit qui in excelsis habitat, & humilia respicit. Verum cum exactè eorum etiam cogitationes expendisset, omnes impietate contra se, ac praua uiuendi ratione detentos uidit. Conuenit sanè hoc cum iis, quæ olim Abrahæ dicta sunt: Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus coram mè, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: Descendam, & uidebo clamorem, qui uenit ad me operè compleuerint, an non est ita, ut sciam. *Nonne cognoscent omnes.* Quoniam (inquit,) *Psal.102.* *Gen.18.*

uos, qui plebem meam deuoratis, hoc cognoscere noluistis ex ipso rerum euentu discetis populum meum minimè expugnabilem fore, neque fiet, quod putatis, ut populum meum tanquam panem, qui comeditur, prouidentia mea despecta deuoretis. Hoc enim dicit. *Deum non inuocauerunt*. Propterea, uos qui audacter loquimini, & neminem timetis, timori, & terrori succumbetis, & in fugam uertemini, cum nemo uos territauerit, & insequutus fuerit: Nam id demonstratur per illud . *Illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor*, Verba uerò ista: *Non cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem*, pronunciatione, & actione iuuanda sunt, Hoc uerò. *Dominus prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligens, aut requirens Deum*, more humano protulit, innuens Deum de cœlo Asfyriis uindictam demisisse: nam liquet nullibi non adesse uniuersitatis Deum, quin & terræ ambitum continere: et in ea habitantes tanquam locustas esse, iuxta Prophetæ uocem.

HESYCHII. Quemadmodum qui ab alto despicit, in loco superiori unde prospicit,
Isa.40. residet, & tamen uirtute, & efficacia prospectus inferius quoque manet: Ita Christus in cœlo diuinitatis dignitate manens gubernationis, & prouidentiæ suæ uirtute in terris esse dicitur.

ORIGENIS. Quæcunque de incorporeo Deo à corporibus desumuntur, decenter, ac pro maiestate intelligenda sunt: Nam cum natura corpore carens circumscribi nequeat, nec locorum ambitu complecti, si quando de incorporea substantia afferendum est, quomodo in loco sit, aut hinc, & inde moueatur, pro ratione maiestatis cogitandum est, uti sunt reliqua omnia, quæ de ipso Deo dicuntur. Vt habere pedes, manus, oculos, & nunc exurgere, nunc sedere dicatur. Si ergò piè possumus existimare, illum in cœlis habitare: Propterea quod diuinis uirtutibus, quæ in cœlo sunt, quæque cognominatione quadam cum locis, in quibus insunt, nominantur: ut cum dicitur: Omnis terra adoret te. Et: Omnis terra cum exaltatione clamat.
Psa.65. Dicitur in cœlis habitare: cum est in uiris sanctis, quippe qui ferant imaginem cœlestis: Prate-
Psa.47.95. rea quoniam mundus illius est creatura, ipse uerò opificii meritò, ac prouidentiæ in omni creatura ex pulcherrimis mundi partibus, quæ cœli sunt, in cœlo esse declaratur, ut illud: Pater noster, qui es in cœlis. Et. Deus in cœlo suprà. Sed & frequenter in diuina institutione cœli nũcupatione intellectualem naturam, in qua Deum præcipuè quærere oportet, significari nouimus, iuxta illud: Cœlum cœli Domino. Ex eo loco sese demittens prospicit, & considerat eos, qui
Psal.113. sunt infimæ conditionis, ut uideat, qui nam ex ipsis prudentes, & Deum quærentes sint, cupientes iis bonis, quæ ab eo proficiscuntur, perfrui. Tum uerò maximè prospicit, cum uitium inter homines cum impietate regnat, ita ut dicatur: Non est enim ueritas, non est misericordia, & nõ
Osee.4. est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Tam malè igitur affectis hominibus, qui non oportuit tam benignum seruatorem prouidere, ut si aliquod cuipiam prudentiæ inditium inesse deprehendisset, illud idem augeret, atque adeo perficeret, sin quærẽtem Deum etiam reperiisset, ut ab ipso inueniretur: Iis.n. qui illi minimè diffidunt, manifestatur.

EVSEBII. Quæ proposita sunt latentem Iudaicæ gentis accusationem continere uidentur. Nam si Deus è cœlo despiciens, atque considerans inuenit omnes, qui sunt super terram, declinasse, ac inutiles factos esse, ut neminem prorsus inter homines, ne unum quidem non declinasse, aut inutilem factum repererit, consequens est, Iudæorum gentem & eum, qui uocatur Israel unà cum omnibus comprehendi, nam præcedentia oracula oẽs euanuisse, & inutiles facto fuisse declararunt, ut non sit reliquus, ne unus quidem qui faciat bonum: Oportebat enim morbi grauitatem, quæ in humanum genus ante Saluatoris aduentum grassabatur, ostendere, ut eius
Rom.3. aduentus necessarius omnibus ostenderetur: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei iu-
Isa.50. stificati gratis per gratiam ipsius. Consonans his Isaias sententiam profert, cum aduersus Iudæorum Synagogam inuectus clamat. Ecce in iniquitatibus uestris uenditi estis: Et in sceleribus uestris dimisi matrem uestram, quia ueni, & non erat homo: uocaui, & non erat, qui audiret: nam illud; quia ueni, simile uidetur esse illi, *Dominus de cœlo prospexit, super filios hominum*. Illud uero: non erat homo, & illud: non erat, qui audiret, simile est illi. *Omnes declinauerunt, Simul inutiles facti sunt.*

ATHANASII. *Vbi non erat timor*. Mosis (inquit) lex pœnam inferebat, timor autem Christi immaculatus est: nam nos tanquam filios patrem timere clare instituit. Post illud tempus (inquit) in quo eius aduentus innotuerit, timebunt timore ubi non est timor: non eo qui ex legis comminatione incutitur, sed ueneratione, & cultu, qui maximè liberos hominem decet.

EVSEBII.

EVSEBII. *Nonnè cognoscent omnes*. At mihi quidem uaticinari uidetur forè gentium conuersionem à fera ad mansuetam uitam, & ab ignoratione Dei ad mores planè pios, quod ét oculis intueri licet, ac uaticinii ueritatem attestari. Hæc igitur per interrogationem proferes: percontatur enim sermo, & inquit. Et si omnes ante Christi aduentum declinauerint, ac inutiles facti fuerint: nam iccireo omnes, qui operantur iniquitatem futuris temporibus non cognoscent? Subaudias Dominum, & à communi rursus, quę sequuntur, accipias: Etenim qui olim Dei populum tanquam pané manducauerunt, nec Dominum unquam inuocauerunt, nonne cognoscent ipsum? De iisdem concinit Isaias, & uaticinando dicit. Quibus non est nar- *Isa. 52.* ratum de eo, uiderunt. Et qui non audierunt, contemplati sunt. *Illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor*. Atqui sunt isti, nisi qui operantur iniquitatem, quique antea Dominum non inuocauerunt. Erit enim aliquando tempus, cum ipsum cognoscent, quo tempore metum, ac timorem Dei bonum assument. Quod uerò Domini timorem sumere bonum sit, inde patet ubi *Prou. 1.* dicitur. Initium sapientiæ est timor Domini. hi ergò, quos indicauimus, illic timore timebāt, hoc est, quemlibet potius, quam Dominum timebant. Illic uero: ubi nam erant? nisi in futura generatione? Ideo subiungit. *Quoniam Deus in generatione iusta est*.

THEODORETI. *Quoniam Dominus in generatione iusta est*. Hæc uniuersorum Dominus facit propter Ezechiæ uirtutē, ac ob eam generationem, quæ sub eo piè pascebatur, quem uos impii tanquam uilem despectum irrisistis. Et spem illius in me firmam ludibrio habuistis: spem istam consilii nomine nuncupauit, Intelligens animi propositum, & scopum quendam: nam ille spem in me tanquam sacram anchoram amplectebatur, qui salutem quoque spe conceptam consequutus est: hoc enim subintulit. *Quis dabit ex Sion salutare, & reliqua*. Duplicem Prophetiam locus is habet, non solum enim præsentem salutem, tunc obsessis prædicit, uerum etiam post multa tempora salutarem Salutaris nostri aduentum, qui illinc ortus est uaticinatur.

EVSEBII. *Consilium inopis confudistis*. Quemadmodum in iudiciis aliis de commerciis, & societatibus, non licêt personas respicere, ita in iis, de quibus consilium initur, neque ad dignitatem, neque ad opes respiciendum est. Sed in eum, qui probæ, & bene sibi consciæ mentis sit. Cæterum considerandum est: num quæ proposita sunt, de Iudęis intelligi queant. Qui confundere Saluatoris consilium quęsiuerunt, cum pauperculum quendam, & diuitiis diuinitatis exutum suspicantes: nam semper & illius doctrinæ aduersati sunt, & uirtutem in edendis miraculis cauillati sunt. quasi non diuina manu, sed aliunde utcunque edita fuerint.

HESYCHII. Inopem Christum appellat. Inops enim cum diues esset, nostri causa factus est. Consilium autem intelligit, quod pro nobis peccatoribus cæpit: Cum mortem carne *2.Cor.8.* gustare uoluit, ut nos à morte, ac morbis animi liberaret, Hoc consilium Hebræi confundere conati sunt, cum Christum mortalem hominem tantum iudicarent.

THEODORI Antioch. Inopem hoc loco Ezechiam uocat, propterea quod paucos sibi obtemperantes habebat. Consilium uerò illud est, cum Iudęos hortaretur, ut hostes despicerent, ac in Domino confiderent. Vos autem (inquit) consilium eius irridetis, Deus tamen *4.Reg.19.* spes illius est.

DIDYMI. Quemadmodum in animam malignam non intrabit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis: ita diuinam cognitionem minimè suscipit, qui adhuc operatur *Sap.1.* iniquitatem. Nullus enim, qui peccat, uidet, aut agnoscit Deum: Iuxta illud, quod in Epistola *1.Ioan.3.* Ioannis scriptū est. Vnde qui Deū cupit agnoscere, in iustitia seminat, & fructū uitę colligit, ut sic lumen sibi cognitionis accendat, & quoniam operarii iniquitatis hostes sunt populi Dei, quod ipsum tanquam panem deuorant, Dei cognitione priuantur. Porrò quispiā alium deuorat, cū statuit ipsum lędere. Iuxta illud. Si inuicem mordetis, & comedetis, uidete ne inuicem consumamini. Et in Isaia ita scriptum est. Syriam ab ortu, & Græciam ab occasu deuorantes Israel *Gal.5.* toto ore. Nam etsi aliquando populum Dei sibi traditum propter peccata deuorare potuerint, *Isa.9.* eius tamen criminis pœnas dabūt. Sanctus enim Israel Domino primitiæ frugum eius, omnes, qui deuorant eum delinquunt, mala ueniēt super eos dicit Dominus. Qui superius Dei po- *Ier.2.* pulum deuorare dicti sunt, hi Dominum prò uiribus non inuocauerunt, ex se omnia perficere posse existimantes, & contra Dei populum se præualere sibi persuadentes: Nam si cognouissent se populum illum propter eius peccata iudicio Dei accepisse, sanè contra illum, qui sibi traditus esset, desæuire timuissent, ne & ipsi in idem iudicium inciderent, propterea illis, qui ab officio discesserunt, dicitur. Quia ipsis ego iratus sum parum, ipsi uerò adiuuarunt in malum ita qui iniustè Dei populum opprimere studuere, in timorem incidere, ubi timere non oportebat: *Zach.1.*

nam

nam nullus eos timor impediisset, si eos, qui sibi Dei iudicio traditi fuerant accipientes benignè, ac humanè tractassent. Quoniam uerò intemperanter, & crudeliter omnia fecerunt, ea, quæ aliis intulerunt mala perpessi sunt. *Quoniam Deus in generatione iustorum est.* Hanc autem generationem iustorum operum concentum appellauit, uel iustorum hominum concordiam, & in idem consensum intellexit. Nam cum Deus iustus sit iudex, in consensu iustarum rerum in-
Matth. 18. uenitur. Si enim ubi duo, uel tres congregati fuerint in nomine eius, Dominus illic adest, quãto magis in uniuersa iustorum generatione inuenietur? Quod uero idem sentientes, & in uitæ communione unius uersantes unam iustorum generationem efficiant, quanquam per tempora
Matth. 10. diuersa fuerint, aliàs cum feret occasio differetur. Timet autem aliquis timore ubi non est ti-
Deut. 10. mor, qui hominem, & eos demum timet, qui corpus occidere possunt, animam non item. Nam
Isa. 51. dictum est: Neminem timueris prȩter Dominum. Huiusmodi perturbatione cõcussam Hierusalem Dominus arguit, dicens. Quis tu, ut timeas ab homine mortali?

NICEPHORI. *Si est intelligens.* Si fortè alicubi est, qui sapiat, & Deum esse fateatur, & eum inuocet. *Aut requirens Deum.* Illud, aut, prò, &, positum est. Per illud uerò, quod dixit. *Dominus de cœlo prospexit.* Omnium inspectricem, & cogitationum etiam indagatricem Dei uim manifestauit. *Declinauerunt*, .i. à rectis de Deo dogmatibus, & operum rectitudine deuiarunt; Et propterea statim inutiles, & abhominabiles Deo facti sunt. *Nonne cognoscent omnes.* Per interrogationem proferendum est. Operibus autem cognoscent, quod Deus est: uel per enunciationem propter Iudæos. Non enim cognouerunt impii Christum esse filium Dei, *Plebem meam.* Personam Domini. *Illic trepidauerunt.* In Hierusalem illius timorem timuerunt: nullius timor erat in ipsis, nisi timor Domini.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cum conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

THEODORETI. Quoniam decem erant tribus, & plures quam Iudeæ ciuitates, quæ in seruitutem redactæ erant, precatur ut omnes propriam salutem percipiant, & libertate fruantur. Tum enim maior (inquit) erit lætitia populo, qui geminam appellationem habet: nam non modo Iacob, sed & Israel nominati sunt, cum nominationis, quæ à Deo eorum maioribus imposita fuit, hæredes fuerint.

EVSEBII. *Quis dabit ex Sion.* Cum omnes declinassent, & simul inutiles facti essent, tempus erat in preces sermonem conuertere, ut in modum orantis diceretur. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Illius autem proprium opus fuerat, ut remitteret peccata, qui salutis ȩternæ author est. Hoc salutare secundum carnem à semine Dauid ortum, ex Sion datum est, ueniet
Isa. 59. enim ex Sion, qui liberet, & auertat impietates à Iacob. Ad hanc significationem quoque illud
Psal. 49. referes. Ex Sion species decoris eius: nam Christus in ea regnum habere dicitur. Iccirco, & scopus noster, & spes supernæ uocationis regnum cœlorum est: Deinde ostendit omnes homines per huiusmodi salutare à malis liberandos: Et considera quomodo redemptis aliis, alios exultari dicat. Nam (dicit,) dum captiuitas plebis Domini conuertitur, *Exultabit Iacob, & lætabitur Israel.* Cum ergò animȩ, quæ quondam fallacia Dȩmonum captiuæ detinebantur, per salutare Dei salutem adeptæ fuerint, & ex cunctis gentibus ad Dominum conuersæ. Viri iusti, & Prophetæ, qui olim in Domino quieuerunt (quando isti uerè Israel, uerè item sint Iacob) exultabunt, & lætabuntur, quod quæ de nobis ab iis allatæ sunt Prophetiȩ, finem suum consequutæ fuerint: ac nobis tum de salute nostra lætabuntur. Ideò cum Simeon de Saluatore di-
Luc. 2. xisset, illum ad reuelationem gentium lucem forè, subiunxit, Et gloriam plebis suæ Israel.

DIDYMI. Primum cuiusmodi captiuitas plebis fuerit, uidendum est, ut inde quȩ sit eius conuersio cognoscatur: Qui ergo torpore quodam, ac desidia, ab honestis actionibus cessat, is captiuus sub peccati lege detinetur, ut diaboli penès quem mortis imperium est, quique eos, qui procul à patria degunt, asperrime tractat ditioni subiiciatur. Tanti uerò est uirtutis participatio, ut eius, qui ea potitus fuerit, Dominus ad pœnitentiam reuocet, & illi prȩteritorum delictorum remissionem polliceatur. Hoc autem est captiuos redimi, & captiuitatem conuerti: Quod per Domini crucem perfectum est: ut omni ex gentibus plebe fideli redempta Iacob illi exultet, qui iuxta reconditam intelligentiam in sola opinione discrimen habet. nam quatenus iustè agit, & honestis uacat actionibus, perturbationes item, & uitia coercet, & prauas facultates, quæ hæc generant, tanquam uictor edomat, Iacob est exultans. Quatenus uerò post prȩclaras actiones cordis puritatem adeptus Deum intuetur, Israel est, quod interpretatum sonat mens Deum uidens: quȩ diuina lȩtitia cumulatur. Nec illud: *Exultet, & lætetur*, aliter sumere

mere oportet, quam ex æquali dictum esse.

HESYCHII. *Quis dabit ex Sion.* Tempus futurum indicat in quo Dei, & Patris salutare Christus lucem mundo est allaturus: meminit autem Israelis, quod illius causa præcipuè uenerit: dixit .n. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Iudeorum.n. (ut ait diuus Paulus) erant promissiones, legislatio, & testamentum, & patres, ex quibus secundum carnem natus est Christus.

Matth. 15. *Rom. 9.*

THEODORI Antioch. Quoniam in monte Sion facere, & oblationes, cultumque omnem eorum exhibere lege iussi sunt, ideo existimabant Deum illic esse: Quare dicit. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* hoc est: quis à monte Sion salutem nobis, & auxilium præbebit? Quasi subticendo dicat: Deus. & pro constanti nihil aliud, in Sion significet, quam solum Deum, qui eripere ab imminentibus periculis possit.

ATHANASII. *Exultabit Iacob.* Sanctos Patriarchas, & Prophetas intelligit, qui gaudium percepturi sunt, cum prędictas ab illis promissiones Christus impleuerit: Hæ autem fuerant, quæ omnium gentium salutem prænunciabant.

NICEPHORI. *Quis dabit ex Sion?* Nullus, pręter Deum. *Cum conuerterit.* Cum Deus in pristinam liberatem captiuum populum suum uendicauerit, lętabitur plebs ista.


ORIGENIS. Veniet ex Sion qui liberet, & auertat impietates à Iacob. Si uerò ex Sion ueniet Saluator. Ipse uerò ex patre, quomodo exiit ueniens? An Sion hoc in loco Patris Symbolum est? Annunciat autem salutem non iis solis, qui erant cum Ezechia, sed post multa tempora inde futurum Saluatoris nostri salutaré aduentum: Nam cum omnes declinassent, & inutiles facti essent, necesse erat, ut adesset, qui peccata dimitteret, & liberaret: Dicitur autem *ex Sion*, quia ex semine Israel: & quoniam ex Sion ueniet, qui uenturus est, ut scriptum est. *Exultabit Iacob, & lætabitur Israel.* Iacob, & Israel est, qui actricem indolentiam, & affectionum carentiam possidet. Exultat autem qui cognitrice speculatione dignus est factus.

Isa. 59.

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

P S A L M V S XIIII.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?
Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.
Qui loquitur ueritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.
Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.



HEODORETI. Quoniam præcedens Psalmus salutem habitantibus Hierusalem, & captiuis libertatem uaticinatus est, meritò hoc Psalmo ad adhortationes se uertit, & uitam præscribit, quam qui in Dei militiam asciti sunt, & tanti auxilii munus percepere, uiuere deceat, ac in colloquii modum interrogando, & respondendo orationem format.

HESYCHII. Præscriptio Psalmi non indigere quodam modo interpretatione uidetur: Quoniam psaltes uitam enunciat cum uirtute coniunctam: Dauid uerò manu fortis apud Hebræos interpretatur: Nam Dauid spiritum uirtute præstantium hominis appellatione uocauit. *In finem*, autem hoc est ad extremorum temporum Christi Deo Patri dilecti aduentum nos remittit. Christi inquam pro dilecto sanctorum choro traditi.

BASILII. Cum Prophetæ propositum sit his uerbis uirum perfectum describere, eum scilicet, qui beatitudinis compos futurus est, cum ordine quodam & uia, eorum, quæ ad ipsum pertinent, usus fuisset, à primis, & pręcipuis initium fecit. *Domine quis habitabit*, cohabitatio temporaria conuersatio est, non permanentem, sed transeuntem uitam ob spem mutationis ad meliora ostendens: Nam sancti uiri est, uitam hanc præterire, & ad aliam uerâ festinare, quare & Dauid de se ait, Accola sum, & peregrinus sicut omnes patres mei. Accola fuit Abraham,

Psal. 38.

Gen.23.25. ham, ne pedis quidem gradum propriæ terræ possidens, sed cum sepeliri deberet, argentum pro
sepultura pendisse apparet. Innuit quippe sermo is, quod qui adhuc in carne est, cohabitator,
& accola sit oportet. Sed eum, qui ab hac ad aliã uitam migrando transit, in propriis sedibus re
quieturum. Propterea cum alienigenis in hac uita contubernium habet: In sepulchro uerò pro
priam sibi terram corpus eius suscepturam comparauit. Beatum uerò est, non tanquam propriis
terrenis rebus addictum esse, neque tanquam à natura sibi traditam patriam, ea, quæ hic sunt, sibi
uendicare. Sed nolle à potioribus lapsum, & damnationem quandam ad hanc uitam traducen
dam grauatam ita cohabitare, non secus ac qui iudicum sententia propter aliqua scelera in exi
lium procul à patria expulsi sunt. Rarus uerò talis est, qui ad hæc, quæ adsunt, non tanquam
ad propria animum adhibeat, qui diuitiarum usum temporarium agnoscat, qui corporis commo
dam ualetudinem momentaneam ducat, qui humanæ gloriæ florem caducum agnoscat. *In ta
bernaculo.* Tabernaculum Dei caro est animæ homini ad habitandum data. Quis uerò carni
huic tanquam alienæ attenderet? Quemadmodum accolæ aliena terra conducta locatoris arbi
trio agrum colunt, sic etiam nobis iuxta rationem carnis cura tradita est, quo ipsam, ut decet,
excultam, & fructuosam locatori reddamus: nam si fuerit caro nostra Deo digna, planè Dei ta
bernaculum fiet, iuxta inhabitationem, quam Deus habet in sanctis, huiusmodi autem inhabita
tio est cohabitantis. Quare dixit, *Domine quis cohabitabit in tabernaculo tuo:* Post hæc profici
scitur ad præstantiora dicens. *Et requiescit in monte sancto tuo?*

THEODORETI. Quis dignus est Domine ad templum tuum conscendere, atque in ci
uitate tua uitam traducere? Qualem hunc esse oportet? quibus ornatum uirtutibus? Taber
naculum enim Dei templum appellat: montem uerò sanctum Hierusalem, sic percontatus re
sponsionem accipit.

EVSEBII. Alius mons Dei est, qui à sanctis animabus, atque in iustitia perfectis solum
incolitur, ipse cœlum est: & regnum cœlorum ab ipso Saluatore nunciatum: ipsa est cœlestis
Heb.12. Hierusalem. Hæc est mons Sion, & ciuitas uiuentis Dei, iuxta sententiam diui Apostoli dicen
tis. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem. Quid
autem sit tabernaculum supra montem constructum ex eo nosces, quando dicitur. Christus
Heb.9. autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non ma
nu factum, i. non huius creationis. Quæ cum etiam ipse Dauid perpenderet, clamat dicens.
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Planè rarus est, & inuentu difficilis, atque unus qui
dem ex millibus, qui huiusmodi ascensu, & habitatione cœlesti sit dignus. Tabernaculum igitur
de quo dictum est Dei ipsius in cœlis domicilium esse potest. Homo uero qui uelut à terrenæ
huius conuersationis captiuitate in cœlestem habitationem migraturus est, non secus ac hospes,
& peregrinus illic erit, ut qui aliunde translatus sit, & ex alia regione mouerit. Quare dictum
est. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Beatus ue
ro qui in illo monte constiterit, & in ipso consederit: nam sermo is admonet, firmum ac perpe
tuum iis, qui digni fuerint, domicilium fore.

ASTERII. Cum ne unum quidem Propheta cerneret, qui benè faceret, quemadmodũ
in Psalmo precedenti ostensum est, mœrens, & animo consternatus ob crassantem, & depopu
lantem errorem Deum interrogat, dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,* ut post
quam mundum tanquam peregrinus incoluerit, ipsum postea cœlum inhabitet? Nam tanquam
1.Cor.7. scena (Paulus inquit) præterit figura mundi huius. Et Isaias. Qui formauit cœlum tanquam
Isa.40. fornicem, & extendit ipsum tanquam tentorium ad inhabitandum. Tabernaculum teste pau
lo, corpus hominis est: Nam & qui sumus (inquit) in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati.
2.Cor.5. Et rursus. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostræ habitationis huius dissoluatur quod
ædificationem ex Deo habemus. Quale est illud est: Flagellum non appropinquabit taberna
Psal.90. culo tuo. Est autem istud Dei, ut ait Paulus, Glorificate Deum in corpore uestro, & in
1.Cor.6. spiritu uestro, quæ quidem sunt Dei, scilicet opera. Quis ergò erit, qui corpore tanquam tu
gurio, in quo nihil est necessariis conseruari possit, uti uelit? Qualis fuit Abraham cum dixit.
Gen.23.26. Aduena ego sũ. Quin & Isaac (ut ait scriptura) in terra Philistiim multis diebus peregrinatus est.
Exod.2. Ipse quoque Iacob ait. Dies peregrinationis uitæ meæ centũ triginta annorũ sunt. Moses quoq;
dixit. Aduena fui in terra aliena: Montẽ uerò cœlũ intelligit. An uerò quærens Angelo simi
Phil.3. lem, qui dicere possit, conuersatio nostra in cœlis est, Dominum percontatur? qui respondet?

BASILII. *Et requiescet in monte sancto tuo.* Iudæus planè terrenus ubi montem au
dierit nominari, statim ad Sion accurret. *Quis requiescet in monte sancto tuo?* Qui in car
Heb.12. ne peregrinatus est. Is in sancto monte requiescet. Mons ille locus est supercœlestis,

ac fulgoribus

ac fulgoribus plenus, de quo Apostolus. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei uiuentis cœlestem Hierusalem, in qua est conuentus Angelorum, & Ecclesia primo genitorum, qui descripti sunt in cœlis. Vbi ergò carnem hanc quispiam præterierit, & cum ea non affectus fuerit, tanquam alienam incolens, non tanquam ex propria pendens, is propterea quod in terris membra sua mortificauerit tacta sanctificatione dignus est, ut in monte sancto requiem consequatur: Quam etiam alibi concupiscens Psalmista dixit. Pertransibo in locum tabernaculi mirabilis. Et alibi: quam dilecta tabernacula tua Domine uirtutum. Illic etiam nos amor proximi pro ratione illius in monte requietis, amicitia item ex Mammona iniquitatis profectò inhabitare facit: *Psal.41.* *Psal.83.* Facite enim (ait) uobis amicos ex Mammona, quo ubi defeceritis, suscipiant uos in æterna tabernacula. *Luc.16.* De conuersatione illa Dominus in orationis forma dixit. Pater sancte, da ut ubi ego sum, etiam ipsi sint. *Ioan.17.* Rarus autem est, qui & cohabitat in corpore, & requiescit in monte: quapropter tanquam hæsitans Propheta dicit. *Domine quis habitabit? & quis requiescet.* *1.Cor.2.* Simile est illud. quis nouit sensum Domini? & hoc. quis annunciauit uobis, quod ignis ardet. *Luc.12.* Et. quis annunciabit uobis locum æternum? Et, quisnam fidelis, & prudens dispensator? Fortè uero & interrogationis particula est illud: *quis*: tanquam responsum à Domino quærentis cum quo loquebatur, cui diuina uox quæstionem soluens respondet.

DIDYMI. Considera, num qui ex lege, quæ in Christum pedagogus est, circa tabernaculum testimonii sedulò insistens, in tabernaculo Domini habitare dicatur. Qui uerò ad Christum peruenit, & Euangelicam doctrinam assequutus est, in monte sancto Dei requiescit. Qui *Isa.2.* sanè mons alius non est, quam Dei filius, de quo Prophetice dictum est: Mons Domini manifestus erit: *Mich.4.* Sed & illud uideto, num rectè mons Dei sanctus, Dei sermo intelligatur, tabernaculum uerò ipsius homo sit, quem subierit. Cæterum oportet in primis Christū secundū carnē. Deinde quatenus unigenitus est Patris agnoscere. In tabernaculo peregrinatur ille, qui dicit: Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed iā nunc non nouimus. Cum uerò gloriam *2.Cor.5.* eius contemplatur, gloriam quasi unigeniti à Patre, non peregrinatur amplius, sed in monte sancto Dei requiescit, atque illi dicitur. Ascende tu qui Euangelizas Sion. *Isa.40.*

CHRYSOSTOMI. Tabernaculum tuum regium in, mundo tanquam in agro agnosco Ecclesiam: Sed quoniam tabernaculum illud magno pretio comparasti, nam preciosum sanguinem tuum profudisti, & tabernaculum accepisti, & aperto latere, quod est theca loculi diuinitatis reconditi, arca sanctificationis, & lancea tanquam claue iniecta: iniecta autem, non ut improbe ageres, sed ut condonares, & dimitteres, ex paternis thesauris pretium præstitisti. Quoniam ergò magno pretio tabernaculum emptum est, & cum pretiosissimum sit, continet etiam paradisum scripturarum, quæ diuinitus aspiratę sunt: Recentes uerò incolæ, atque habitatores, qui in arcanis tuis fuerant, qui nuper tuo lumine illustrati sunt, doce eos per me Domine, qualis esse debeat, qui tecum cohabitabit, ut cum sententiam, & institutum tuum agnouerint, tibi grati, & accepti euadant. Quemadmodum autem Mosis tabernaculum huc, & illuc transferebatur, & pluribus in locis figebatur, Templum uerò Solomonis in monte fundatum, uno loco manebat immobile: Et donec fuit templum Dei, nullo modo destrui poterat. Ita quoque in terris Ecclesia *Heb.12.* Christi, tanquam peregrè uersans pios facit inquilinos: Sed superna Ecclesia primogenitorum in cœlis non habet illic inquilinos, sed pios habitatores. Quoniam ergo quę hic est Ecclesia, est tanquam tabernaculi habitatio, quæ autem supra est ciuitas tuta, & munita, oportet nos prius inquilinos in hac esse, & inde in illa permanere: Propterea Dauid quærens quisnam sit dignus habitator Ecclesiæ illius cœlestis, interrogat, dicens. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Sed quæres fortasse quomodo in hac Ecclesia inquilini sumus? Audi: Quemadmodum inquilinus prædium aliquod ingressus, rursus in aliud transit, si iubeat herus: Ita nos per baptismum Ecclesiam ingressi, permortem rursus transimus. Et inuenta Ecclesia, Ecclesiam dimittimus, & cum in hac fuerimus inquilini, ex hac adsumimur, & infra inquilini cum fuerimus, superni ciues efficimur: Et qui hic tanquam inquilini molestias, & persequutiones patiebamur, illic ut amici, & hæredes requiescimus.

NICEPHORI. Quis temporariam habitationem ducet, quę est in corpore, quod tuum est, à te scilicet conditum, firmam uerò requiem habebit cœlum? Hoc per interrogationem dictum est: Deus uerò inducta respondet.

ORIGENIS. Mons sanctus est cognitio Christi, quæ est rerum factarum speculatio. Montem sanctum uocat Hierusalem: Ita interrogatus responsum accipit.

THEODORETI. *Qui ingreditur sine macula.* Oportet (inquit) huiusmodi hominē nō mo

do nequitię exortem esse, & omni reprehensione carere: Sed etiam omni uirtutum genere planè prǽditum esse. Iustitiam enim hoc loco absolutam uirtutem intelligit, cuius subinde species enumerat.

EVSEBII. Non enim actio una uirum bonum facit, sed per omnem uitam decet honestis, cum uirture coniunctis operibus incumbere, ut inculpati, ac irreprehensibiles per uiam illam pergamus, quam ostendit nobis ille, qui dixit. Ego sum uia. Hęc esse potest cognitio
Ioan.1. salutaris. Opus autem prǽter inculpabilem illam atque innocuam uiuendi rationem, iustas quoque actiones accedere, id est iustitiǽ, quǽ operibus, & factis continetur, accuratè, diligenter insistere. *Qui loquitur ueritatem*. Non oportet his rebus imperfectis quemquam extolli licèt, quę dicta sunt planè absoluerit: ne tanquam naufragium perpessus propriis bonis spolietur. . .

BASILII. *Qui ingreditur sine macula*. Si macula, & labe caret, si irreprehensibilis est, qui non deficit in bono aliquo, & citra peccatum, ac uitium omnem uitam suam transigit, quo nam discrimine, ab eo discernetur, qui iustitiam operatur? An eundem sensum duplici modo enunciat, dicens. *Qui ambulat sine macula, & operatur iustitiam*. An propriam quandam sententiam utrumque dictum afferre potest, ut sine macula, & irreprehensibilis sit, qui secundum interiorem hominem omni uirtutis perfectione absolutus est? Qui uero iustitiam operatur, sit, qui corporeis motionibus agendi prǽstat: Siquidem non modo iustè agere opus est, sed etiam ex iusto habitu, affectuque operari, iuxta illud dictum. Iustè quod iustum est, persequere: id est cum iustitiǽ ratione actionem perfice. Solet.n.uulgaris homo, & imperitus agere aliquid ad salutem ęgroti, quod medicum sapiat, non tamen id facit scientia, & habitu medicinǽ. Quoniã nihil artis habet quod actionem ipsam comitetur. Qui igitur ingreditur sine macula secundum mentem perfectus est. Qui uero iustitiam operatur (iuxta Apostoli uerba) est, qui non erubescit esse Domini operarius. Animaduerte autem ad orationis euidentiam. Non enim dixit. Qui ingressus est sine macula: Sed *qui ingreditur*, nec, qui operatus est iustitiam. Sed *qui operatur*, nam neque unica actione fit bonus aliquis, sed per omne uitǽ tempus prǽclarǽ uirtutis actiones producendǽ sunt.

CHRYSOSTOMI. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*. Et quis hic est,
Psal.17. qui immaculatam Dei uiam ingreditur. Deus meus immaculata uia eius? qui non habet ma-
culam peccati. Et quod peccatum sit macula, dicit scriptura de mendacio. Mala est macula in
homine mendacium. Fornicatio item macula est. Item de ebrio dictum est. Existimatio-
3.Reg.22. nem tuam macula aspersisti. *Qui ingreditur sine macula*. Quemadmodum qui labem habet, aut
Eccl.4. maculam in facie, ad regem, aut principem non accedit, ita fit, & mens lax non potest ad Deum
Gen.49. accedere. quamobrem? quoniam mundus est oculus eius, ut non uideat mala. Et: non per-
Matth.15. manebunt iniqui ante occulos tuos. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*. Declina
Psal 5.33. Isa.28. enim à malo, & fac bonum. Quis autem is est? qui est mundo corde, *qui dolum non fecit in lin-*
Osee 4. *gua sua*. Sicut Nathanael. Ecce uerus Israelita, in quo dolus non est. *Qui non fecit proximo*
Abac.1. *suo malum*. Sicut Acab. Naboth. *Qui proximum probris non affecit*. Vt Pharisǽus publicanũ.
Ioan 1. 3.Reg.11. nec probris affectus est, nec malè audiit propter proximos, quemadmodum Heli propter filios.
Matth.18. *Qui de medio tollit improbos. & ad nihilum redigit*. Vt Elias sacerdotes Baal. *Qui eos qui ti-*
1.Reg.1. *ment Deum glorificat*. Vt Abdias Propheta. *Qui iurauit proximo suo, & fefellit*. Vt Abraham
3.Reg.18. Abimelech. Et Dauid Ionathani. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Vt Zacheus, & Cor
Gen.21. 1.Reg 20. nelius; nec propter res turpes pecunias accepit. Vt nec Petrus Simonis. Qui in persequutio-
Luc.19. nibus, nec dimotus, nec labefactatus est. ut Paulus. Si hunc uideris ò Dauid, inuenisti quem
Act.10 8. quæris.

1.Cor.11. BASILII. *Qui loquitur ueritatem in corde suo*. Rursus, & hoc quoque loco eandem communionem habet, *loqui ueritatem in corde suo, & non agere dolum in lingua sua*, quam habebat illud, *sine macula*, cum eo, *qui operatur iustitiam*. Nam quemadmodum illic, & intus perfectum, & in opere tectum, & officium prǽstantem proponit; ita hoc loco: quandoquidem quod ore proferimus, ex abundantia cordis procedit, sermone ex interno habitu tanquam fonte effluente, prius ueritatem in corde dixit, mox doli posuit exclusionem, quod fit per linguam. Cæterum duo ueritatis significata reperimus, primum enim esse dicimus rerum ad beatam uitam conducentium comprehensionem, alterum uero de quacunque re pertinente ad uitam sanam peritiam, & cognitionem. Oportet igitur illam ueritatem salutis operatricem in corde perfecti uiri existentem absque dolo in omnibus proximo exhibere: At in rebus uitæ huius etiam si alicubi à ueritate bonus delabatur, nullum ipsi erit ad proposita impedimentum. Quot enim sunt maris, ac terrę stadia, quoque ex syderibus moueantur, & quantum

& quantum ſtella altera ab altera uelocitate preſtet,ſi non nouerimus in iis ueritatem nihil impediet ad promiſſam beatitudinem aſſequendam. Fortaſsis autem & huiuſmodi quippiam ſermo nobis proponit, nimirum quod ea,quę de ueritate ſunt, hoc eſt myſtica,non omnibus loqui conuenit, ſed proximo,prò eo, quod eſt, non in uulgus efferre, ſed ad myſteriorum ſodales. Si uero ueritas Dominus noſter eſt, hanc ueritatem impreſſam, & uelut obſignatam in corde ſuo quilibet noſtrum habeat, de qua loquentes in cordibus ſermonem Euangelii ne falſum faciamus, dum proximis noſtris prædicationem denunciamus. *Qui non egit dolum.* In pluribus ſcripturæ locis dolus tanquam aduerſarius Deo damnatur. Diſperdat (inquit) Dominus omnia labia doloſa. Et dolus in corde fabricantium mala. Omne autem bonum deterioris permixtione dolo ſum, ac falſum fieri dicitur. Sic uinum doloſum fit, & adulteratur deterioris permixtione, aut ſi aqua infundatur. Et aurum dolo adulteratur addito ære uel argento. Sic & ueritas adulteratur, ſi ſanctis colloquiis maledici, & ſcurriles annectantur. *Nec fecit proximo ſuo malum.* Quē ſermo hic proximum intelligat, nemo ſanè ambigit, qui Euangelium audiuit, ad eum,qui interrogauit: Et quis eſt meus proximus? Cui Dominus dixit parabolam eius, qui deſcendit à Hieruſalem in Hierichuntem, quem etiam interrogauit. Quis horum uidetur tibi fuiſſe proximus? At ille reſpondit, qui miſericordiam fecit cum ipſo: Docuit enim per hoc omnem hominem proximi loco habendum. Difficile uerò factu eſt, & multa diligentia opus habet,neque in parua, neque in magna re proximum lędere, non uerbo offendere, non re ſua quemquam priuare, non uelle ipſi malum, non inuidere proſperos eius ſucceſſus. *Et opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.* Ambiguus ſermo eſt utrum ipſe digna opprobrio non fecit, & propterea opprobrium à proximis non acceperit: an ipſe nullum ex proximis opprobrio affecerit. Qui decepti fuerint humanis erroribus aut in corporis mutilationibus, aut aliis quibuſdam carnis defectibus deprehenſi: neque enim peccanti opprobrium faciendum eſt, iuxta id quod ſcriptum eſt: Ne improperes homini conuertenti ſe à peccato. Nunquam enim nouimus exprobrationem in delinquentium utilitatem aſſumptam fuiſſe. Cum Apoſtolus admonitionibus ad diſcipulum ſuum Timotheum reprehenſionem quidem, ac exhortationem, & increpationem præcipiat, nuſquam uerò exprobrationem, utpotè quæ bono contraria ſit, accipiat. Et uidetur quidem reprehenſio finem habere peccantis correctionem, opprobrium uerò in peccantis confuſionem cedere. Cæterum paupertatem, aut ignobilitatem, aut ignorantiam, aut corporis infirmitatem exprobrare, omnino temerarium eſt. Nam quæ non ex propoſito eueniunt nobis, inuoluntaria ſunt: In inuoluntariis uero defectibus, miſereri magis eorum,qui uoti impotes fiũt, quàm contumelia ipſos afficere conuenit.

Psal. 51.
Psal. 12.
Luc. 10.
Eccl. 8.
Tim. 4.

Theodoreti. Oportet autem non linguam tantum mendacio carere, uerum etiam mentem à dolo, ac fraude penitus abeſſe: ut nihil inde damni ad proximos pertingat. Congruè uerò admodum cordis primum, deinde linguæ, demum operum meminit: namque actionem ſermo, ſermonem cogitatio præcedit. *Et opprobrium non accepit.* Si qui ſunt, qui in calamitates incidant eos irridere, ac illis inſultare non decet, uerum potius condolere ex Apoſtoli præſcripto, quo flere cum flentibus monemur.

Rom. 12.

Hesychii. *In corde ſuo.* Corde prius deinde lingua nos iubet eſſe ueraces: Siquidem ex abundantia cordis os loquitur: *Nec fecit proximo ſuo malum.* Non hic cędem tantum, ſed quodlibet aliud crimen uetuit, cogitabimus autem proximos peccatores, ut nos imbecillos eſſe, ne cum ipſi peccatores ſimus, aliis peccatum obiiciamus, quin mutuò magis nos adhortemur,ac inſtruamus.

Origenis. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Quemadmodum aliquis operatur iuſtitiam, ſic & temperantiam, & fortitudinem, & charitatem, & reliquas uirtutes. Qui (inquit) & ſecundum interiorem, & ſecundum exteriorem hominem ab omni malitia, & culpa alienus eſt, & omnem uirtutem aſſequutus, is eſt qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: *Qui loquitur ueritatem.* Qui linguam, & mentem ab omni falſitate, & duplicitate remotã habet, ita ut nullum ad proximos ab eo damnum pertingat. *Qui opprobrium non accepit.* Qui inculpatę aduerſus proximos ſuos uitæ opprobria non accipiet. Qui in proximi calamitate non exaſperat, non exultatque in alieno lapſu, ſed condolet, & compatitur.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus,timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.

THEODORETI. Siquis peruersos uitæ mores eligat, etiam si secundo uento feratur, id
tamen miserrimum existimet: Siquidem cum opprobria hominem multum deiiciant, meritò il
lud addidit, ut bonorum, ac malorum hominum discrimen ostenderet. Cæterum pium est di-
uinorum cultores maximè uenerari, & omni honore, ac reuerentia prosequi. Iusiurandum au-
tem ueritas ipsa confirmet, & copias non inquinet auaritia: Qui iudicat incorruptus sit muneri-
bus, & sententiam donis minimè labefaciat: nam munerum acceptio iustitiam infirmat. *Qui fa-
cit hæc non commouebitur in æternum.* Nam uirtutis præmium est diuini auxilii fructus percipe-
re continenter, & immortalem, ac perpetuam uitam expectare. Hæc autem non minus nobis,
quam ueteribus congruunt: nam præter ueterem, nouam quoque legis lationem accepimus, &
maiorem gratiam adepti sumus.

BASILII. *Ad nihilum deductus est.* Generosæ mentis, & quę nihil ad res humanas
propendeat, ac uiri qui ad summum iustitiæ peruenit, opus est, prò dignitate unicuique distri-
buere, & malignos ad nihilum redigere, etiam si magnis potestatibus præditi sint, et si diuitia-
rum copia efferantur, & generis claritate superbiant, etiamsi splendorem suum iactent, ma-
lignitas uero sola inhærere illis deprehendatur, hos inquam ad nihilum deducere; hoc est nullius
rei dignos putare magnę mentis est. Contra uerò timentes Dominum, etiam si egeni, ignobi
les, si sermone idiotæ, si imbecilli corpore sint, uenerari, extollere, ac beatos prædicare ex doctri
na spiritus illius, qui huiusmodi prædicandos dixit. Beati.n.(inquit) omnes qui timent Dominũ.
Psal.127. Verum eiusdem mentis est, & malignum nihili pendere, etiam si ob claritatem se efferat, & timen
tem Dominum pluris facere, licèt uilis sit, & pauper in uita, & despectus, & si nihil habeat extrin
secus, quod ad se suscipiendum alliciat. *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* Cur tandem inter
strenuas actiones perfecto uiro conuenientes, iuramentum hoc loco permittitur? In Euange-
lio autem omnino prohibetur? Hic.n.dicitur. quis cohabitat, &, quis requiescet, qui iurat pro-
Matth.5. ximo suo, & non decipit, ibi uerò: Ego autem dico uobis: ne omnino iuretis. quid igitur di-
cemus? quod Dominus ubique eundem scopum obseruat anteuertens peccatorum effectus, &
nascentem malignitatem initio præscindit; Nam quemadmodum uetus lex dicit: Non mœ-
chaberis; Dominus uero, non concupisces; & illa; Non occides: hic uero leges perfectiores
sanciens, Ne irascaris: Ita sanè hoc loco, illa quidem contenta est iuramento recto, hic uerò
periurii occasionem amputat. Qui.n.rectè iurat, fortasse falli potest, qui uerò non iurat, periurii
Psa.118. periculum fugit, Iuramentum uerò in pluribus scripturæ locis immutabilem de rebus singulis af
Psal.119. firmationem notat, ut hic. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ: Et: Iurauit Dominus,
& non penitebit eum. Non quod Deum inducat in testimonium dictorum ambiguitatem suam
adstruentem, sed quod immotis decretis, promissionis grtiam ipsi Dauid confirmauit. Sic etiã
hoc in loco fieri potest, ut hoc dictum sit, ut qui affirmat proximo suo, ipsum non decipiat. ut cũ
eo congruat, quod à Domino dictum est. Sit sermo uester est, est, non, non. De huiusmodi re
bus si affirmaueris, non decipias, sed annuas. At de iis, quæ non sunt, etiam omnibus hominibus
Gen.42. compellentibus, animum non inducas, ut quicquam præter naturæ ueritatem affirmes: Non fa-
cta est res, negatio sequatur. facta est, assensus confirmet. Nudam ueritatem citra alterius rei
permixtionem proferas, apertis utens assertionibus. qui non credit, detrimentum incredulitatis
habeat. Turpe.n.est ac fatuum se ipsum tanquam indignum fide accusare, & iuramentorum tu-
telam inferre. Sunt porrò nonnulli sermones, qui iuramentorum formas habent, non sunt autem
iuramenta, sed obsequium audientium, uelut Ioseph amicitiam cum Aegyptio contracturus, &
in eius clientelam, se traditurus per salutem Pharaonis iurauit. Et Apostolus dilectionem suam,
1.Cor.15. erga Corinthios astruẽs, dixit: Per uestram gloriationem, quam habeo in Christo IESV Domino
nostro. Non.n.neglexit Euangelicam doctrinam is cui creditum fuerat euangeliũ: Sed simplicẽ
sermonm in iuramenti speciem protulit gloriationem coram ipsis, ceu quauis re dignam osten-
dens.

CHRYSOSTOMI. *Qui ingreditur sine macula.* Et Dauid in uia ingrediens sine macula
ministrat mihi. Deinde Dauid pulchrè, Et si, qui ingreditur sine macula, cum Deo habitat. Ero
etiam sine macula cum ipso. Iterum Dauid, si, qui operatur iustitiam, cum Deo habitat, sum om
Psal.118. ni cura uacuus, feci iudiciũ, & iustitiá in terra, iniustitiam uero odio habui, & abhorrui ab ea: *Qui
loquitur ueritatem in corde suo.* Deinceps Dauid. Si, qui loquitur ueritatem Domine tecum habi
Psal.39. tat, non celaui iustitiam in corde meo, ueritatem tuam, & salutare tuum dilexi. non occultaui
ueritatem tuam à congregatione multorum. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Deinde Dauid.
Psal.135. Et si, qui non egit dolum in lingua sua tecum habitat, Domine probasti me, & cognouisti

me

me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, quod non sit dolus in lingua mea. *Non fecit proximo suo malum.* Deinde Dauid. Ego autem in simplicitate mea ambulaui. Psa.7. ambulaui in simplicitate cordis mei. Si reddidi retribuentibus mihi mala, ne habitem tecum, ut amicus, sed cadam ab inimicis meis inanis. *Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Dein Dauid. Et in hoc etiam (inquit) me rectè gessi. Nam occultè detrahentem proximo suo Psal.100. persequebar superbo oculo, & inexplebili corde, cum eo non comedebam, & quæ sequuntur, usque ad illud. Non direxi in conspectu meo, nec exprobraui omnibus proximis, qui non potuerunt interficere Goliath. *Ad nihilum deductus est.* Rursus Dauid. Qui te oderant Domine 1.Reg.18. odio habui, & propter inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam eos, pro inimicis Psal.138. fuerunt mihi: Ad nihilum redegi eos (inquit enim) ad nihilum deuenient tanquam aqua Psal.57. decurrens. *Timentes autem Dominum glorificat.* Iterum Dauid. Appropinquent mihi, qui Psal.149. timent te, ut eos coram glorificem dicens Gloria hæc est omnibus sanctis eius. *Qui iurat proximo* 1.Reg.20 *suo.* Rursus Dauid. Iuraui, & statui seruare iudicia iustitiæ tuæ. Iuraui etiam proximo 2.Reg.21. meo Ionathę, non delere semen eius cum ipso, & id seruaui. Nam post suam, & Saul patris eius mortem, quando Gabaonitæ propter periurium à Saul in eo commissum semen Saul ex Dei sententia uolebant exscindere, tunc Dauid, cum filios Ionathę, qui Saul nepotes erant, occultasset, tradidit reliquum semen Saul Gabaonitis: Et cum Dauid iurasset Ionathæ, iusiurandum minimè uiolauit. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Demum & hoc fecit Dauid, nihil fœnerans. Multa hic de Vsura Chrysostomus. lege ibi.

EVSEBII. *Qui iurat proximo suo.* Hic unà in re tantum (inquit) probabiliter iurare, nec iurantem iusiurandum uiolare oportere dicit. Sed hoc quanam in re licèt, præterquam in germana societate, atque amicitia concilianda. Est enim huiusmodi uiri iusiurandum, irreprehensibilis sermo, in quo firmatur illud est, est, non, non. Matth.5.

DIDYMI. Quod si interdum eorum gratia, ad quos sermo habetur, Deo teste opus est, & hoc non grauatè facit. Quemadmodum Diuus Apostolus iuramenti formulam in Epistolis relinquens, nunc quidem dicit, Testis est mihi Deus, cui seruio in Euangelio filii eius: Rom.1. Nunc uerò: Ego testem Deum inuoco in animam meam: Et rursus: Nouit is, qui est super omnes, quod non mentior. Hęc est.n. irreprehensibilis probatio, cum iusiurandum nihil sit 2.Cor.1. aliud, quam sermo cum Dei testimonio, aut res Dei testimonio confirmata. Quocunque autem modo factum fuerit iuramentum, non facit illud proximo irritum. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Est præterea, quod absque usura spiritaliter fœnereris, iuxta quod significatum discipulis IESV à præceptore suo dictum est. Volentem abs te mutuò accipere non auerseris. quo.n.pacto de sensibili pecunia hoc præceptum aliquis interpretabitur iis qui dixerant. Dimi- Matth.5. simus omnia & sequuti sumus te? Itaque cum fiducia dicentibus, argentum, & aurum non est mihi. quoniam uero mutuum dari duplici modo scriptum intelligi potest, cum sancti hoc facere dicuntur, spiritaliter accipiendum est. Cum quilibet eorum intelligentiæ sermonem erudientem, qui uera est pecunia, fœneratur, ut corporeum aliquod exigat. Nam & si spiritalia seminantes docendo, corporea tamen, quibus alantur, suscipiunt: (dignus est enim operarius mercede sua) non tamen fœnerantur, quoniam non prò dignitate rerum data- 1.Timo.5 rum, quæ est pecunia rationalis, uices recipiunt, sed tantum quę ad uictum necessaria sunt.

EVSEBII. *Nec pecuniam suam dedit ad usuram.* Quoniam usu uenit interdum, ut post ea, quæ recensuimus rectè facta, claudicet quispiam, & largitionibus, ac usuris corrumpatur, hunc quoque morbum sanat. Nam qui propter regnum cœlorum comparandum, & propter dilectionem, ac humanitatem erga proximos id facit, pecuniam quidem erogat, sed non ut sibi ab hominibus rependatur, sibi ipsi tanquam in thesauris reponit, & sibi in futuram à Deo faciendam retributionem asseruat. *Et munera super innocentem non accepit.* Atqui pretium fortasse accipere posset, quod exhibentibus dolorem, aut damnum nullum esset allaturum, subiecta uerò causa in altero damnum est, si aliquando munera accipiat. Prædicta enim omnino inuertit, & tollit. Quare in primis largitiones euitandæ sunt.

ASTERII. Paulus uero pecuniam suam minimè dedit ad usuram, cum Euangelium mercede minimè prædicaret.

HESYCHII. Omnis quidem acceptio munerum mala est, ignis enim eorum domos comburet, qui accipiunt munera, multò uerò magis contra innocentes.i.iustos: largitio enim

in iniustitiam impenditur.

CYRILLI. *Ad nihilum deductus est*. Contemptio. & nihili pensio non à superbo fastu, sed a mente oritur, quæ peccatum odit, & ab eo, quod malum est abhorret.

EVSEBII. *Qui facit hæc non commouebitur in æternum*. Qui cuncta, quæ superius narrata sunt, iam recens initiatus simul perfecerit, & totum quasi corpus uitæ, quæ ex Dei præscripto agitur integrum & illæsum, & omnibus tum sermonibus, tum operibus bonis refertum conseruauerit, non commouebitur in æternum.

DIDYMI. Nam qui in iis uirtutibus, in quibus profecit in uitæ suæ curriculo permanserit, *Non commouebitur in æternum*. Idem est, quod hoc loco dicitur, cum eo. Non manducabo carnem in æternum: Et. Seruus tuus ero in æternum. Immotus manet, & inconcussus, qui sermones IESV audit, & seruat eos: nam uitę suę, quę domus nominatur, in Christum, qui

Matth.7. petra dicitur, fundamenta iecit. Sic & illi fundati erant, de quibus Saluator dixit. Sunt quidam

Matth.16. de hic astantibus, qui non gustabunt mortem. Et ii quoque, de quibus scribit Apostolus.

Eph.3. Fundati, & radicati in charitate. Quod si illud *in æternum*, exquisitius consideretur, latius præter ea, quæ dicta sunt patere seculi productionem inueniet. Quemadmodum ubi dicitur, omnis qui uiuit, & credit in me, uiuet in ęternum.

THEODORI. Et si mouebitur non tamen in æternum commouebitur, dirigitur enim, & propriarum uirtutum firmitate fulcitur.

NICEPHORI. *Qui iurat*. Iurare, & iuramentum ab antiquioribus simpliciter pro confirmatione sumitur. Proximum uero intelliges omnem, qui est eiusdem humanitatis particeps. *Non accepit*, Qui nihil accepit, ut innocentes opprimat. *Non commouebitur*, nunquam gressus suos à Deo auertet.

HESYCHII. *Timentes autem Deum glorificat*. Quemadmodum Abdias centum Prophetas.

ATHANASII. Qui malos nihili, & timentes Deum multi facit, is plures trahit ad pietatem.

ASTERII. *Qui iurat*. Iuramentum fortè concedit: ne per Idola iuremus, & ipsa propterea præferant, & honorent, ut qui olim dicebat iurando, uiuat Iuppiter, Deus Sudæ. Veruntamen considerare oportet quod dictum est, siquidem non iubendo dixit. Iura, ne antiqua lex iurare iubeat, Sed *qui iurat*, dictum est. hoc est qui non mentitur, sed habet illud, est, est, & illud, non, non, & non facit illud est, non, & illud non, est.

TITVLI INSCRIPTIO IPSI DAVID.

PSALMVS XV.

Conserua me Domine, quoniam in te speraui; dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius mirabilia fecit Dominus, omnes uoluntates eius in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt.



HEODORETI. Hic Domini mortem, & resurrectionem, ac credentium in ipsum salutem prænunciat. Nam titulus præter mortem, uictoriam quoque ostendit. Columna enim non solum sepulchris imponitur, sed uincentibus quoque erigitur, cælata literis, nescientibus uictoriam indicantibus. Hoc enim præcipuè significat inscriptio Stilographię.

EVSEBII. Ipsi Dauid inscriptus est Psalmus: uel iuxta reliquos interpretes, ipsius Dauid. Psalmum uerò appellauit consuetudine abusus: nam si quis accuratè consideret, Psalmum minimè dixerit. Cû ne hoc quidē prænotatio indicet. Verû est Stilographia quæ continet admirandam prophetiam, tanquam in columna incisam, & perpetua scriptura dignam.

gnam. Quòd uerò quæ prophetia continentur ab ipso Dauid expressa sint, cuilibet erit manifestum. quærenti uerò mihi ad quem uerba hæc referenda sint, fide dignus mihi magister esse potest Petrus Apostolus, qui in actis Apostolorum mentionem facit eorum, quæ in ipsa dicuntur Nam cum quæ in hoc psalmo afferuntur, ad populum percurreret, & ea de Saluatore dicta fuisse ostendisset, deinceps infert, & inquit. Viri fratres licet audenter uobis loqui de Patriarcha Dauid, quod mortuus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diē: Propheta igitur cum esset, & sciret quod iureiurando iurasset illi Deus futurum, quod de fructu lumbi eius Christus secundum carnem nasceretur, sederetque super sedem eius, præuidens loquutus est de resurrectione Christi, quod neque derelictus sit in inferno, neque caro eius uiderit corruptionem. Hunc IESVM resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Quæ cum ita dicta sint, superuacaneum erit quærere ad quem nam referēda sit prophetia, tam locuplete præsertim teste docente. Cœterum iuxta septuaginta prophetia dicta est Stylographia, eo quod Saluatoris uictoria contra mortem per eius resurrectionem à mortuis comparatam, contineat: nā quemadmodum maxima, & admiranda in stadiis decertantium certamina digna sunt, ut in columnis incidantur, & in bello præclarè se gerentibus ad futuram memoriā trophæa eriguntur ab hostibus erepta: sic ingens Saluatoris tropheum, quod erexit, cum eum, qui mortis imperium habebat destruxisset, iam pridem à prophetarum temporibus eorum scriptis cœlatum est: Ideo Stylographiæ nomine insignitum est. *Act. 2.*

DIDYMI. Peccatorum actiones minimè permanent, temporaria enim est peccati uoluptas, nec crimen peccatoris, ac maligni futurum est: scriptum est enim. quæsitum, & non inuenietur, At non einsmodi est sanctorum uita: nam inuisibilia & æterna contemplando sectantur: Etenim de unoquoq; illorum dicitur. Iustitia eius manet in seculum seculi: Nam uita horū instar columnæ manet uictoriæ illorum indicis. Cœterum quia columnæ uocabulo etiam loca, ubi decreta, & leges ponuntur, quas κύρβεις seu tabulas uocant, significari solent; ideo dicendum est sanctorum Stylographias non in tabulis lapideis scriptas, sed in tabulis cordis carneis: Faciles enim sunt, ut inscribantur, & ad characteres suscipiendos cedentes, ac molles. *Psal. 9.* *Aristoteles in Atheniēsium rep. leges tabulis turbinatis inscriptas in regia porticu collocatas dicit.*

THEODORI ANTIOCH. Non similis est psalmus hic, quantum attinet ad argumentum, nam & hoc psalmo gratias agit propter hostium finitimorum euersionem, omnes enim ferè ultus est suffragante Deo. porrò omnia, quæ in psalmo continentur, sub populi persona loquitur. quoniam enim sibi lucro inimicorum perniciem apponebat, docet eos quomodo deceat eos, & quibus uerbis de hostium euersione gratias agere.

NICEPHORI. Præsens psalmus appositus est Christo mortis uictori, & diaboli destructori, tanquam columna ad perpetuæ gloriæ monimentum: Ipsam uerò Domini personam psallit Dauid. Verba autem psalmi huius humano more prolata sunt, quoniam in ipso Christus prædicatur, qui tanquam homo hostem debellauit.

THEODOTIO. Aut columnam uel trophæum uocat mysterium Christi, qui Diabolum uicit, aut fortè quoniā Moabitæ, & Ammanitæ, & Amalechitæ, ac Ismaelitæ cum Israelitis semper decertarunt, Deus uero illos liberauit ab hostibus, & hostes ultus est, ideo gratiarum actionis psalmus est tanquam in columna inscriptus.

HESYCHII. Sanctorum uirorum rempublicam describit tanquam in columna, & eorum uirtutes narrat.

THEODORETI, EVSEBII. & ASTERII. *Conserua me Domine*, Ex persona Saluatoris dictatus est psalmus, idque secundum humanitatem, quemadmodum multa einsmodi in sacris euangeliis inuenire licet; cuius generis est illud: Pater si fieri potest transeat à me calix iste: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et illud: Vado ad patrem meum, & patrem uestrum. Eodem modo ipsum continenter inuenimus precantem, & genua flectentem. Docet autem Apostolus apertè hæc esse humanæ naturæ, nec ad diuinitatem, quæ omnibus rebus affuit, pertinere: ita enim in epistola ad Hebræos inquit. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore ualido, & lacrymis offerens exauditus est prò sua reuerentia, & quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis eternæ. Consummatus est autem non Deus uerbum, qui ante secula perfectus erat: sed forma serui consummata est, cum impatibilis, incorrupta, & immortalis facta est. Hæc igitur ait Dominum in diebus carnis effecisse cum corpus haberet mortale. Hæc igitur omnia secundum hominem dicta sunt, Deoque minimè conueniunt. Eodem modo in proposito psalmo, ut conseruetur, & à se ipso conseruatur: postulat enim ut homo, postulata uerò concedit ut Deus, Deo Patre scilicet *Matth. 26.* *Ioan 10.* *Hebr. 5.*

cet

Ioan.10. cet annuente,& eooperante. Illud autem *Dixi Domino, Deus meus es tu*, consonat illi. Vado ad patrem meum,& patrem uestrum.

ATHANASII. Communiter tanquam humanitatis personam indutus. Deum, & patrē his uerbis alloquitur: non sanè magis propter se,quam propter nos; tanquam unus è nostris diuina dispensatione factus. Dominum ergo Patrem appellat, quod in forma serui esset: petit autem se conseruari propter Ecclesiam,quæ est eius caro,namque caro eius Ecclesia est, quam postulat conseruari. Iure igitur & ad eius personam custodia, & conseruatio hæc referri potest.

HESYCHII. Considera Ecclesiæ gratitudinem ac probitatem:simul enim eius humanitatem & sponsi diuitias professa est. Dixi (inquit) Domino idest Christo. *Dominus meus es tu*. nō es(ait) purus homo, sed Dominus. Siquidem ancillam,& seruam,in uxorem,& sociam duxisti,& reiectam tibi coniunxisti.

THEODORETI. *Quoniam bonorum meorū non eges* Nā bonis omnibus abundas,humanæq; iustitiæ minimè indiges, & si quis benè agit,iuuatur ipse sanè, at tibi nullum emolumentum prouenit. Hoc uero Symmachus aliter interpretatus est. Bonum mihi non est sine te. Omnis (inquit)bonorum copia gratia tua mihi manat: Vtraque autem expositio pium habet sensum. Si quidem nos bona suscipimus à Deo, & ipse nostris iustis operibus non eget. in nostram utilitatem cedit lex ista bene agendi.

Psal.49. ATHANASII. Bona his uerbis intelligit sacrificia,quæ lege offerri præceptum erat, sed illa fidei uerbum abrogat: Nunquid enim manducabo(ait)carnes taurorum,aut sanguinem hircorum potabo?

THEODORI ANTIOCH. Dominum meum te esse prædico,authoremque bonorum meorum,nec quicquam eorum, qua apud me sunt tibi usui esse dixi. Quoniam uero hæc, ad discrimen inimicorum dicuntur,meritò hoc affert. quoniam tu quidem & bonorum mihi diuitias largiris,& quæ apud me sunt non quæris: propter hoc te meritò Dominum meum dixi. At qui ex gentibus sunt,neque bonum ullum præstare possunt,& honore,qui inde oritur,destituuntur: quoniam illum non ex se habent.

DIDYMI. In te Domine spem meam pono: custodi me quæso: ita enim utcunq; ingens tam uisibilium,quam inuisibilium hostium multitudo mihi insidietur,effugiam. Hæc cum orasset,dixit. *Dixit Domino Deus meus es tu*. Quis peccator hanc uocem uerè proferet? nam cum peccati,quod facit,seruus sit,quomodo seruire Deo poterit? Nemo enim (inquit) potest duobus do-

Matth.6. minis seruire. Cæterum uerba hæc aliter explanentur. Scribit Apostolus neminem nisi in spiritu

1.Cor.12. sancto posse dicere Domine IESV. ubi illud dicere non lingua,sed actionibus,& affectu metimur: nam si nudè,ac simpliciter accipiatur, non erit uerum: nam & multi hæretici,& hypocritæ simpliciter hanc uocem efferre possunt,cum alioquin non habeant spiritum sanctum. Saluatore

Matth.7. Luc.6. dicente. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, ad quos inquam, discedite à me qui operamini iniquitatem,nunquam uos noui. Et rursus: quid autem uocatis me Domine, Domine,& nō facitis,quæ dico? Quemadmodū igitur qui dicit Domine IESV in spiritu sancto,nō nuda pro-

Ioan.13. nunciatione,sed rectè factis,& affectu uerè seruus est,ut cum Apostolo audiat. Vos uocatis me magistrum & Dominum,benedicitis,sum etenim: sic qui ea profert,quæ superius dicta sunt,tū factis,tum uitæ contemplatione, qua inconcussam sibi columnam erexit,clamat: *Dixi Domino, Dominus meus es tu*: Et quoniā Dominus Deus es,quicquid tibi affero de tuis donis affero; non quidē ut egenti,& inopi: noui.n. quod cum bonorū nostrorū non egeas,ea tamē suscipis,ut plura,& maiora nobis impendas. Cœterū non modo de iis,quę corporis opera afferuntur,sed etiam de spiritalibus adhibenda est uox ista. etenim tum uirtutes, tum corpora nostra per perfectam continentiam sacrificamus,atque ea nouimus Deum suscipere, non ut inde aliquid utilitatis percipiat, sed ut petentibus nobis ab ipso cœlestia dona largiatur. Ob hanc causam Deus humanam iustitiam quærit,non ut æqua illis,quæ ipsi attulimus,rependat.

EVSEBII. Est autem quod dicas, quod hæc orauerit,ut nos ad humanitatem dirigeret & ad orandum instrueret,cum ipse alioquin præstare omnia factus homo potuisset. Quod si cor-

1.Cor.12. & Eph.5. pus eius Ecclesia est,iuxta dictum Apostoli: Vos autem estis corpus Christi, Et membra de membro, potest Ecclesiæ suæ dolores sibi ascribendo eius uite proposita uerba proferre.

THEODORETI. *Sanctis qui sunt in terra eius*, Apostolos hoc loco latenter innuit, & eos, qui per illos crediderunt,quibus mirabilia Dei manifestata fuisse dicitur. Quoniam(inquit) omnia præcepta mea seruauerunt: multi uero è populis, magistratibus,& ducibus, contra ipsos

2.Cor.12. insurrexerunt,& impetus multi ingruerunt,sed omnibus iis superiores facti,quamcelerrime cur-

sum suum

sum suum perfecerunt,& metam contigere. Congruit hoc Apostoli dicto. Cum infirmor, tunc fortior sum.

Evsebii,& Theodori. Alii terram eius Ecclesiam uocant, in qua admirabiles Dei uoluntates fiunt. porrò Dei uoluntates singulas esse uirtutes apertè liquet, cum dicatur. Inueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Has Deus ita perceptas miras efficit in sanctis suis; cum qui secundum Deum sapiunt cœteris hominibus in uirtutibus, & officiis præstent: non enim eadem est testium ueritatis, Prophetarumque & Apostolorum fortitudo, cum fortitudine illorum, qui aliàs uiriliter se gesserant. Sed nec castitas obseruantium illam, quam habuerunt Ioseph, & Susanna, castitati aliorum similis fuit, atq; adeo in reliquis uirtutibus Deus sanctorum uirtutes usque adeo admirabiles facit, ut ipsi longè præstare iis dignoscantur, qui hominibus pii, & honesti uidentur. Cum uerò admirabiles ita sint Dei uoluntates in sanctis suis eorum sanctorum inquam infirmitates multiplicantur, cum se plerunque à fortitudine, & magnitudine Dei procul abesse sentiant. Verum licet prædictę infirmitates augeantur, nihil propterea segniores fiunt, nec diutius hærent, quin statim abeant: nam tantisper in ipsis fuerunt, dum percipere eas animo potuerint, tam celeriter properantes, ut mox non amplius superfuerint: nam uiri sancti à Christo, qui eos confirmat, uirtutem, ac robur accipiunt dicentes: In Deo faciemus uirtutem. Act.13.

Athanasii. *Sanctos* eos intelligit, qui spiritu sanctificati sunt: *Terram* uero, Christi Ecclesiam. At illud *mirificauit*, pro ostendit positum est, illud uero *eius*, Patrem notat, ut totum sit. Sanctitatis in fidem notam fecit uoluntatem Patris. quamobrem magni consilii Angelus appellatur. Psal. 95.

Hesychii. *Sanctis*, idest Apostolis, & eorum imitatoribus, ipsis enim *mirificauit*, idest ostendit mirabilia, quæ sunt propria eius placita, scilicet sacrosancta mysteria: quinimmo per miracula, & ligna, quæ ab ipsis edita sunt, Apostolos illustres effecit: Iudæis autem non mirificauit, quoniam admiranda illa admirare non uoluerunt, de quibus meritò subiunxit. *Multiplicatæ sunt, & reliqua.*

Athanasii. Quanquam infirmi antea fuerunt, qui peccatorum uinculis detinebátur, ubi tamen Christi præconia audiuere, quam celerrime crediderunt: hoc enim significat illud *postea accelerauerunt*, nimirum ad obediendum prædicationi.

Hesychii. sępe dum Christo insidias pararent, consedebant, postea uerò ipsum ad crucis patibulum adigentes accelerauerunt.

Nicephori. *Deus meus es tu*, Dominum dixit secundum assumptam carnem. *Bonorum meorum*, per bona intelligit dona, sacrificia, & uota. Docet autem, quod & si Deus hæc recipiat, non tamen ut indigens, sed ut hæc placabilitatis suæ notas quasdam indicemus, atque in prætextum, & occasionem, quod multò meliora est largiturus. *Sanctis* propter Apostolos, & martyres hoc dictum est, in quibus mirabilia operatus est Deus, & causa est, quoniam omnes suas in eis uoluntates expleuerit. *infirmitates*, hoc est, labores, & tribulationes, quæ ex diuina dispensatione sic multiplicatæ sunt, & quæ deinde annuente Deo cito pertransierunt.

Theodori Antioch. Symmachus (inquit). Multiplicata sunt Idola eorum, & retrorsum accelerauerunt. quid ergò id sibi uult? nisi quod floruerunt Idola eorum, & numero aucta sunt, & in honore, ac cultu magno habita, licet quam celerrimè abolita sint. Nam Deo alienigenas puniente, & templa quę ab Israelitis erecta fuerunt deiecta, & symulachra, quæ in ipsis erant, contrita fuisse patet.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Theodoreti. Insurgentes (inquit) aduersus illos tormentis tradam, & illorum memoriam obliterabo, ita ut nomina quoque ipsa prorsus ignorentur.

Evsebii. Arbitror autem per eos ueterem omnium Idololatrarum statum significari, in quo cum impii essent, ac Idololatræ, non in unum tantum errorem inciderunt, (uarius enim & multiplex illis multorum Deorum & Idololatriæ, & infirmitatis error inerat) sed cum ab illis Saluatoris gratia se auertissent, sancti Dei facti sunt: hac de causa dictum est. *Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates eius in eis*, & quoniam additum est, *Multiplicatæ sunt*, Idola, erumnas, aut etiam infirmitates illorum intellige: Hæc enim omnia illis accesserunt, qui paulò post facti sunt sancti, antequam à profano cultu ad ueram Dei religionem conuerterentur sed postea accelerauerunt nihil cunctantes, nulla interposita mora, sed pœnitentiam celeriter præferen-

præferentes, post impetratam à Deo gratiam, qua omnes Saluatoris uoluntates mirabiles in ipsis apparuerũt, unde priorũ delictorum remissionẽ illis impertitus ẽ: Non congregabo (inquit) conuenticula eorum de sanguinibus: nam Iudæi quondam libamina de sanguinibus faciebant, & secundum legem Deo sacrificabant. Gentes Dæmonibus seruiebant, ego uerò noua illis sacrificia præscribens non amplius ex sanguinibus fumam libantina eorum, neque illa ego tanquam sacerdos libabo de manibus eorum capiens, quin noua illis mysteria, noua quoque sacrificia, ac illa incruenta, & fumo carentia, & rationalia tradens, quo nam modo illis uti debeant, ostendã. Sed ne ueterum illorum nominum recordabor per labia mea: nam merito cognominationes ab actis suis acceperunt qui ex gentibus abominabiles, impuri, Idololatræ, multorum, uel nullius Deorum cultores nominati sunt. Horum uerò nominum non amplius recordabor, sed pro iis alia imponam: siquidem efficiam, ut pii, sancti, uocati, electi, & Christiani uocentur.

ATHANASII. Congregans (inquit) cœtus ex gentibus, non per sanguinem congregabo, hoc est non instituam ut ad me per ueterem legis cultum, sed per laudem potius ac per sacrificium incruentum accedant.

CYRILLI. Siquis hæc tanquam de Iudæis allata intelligere uelit, per enunciationem uersiculos illos legere oportet: quasi Deus reiectionis Israelis causas palam reddat, *Non congregabo*, (inquit) *conuenticula eorum*, sed nec per labia mea de illorum nominibus amplius recordabor. Sed quamobrem *de sanguinibus*, hoc est propter sanguinem ait? propterea quod ipsi sanguinibus inhiant, & cędibus tenentur. Quod si quis de gentibus interpretetur, hoc modo etiam gentes intelligi possunt: Quoniam accelerauerunt circa fidem, & illuminantem Deum promptè susceperunt, & ad eius diuinam lucem conuenerunt, *Num congregabo conuenticula eorum?* Cęsim enim ac per quandam interrogationem legendum est, sed planè certè congregabo de sanguinibus: hoc est, quandoquidem omnes interfecti sunt, ac multus eorum sanguis profusus est, congregabo eos, Satana in perditionem abrepto, & illata pernicie Dæmonum gregibus. Sanguis autem interitum significat, & occisionem, quam ipsi tulerunt, Dominum & opificem uniuersorum non cognouerunt, qui etiam cateruatim in infernum demersi sunt. Ita enim de illis, ac de Satana scri-

Psal.48. ptum est. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Satanas enim mors, idest mortis author fuit, depascens eos, & tanquam in imis, & occultis inferni stabulis occludens eos: Quoniam uero plurimæ de iis sanguinis effusiones factæ sunt, & quoniam ad fidem properarũt, nonne iure miseratus illos congregabo conuenticula eorum?

APOLINARII. Mores modosque noui cultus exponit, incruentum sanè sacrificium, & mutationem factam per spiritum sanctum manifestat, secundum quam non amplius sumus qui prius, nec eisdem appellationibus, neque amplius filii hominum dicti, sed filii Dei.

ASTERII. Aut etim sic interpretaberis. Differentes, ac uarios intelligit ordines atq; agnina eorum, qui de pietate, ac uero cultu sanguine, ac professione testati sunt, Apostolos scilicet, & fideles, qui ad fidem eorum præconio uenerunt, quique prò ueritate martyrii coronam adepti sunt: horum (inquit) cętus non congregabo de sanguinibus, inter quos sunt ii, qui pro honestate decertarunt, præstantes & ueritatis testes. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, satis enim erit illis, si nomina eorum in cœlis scripta fuerint. Quoniam uerò labia Christi Apostoli, Euangelistæ, & Prophetæ fuere, non est illis permissum, ut multorum sanctorum nomina scripta, & propalarent, & mentionem facerent eorum, ne qui illorum scripta legissent, molestia affi-

Phil.4. cerentur, quandoquidem nec paucorum nomina cum iucunditate audiamus. Vnde & Paulus cooperatorum eius memoriam faciens unum nominauit, & alios subticuit: Nam cum Euodiæ, & Synthiches duarum sanctarum fœminarum meminisset, etiam rogo (inquit) & te germane cõpar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemente, & cœteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro uitę: Vbi cum unum nominasset, de cœteris siluit, ne qui epistolam legissent, tædio afficerentur.

DIDYMI. Non absolutè se conuenticula eorum congregaturum, & memorem se futurum nominum eorum dixit, sed addidit, *de sanguinibus* &, *per labia mea*, Nunquid propterea dicit hoc, quod cum nonnulli sanguinem congregatorum effundant, dum eos lædunt, ipse iuuãdo, ac uiuificando congregatos, non ex sanguinibus, sed ex immortalitate illos congregat, memor nominum eorum, non superficie tenus, sed magni momenti habitu, atque affectu. Aut sic. Licet multi interfecti fuerint Prophetę & Apostoli & sanguis eorum multus effusus sit, non tamen in multis his sanguinibus cœtus eorum congregabo, sed tantum in sanguine agni immaculati, & incontaminati IESV Christi: hic enim in pretium datus est, ut à uana sibi à maioribus tradita consuetudine liberentur: horum ita in libertatem restitutorum non sola prolatione, ac

uerbis,

uerbit, sed intima quadam ratione, ac propensione recordabitur.

EVSEBII, & THEODORETI. *Dominus pars hæreditatis meæ*, Reuocanda sunt ad memoriam quæ in secundo psalmo dicta sunt: Etenim eò loci more humano dicebat Pater, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. Et in sacris Euangeliis, ipse patri suo de sacris Apostolis dixit. Pater quos dedisti mihi tui sunt, & tu eos mihi dedisti, & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis: sed quemadmodum hoc in loco humano more loquutus est, postulans regnum capere, sic se alibi omnium Dominum ostendit. Oues enim (ait) meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis. Et rursus: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor. Veruntamen in hoc psalmo secundum humanitatem loquitur. *Dominus pars hæreditatis meæ*, Hæreditatem appellans regnum gentium: calicem uerò mortem, quam tulit prò nobis. Sic & in sacris Euangeliis dicebat. Pater si fieri potest transeat à me calix iste. *Tu es, qui restitues*, Non dixit, qui dabis, sed, *qui restitues*: quoniam cum initio conditus fuit homo omnium potestatem accepit, & uitam æternam habebat: post peccatum uerò ex utrisque delapsus est, & ab imperio, & à uita. Ità ut homo Dominus pro humana oret natura, prò pristinæ uitæ, ac imperii recuperatione precans. *Psa.2.* *Ioan.17.* *Ioan.10.* *Matth.26.*

HESYCHII. *Hæreditatis meæ*, hoc est huius mysterii: nam in præsenti seculo præter Deum, non habet Ecclesia hæreditatem: Deus autem illi futuram hæreditatem parat: propterea huic uersiculo sequens iure additus est.

CYRILLI. Calicem appellat traditam illi à Patre hæreditatem, ut potè quæ ipsum lætum reddere, & hilarem posśit, quod uetus illa facere non poterat, cum potius grauis & molesta esset. Et paulopost. Calicem qui Ecclesiam lætam facit, appellat: inquit enim Isaias. Vt gaudebit sponsus super sponsa, sic gaudebit super te Deus tuus. *Isa.16.*

ATHANASII. Tanquam apertè magis diceret, tradidit mihi Pater meus gentes in hæreditatem, & partem, cui & obediens fui usque ad mortem, Calix enim mortem significat, iuxta illud, quod dictum est. Pater si fieri potest, transeat à mè calix iste. *Matth.26.*

DIDYMI. Qui animi affectu mundum supergressus est, non aliam sortem, aut hæreditatẽ habet præter Deum ipsum: quocirca relinquenda sunt omnia ut dicere posśimus, pars mea Deus in seculũ seculi, nam ut hæreditatis, sic pars Dominus est calicis iustum lætificantis. Considerandum uerò est, qua ratione Dominus calix alicuius efficiatur, cum scilicet morum disciplinam, & uitæ officia impertit, & recta institutione interiorem hominem nutrit: nam Dominus fit panis cum cor comedentis confirmat. Calix quoque cum ex ueritatis speculatione cognitionis claritatem per assensum bibentis lætitiam præbet. Hic calix à uera uitæ liquore impletur, dum mens poculum sumit, & lætatur, ut qui illum biberit gratias agens dicat. Dedisti lætitiam in corde meo. *Psal.72.* *Psa.4.*

NICEPHORI. *Non congregabo*, hoc de Iudæis dictum est, qui Christum occiderant, quod eorum multitudinem non congregabit, & non abripiet ab ea cæde, sed maximam eorum partem Romanorum manibus perdendam tradet: *Nec memor ero nominum eorum*, Non amplius eum populum meum uocabo, & hæreditatem meam, & alia huiusmodi. *per labia mea*, Labia Domini sunt uerba eius: *Dominus pars hæreditatis meæ*, pater ipse factus est particeps hæreditatis meæ, uel credentium in me. Quinimmò & calicis, idest mortis meæ particeps factus est. Consors enim horum cum filio pater dicitur ratione clementiæ, ac bonæ uoluntatis suæ. *Qui restitues* Gentes, quæ olim à Patre, & filio conditæ fuerant, & Dei figmentum uocabantur, per Idololatriam ab eo desciuerant: deinde conditori per fidem id approbante patre restitutæ sunt.

ASTERII. Tu es, qui restituis gentes à diabolo expoliatas, siquidem cum Ecclesiam tanquam sponsus è sepulchri thalamo egressus congregauerit, edicens, Apostolis, ite docete omnes gentes: nam qui promisit, promissa quoque præstare potest. Ceterum non inquit, das, sed restituis, ut paradisi, delitias, atque etiam opificis imaginem significaret: nam ab utraque propter inobedientiam expulsi sumus.

ORIGENIS. *Qui restituis hæreditatem*, Hæreditas naturæ ratione utentis est præteritorum, & futurorum seculorum contemplatio, Hæreditas Christi est cognitio Dei, ut ait sacrorum antistes Christus.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi
Benedicam Dominũ, qui tribuit mihi intellectũ, insuper, et usque ad noctẽ increpuerunt me renes mei.

ORIGENIS.

ORIGENIS, Si Funis mensura est, quomodo scriptum est in Ioannis Euangelio: Non enim ad mensuram dat Deus,& illud:effundam de spiritu meo? [Ioan.3.] [Act.2.] An fortè mensura non ad ipsam cognitionem nominatur,sed ad eum, qui suscipit, ne sit ipse maioris capax:etenim ipsa pluuia mensuram excedit, mensuratur tamen in uasis eam recipientibus, Data (inquit)est mihi hæreditas tanquam è terræ mensura,qua contentus sum.

THEODORETI. Propter(inquit)hanc hæreditatem præsentes insidias tuli:nam funes insidias uocat. Sic enim in alio psalmo dicit,Funes peccatorum circumplexi sunt me.& legem tuā non sum oblitus: [Psal.118.] Ait ergò se præclaræ huius hæreditatis,& hominum salutis causa has præsentes insidias sustinuisse.

EVSEBII. Alia enim quondam fuit hæreditas mea, alii funes mei: nam quando diuidebat gentes altissimus factus est pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israel. [Deut.32.] Tum uero pars,& hæreditas, & funiculus prior populus fuit: quo delinquente,& eiecto propter eius impios mores alia pars, alius funiculus,& hæredes alii illorum loco mihi dati sunt in præclaris: ipsa enim secunda hæreditas præclara, & optima & mihi admodum grata est.

THEODORI ANTIOCH. Quoniam funiculis terram diuidi,ac metiri natura contigit,ideo funiculi mentionem fecit: nam quemadmodum gens quælibet propriam terram,quam habitaret,sortita est, sic populo Israelitico terra promissionis tanquam propria terra hæreditate obuenit,hoc enim propositum est dicere se optimam terræ partem sortitum esse: Nam illud, *ceciderunt*, pro eo positum est,sorte mihi obuenere, ex translatione eorum,quæ missa sorte contingunt. quemadmodum in actis ait: & sors cecidit super Matthiam. [Act.1.]

DIDYMI. Aut etiam sic dices, qui Deum habet,suis quoque bonis perfruetur: unde qui Dominum hæreditatis habet,ea quoque habebit, quæ illius sunt:cum dicat. *Tu es,qui restitues hæreditatem meam mihi*. Nunquid eam restituit, cum dicit: Venite, possidete paratum uobis regnum? [Math.25.] Et quilibet eorum dicet:portio mea Deus in terra uiuentium. [Psa.141.] Itaque cum hæreditas hæc spiritalis ad fidei mensuram, & uitæ præclaræ rationem tradatur,meritò subiuuxit. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*,Funis enim est mensuræ,ac termini symbolum terræ scilicet sensibilis à Iesu Naue Hebræis distributæ. Scriptum est enim:Cecidit sors tribui Iudæ, uel Ruben, uel alteri cuipiam ex duodecim ad orientalem, uel aliam quamlibet plagam. [Ios.15.] Modo qui hic loquitur,ostendit bona sibi per diuisionem contigisse; quod eius sors optimam hæreditatem adierit, quam spiritalibus his geometricis funibus designat. Funem huiusmodi habere in manibus Zachariæ Prophetæ Angelus uisus est,ut ueræ Hierusalem longitudinem metiretur. [Zach.2.] [Act.1.] Præclaram autem optimam uocat,iuxta quam significationem præclarus erat Theophilus ad quem Lucas euangelista scribit.

ATHANASII. Per funes uincula charitatis intelligit,quæ habuit erga Ecclesiam,quę præclara idest placens,& grata illi est.

THEODORETI. *Qui tribuit mihi intellectum*, Verùtamē à Domino sapientia instructus, ac optimis imbutus cogitationibus,tentationis tenebras superabo: Noctem enim appellat tentationum obscuritatē. Non est uerò quod absurdum aliquis putet Christum Dominum secundū humanitatē erudiri,cum audiat diuum Lucam dicentem. IESVS autem proficiebat sapientia,& gratia apud Deum,& homines; [Luc.2.] [Luc.22.] Et rursus audiat eundem asserentem Angelum illi apparuisse, qui eum ante mortem tristem,& guttis sanguineis exudantem corroborauit. Si ergò angelica ope indigebat,ut naturā hoc est formam serui ostenderet,multo magis à diuinitate quæ in eo inhabitabat,doceri poterat. Deus enim,& homo cum esset,quatenus homo instruebatur,cū alioquin ut Deus sapientiæ fons esset.

HESYCHII. *Benedicam Domino*,Deo benedicit Ecclesia,ut quæ ab ipso mysteriorum intelligentiam acceperit,ac Iudæorum errorem declinauerit. *& usque ad noctem*,sed quā noctē dicit?postquam una sabbatorum resurgens apparuit:nam usque ad hanc noctem *renes*,hoc est interiores cogitationes increpabat Ecclesia,quæ cum tormentis Dominus,tum iis,quæ crucis tempore à Iudæis dicebantur,acriter cruciabatur. Hinc Propheta mysterium tanquā Epithalamium componens Christum ueluti sponsum induxit sponsam suam Ecclesiam suscipientem: Ipsi n.cō uenire sequentia prophetiæ uerba Petrus ostendit ob ea,quæ tempore pentecostes in apostolicis actis disseruit. [Act.2.]

THEODORI ANTIOCH. *Benedicam*,tibi ergo gratias pro omnibus agam,quod non modo mihi eximiam terram possidendam dedisti, sed quod intelligentiam,& sapientiam largitus es eorum,quæ de agendis,& fugiendis sanxisti.

NICEPHORI. *Funes ceciderunt*, Insidias,ac dolosa consilia obuenerunt,& quasi sorte mihi con-

contigerunt per probatos,& optimos meos idest per eos,qui in me crediturí erant. *& usque ad noctem increpuerunt.* Qui ratione duci præsumitur homo inquit: Concupiſcentia mea nil terreni appetens, ſed diuinis tantum uerbis,ac rectis operationibus intenta erudiuit me, & ad ipſam uſque noctem,ideſt mortem uitam meam direxit.

ORIGENIS. *Qui tribuit mihi intellectum*,Cum in eius mentem Deus intelligentiã immiſiſſet, atq; à renibus ſuis uſque ad noctem fuiſſet eruditus,authori tantorũ bonorũ benedicit: Nã à facie Dei cognitio,& intelligentia ortũ ducit.Sic Saluator illi ſe oſtendit,qui eius mãdata cuſtodit. Sed quidnã illud eſt à propriis renibus increpari?(Non.n.de renibus ſenſui ſubiectis intelligendũ eſt) An intellectuales renes innuit,qui unà cũ corde cenſentur?ubi dicitur, ſcrutãs corda & renes Deus:hi.n.cum pfecti ſint inhærentẽ illis p intelligentiã inſtituunt,& lumen cognitionis præbent,donec ignorantiæ nox illa diſſoluatur,de qua ſcriptũ eſt. Nox receſsit dies aũt appropinquauit:Siquidem hanc noctẽ finientem ſequens dies,qui cõſtat ex increpatione rerũ excipit. quod ſi p noctẽ profundiores cogitationes ſignificentur,qua ſignificatione myſticus ſermo uocatur obſcurus,patet quod ad hanc uſq; noctẽ renes abdita & occulta docent efficaciam prædictorum renum declarantes. Qui ergò exigua quadã ex rebus corporeis meditatur,is tanquam in renibus eſſe dicitur,in quibus ſemina, & ſeminales uires collocatæ ſunt,à quibus uis omnis in partes generationi aptas effunditur,unde ẽt fœtus origo naſcitur. poſſunt & renes tanquã animæ facultates ſumi,à quibus oriuntur ſenſus,qui ſeminibus ratione quadã comparantur, in quibus interioris hominis fœtus ponuntur,ſecundum quos germina quædam in rectis actionibus,& ueris ſpeculationibus emittuntur. qui ea,quæ de corporeis renibus ante dicta ſunt,interpretari uoluerit,cum,qui ſummam temperantiam tenet uſque ad noctem à renibus ſuis,qui caſtis cogitationibus detinentur, increpatum eſſe,& corporea ſemina peſſum abiiſſe dicet. *Benedicam*, Benedicit aliquis Dominum cum menti ſpecies ingeritur. A facie enim ipſius cognitio & intellectus, ita enim Deus ſapientem reddit eum qui cuſtodit mandata ſua. Ioan. 14. Psal. 7.

Prauidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniã à dextris eſt mihi,ne commouear.
Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe
Quoniam non derelinques animam meam in inferno,nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem.
Notas mihi feciſti uias uitæ, adimplebis me lætitia cum uultu tuo,delectationes in dextera tua uſq; in finem.

THEODORETI. Superuacaneum eſt hæc interpretari,cum diuus Petrus à Patre & filio, & ſpiritu ſanctò reuelatione accepta, ea rurſus in actis interpretatus ſit, quæ perperam etiam interpretãtibus proferre neceſſe erit: nam & apud Iudæos eorum quoque ſtupiditatem manifeſtò arguunt. Ait.n. Dominus Chriſtus,ſe tanquã hominẽ à diuina corroboratum natura,& continentet confirmatũ ad ſalutaré paſsionẽ accedere, ac ſpe reſurrectionis lætari:neq;.n.(ait)anima mea in inferno derelinquetur,neq; caro mea ſecundum naturæ leges corruptionem ſuſtinebit: Nam ſimul ac à mortuis ſuſcitatus fuero,ſtatim ad uitam conſcendam, hanc uiã cunctis hominibus oſtendens. *Adimplebis me lætitia*,quoniã cũ paſsioni proximus eſſet:triſtis eſt(inqnit)anima mea uſq; ad mortem,meritò de reſurrectione recordatus iis uerbis uſus eſt,docens pro illa triſtitia perpetuam illi fore lætitiam: quin & nullis perturbationibus obnoxium,immutabilem, immortalem,& humana natura ſublimiorem futurum. Nam quatenus Deus hoc ſemper fuit, atque hoc etiam illi facilè erat naturæ humanæ præbere, cum primum in utero formaretur. Verum per affectiones ire uoluit & naturam ſuſcepit humanam,ut eo modo peccati poteſtate depreſſa diaboli tyrannidem compeſceret,& mortis imperium euerteret, & ſurgendi ad uitam humano generi facultatem exhiberet. Itaque ut homo incorruptibilitatem, & immortalitatem accipit. Hic autem pſalmus & Arrii, & Eunomii & Apolinaris dementiam redarguit. Hi enim Deum uerbum inanimatum corpus,quod aſſumpſit uocauerunt,eum uero rationali anima priuauerunt. Ignoto planè unde has geminas animas didicerint: nullibi enim hoc ſacra ſcriptura docet. Verum pariter ſanctus ſpiritus per beatum Dauid apertè de anima mentionem facit, cum manifeſtam aduerſus utranque hæreſim confutationem exhibuerit. Act. 2. Luc. 22.

ATHANASII. quatenus ipſe chriſtus Deus eſſe cogitatur,ipſe eſt,qui cõfirmat,& cõtinet omnia:quatenus aũt homo factus eſt,cõuenit illi dicere: *Quoniã à dextris eſt mihi Dominus ne cõmouear:*nã ſemper humanis modis exprimitur,nec propterea ob diuinam diſpenſationem decor exinanitione confunditur. Contemplare igitur qua ratione propter Chriſtum eximia,& honorata facta fuit natura noſtra:Siquidem qui prius eiecti propter Adam tranſgreſsionem eramus, iterum ante Dei faciem adducti ſumus: & Deum auxiliatorem, & confirmatorem habuimus.

HESYCHII. Conſidera æqualem filii cum Patre dignitatem:nam interim à dexteris ſtare,

propter resurrectionem paulò post futuram: siquidem neque soluta, neque dilapsa ullam corruptionem perpessa est. Sed illæsa permanens, animæ rursus, quæ non fuit derelicta in inferno, coniuncta est. Cœterum si proposita anima subsistere à carne seiuncta potuit, si ubi sunt rationales hominum animæ fuit, liquidò patet, quod ratione carere non potuit: anima enim rationis expers à carne seiuncta nequit subsistere, neque in inferno ambulat. Atqui anima Christi utrumque experta est, nam & sedes animarum humanarum occupauit, & à corpore seiuncta uiuit, & subsistit, nam ratione ornata est, & eandem quæ animabus hominum est, uim, & naturam habet. Quemadmodum caro eius, quæ ex Maria orta est, eiusdem substantiæ est cum carne hominum, non tamen dilapsa, & corrupta est, cum anima, & caro sine læsione permanserint, ex quibus iterum coagmentatis, & compositis demonstratum est sanctum Dei corruptionem minimè uidisse: quin potius author fuit, ut reliqui mortui resurgerent: nam per ipsum primogenitum, qui ex mortuis resurrexit, corruptibilitas, & mortalitas nostra incorruptionem suscepit, & immortalis efficitur cum sancto Dei, qui non uidit corruptionem. *Notas mihi fecisti*, Cum incarnatum Dei uerbum à mortuis surrexisset, secundum quod homo factus est, cum alioquin non desineret esse Deus laudat ostendentem sibi uias, quæ ducunt ad uitam sempiternam, ut & perfecta lætitia impleatur, is qui sanctos omni spiritali iucunditate cumulat. Cœterum Dei uultus, imago, & caracter substantiæ eius esse potest. Sed quidnam sequitur, eum qui uias uitæ sibi ostensa perambulaueris, nisi ut diuinam in dextera Dei, quæ ueritas est, & sapientia delectationem consequatur: Hæc uero est unigenitus Dei filius. Et quoniam delectatio in Dei dextera insuperabilis est, sanè cum omnium optabilium extremum sit, finis rationem habet: non enim refertur ad aliud, sed illius causa omnia fiunt. Si ergò filius Dei uerbum Dei est, & Christus, & Dominus est, & quando homo factus est, nunc quidem ut Deus, nunc uero ut homo est dictus, & ignominia neglecta crucem tulit, & mortuus est, & resurrexit. Quemadmodum & Petrus eximius Apostolus in actis disserit de Dauid, inquiens. *Act.2.*
Propheta igitur cum esset, sciretque, quod iureiurando iurasset illi Deus futurum ut de fructu lumbi femoris eius Christus resurgeret quantum ad carnem, præuidens de resurrectione ipsius locutus est. Illud uero quod additum est, quantum ad carnem, ostendit, quod & Deus erat, & tanquam homo humana lubens loquebatur, & tolerabat, utcunque simul esset, & Deus.

NICEPHORI. *Lætitia cum uultu tuo*, Filius uultus est, & dextera Patris, lætitiam uerò intelligit delectationem, & exultationem.

ORIGENIS. *Lætatum est cor meum*, cor pro mente posuit, sumit enim scriptura sæpe cor pro mente, ut illud, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. mens enim est quæ credit, quæ & uerba diiudicat secundum Iob. Linguam uero spiritus sancti gratiam dicit. Gloria enim mea (inquit) & exaltans caput meum ad Dominum Dominus autem spiritus est secundum Apostolum. Lætatum est (ait) cor propter spem conceptam resurgendi tertia die. Exultat autem lingua tanquam animata, & lætatur dicens & alios exultare facit. *insuper & caro mea* caro mea prouita & animatio mea sic & dicit Iob. *Quoniã non derelinques animã meam in inferno* potestatem enim habeo (inquit) ponendi animam meam, & rursus accipere ipsam: quare si Christi anima ratione careret, ut ait demens Appollinaris, non descendisset in infernum, nec rediisset, sed simul ac à corpore seiuncta fuisset interitum sensisset: Arguuntur item Anius, & Eunomius, qui inanimatum Christum dixere. *Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem*. Refert hoc Petrus in actis Apostolorum in Christum ipsum, φθορὰν Christus recepit ipso corpore, quemadmodum Vates ait, φθορὰν mortis suscipiens, sed ab interitu & corruptione seruasti corpus tuum, cœterum non sensit labem, & corruptelam. Siquidem læsio quę φθορὰ dicitur, sunt plaga, & uulnera, interitus uero, & labes, quæ διαφθορὰ uocatur est solutio corporis per se, & elementa, quibus constant, abire, καταφθορὰ uero est cum natura à natura læditur, ut lana à tineis caro frumentum lignum à uermibus.

Rom.10. *2.Cor.3.* *Psal.3.* *Ioan.10.* *Act.2.*

ORATIO IPSI DAVID.

PSALMVS. XVI.

Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationi meæ,
Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis.
De uultu tuo iudicium meum prodeat, oculi mei uideant æquitates.
Probasti cor meum, & uisitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.



VSEBII. Precibus Deum supplicatur, ut non uocis, non uerborum illius, sed uirtutis, quę in eo inest, auditor esse uelit, tanquam per acta iustitiæ clamat, ac diuinas sibi aures præberi exoptet.

THEODORETI. Cum persequutiones à Saul pateretur, & omnis generis insidias ferret, uniuersorum Deum in auxilium uocat.

ATHANASII. Canitur psalmus in persona uiri in uia Dei perfecti: & multa fiducia refertus est psalmus hic.

HESYCHII. David (ut prædictum est) dilectum sonat, quare significatur quod psalmus ex persona filii Dei Domini dilecti dicatur. Aut sanè oratio est psalmus simpliciter cuiuscunque cupiti, & oratio fit ad desideratum filiū Dauid: nam & hoc innuit nomen Dauid.

THEODORETI. *Exaudi Domine iustitiam meam,* Rursus iustitiam hoc in loco non intelligit perfectam, & absolutam uirtutem, sed iustam petitionem. Cœteri uerò interpretes non, *iustitia meæ*: Sed iustitiæ, tantum dixerunt. At Symmachus, & Theodotio, Dominum iustitiæ Deum appellauerunt. Aquila ita dixit. Exaudi Domine iustum, prò iustè, & non benignè. Illud uero *non in labiis dolosis,* Symmachus. Non per labia dolosa, reddidit: emundatis enim labiis (ait) supplicationem profero, nec aliud in ore, aliud in mente gerens: linguam menti concordem habeo: Abs te autem peto, ut rebus meis adiudices, noui enim iudicii tui æquitatem.

EVSEBII. Illud *intende deprecationi meæ*, probè, aptéque is diceret, qui in tormentis constitutus dignas Deo supplicationes emitteret, qui non in paruis, fortuitis, & caducis, & fluxis petitionibus Deum interpellet orando. Hoc enim Saluator docuit ferè dicens. petite
Math.6. magna, nam parua adiicientur uobis. Tertiò deinceps orat, ut ipsa orationis uerba auribus percipiat, & uocem ipsam probet, quoniam in labiis dolosis non profertur, sępe enim sancta loquimur, & pollutis labiis diuinarum scripturarum sermonibus abutimur. Ac quidam etiam promiscue aduersus proximos conuitia iactantes, uel calumnias, uel mendacia fingentes, uel fraudes, & periuria, seu obscœnitates, seu turpes alias uoces frequenter ad preces conuersi Deum inuocant: Solus uero sanctus & linguam, & labia sua, & uocem ipsam, atque etiam quotidiana, & communia uerba expurgat, non nescius dictum esse de omni uerbo ocioso reddituri estis ratio
Math. 12. nem in die iudicii: nam precibus, quæ non per labia dolosa, sed per purgatam linguam proferuntur, aures Deus intentas præbet. quapropter primo dictum est, *Exaudi Deus iustitiam meā,* deinde uero, *intende deprecationi meæ: demum: auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis.* Cū ergò tria essent quæ petiit, quod potius erat duobus reliquis antepo suit.

ATHANASII. *Iustitiam meam,* hoc loco non iactabundus dicit, neque se iustum ostentat, sed iustè se auxilium Dei implorare declarat ab iniuriis sibi à Saul temerè illatis, & à persequutionibus liberari sperans, exaudi, (inquit) & petita concedas.

NICEPHORI. *Iustitiam meam,* Quoniam neminem unquam iniuria affecisse deprehensus sum, aut potius, exaudi, absolutè; & legas postea: O Domine iustitiæ meæ: siue: ò qui iustificas me: nam iustitia pro iustificatione etiam sumitur, *Non in labiis dolosis,* per hyperbaton legendum est, ut sit sensus: suscipe orationem meam tibi oblatam non dolosis labiis. Vel est per defectum: Non in labiis dolosis factam, uel allatam: *De uultu tuo iudicium meum prodeat,* circunscriptio est, quasi dicat: à te ipso iustificatio mea, uel de me sententia feratur.

ASTERII. Iudicium tuum Domine iustitiam habet, & misericordiam: nam misericordiā, & iudiciū cātabo tibi domine. quoniā igitur ipse solus, & iustū coronas, & delinquētiū misere-
Psal.100. ris, *de uultu tuo iudiciū meū prodeat,* Vel aliter: Sedebat David tanquā rex, & iudex: sed tanquā propheta, & regi secretiora illi iudicia manifesta reddebātur: ne uero quatenus homo circa iudiciū falleretur, ignorās quid iustū est, uerè *de uultu tuo* (dicit) *iudiciū meū prodeat.* Huiusmodi est illud:

Deus

Deus iudicium tuum regi da. Sensũ.n.ipsius ad diuinam uoluntatem faciendam quærit, ut oculatus,& perspicax in discernendo sit. Vnde mox subiungit. *Et oculi mei uideant æquitates*, ut à te directi cũ omni libertate sine psonarũ acceptione obliqua,& contorta rerũ detegant, & refellant. cumq; multi essent, qui eũ in ius uocarẽt præsentẽ orationẽ faciens iudiciũ hominũ prætermittens plures iudices detrectat. Orat aũt ut ipse Deus sibi hoc ostendat, ideo dicit. *De uultu tuo iudicium meum prodeat*, Sed hæc quoq; tanquã ex psona Saluatoris nostri dicta accipi possunt: qui quoniam iudicandi munus inter homines exercuit, petit a patre ut iudicium suum de uultu illius prodeat. At mihi sanè uidetur his precibus humilitatem suã, & patientiã in iniuriis perferendis, cum alapis,& flagellis cæderetur Patri suo propalare,& lenitatem, quã habebat, dum conspueretur, declarare, de qua lenitate docendo dicit, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde: suas quoq; actiones efferre, uitæ, quam apud homines traduxit, in quibus actionibus eum nihil obliquum, nihil de prauatum, aut dolosum reperiretur, dixit: *oculi mei uideant æquitates*. Psal.71. Matth.11.

EVSEBII. Si Pater omne iudicium Filio dedit, à uultu uero illius omne iudicium egreditur, planè cum Christus sit Patris imago, à Filio iudicium proficiscitur. Ioan 5.

DIDYMI. Non effertur gloriabundus hoc loco Dauid, ut nõnulli suspicãtur, dicẽtes, neminẽ uel mediocriter moribus institutum illud dicturum. *Exaudi me secundum iustitiam meam*, nec illud: *De uultu tuo iudicium meum prodeat*, Verum Dauid nullo fastu elatus, cum omnes Dei uoluntates faceret, cuperetq; in Dei benignitate iudicari, hæc profert. Optat autem internam sibi oculorum rectitudinẽ dari, secundum quam Deus iudicat, iudicium educens de uultu suo: Vel optat rectitudinem Dei, quæ uirtus est, intueri, ut potè quam nondum uiderat. Qui ergò fieri potest, ut uirtutem suam extollat, si hæc de iustitia, tanquam de perfecta uirtutẽ dicta esse existimẽtur, quæ uix tandem adest, cum plurima prius perfecta fuerint.

ASTERII. Oculos Dei Apostolos intelligit: membra.n. sumus corporis ipsius, hoc igitur petit, ut æquitatem uideant.

NICEPHORI. *Oculi mei*, Vtinã ego (inquit) uideam iustas,& æquas de me à te sententias proferendas. *probasti cor meum*, Tu intimas cogitationes meas scrutatus es, & in nocte tentationũ,& in igne tribulationum de me quæstionẽ fecisti,& nullam in corde meo iniquam cogitationem aduersus Saul inuenisti. *igne me examinasti*, propterea me tentationibus examinari permisisti, ne ego iniquas aliorum actiones accusarem,& iniustitias irriderem.

THEODORETI. *Probasti me*, Docet hoc loco, quod cũ sæpe Saul in eius manus incidisset, non permisit eum occidi, sed eius iniquitatem beneficiis rependisse: quare & noctis illius, in qua hoc egerat, recordatur: quã nocte ipsum dormientem seruauit, nec lætale uulnus illi infligi ullum permisit, Figura uerò quadã calamitates noctis nomine uocat: quemadmodum rursus tentationẽ appellat examen in igne factum: inquit.n. *igne me examinasti*, Nã cũ me tãquã aurũ probasses sincerũ me Domine inuenisti, siquidẽ tantũ abfuit ut infestũ hominẽ offenderẽ, ut ẽt linguam à conuitiis continuerim, ut ne mutire quidem, quæ ille perpetrabat mala, ausus fuerim.

DIDYMI. Considera num eorũ statum, qui difficultatibus,& molestiis infestãntur, ꝑꝑ obscuritatem,& nullam hilaritatem, noctem appellet, in qua cum Deus eum uisitasset, probatum inuentum enunciauit. et tentatum per omnes afflictiones innoxium, & innocuum ostendit. Illud quoque, *uisitasti nocte*, sic perpendito. Quoniam occulta cordis non nisi Deo manifesta sunt, cui dicitur, Tu solus nosti corda hominum, ipsa eadem occulta cordis, noctis nomine ostensa sunt, & licet aliis, quoniam deprehendi nequeunt, obscura sint, tibi tamen probanti me, quia me in nocte uisitasti, manifesta sunt. probatur autem uir cum generose ingruentes calamitates perfert: quare ipsi Iob à Deo dictum est. Nunquid irritum facies iudicium meum? putas me aliter tibi loquutum esse, nisi ut iustus appareas. Actu.1. Iob.40.

EVSEBII. Quàm omnem humanam imbecillitatem propositorum uerborum sensus supergreditur. Quis enim gloriabitur se mundum habere cor? Et quis ausit dicere mundus sum à peccatis? Soli ergo Christo prædicta competunt. Nunquid autem descensum ad inferos, & spacium in morte noctem nominauit? Nam licet in nocte fuerit, tentationum scilicet, & in regione mortis obscura,& tenebrosa, tamen cum per uisitationem à Patre factam probatus esset, resurrectione dignus factus est, quã ubi cõsequutus est, purus, purgatusq; tanquã aurũ à fornace susceptus est: Solus.n.à seculo peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius, ut Isaias testatur. Pro.20. Iob.19.

ASTERII. Aut, *probasti cor meum*: quoniam neminem unquam iniuria affecisse deprehensus sum. *Visitasti in nocte*, si quidem dum abs te illuminatus, quod iustum est, quæro, nunquam à somni profunditate uictus sum. Nam iuxta Iob. in luce tua ambulabam in tenebris, lucerna erit capiti meo lex tua: Hæc pariter ex persona Saluatoris dici putabis.

HESYCHII. *Exaudi Domine iustitiam meam.* Et iustitia,& omnis actio bona exauditur à Deo,magis autē eam quæ fit per rationem uocis orationem probans prius suscipit Deus, digne igitur oremus,ne contra nos dictū Iacobi feratur;petitis,& non accipitis quia malè petitis. *Intende deprecationi meæ,* Ad orationē pura lingua prolatā & assuetā diuina eloquia meditari, attendit Deus, *De uultu tuo iudicium,* A Deo quærit iudicium,quoniā iudicat,& benignus est *Oculi mei uideant æquitatem,* quando animæ ratio recta uidet,non dormitoris somnū uoluptatis, & honesta mala non putat,tunc uita nostra omnis ad uirtutē dirigitur,quare internis oculis rectitudinē secundum quam Deus iudicat,sibi precatur, *Visitasti in nocte,* Quoniam ut plurimum nobis in nocte cogitationes ueniūt,propterea iudex probat cor nostrū,utrū bonis an malis notionibus incubat,quod quidem cor intellectualis sol Christus uisitat, & peccati tenebras dissoluit.

Vt non loquatur os meum opera hominum,propter uerba labiorum tuorum custodiui uias duras.
Perfice gressus meos in semitis tuis,ut non commoueantur uestigia mea.
Ego clamaui quoniam exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi,& exaudi uerba mea.
Mirifica misericordias tuas,qui saluos facis sperantes in te.

DIDYMI. Non enim opere tantum,& animi propensione,sed uel solo uerbo malum est opera hominum annunciare.homines aūt intelligit eos,de quibus Apostolus scribit:Cū zelus & contentio sit inter uos, nonne homines estis?Et secundū hominē ambulatis,qui enim purus,& mūdus est,is ne uerbo quidē offendit.Hæc quoq; Saluatori congruere possunt:inquit enim:Nō ueni,ut iudicem mundum,sed ut mundus perme saluus fiat. *Vias duras,* Hoc uero asperum,& difficilè dum tuis decretis parui, rectè perfeci. Aspera enim uirtutis est uia : nam præcipit, percutienti unam alteram esse maxillam porrigendam: Et usque ad mortem prò ueritate decertandū, quæ mors tormentis, ac suppliciis quam grauissimis inferri solet. præcepto aūt uerbi tui,facilia omnia, & leuia redduntur : propterea quod illas uias,ita æquabiles, & planas efficis,ut nihil amplius asperitatis habeant; Nam & Ioannes scribit : & mandata eius grauia non sunt:& IESVS uerba sua audientibus ait, iugum meum suaue est, & onus meum leue : nam continentibus, & assiduis laboribus exercitiis dolores etiam grauissimi lenes uidentur:& amara quæque,ac in sua uia quam facilimè perferuntur.

Ioan. 3. Matth. 5. 1. Ioan. 5. Matth. 11.

EVSEBII. Symmachus dixit:Ego custodiui uias transgresionis:quare aliam sententiam ostendit,scilicet,eum,qui preces emittit,omnes trāsgressorum actiones fugisse,propterea quod eorum uiæ difficiles,& duræ sunt,atque omnia iniquitatis opera erumnosa.

THEODORETI. Hanc uero difficilem adeo,& laboris plenissimam uiam perfeci, ut tuis parerem mandatis. peto igitur ne propositum meum inuertatur:non inuertetur autem si opis tuæ fructus percepero.Appellauit autem gressus impulsionem,& momentū ad aliquid agendū.

NICEPHORI. *Propter uerba labiorum,* pp præcepta tua asperas uirtutum uias ambulaui.

ORIGENIS. Exemplum nobis præbet saluator per hæc uerba,ne plus de nobis sentiamus, quin potius eius suffragii nos semper egentes existimemus,quo minus gressus nostri commoueantur,utque pedes nostros ad eius uestigia aptemus, ac dirigamus. Semitæ uero Domini sunt eius mandatorum obseruationes,uel potius æquabiles ac planæ uirtutum actiones,eò quia continuò ab iis,qui ad earum finem studiosè peruenire contendunt,quasi pedibus terantur.porrò finis earum est beatitudo,& promissionum exhibitio: ad eas igitur nos nutantibus gressibus curremus,si gressus nostros Deus direxerit,cōpos ergò uoti sui factus inquit. Sine iniquitate cucurri,& direxi,& uiam mandatorum tuorum peregi:quoniam dilatasti cor meum.

HESYCHII. Quos nam gressus in Dei semitis perfici,quos item non commoueri Propheta rogat?priores gressus animi impetus intelligimus,quos perfici,hoc est,confirmari,in semitis Dei idest in diuinis mandatis orat:Nam iis confirmatis,& perfectis reliqui gressus nostri,hoc est actiones non amplius nutant:sed ne peccatum quidem eos dimouere potest.

THEODORETI. *Clamaui quoniam,* Non temerè huiusmodi uerbis usus sum sed iampridem benignitatis tuæ periculum feci:nam,cum te sæpe inuocarem,exaudisti.

APOLINARII. Et prius exauditus(inquit)iterū exaudiri postulo. Orantes enim(ait Paulus)cum gratiarum actione:nam præcedentium beneficiorum memoria sequentes gratias parat.

Phil. 4.

THEODORI. ANTIOCH. Tempus mutatur nam *clamaui,* & *exaudisti* pro,clamabo, & exaudies dictum est.Sed quid aliud clamor est,quam ad inuisibilem Deum intenta cogitatio? in terminis enim is clamor misericordias eius miras facit in sperantibus in eum, dum præter expectationem benefacit. Auditus uero Dei est potestas eius, quæ propriæ bonitatis nutu, ad preces nostras implendas se inclinat,ut ibi. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.

Psal. 33.

EVSE-

EVSEBII. Sperantes autem dixit se saluare, non eos, qui sunt ex semine Israel, nec qui ex Mosaicæ legis præscripto uiuunt: Sed tanquam nouam uiuendi uiam nactus saluos facit sperantes in eum. Manent enim (inquit Apostolus) fides, spes, charitas, tria hæc, tanquam uinculo uno connexa, & complicata. Quare fidem spei coniungit inquiens. Est autem fides sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium. Et charitate autem in Deum ista proficiscuntur. & per ea rursus charitas in Deum confirmatur. 1.Cor.13. Heb.11.

THEODORI. Admitte ergò preces meas, & quamplurimas te collaudantium linguas excita: nam qui me ab hominibus male tractatum uiderint, & postea misericordiam tuam expertum, & clementia tua complexum, miris prouidentiam tuam laudibus prosequentur. Nam sperantibus in te præstò esse consueuisti.

ATHANASII. *Vt non loquatur os meum opera hominum.* Docet quod illud obseruarit, quod ad nullum opus humanum respexerit, acclamauerit. *Custodiui uias duras.* Propter mandata tua angustam & arctam portam ingressus sum.

ORIGENIS. Per portam tribulationum arctam & angustã ingressus est, hoc est actricẽ uiam sequutus est, quæ doloris, & non lętitiæ porta est; Sed postea demum iustitię fructus his adueniet, qui in ea exercitati fuerint.

ATHANASII. *Ne commoueantur gressus mei.* Docet neminem sibi fidere debere, sed in Christo confirmari.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me Domine ut pupillam oculi.
In protectione alarum tuarum proteges me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.
Inimici mei animam meam circundederunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.
Proijcientes me nunc circundederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.
Susceperunt me quasi leo paratus ad prædam, & quasi catulus leonis habitans in abditis.

THEODORETI. Resistentes dexteræ Dei uocat eos, qui ipsi Dauid aduersabantur. & meritò quidem: nam ille à Deo unctus regiam administrationem consequutus est: Dicit ergò: Qui contra me pugnant, decretis quoque tuis resistunt. Obsecrat autem se tanquam pupillam oculi custodiri. Habet pupilla primum palpebras tanquam munimenta quædam, & pro uallis habet folliculos oculorum, & proiecta supercilia, quæ sudoris fluxum à palpebris arceant, & oculos ab omni quod aliunde uenire potest nocumento, defendant. Huiusce generis ergò custodiam consequi petit. Vtens deinceps alia comparatione, opem sibi afferri postulat. Audiuit. n. Mosen illum magnum dicentem, Expandit alas suas, & assumpsit eos: Et Dominus ad Hierusalem dixit: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Alas autem nominat celerem, & efficacem prouidentię securitatem: facillimus enim est alarum motus. Deut.32. Matth.23.

EVSEBII. *Custodi me Domine.* Sed & omnis iustus cum orat, diuina custodia se dignũ fieri postulet, & imbecillum, se sui custodem fateatur, petatque se tanquam oculi pupillam defendi, cum uideat aliquos hostes dexteræ Dei resistentes oculo animę insidias struere, ac ipsum exoculare, atque excæcare quærentes. Cum item multitudinem uiderit sibi resistentium, & impiorum, qui eum miserum, ac infęlicem facere, hoc est, miserum, & infęlicem ostendere tententi, & in ipsum tela iaculentur, sub alas Dei confugiens à diuina protectione defendi se roget. Sed Saluator pro Ecclesia sua, quæ corpus eius est, huiusmodi uoces ad Deum Patrem misit. Alas uerò prouidentię Dei facultates intelligi.

DIDYMI. Dei dextera non alia est, quam unigenitus Dei Filius: quemadmodũ paulo ante dictum est, Delectatio in dextera tua usque in finem. Huic resistunt diabolus, & angeli eius, impostores quoque & maligni homines, à quibus inoffensam mentem suam manere petit, & ait. *A resistentibus dexteræ tuæ costodi me Domine, ut pupillam oculi,* ut mens incolumis maneat, atque etiam sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me miseria, & calamitate affligunt, & concludere cupiunt. Cęterum multos impios, & resistentes dexterę Dei aliqua ratione appellare possumus. Verum non cuiuslibet est dicere: *Custodi me ut pupillam oculi.* Sed eius tantum, qui cordis oculos illuminatos habet. Illud uerò. *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Spiritaliter intelligendum est: nam uirtus, & efficacia diuinæ protectionis alæ ipsius uocantur, quibus tuetur, & in iucunditatem lętitiæ adducit eum, qui se ab ipsis, qui mala aduersus se cogitant, eripi precatur. Hi uerò sunt inuisibiles hostes, qui à se captos miseros reddunt, quod eos peccato subiiciant. Dextera quoque Dei auxilium eius intelligi potest. Psal.15. Eidem dicit Athanasius

Theodori

THEODORI Antioch. Feritatem, & sæuitiam resistentium ostendit, dum queritur animam suam ab hostibus circumuallari. Qui adipem suum concludunt, dum rebus terrenis afficiuntur.
Rom.7. Nam huiusmodi omnes carni, & mundo addicti sunt, uenundati sub peccato, qui etiã ingenti uoluptate, tanquam adipe, & pinguedine oppleti sunt. Symmachus dixit: Adipe suo obstruxerunt, & ideo os eorum superbiam uocat. cum nihil lene, ac rectum costanter proferant. Isti inimici præ ingenti superbiæ fastu proiicientes me, tanquam ista loquentes circundant, ut suis comprehensum retibus offendant, ac perdant; nihil enim honesti, & commodi sectantur: nam diuinarum legum transgressores facti, oculos suos in terram defigunt, cum temporaria, & terrena semper meditari uelint; hoc enim significatur per illud, *Oculos suos statuerunt declinare in terram*, & obliquas uias, quas qui sequitur miserrimus est, ire pergunt, de quibus dictum est. Vhæ uias rectas derelinquentibus, ut eant in uias tenebrarum, quorum uiæ obliquæ, & uestigia illorum curua sunt. Isti quidem cum sese inclinant, oculos suos in terram defigunt. Con-
Prouer.2. tra uerò qui imaginem cœlestis ferunt, oculos ad cœlestia erigunt, & eam, quæ ad cœlum uehit, uiam peragunt.

THEODORETI. Adipem nonnulli felicitatem, & incolumitatem dixere, mihi uero beneuolentiam, & fraternum amorem ita appellasse uidetur: nam ostendit hoc series sequentium uerborum. Omnem enim (ait) naturalem misericordiam excludentes, & nullum humanitati locum in suis cogitationibus relinquentes, tum alta, & inflata loquuntur, tum dolos mihi & insidias quasque contexunt. Ipsi præterea me à patrio solo expulerunt, & iterum huc illuc concursant cupientes me abripere, quoniam quod rectum est, aspicere nolunt, sed obliquum, & prauum mentis oculum habent. Ita.n. & Symmachus interpretatus est illud: Oculos suos statuerunt declinare in terram.

NICEPHORI. *A resistentibus*. Per dexteram intelligit ordinationem Dei ad regnum. *à facie impiorum*, per circunscriptiones impios, uel ex leges intellexit, qui me infeliciter agere faciunt. *animam meam*, id est me circundederunt insidiis undique dispositis. *adipem suum*, uiscera misericordiæ à me detorserunt. *os eorum*, Iactabant illi se cito me tanquam facilem captu prædam comprehensuros: *Proiicientes me*, expulerunt me antea ex omnibus bonis meis, nunc uerò circundant me, ut etiam uita priuent. *Oculos suos statuerunt declinare in terram*. Ad terrenas, & turpes cupiditates intenti decreuerunt declinare oculos suos à te, & à mandatis tuis. *Susceperunt me*, id est quantum ad eorum spem attinet, & conatus eorum, ipsi me ita susceperunt.

EVSEBII. Proeò. *Proiicientes circundederunt me*. Symmachus: Beatum (dixit) me prædicantes, confestim circundederunt me: & oculos suos iniecerunt contra me, ut me deprimerent, & commouere me, atque de statu diuini progressus exturbare quæsiuerunt, imitantes
1.Petr.5. aduersarium nostrum diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. *Susceperunt me tanquam leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis:* Non.n. aperta in me uenatione usi sunt, sed clàm, insidiis appetiere.

APOLINARII. Opus, & figuram sibi insultantium describit: Opus quidem, quia subdolam orationem & blandam, adulatricesque sermonum insidias concinnant: Figuram uerò, quia illos pinguissimos esse, & corpus adipe circumseptum habere, & toruis ac obliquis oculis
1.Reg.18. contueri dixit instar leonis, qui ad prædam inhiat: Cuiusmodi erat Saul aduesus Dauid: cum diceret illum quidem inuenisse gratiam in oculis suis, mandaretque, ut sibi assisteret, utque illo ad bellum socio uteretur; cum aliàs illum insidiis opprimere, & eum interficere niteretur.

HESYCHII. Circundant animam meam Demones, & ferarum more quilibet eam irretire tentat. Adeps uerò Dęmonum, & esca pinguis sunt peccatores, quos uoluptatibus inuoluẽtes ne amplius effugiant, circuncludunt: Sed qualis superbia? Illa planè, qua à Deo defecerunt: Apostasia scilicet, futurorum incredulitas, iudicii negatio, hæc.n.eos, qui peccare proponunt, incautos, & à se deceptos hortantur.

ATHANASII. Vna erat (inquit) mens unus eorum scopus, ut me scilicet ad terrena cõpellerent, & ut quę carnis sunt, tantum saperem, persuaderent.

CYRILLI. Noscendum, & illud est, quod molestissimus, ac nocentissimus leo, ille, scilicet Satan, aperto bello per satellites, & propugnatores suos nos inuadit, ipse uero ceu leonis catulus in specu latitat, siquidem insidias occultè parat: Hęc omnia tribuere eius filiis potest, nam paria paternis consiliis meditantur.

THEODORI Antiocheni. Expectant me ut perdant more leonis prædam expectantis, dixit

dixit autem prò, expectant, *susceperunt me*: Quoniam qui suscipiunt, aliquid futurum expectant. Et hoc est, hoc de me opinantur, ut me ueluti feram quandam uenentur, & capiant. Et illud suscepimus Domine misericordiam tuam, hoc est expectauimus futuram in nobis humanitatem tuam. Psal.43.

Exurge Domine, praueni eos, & subuerte eos, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra diuide eos in uita eorum, & de absconditis tuis impletus est uenter eorum.

Saturati sunt filijs, & diuiserunt reliquias suas paruulis.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit mihi gloria tua.

THEODORETI. Illorum impetum Domine, impedimentis illis, quæ bene nosti, compesce: nam, supplanta, dixit, transumpta similitudine ab iis, qui currentes occultè prosternunt, Me igitur gladio tuo in eos districto ab eorum insidiis exime: Sic enim Symmachus dixit: In framea tua Domine, dele eos de terra. Præscripto enim tuo (inquit) homines in mortem mittis: Siquidem tu dixisti, terra es, & in terram reuerteris. Ego uero, & si tibi perquam facile sit Gen 3. homines morti destinare, obsecro tamen, ut illos uiuos dispergas, & nefarias illorum conspirationes, & consilia dissoluas, & supplicia, quæ peccatoribus afferre tuum est, sentiant. Simile quid in Mosis illius magni cantico Deus ipse dicit: Non ne condita hæc sunt apud me, & signata in thesauris meis? in die uindictæ retribuam in tempore ut labatur pes eorum. Et hęc Symmachus ita interpretatus est. Deut. 32.

CYRILLI. Illud, *praueni*, significat, non permittas ad finem peruenire, & prospere conatus eorum procedere, sed periculum meum præuertas, & irritum faciens propositum eorū, fatuitatem, & uanitatem illorum ostende. Quod uerò (inquit) supplanta, significat, non dirigas contra me currentes, sed potius tanquam offendiculum nacti, quod molestissimum eorū cursum, & impetum retardet, & in terram prolabantur.

ATHANASII. Quælibet iusti anima, & præcipuè illorum, qui peccatores ab impietate ad pios mores reuocant, tanquam gladius est contra malignos spiritus exacutus: Hanc igitur frameam (inquit) contra hostes tuos exacuisti, ut animam meam ab inimicis manus tuæ liberes. At qui nam esse possunt inimici manus Dei; nisi qui fidei, quę est in unigenitum eius, qui etiam manus illius est, aduersantur?

THEODORI Antioch. Legunt nonnulli, romphea, in casu dandi, sed non arridet. Verum in generandi casu legendum est: Sic enim & Aquila dixit. Gladii tui: quod autem dicere intendit, huiusmodi est. Eripe animam meam, hoc est me ipsum ab his impiis, & à gladio inimicorum manus tuæ. Vocat autem, frameam, machinationes ab illis in eum factas, quæ omni gladio ancipiti secantes magis, ac penetrantes noxam inferunt. Hostes uerò manus Dei appellat hostes eius. Quoniam unctum à Deo in regem dum deiicere studebunt, manifestò cum Deo pugnare uidebantur, dum amicis illius aduersari niterentur.

HESYCHII. Frameam, appellat iustitiam Dei gladii more omnes Dæmonum acies dissipantem.

EVSEBII. Deum rogat, ut inimicos supplantet, ut à peruerso illorum proposito cadat, atque ita inde utilitatem referant. Quin frameam tuam (inquit) eripe ab inimicis manus tuæ: nam dubitandum est, ne frameam, qua fidens aduersus hostes usus sum, de manu mea ereptam in me conuertant. Framea quoque Dei sermo esse potest: qui efficax est, & penetrabilior omni gladio ancipiti, qui animæ prò gladio datus est, quo suos hostes ulciscatur, ut sæpius accidit Heb.4. cum scilicet hostes Dei uerba & monita, ex diuinis scripturis deprompta nihili pendunt, atque peruertunt, unde simplices, & incautas animas decipiunt, & subuertunt: Quamobrem rogat frameam suam ab inimicis Dei liberari.

DIDYMI. Exurge (inquit) qui ob longanimitatem, & lenitatem dormire existimaris; dum ipsi interim pro tot sceleribus, cędibusque patratis pœnas minimè luant. Exurge Domine ut præuenias, atque supplantes eos, quod si fiet, non paruam inde utilitatem percipient, ne semper malum malo addentes interitum suum augeant. Circundantes autem animam meam, itemque mala alia perpetrantes, nisi prohibeantur, maximum eidem afferent detrimentum, quare supplanta eos, ne amplius præualeant contra me, dum tu animam meam ab huiusmodi notæ hominibus impiis liberaueris. Nam si animam meam ab impio eripueris, frameam suam de illorum manibus auferes. Siquidem & si ipsam accipiunt iure traditam, ea tamen non rectè utuntur. Quare imminuuntur in terra, hoc est uiles efficiuntur: Nam cum terrenis inhient, excellentiam,

Hester 14. lentiam, & diuitias animę, quas haberent, nisi terrena, & lutęa præferent, respuunt. Ideo tanquam qui non sunt, habentur, ut ibi. Das sceptrum tuum his, qui non sunt. *Diuide eos in uita eorum*. Qui unanimes in perniciem conspirarunt, si diuidantur, & dissoluantur eorum cœtus, perutilis est diuisio illa: Siquidem malum, quod concordi animo facturi erant, si secum ipsi dis-
Gen. 11. sideant, imperfectum abiiciunt. Quod illis factum est, qui turrim, ac ciuitatem in suum interitum olim extruere decreuerunt. Quibus cum prodesse Deus uellet, eorum linguas confudit, ut inscitia, quæ illos euasit, desidere eos inter se compelleret, & inchoatum, atque imperfectum illorum conatum ostenderet. Hoc igitur innuitur per id, quod dicitur. *Diuide eos in uita eorum, & de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum*. Abscondita Dei dicuntur, quæ eius memoria indigna sunt, quorum omnium reliquias paruulis suis reliquerunt. Quod autem quæ damnanda sunt, & turpia, indigna sint, quæ à Deo uideantur, ostenditur ex Caim: Hic enim egressus est à facie Dei: Et alibi. Non permanebunt iniusti ante oculos tuos. His
Gen. 4. ergò, quæ longè absunt à Deo, impleti, *dimiserunt reliquias paruulis suis, saturati filijs*, nempè
Psal. 5. impuris. Ex his enim, qui peccatis obstringuntur miseriores sunt qui & se ipsos lædunt, & aliis praui exempli authores sunt: Quod inde ostenditur. *Dimiserunt reliquias paruulis suis*, quos læserant: nam perfectos lædere aut decipere non possunt. Quamobrem de illis scriptum est: Propterea quod paruulos iniuria affecerunt, occidentur, & inquisitio impios perdet. Legitur etiam scriptura, quæ sic habet. Saturati sunt filiis: Propterea quod plures filios, quos malitia genuerant, ad saturitatem habuerunt. diuisíque in uita ipsorum damnum ingens acceperunt, non enim ipsi solum, sed paruuli eorum occultis Dei saturati sunt.

CYRILLI. Paucos (ut arbitror) electos hoc loco intelligit, sanctos scilicet, & eos, qui
Matth. 20. admirabilem à Christo hæreditatem susceperе: Nam & ipse Saluator ait: Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Quare, *diuide ipsos in uita ipsorum*. Separa (inquit) ab electis, & longè statuas malos à sacrosanctis uiris. Competit enim hoc eorum uitę: nam illis, qui excutiunt impositum à Deo iugum, & duras in eius decreta ceruices tollunt, quomodo sors dabitur cum iis, qui benigna mente præditi fuerunt, & propter id, quod studiosè quæsierunt, maximè insudarunt.

THEODORI Antioch. Illud, *de terra diuide*, dictum est Deo, tanquam ad Deum mortis sententiam ferre pertineat. quasi dicat. Quoniam tu mortis præscriptum imponendo, facis homines interire, *diuide*, hoc est dissipa: nam quod dissipatur semper huc, uel illuc diuiditur. Per abscondita uerò Dei pœnas, & uindictas intelligit, quas in occultis habet, & cum uult promit, ulciscens quando minus id opinantur homines.

ATHANASII. Præparata est (inquit) illis occulta pœna, quæ usque ad uiscera penetrabit, iuxta illud quod de Iuda dictum est. Et intrauit maledictio quasi aqua in interiora eius, & sicut
Psal. 108. oleum in ossibus eius. Reliqua ut Didymus.

EVSEBII. Pro, *diuide eos*. Aquila interpretatus est. Pars illorum in uita: Symmachus: Pars illorum inter uiuos: Quibus uerbis monet, partem siue hæreditatem atque ideo impiorum substantiam omnem, & eorum, qui inimici Dei habiti sunt, in hac mortali uita eis repositam esse: in qua uenter illorum quouis cibo, fructu, atque delitiis impletus est. Symmachus: Pro absconditis etiam tuis dixit: de repositis, uel, de thesauris: Eximia enim, & præciosa quęque pręsentis uitę possederunt: Aurum, argentum illico artificio miro cælarunt, lapides quoque omnis generis præciosos quęsierunt, & his omnibus expleti sunt. Natorum quoque utriusque sexus copia abundarunt, quibus etiam diuitiarum reliquias reliquerunt.

THEODORI Antioch. *Saturati sunt filij*. Prò, saturentur filii, tempore mutato positum est. & illud, *dimiserunt*, pro dimittant, pariter dictum est. Nam hoc breuiter uult innuere. Quoniam tu Domine cunctos homines communi mortis decreto de terra separas, hoc tu dum uitam ducunt, diuidito: hoc est: dissipa ipsos adhuc uiuentes, ut ante communem mortem pro sceleribus admissis aliquas pœnas luant, & adeo suppliciorum tuorum eorum interiora compleas, ut pœnis à te inflictis filii quoque una cum parentibus expleantur, & uindictæ huius reliquię usque ad nepotes deferantur. Intendit enim dicere, quod in eis puniendis neque ipsis, neque filiis, neque nepotibus parcat. Absconditas autem pœnas uocat, quia non semper, sed pro tempore illis utatur, sumpta ab iis translatione, quæ thesauris reconduntur, quæ quidem in arculis occultantur, & cum opus est, exigente Dominorum necessitate promuntur.

Theodoreti.

THEODORETI. *Ego uero in iustitia apparebo*. Illi sanè huiusmodi pœnas dabunt. Ego uero quæ à prouidentiæ tuæ iustitia consequutus fuero, cum iucunditate fruar maximo in me benignitatis tuæ experimento. *gloria tua*, id est filio tuo.

EVSEBII. Ego uero tum iustitia, tum uirtute mihi collata summa cum fiducia assistam ante conspectum tuum: Et hæc mihi spes est, atque eadem mihi hæreditas magna: An non implebor, & satiabor delitiis omnibus, cum mihi gloria tua in regno cœlorum apparuerit?

ATHANASII. Non ero similis illis: neque eisdem cum illis bonis explebor, sed gloria tua propter bona, ac iusta opera replebor.

DIDYMI. Illi quidem talia, & hæc habebunt, ut dictum est. Ego autem in iustitia conspectui tuo apparebo: non enim in iis, quæ abscondita sunt a te, iustus est, qualis illorum malitia est. Et illi quidem contumaces sunt, seque omnibus bonis, cum nihil habeant, cumulatos putant, ut inde sibi satiari posse uideantur. At ego modo ex parte cognoscens tunc satiabor, cum apparuerit gloria mea, quæ subsequutura est: Iuxta illud. Cum uenerit, quod perfectum est, tunc facie ad faciem intueri potero. Apparituram gloriam ipsum quoque unigenitum Dei Filium intelligere possumus, de quo scriptum est. Videbit omnis caro salutare eius, & apparebit gloria Domini. Quoniam uidebimus gloriam quasi unigeniti à Patre pleni gratiæ, & ueritate.

1.Cor.13. *Luc.3.* *Ioan.9.*


NICEPHORI. *Præueni eos*. Præoccupa captionem, & necem meam, & esto illis impedimento, ne conatus suos contra me perficiant, *ab impio framea tua*, uel a tua electione, qua me in regem unxisti, uel per circumscriptionem, à te. *A paucis de terra*, Adhuc uiuentes eos (inquit) diuide, ac distingue à paucis de terra, pauci terrigenę, uel electi & traduc eos insigni supplicio. *Et de absditis*. Et hoc præcipuum dictum execrationis forma prænunciat, quę euentura sunt sociis Saul. Iam & præsentia eiusdem effectus habentur: De futuro etiam tempore tanquam de præterito gesta narrauit ea propheticis oculis intuens. Ait ergo in his Dauid: Quando abditis, & uulgo incognitis pœnis à te plectentur, etiam saturabuntur unà cũ filiis suis ex dictis suppliciis, & suppliciorum reliquias tanquam hereditatem relinquent paruulis filiorum, uel posteris ipsorum imitantibus scilicet progenitorum flagitia. Ego uerò cum nihil illis mali intulerim iustificatus apparebo ad dexteram tuam, & satiabor gloriam tuam contemplans, qua me gloriosum facies.

ORIGENIS. *Frameam tuam ab inimicis manus tua*. Quemadmodum Iob uim ipsum flagellantem Dei manum appellat, (non me (inquit) torqueat manus tua) sic & qui hostes sunt beneficæ manus Dei gladios Dei uocat Propheta. Benefica autem manus Dei sancti Angeli sunt, per quos Deus mundo prouidet, quibus dæmones aduersantur nolentes homines cunctos ad Dei notitiam accedere. Manus item Domini unigenitus est, robur, uirtus, potestas, & anima qualibet iusta, quę peccatores ab impietate ad uerum cultum reuocat. Gladius Dei acutus est contra malignos spiritus. Hunc gladium tuum libera ab hostibus tuis, qui fidei, quæ est in unigenitum resistunt.

IN FINEM PVERO DOMINI DAVIDI, QVAE LOQVVTVS EST DOMINO VERBA CANTICI HVIVS, IN DIE, QVA ERIPVIT EVM DE MANV OMNIVM INIMICORVM EIVS, ET DE MANV SAVL, ET DIXIT.

PSALMVS XVII.

Diligam te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.
Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum.
Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.
Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.
Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.
Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.



HEODORETI. Aperta satis est inscriptio, neque opus est, ut in ea explananda laboretur. In libro Regum huius Psalmi sententia quoque habetur. Cæterum licet admirari Prophetæ modestiã, qui cum tot insidiis à Saul expeteretur: eum tamen in hostium numerum non recensuit. Sed cum ab hostibus cum sciunxerit, non tanquam de hoste de eo mentionem facit. Adiectum est autem, *In finem*: Quoniam tum de gentium uocatione, tum de Iudæorum eiectione, quę multis post seculis euenerunt, uaticinatur.

2. Reg. 22.

ATHANASII. Continet Psalmus inimicorum insultum, diuini auxilii implorationem: unigeniti descensum, & ascensionem, queque aduersus Dæmones acta sunt, Israelis eiectionem, & gentium uocationem prædicit. Illud uero, *de manu inimicorum eius, & de manu Saul*, ad inuisibiles hostes, atque horum principem referri potest.

EVSEBII. Ex Psalmo ipso necessario cognoscendum est: quod Dauid ob uictorias de hostibus, & inimicis relatas, propositum hymnum dedicauerit, tanquam triumphalem omnis uictoriæ authori, quique uictores facit, & propter hoc uictoriæ dator uocatus: Et quod huiusmodi triumphalis hymnus, seu canticum ipsi Dauid dictum est. *In finem* uerò, uel quoniam post omnes actiones in historia contentas extremo uitę suæ tempore editus est. Vel quia quæ in fine seculorum futura sunt, prędicit: Vel quia lectorem ad ea mittat, quæ in extremis huius Psalmi partibus continentur, in quibus gentium uocationem prænunciat, & de Christo satis aperte uaticinatur. *De manu Saul.* Manus hic actiones intelligit, liberauit .n. Deus eum ab actione Saulinę & ipse interim similes actiones faceret.

DIDYMI. Cum inter hostes, à quibus Dauid ereptus est, ii quoque censeantur, qui cum uarii sint, spectari nequeunt, quæ pro cuiusque dictionis interpretatione dicenda sunt, mox explicentur. *In finem,* (inquit) *Sermo Domini ipsi Dauid,* Finem hoc in loco uictoriam contra omnes inimicos interpretari licet: Pro hac .n. & bella suscipiuntur, & quę ad regni firmitatem spectant, sustinentur. Finis autem dicitur, illud cuius causa reliqua, ipsum uero nullius fit. Qua re parta uictoria, nihil illi antiquius esse decuit, quam uictoriæ authorem miro prosequi laudum
Esd.4. preconio. Illi enim ab Esdra dictum est. Abs te est uictoria. Ad Dominum ergò canticum mittit, tanquam seruus, & minister eius, & omnia, quibus in agendis gratiis uti solemus, uerba, sapienter, & cum summa fide percurrit. *In die illa*, hoc est, in luce, cum hostes omnes, & ipse Saul sospite Dauid, cæsi sunt: Et hæc prò historia dicta sint. Quoniam uerò ex fidelibus multi canticum hoc ex persona Saluatoris editum esse putant, dicimus etiam hunc hymnum cecinisse, prò uictoria postquam à mortuis resurrexit: Quando ipse ab omnibus gentibus, quæ fremue
Psal.2. runt, & à populis, qui inania meditati sunt, atque etiam regibus, & principibus, qui astiterunt, & congregati sunt simul aduersus eum, ereptus est. Aptè etiam dixeris ipsum de manu Saul Iudęorum rebus tum potiti liberatum, cum quo probabile est unanimes mores, & malignum eorum spiritum regnasse, cum dicerent, se Deum regem non habere.

ASTERII. Finem intelligit hostium euersionem (siquidem in eos demum ira ostensa est)

est) quorum uastationem, & interitum narrat, cum aliàs dixerit. Supplantasti omnes insurgentes in me subtus me. Cur uerò *puero Domini* dixit; non autem Prophetæ, aut cantori, aut regi, uel Dæmonum fugatori? An quoniam illa dona Dei erant: esse uerò seruum uel puerum Dei magnam illi gloriam afferebat? Nunc uerò non ætate, sed uirtute, aut fortitudine se puerũ uocat: Nam & Abraham centum natus annos se puerum Domini appellat: nam cum Dominum apud se hospitari peteret, dixit. Si inueni gratiam in oculis tuis, ne pertranseas puerum tuum: Et Dominus dixit. Num celare potero Abraham, puerum meum? Renouabitur.n. (ait) sicut Aquila iuuentus tua: Sed & puer Domini tanquam seruus Domini dicitur. *Quæ loquutus est Domino*. O magnam fiduciam, Dominum ut amicus alloquitur, & cum Deo tanquã filius cum patre conuersatur. Alloquutionem autem hoc loco supplicationem uocauit, quod magna fiducia factũ est. Sed quid loquutus est? nimirum: *Verba cantici huius*. Non dixit aũt Psalmum cantici, quoniam cum iam senex esset non cythara, non tympano utebatur, sed cũ Deo familiariter loquebatur: nam senescenti molesta erant musica instrumenta. Nã Beerzelai Galadites, qui cum Dauid egregie in bello contra Absalon commodus fuerat, dicente ipsi Dauid. Veni mecum & requiescas mecũ in Hierusalẽ. Respondit. Quot dies erũt deinceps uitæ meæ, quod ascendam cũ rege in Hierusalem? Filius octoginta annorum ego sum hodie, num cognoscam inter bonum, & malum? aut cognoscet adhuc seruus tuus quod edam, aut bibam, aut audiam amplius uoces cantorum, aut cantricum? Diem uerò appellat, cum perfectam uictoriam consequutus est: Nam eo temporis ab omnibus pariter inimicis ereptus est. Ac ita quidem ad uerbum, in postremo die, quo tot bella, ac hostiles impressiones læta uictoria excepit, & in hostes suos omnes grauiter animaduertit, diem uocauit. Quò uerò ad sensum, omne uitæ curriculum unus illi belli dies extitit. Quemadmodum ille testatus est. Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me: nam cum bello propè continenti quasi uno die infestaretur, liberatus est. Et qui alloquitur Dominum in die est: Et qui à tenebris inimicorũ, & tentationum eripitur, in die est. *Et de manu Saul*. Socero tam domestici, quam hospitis inimico, & antiquo Iuda nunc blanditiis, nunc bello se persequente, non dixit, de manu inimici, sed satis illi fuit accusationis loco nomen afferre: Nam quemadmodum audito nomine Caim statim fratricidam intelligimus, sic percepto nomine Saul insidiatorẽ, ac inimicum Dauid agnoscimus. Quem.n. post mortem, amabilem uocauit (amabiles, & decoros & fortes Ionatham, & Saul appellans,) hunc taquam inimicum in Psalmi inscriptione ponere noluit. Manus uerò Saul exercitum, & filios, & nepotes appellauit.

Gen. — Psal. 102. — 2.Reg.19. — Psal. 55. — 2.Reg.1.

HESYCHII. Continet Psalmus hic quæ ipsi Dauid, hoc est dilecto populo, qui Domino inseruiet, in fine seculorum dicenda sunt: Quod scilicet ex Dæmonibus hostibus, item & ab ipso diabolo, qui pios ad tentationem expetit, eum liberauit. Nam & per Saul diabolus quoque significatur.

THEODORETI. *Diligam te Domine fortitudo mea*. Amore beneficia rependit Propheta, nam Dei beneficia sola dilectione compensare potest: Quam dilectionẽ initio promulgationis legis suæ statuit Deus: Diliges enim (ait) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis: Post dilectionem uerò sequitur dilecti Dei cultus, Charitas enim omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, charitas nunquam excidit. Pollicetur autem beatus Dauid se Deum dilecturum esse: non quod hoc nondum perfectè præstiterit: Sed quod non permittet se ulla unquam huius dilectionis satietate teneri. Post hæc beneficia sibi à Deo collata diuinas appellationes facit. & iuxta beneficiorum acceptorum numerum beneficiorum nominationes plures constituit. Et appellat Deum fortitudinem suam, tanquam fortitudinem à Deo datore consequutus: Firmamentum tanquam firmus, contra hostes, & immotus fuerit. Refugium, cum Deum tanquam arcem, & munitissimum uallum habuerit: Liberatorem, quoniam suffragante Deo liber ab omnibus inimicis euasit. Protectorem, ut antesignanũ, qui aliquãdo prò se pugnauerit: Cornu salutis, & susceptorem, ut potè qui eius prouidentia seruatus sit. Posuit, cornu salutis, translatione sumpta à feris, quæ cornibus obuios petunt, & aduersantes ulciscuntur. *Laudans inuocabo Dominum*. Hic quoque Deo gratias prò acceptis beneficiis agere docemur, atque etiam iterum quæ nobis usui futura sunt, atque iterum postulare. Hoc enim, cum fecero, ait, tutus ero ab inimicis meis. Deinde percurrit singilatim omnes inimicorum insultus.

Matth.22. — 1.Cor.13.

EVSEBII. Humanam arguens imbecillitatem, fortitudinem suam Deum appellat. Proprias autem uires, & fortitudinem suam nihil esse fatetur, seque propterea in certaminibus, & præliis solo Domino aduersus hostes unum esse, & hæc est germana ex-

Phil.4. positio : Nam diuus Paulus etiam dicit. Omnia possum in eo qui me confortat Christus.
Firmamentum meum. Aquila, & Symmachus, Petram, interpretati sunt. Et magnus Aposto
lus de Saluatore dixit. Petra autem erat Christus. Ita quoque hoc loco Dominus Petra dictus
1.Cor.3. est. Ideo Dauid super hanc Petram domum suam ædificans uiro prudenti comparari potest,
Matth.16. qui ædificauit domum suam super Petram, unde hostibus eius, qui fluminum more in domum
illius irruebant, uentis quoque cum imbrium ui maxima reflantibus superstes fuit: Sed neque
satellitum copiis, aut exercitus magnitudini salutem suam credidit, sed Deum erecto animo su-
spiciens, & spe in ipsum suspensus iure clamabat, dicens. *Deus adiutor meus, & sperabo in eum.*
Psal.43. Et hoc solido scuto tanquam omni genere armorum contectus protectorem suum, & cor-
nu salutis Dominum profitetur, ut & ipse dicere posit, in te inimicos nostros uentilabi-
mus cornu, & sola Domini inuocatione tanquam carmine quodam usus uires inimicorum
euertat.

Cant.Zach. Asterii. Cornu salutis Christum uocat, cuius rei testis est Zacharias, dicens: Et ere-
xit cornu salutis nostræ in domo Dauid pueri sui. Christus autem cornu dicitur, quoniam ex
Rom.9. patribus, & principibus populi natus est. Quorum sunt Patres, & ex quibus Christus secun-
dum carnem,

Theodori. Cornu regnum dicitur: Nam dabit (inquit) fortitudinem regibus no-
1.Reg.2. stris, & sublimabit cornu Christi sui, hoc est, regnum Christi sui. Mox diuersas, & multipli-
ces hostium clades recenset.

Nicephori. *Diligam te Domine.* Amplius adhuc, & amplius amabo te Domine, neq;
unquam desistam te amare, stabo proficiens in amore tuo. *Cornu salutis meæ.* Arma sunt cor-
poris à similitudine cornigerorum animalium, quæ propriis cornibus pugnant.

Hesychii. *Diligam te Domine.* Apertè hoc in loco naturæ humanæ personam indu-
cit. Se siquidem dilecturum pollicetur, non iam diligens. Quoniam ante Christi aduentum
dilectionis legem minimè noueramus, donec à Christo edocti audiuimus eum dicentem: maio
Ioan.15. rem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis, *Firmamentum
meum.* Siquidem cum Idolis innitebamur, nequaquam firmi eramus, sed demoti, & concussi flu-
ctuabamus, nec liberati, sed traditi hostibus eramus, quare nos Christus in libertatem uendicat,
& per fidem confirmans liberat. *Et sperabo in eum.* Non dixit, spero, sed sperabo, quoniam an
te Christum in lignis, & lapidibus sperabant, ubi uero cruce Idola deiecta, & subuersa sunt,
uerum Deum spem nostram habuimus. *Protector meus.* Hæc omnia nobis Christus fuit pro
tector, quoniam in carne tanquam in scuto tela, hoc est dolores pro nobis suscepit, susceptor, quo
niam diuinitas eius omnis potens fuit: cornu salutis, ob crucem, qua nihil est dæmonibus formi-
dabilius, *Laudans inuocabo Dominum.* Non inuoco, sed inuocabo, nondum enim noui ueræ in
uocationis modum. Inuocabo autem edoctus ab unigenito dicente, quæcunque petieritis in
Ioan.14. nomine meo, accipietis, non enim aliter Deum Patrem quam in Filio Deo & communi regi pos
sumus inuocare, nec ab omnibus hostibus liberari. *Laudans*, hoc est gratias agens pro conse-
quutis bonis inuocabo, hoc est petam, & supplicationes afferam pro futuris, & tanquam gra-
tus exauditus ab inimicis meis seruatus ero.

Origenis. *Diligam te Domine*, à simili simile dignoscimus, dilectione dilectionem,
iusto iustitiam. Ipsa.n.dilectio magnum, ac præcipuum præceptum est. qui autem diligit, di-
lecto quoque inseruit. Vocat autem Deum fortitudinem suam, quandoquidem per eum ab om
nibus tam uisibilibus, quam inuisibilibus hostibus ereptus est.

Theodoreti. *Circundederunt me dolores mortis & inferni.* Dolores mortis, & infer
ni, quibus parturientes afficiuntur, letalia pericula appellat. Quemadmodum enim dolores illi
in ipso partu fiunt, ita maxima pericula ad mortem ferè deducunt. *Torrentes iniquitatis.* Ini-
quos, & frequentes hostium impetus intelligit: nam quemadmodum torrens aquarum de-
fluxus hinc inde collectos suscipiens repentè irrumpit, ita etiam Saul, & reliqui hostes
impressiones faciebant. Laqueos autem mortis insidias nuncupauit: Nam quod fe-
ris laqueus est, id bellum gerentibus sunt insidiæ, utraque enim in occultam perniciem
construuntur.

Theodori Antiocheni. Illud, *Præoccupauerunt*, id significat. Tot
ac tantæ fuerunt insidiæ, ac doli, quos mihi hostes pararunt, ut me ac mentem meam
ita præoccupauerint, ut nec tempus mihi, aut spatium cogitandi concesserint, quomo-
do illos spernere possem: multoque minus statuendi, quo modo fugam parare pos-
sem.

ORIGENIS. Hec quoque Saluatori nostro tanquam illi maximè congruentia aptare poteris inquit enim turbata est anima mea. Et: Tristis est anima mea usque ad mortem. *Matth. 25.*

HESYCHII. Dolores mortis inobedientiam intelligit: nam ipsa mortis maledictionem peperit. Torrentes iniquitatis, uoluptatum illecebras, quæ subitò ingruentes animas obruunt. *Mar. 14.*

DIDYMI. *Torrentes iniquitatis*. Quoniam qui tentationes generosè non ferunt, in iniquitatem facile prorumpunt. Quod si de morte, quæ peccatores manet, & de inferno, qui illi maximè similis est proposita uerba intelligantur. Dolores mortis, & inferni peccata illa intelligit, quæ ad mortem ducunt. In hunc sensum pariter iniquitatis torrentes, malitiæ fluxus dixeris, & laqueos mortis, peccata, quæ mortis causa sunt.

ASTERII. Dolores mortis peccata sunt, quæ ab utero gestantur, iuxta illud: Ecce .n. in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Psal. 50.* Nam ubi quispiam peccatis detentus fuerit, statim in utero diaboli tanquam fœtus continetur: Si uero resipuerit, & pœnitentiam egerit, de uentre diaboli, ut Ionas de uentre cœti uiuus egreditur: Si autem in pœnitens in peccato permanserit, mortuus, & mortis filius exibit. quoniam uerò Dauid in iniquitatibus conceptus adulterio, & cæde maculatus pœnitentiam egit, Deus uincula eius perfregit, ut diceret. Tu dirupisti uincula mea: Adulterium, & homicidium suadente diabolo patratum lætales mortis dolores appellans. *Circundederunt me*, non detinuerunt me, dixit. Torrentes iniquitatis concupiscentiæ cogitationes, quæ principia sunt malorum omnium, intellexit. Cum ergò animus in timore Dei tanquam supra petram ædificatus est, tunc torrentes iniquitatis eum conturbant, sed non deturbant.

NICEPHORI. *Circundederunt me*. Intolerabiles dolores hoc loco innuit: *Et torrentes iniquitatis*, subitas, temporarias, & uehementes impiarum gentium incursiones intelligit. *Præoccupauerunt*. Præuenerunt me (inquit) insidiæ, quæ mortem operantur.

In tribulatione mea innocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.

Exaudiuit de templo sancto suo uocem meam, & clamor meus in conspectu eius, & introiuit in aures eius.

Commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis Dominus.

Ascendit fumus in ira eius, à facie eius exardescet ignis, carbones succensi sunt ab eo.

Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.

Et ascendit super Cherubim, & uolauit super pennas uentorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris.

THEODORETI. Tot tantisque calamitatibus circumuallatus, neglecto omni humano auxilio diuinam opem imploraui: nec ea me spes frustrata est: nam statim preces meas admisit. Templum autem hoc loco non manu factum intelligit, nec enim eo tempore erectum fuerat: Nam Solomon postea templum extruxit, sed cœlum sic nominauit.

EVSEBII. Docet hic Propheta, se cum à torrentibus iniquitatis turbaretur, cumq; alia, quę prædicta sunt, mala pateretur, ut se in discrimine uersari sentiret, ad salutis suæ portum confugisse. Quare dixit. *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui*. Docet præterea se, cum ita sibi persuasisset, ut in Deum speraret, spe sua minimè frustratum fuisse: nam spes non confundit. Quare subiungit. *Exaudiuit de monte sancto suo uocem meam*. *Rom. 5.* Templum uocat cœlestem ciuitatem: nondum enim templum illud Hierosolimis extructum erat, quod illius erat imago.

HESYCHII. *In tribulatione mea inuocaui Dominum*. Non enim aliter à uehementia & multitudine malorum liberari poteram, nisi Deum inuocando ut humanitatem susciperet.

ORIGENIS. In mediis, & urgentibus tribulationibus inuocandus est Dominus, ita enim precantes nos exaudit de templo sancto suo. An uerò contra hostes armamur, cum Dominum laudamus, & inuocamus? *Et ad Deum meum clamaui*. Pater gratias tibi ago, quoniam exaudisti me. Ego autem noui, quod semper me audis.

HESYCHII. *Exaudiuit de templo sancto suo*. Iustos intelligit de quibus dictum est: an nescitis, quoniam templum Dei estis. quorum & uocem tanquam ex tota humana conspersione, *1. Cor. 3.*

ſione, & maſſa ſuſcepit Deus.

ORIGENIS. Templum Dei Chriſtus, Chriſti uerò puræ mentes ac poteſtates: Quare modo Chriſtus dicitur ſedere ſuper thronum Dauid patris eius.

HESYCHII. *Et clamor meus in conſpectu eius, & introiuit in aures eius.* Clamor quidẽ in oculis eſt ut miſereatur, in auribus uero ut exaudiat, & ſuſcipiat.

ORIGENIS. Ab huiuſmodi affectione profectæ preces in aures eius tanquam in propriam ſedem cum fiducia ingrediuntur.

DIDYMI. Preces ab innocentia conſcientiæ profectas ingentem fiduciam ad Deum in- 1.Cor.8. uocandum habere dixit, clamorem uero ſuum uſque ad Deum penetraſſe. Conſidera nunquid hæc affinia ſint illis uerbis. Nobis autem unus Deus Pater, & unus Dominus IESVS Chriſtus. Deum Patrem, Dominum uerò Filium interpretamur. Atqui utraque de eodem dici poſ ſunt. cum Pater, & Filius, Deus, & Dominus eandem habeat dominationis maieſtatem, & diuinitatem. Sed quo modo cum dixerit. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meam*, mox ſeorſum dixit, *Et clamor meus introibit in aures eius?* An quoniam ſimul ac orauerit ſibi Deum annuentem ſenſit; deinceps uerò confidat omnia ſibi fęliciter euentura? Si clamor ex ſincero affectu emiſſus in aures Dei, & in conſpectum illius ingreſſus fuerit.

EVSEBII. *Et commota eſt, & contremuit terra.* His uerbis ſtatum, & conditionem Domini noſtri clariſſimè uaticinatur, qui & per mortem, & torrentes iniquitatis, & per dolores inferni & laqueos mortis è cœlis ad nos deſcendit, & quæ in eius deſcenſu euenerint pręmonſtrat, dicens. & *commota eſt & contremuit terra*, pro quo Aquila: Et mota eſt, & concuſſa eſt terra: Nam ſimul ac Dei Filius ſumpta carne in terram deſcendit, omnes terrę habitatores cõmoti ſunt, atque concuſſi: Omnes etiam gentilium, & barbarorum aures illius fama repletę ſunt, *Fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt.* Vel iuxta Symmachum euerſa. *Quoniam iratus eſt eis.* Nam iræ cauſa fuere celſitudines, quæ ſe aduerſus Dei cognitionem efferunt. quæ ſunt hoſtiles potentię nonnullæ, quę omnes terrarum incolas in abominabilem Deorum cultum ſuis fraudibus coniecere. Horum igitur montium fundamenta, hoc eſt intimæ, atque abditæ cogitationes Domini uirtutẽ ſentientes conturbatæ ſunt, *Quoniam iratus eſt eis.* quid uerò ira aduerſus huiuſmodi montes agat, deinceps declarat, dicens. *Aſcendit fumus in ira eius.* Nam quemadmodum ſi accendatur lucerna, & mox extinguatur, fumus emittitur: Sic hoſtiles poteſtates, quæ igni comparantur, quoniam hominum animas inflammabant, ac comburebant, quam primum uero Dei indignatione ignis eorum extinctus eſt, fumus inde exiliens extinctionis eorum inditium dedit. Deinceps dictum eſt. *Et ignis à facie eius exardeſcet, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Hæc.n. aduerſus hoſtiles poteſtates clanculum parauit Deus, cum ignem illarum alio igne potiore, ac magis efficaci reſtinxit. Ideo à Moſe dictum eſt. Deus noſter ignis conſumens eſt: Deut.4. Et in Pſalmis. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, & rurſus: Pſal.96. Deus noſter manifeſtò ueniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & Pſa.49. in circuitu eius tempeſtas ualida. Hunc ignẽ indicauit Saluator dicens. Ignem ueni mittere in Luc.12. terram, & quid uolo niſi ut ardeat? Hæc omnia facta ſunt, quando inclinauit cœlos, & deſcendit. Non unum ſanè, ſed omnes quotquot ſunt cœlos inclinauit: nam his uerbis humilitatem celſitudinis eius, & diuinitatis exanitionem ſignificauit: Deſcẽſum ſiquidem illius apertiſſima expreſſione deſcripſit dicens. *Inclinauit cœlos.* craſſius autem eius progreſſum ſignificauit dicens: *Et caligo ſub pedibus eius.* Et aſcendit ſuper cherubim nebula, & caligine obtectus. Occultũque diuini deſcenſus ad hominẽ conſiliũ Dauid oſtendit. Sed paulopoſt, ad cœlos unde prius uenerat, reuertitur, licèt cum cherubim non deſcenderit: nam ipſe ſua ui citra cherubim cœlos inclinauit, & deſcendit. In reditu uerò dictum eſt, *Et aſcendit ſuper Cherubim, & uolauit*, cum corpore quod aſſumpſerat. cumque diuinæ poteſtates ſatellitio magno comitantes, & circundantes illius aſcenſum intuerentur, clamabant, & dicebant. Attollite portas principes ueſtras, Pſal.23. & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quę planè perfecta ſunt, eo tem- Act.1. pore, quo (ut in actis dicitur,) uidentibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

THEODORETI. *Commota eſt & contremuit terra.* His uerbis pœnas hoſtibus irrogatas Propheta narrat: & reliquos hominum inſtruit, ne ſimili modo agant, ne ſimiles illis quoque pœnas luant. Recenſuit autem illa, non quod omnino ſic uenerint, ſed quod ita ſint fide, & opinione comprehenſa: nam Deus non modo punit, ſed & interdum terrorem concutit, idque ſæpe cum tonitribus, & fragoribus, tum terræ motibus, & terroribus fecit, dum igne etiam coruſcãte homines tãgeret. Ita cũ Iſraelẽ perterrefacere uellet, fumantẽ igne montẽ Sion oſtẽdit.

dit. Deinceps Dei manifestationem enarrans ingentem auditoribus timorem incutit. Cæterum nos nec ascensum, nec descensum diuinæ naturæ suspicamur, nam diuinitas nullis terminis circumscribitur, sed præsens ubique adest. Verum his modis excellentiam diuinorum consiliorum docemur: nam interdum lenius, ac demissius, interdum magnificè magis, & excellenter sese diuinitas ostendit. Agit etiam interdum, ut timorem ingerant, inopinata, atque admiranda quędam. Illud igitur, *Inclinauit cælos, & descendit*, eò referendum est, ut tempus innuat, quo se hominibus manifestauit. *Caligo uerò sub pedibus eius*, Inuisibilem eius præsentiam designat. At ascensus super Cherubim, & uolatus uentorum aduentus eius claritatem ostendit. Nam quod ait, *Posuit tenebras latibulum suum*, naturam inuisibilem indicat. *Et in circuitu eius tabernaculum eius*. Lucem ipsum circunstantem intellige. Hinc ait Diuus Paulus. Qui solus habet Tim.6. immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.

DIDYMI. *Ascendit fumus in ira eius*. Cum nimirum inutilis materia consumpta esset, quæ ad ea refertur, quæ à prauis hominibus supra fundamentum Christum extructa sunt, scilicet ligna, fenum, stipulam, hæ autem sunt actiones prauæ, & malę cogitationes, ideo ab ira, quæ illos tetigit, fumum emisere. *Carbones succensi sunt ab eo*. Est cum carbonum nomine signi- 1.Cor.3. ficentur pœnæ: Est etiam cum igniti, & accēsi Dei sermones, qui animam purgant, ostendantur. Pœnas significant, ubi dicitur. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: Si sitiat, da ei bibere: Rom.12. Hoc enim faciens, carbones congeres in caput eius. Et illud. Cadent super eos carbones ignis, Psal.139. & destrues eos. Huiusmodi erunt tibi auxilio. Cum uerò ignitos Dei sermones, qui cogitationes animę purgant, per carbones significantur; habes illud Isaia. Et missus est unus ex Seraphim, Isa.6. & accepit carbones forcipe ab altari: Nam cogitationes animæ ad uirtutem præparatas accendit sermo Dei, & illustres, ac nitidas reddit: Actiones uero peccatorum purgando eas comburet. Eos uerò, qui eum ignem non suscipiunt, succendet æternus ignis. Illud uero. *Inclinauit cælos, & descendit*. Aptè ad diuinę prouidentiæ sermonem retulit. Nā cum Saluator homo factus in cœlis habitare dicitur, domiciliū mutat. In terris.n.uisus est, & cū hominibus conuersatus est. Cæterum nulla loci differentia, & situ in cœlis habitat, neque transitu descendit. Hæc Baruch 3. .n.ad corpora, uel ad res corporeas pertinent: Sed alia ratione cœlos habitare dicitur. Cum .n. in forma Dei esset, formā serui suscipiens, nulla in eo mutatione secundum locū facta descendit. Phil.2.

NICEPHORI. *Et commota*. Hic de Christo Prophetiā tradere aggreditur, & futura narrat tanquā pręterita: Per terrā aūt homines in ea habitantes intellige: Et cōmoti sunt ex lege, & Idololatria ad Euangeliū translati, perturbati, & cōmoti sunt, uidentes signa, & prodigia, quæ faciebat: *Et fundamenta*, Profundę elatorū Dæmonū cognitiones: *Commota sunt*, Ipsi etiā pariter ab illa potentia cōmoti, in qua dū uigebant, ualidiores, ac fortiores erant. *Quoniam iratus est eis*. Qđ adeo sęui essent, & tantā tyrānidē in homines exercerēt. *Ascendit fumus*. Vindictę pręcessit fumus, qui tirānū Dęmonē ex parte coercuit: *Et ignis à facie*. Si pręcessit fumus, cōsequetur ēt ignis, hoc est pfecta Dęmonis inualiditas Exardescet uerò.i.accēdetur. *Carbones succēsi sunt ab eo*. Ab ipso Christo succēsi sunt Apostoli, quia Deus ignis cōsumēs est. *Et inclinauit cælos*. Sine strepitu.n.descēdit. *Et caligo sub pedibus*, obscura.n.fuit uia humanationis, & incarnationis Domini. Deut.4.

DIDYMI. *Et ascendit super Cherubim*. Vox Cherubim cognitionis plenitudinem significat, idq; numero multitudinis: Vbi ergo multa, seu potius purissima cognitio est, illuc ascendēs per sublimē ac cœlestem cognitionē euolat. Non ignorandū est aūt quandā immortaliū animaliū speciē uberrima cognitione præditā hoc nomine significari: Huiusmodi igitur animantibus, ratione utentibus, atque ēt similibus animis insidens Deus per acutissimā cognitionē ascēdit. *Volauit super pennas uentorum*. Si de sensui subiectis uentis uerba hæc intelligantur, aptè dixeris Deū, iuxta Propheticū sermonē, alas uentorū, hoc est sublimitatē eorū supergressum ducere eos, quo ipse uult: Is.n.est, qui educit uentos de thesauris suis. Si aūt sapientes homines spiritu euectos, ac Psal.134. spiritus tanquā uenti emittentes uentos intelligas, horū quoq; pennis Deus innixus quouis uolat. Horū alæ sunt sublimiores, ac excelsiores cogitationes: Nā & beatus Paulus doctrinæ uentos appellauit, cū de iis, qui opinionū errore iactarentur, diceret. Ne circūferamur omni uento doctri- Eph.4. næ in nequitia hominū in astutia ad circunuentionē erroris. Quemadmodū ergò propè prauos præceptores uenti reperiuntur, quorū alis deceptores spiritus, & fallaces insident. Sic alis uen- Ioan.3. ti neræ doctrinæ Deus insidens, ubi uult spirat. Et hoc est uolare super pennas uentorum.

THEODORI. Ignē Dei uindictā appellare cōsueuit, ut aliàs irā ipsius Dei aduersus hostes per pręcurrentē ignē declarauit. Hoc idē innuit ubi dicit. Ignis ante ipsum præcedet. Hac eadem Psal.96. figura hic ēt utitur, ut notum sit, per ignem ante ipsum ostensum iram contra hostes significare. Quire sibi constans, per figuram, qua Deo corpus attribuit, dixit. Ascendit fumus in ira

eius: Siquidem ignis præcurrens exustionem ſemper indicat. Propterea ubi mentionem de fumo, conſequenter induxit. Carbones ſucceſi ſunt ab eo.

THEODORI Antiocheni, *Commota eſt & contremuit terra*. Cum Deus(inquit)& exau diſſet, & ad iram concitatus eſſet, primum quidem omnia commota ſunt,terra & montes: Dein de fumus tanquam iræ ſuę principium, apparuit. Poſt hæc ignis exarſit: hoc eſt per ultionem de hoſtibus ſumptam, palàm indignationē oſtendit. Deinceps cum uellet ſuppliciorum uehementiam, & acerbitatem explicare, conſequenter fictionem à corpore ſumens induxit. Nam ubi multum ignem ſuccenderis, & diu durauerit, multos neceſſe eſt carbones fieri: Quibus omnibus innuit, quod ſimul ac eum precantem exaudiuit, & in hoſtes concitatus eſt Deus, confeſtim omnia fuere concuſſa. Apparuit autem ſerie quadam ex rerum ſucceſſu ira eius: nam primum hoſtes ulciſci cępit, mox acrius ipſos punit: Demum cum diutius eos tollerauit, penitus delet: tunc enim perfici carbones ſolent, cum ignis magis auctus ſubiectas lignorum ſtrues combuſſerit.

ATHANASII. *Commota eſt terra*. Quę in Chriſti deſcenſu euenere narrat. Commoti enim ſunt omnes terræ incolæ, & regio omnis eius fama repleta fuit. Non modo enim Deus puniens, ſed & terrorem incutiens illa fecit. Quemadmodum in monte Sinà, & in aliis locis. Per hęc autem latenter innuuntur inimicorum ſupplicia, & admiranda illa, quæ in Chriſti mor-
Luc.23. te facta ſunt. Iuxta illud, quod ſcriptum eſt: Et uelum templi ſciſſum eſt medium, & terra
Matth.27. mota eſt.

HESYCHII. *Et fundamenta montium conturbata ſunt*. Quod ſi deſuper terram reſpi-
Pſal.103. cit & facit eam tremere, quomodo non conturbabit eam, ſi in eam deſcenderit? Per montes et intelligere poſſumus aduerſarias poteſtates.

ATHANASII. *Et commota ſunt, quoniam iratus eſt eis*. Quoniam per longa ſecula terræ incolas in multorum Deorum cultum malus Demon induxit.

CHRYSOSTOMI. Duplici de cauſa commota eſt terra, & quia Deus ad eam deſcendit, & quia illi iratus fuit. nam offendente, atque alliſo homine omnis creatura quadantenus offen-
Rom.8. dit, & alliſa eſt. Audi Paulum dicentem. Nam uanitati (hoc eſt humano errori) creatura ſubiecta eſt non uolens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe, ut.n.iræ particeps fuit, ita benignitatis fruitioni reſeruata eſt. Quare inquit Paulus. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

ATHANASII. *Aſcendit fumus*. Hęc autem Dei filius contra aduerſarias poteſtates ſine ſtrepitu operatus eſt, ignem illorum extinguens igne alio potiore, & ardentiore.

HESYCHII. Iratus (inquit) eorum ignem reſtinxit, quo olim homines inflammauerat, & huius ignis ſignum poſuit fumum tanquàm in lampadibus.

1.Cor.3. ORIGENIS. *Et ignis à facie eius exardeſcet*. Comburentes ligna fęnum, ſtipulam. hoc eſt comburens prauos habitus. Ita enim quondam incendit Publicanum, Matthęum, & perſequutorem Paulum.

HESYCHII. *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo*. Carbones Apoſtolorum chorum ſignificat.
Act.2. Nam cum in die pentecoſtes huius ignis compotes facti eſſent, & flammeas linguas accepiſſent, meritò carbones dicti ſunt: nam gentes cognitionis lumine illuminarunt, & à ſordibus peccatorum eorum mentes expurgarunt. Quo uerò pacto hæc peracta ſunt, ex ſequentibus diſce. *Inclinauit cælos*, ut terram cœlo coniungeret, & communionem inferioribus cum ſuperioribus præſtaret: quod nulla ratione fieri poterat niſi deſcendiſſet, nam eo modo in terram deſcendit, quatenus ſuſcipi poſſet: Hoc autem in carne fuit quam caliginem ſub pedibus eius appellauit.

ISIDORI Peluſiens. *Et carbones*. Succenſi à Deo ſancti cum eo uniti lampades in mundo apparuerunt.

DIDYMI. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum*. Deus eſt, qui lucem inhabitat
1.Timo.6. inacceſſibilem: ſcilicet filium, qui eſt lux uera, & ſpiritum ſanctum, qui ſapientiæ co-
Ioan.1. gnitionis ſubſtantia eſt, ut de hoc lumine dicatur, & lux cum ipſo eſt. Verum quoniam iuxta aliam rationem ſubſtantia eius comprehendi non poteſt, dicitur poſuiſſe tenebras latibulum ſuum: nam quod obſcurum eſt, & comprehendi nequit ob rei profunditatem, tenebræ nuncupatur: Iuxta illud: Cognoſcetis parabolam, & ſermonem obſcurum: Et:
Eccl.39. Deus eſt, qui profunda è tenebris in lucem euehit: nam quę captu difficillima ſunt, manifeſta reddit.

ATHANASII. Tabernaculum eius ſanctam Eccleſiam dicit, in qua dicitur habitare.

In circuitu

In circuitu eius, Dictum est hoc iuxta illud. Si duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, Matth. 18. ibi sum in medio eorum. *Latibulum* uerò dixit, id, quod de diuitiis in consilio diuino tegebatur, & inuisibile Dei, ne per ea, quæ attulit ad corporeas quasdam imaginationes deueniamus.

CYRILLI. Tenebras hoc loco appellauit caliginem ex incomprehensibilitate, quæ in mentem nostram, quasi in oculos cadens, cum qui cum Patre æternus est, tempore metiri non permittit.

ORIGENIS. *In circuitu eius tabernaculum eius.* quemadmodum nemo in tabernaculo degentem uidere potest, nisi tabernaculum ingrediatur, ita nec Deum quisquam intuebitur, nisi intra eius incomprehensibilitatis uelum, & aditus penetrarit: Nam & Moses caliginem, in qua Exod. 24. Deus erat, ingressus est. Nam cum in contemplatione, ac in opificio, & prouidentia speculanda immoraretur. Deum in his contineri cognoscit. Nam cum tabernaculum modicè aperuisset, cō templatus est eum, cuius est imago, per ea, quæ imaginis sunt, opificem, & prouisorem, ex prouidentia, & opificio percepit.

THEODORETI. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, quemadmodum (inquit) aer nubium coactione & densitate obscuratus coruscare solet: Ita uniuersorum Deus cum cerni non possit, radius arcanæ lucis intellectuales emittit, & ultrici flamma flagitiosè uiuentes ulcisci solet.

HESYCHII. Nubes Prophetæ sunt, qui spiritus efficaciam tenent, quarum aqua tenebrosa, hoc est obscura erat ante Domini aduentum: ubi uero Christus illuxit, uerba, quæ prius fidem nullam habebant, res ueræ apparuere. Vnde meritò subiunxit, *præ fulgore.*

THEODORI ANTIOCH. Cum Propheta animaduertisset ex huiusmodi figurata dicendi forma indecentiam quandam, & humilitatem emersisse, quorundam interiectione sermonem auget, ueluti, cum dixit, *Descendit* & *nubes habuit sub pedibus eius*, cum inquam humilis hinc uideretur præsentia eius, per interiectionem dixit illud: *super Cherubim*, ut ipsum tanquam regem curru uectum, atque ita post modum uenturum ostenderet. Deinde consequentia contexens dixit. Et *posuit tenebras latibulum suum:* quod consequens est illi. *Et caligo sub pedibus eius* Sed quoniam longam fecit de tenebris mētionem uisa est indecentia quędam figuræ inesse, ideo cadentem confirmauit, inquiens: *In circuitu eius tabernaculum eius*, Tenebras (ait) contra inimicos proiecit sese occultans, neque se uideri permisit. *In circuitu eius tabernaculum* eius. hoc est lux erat, quemadmodum beatus Paulus de ipso ait. Lucem habitat inaccessibilem: utraque enim 1. Tim. 6. eundem sensum habent: nam quemadmodum lucem inhabitare perhibetur, ita & tabernaculum Dei propriè lux appellari potest. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, Cum per interiectionem dixisset, *in circuitu eius tabernaculum eius* consequenter cum superioribus, hoc est cum eo, *posuit tenebras latibulum suum*, coniunxit illud. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris:* Nam caligo, & tenebræ se consequuntur. perturbauerat enim aerem omnem, & eum tenebris obduxerat, & omnia erant tenebræ, & caligo, ut ab iis, quæ in aere fiunt, iram Dei effingeret, Aeris enim collectio tenebras, & caliginem inducit: quare aptè dixit: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris:* Nanque hoc fieri necesse est, ut scilicet aqua in nubibus aeris densitate nigrescat.

DIDYMI. Sæpe uidimus in sacris literis per nubes Prophetas significari: nam cum domū Israel uineam appellasset, iussit nubibus ne pluerent super eam. non alias planè, quam Prophetas Isa. 6. apud eos fuisse compertum est: Siquidem non amplius apud eos dicebatur: Hæc dicit Dominus: & Factum est uerbum Domini ad me. Ad has usque nubes ueritas coruscat, quare huiusmodi nubes imbre diuinorum uerborum animos irrigantes, non terrenę, sed aeriæ sunt, & à terrestribus secretæ propria uirtute, ac cooperatore spiritu eleuatæ, cęlestibus insistunt. Aqua igitur, quæ in ipsis erat ante Dei descensum, & manifestationem obscura, & tenebrosa dicebatur, quod pluribus esset intellectu difficilis. Cum uerò Deus in Filio nouissimis diebus loquutus esset, & lex Heb. 1. & Prophetæ præ fulgore ipsius idest splendore impleti fuissent, nubes manifestæ, & admodum claræ factæ sunt, in conspectu illius congregatæ. propterea quod is, de quo prius occultè prædicauerant, manifestò illuxit.

EVSEBII. Occultam, & internam Saluatoris conuersationem, quam modo etiam post ascensionem eius cum hominibus habet, Propheta docet hoc loco, dicens: *& posuit tenebras latibulum suum*, latet enim atque adeò ignoratur nobiscum esse, iuxta illud: ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Tabernaculum uerò eius nihil aliud significat, quam san Matth. 28. ctam Ecclesiam, in qua se habitaturum promisit: nam dixit. Vbi duo, uel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Quoniam uerò prædicta de ipso oraculo obscurè, & Matth. 19. in tenebris dicta sunt, meritò postea subiunxit. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, Quod uero nubes

bes, Prophetas, & pluuiam ab illis demissam hoc est Propheticos sermones diuinus spiritus nun cupare consueuit, docet Isaias, populum per allegoriam uineam appellans, cum dicit: & nubes non pluant super eam imbres.

NICEPHORI, *Et ascendit super Cherubim*, Hoc uaticinium de Christi ascensione affertur. *Et posuit tenebras* inuisibilitatem intellige, & incomprehensibilitatem eius diuinæ naturæ. *In circuitu eius tabernaculum*, Nam sanctam eius carnem non dimisit. *Tenebrosa aqua* Nubes, diuinæ scripturæ: aeres, Prophetæ: tenebrosa aqua occulti de Christo sermones.

Præ fulgore nubes in conspectu eius transierunt, grando, & carbones ignis.
Et intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit uocem suam.
Misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos,
Et apparuerunt fontes aquarum. & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum,
Ab increpatione tua Domine ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

THEODORETI. Hęc temporibus nostris frequenter euenere: bellis enim proximis, Aquilonares Barbaros, qui nos inuaserant, grandine, ac igne consumpsit. Et Persas, qui nuper ab oriente nos bello inuaserant, & sine sanguine urbes nostras diripere sperabant, huiusmodi laqueis irretiuit, & ulterius progredi prohibuit: nam alios quidem cæde mulctauit, alios uerò cædis nuncios remisit.

EVSEBII. Docet hic sermo, quæ post Saluatoris ascensum eius uirtute peracta fuere. Ascensum illius apertè ostendit, cum dicit, *Et intonuit de cęlo Dominus.* Quomodo uero intonuisset, qui superne cęlos inclinauit, & descendit, nisi omnino ascendisset? quod inde notum fuit. *Et ascendit super Cherubim, & uolauit, uolauit super pennas uentorum* proinde illum descendisse, mox ascendisse, demum de cœlo intonuisse monstratum est, ac deinceps quæ superius scripta sunt, suis hostibus intulisse. primum quidem, *præ fulgore eius in conspectu eius nubes transierunt,*
Exod.9. *grando, & carbones ignis*, quemadmodum in septima plaga AEgypti dictum est. Dominus dedit uocem, & grandinem, & percurrit ignis super terram, pluitque Dominus super AEgytum, erat autem grando & Ignis in grandine mixtus, & percussit grando cuncta in terra AEgypti. Et hæc omnia facta sunt, ut ab AEgyptiorum seruitute Dei populus eriperetur. Ita & hoc in loco prius quam Ecclesiam, quæ de gentibus conflata est, ab Idolorum seruitute in libertatem uendicaret, & animas de manu impiorum aduersus intellectuales AEgyptios liberaret, ultrices illis imminẽtes potestates amouit: nam occultis plagis Dęmones, qui multorum Deorum errorem induxerant, affecti sunt, unde illorum uaticinia, & oracula dissoluta sunt, & templa in solitudinem redacta, donaria item abdita, & occulta potentia sublata fuerunt, quæ omnia Dominus, post suũ in cœlum ascensum perfecit.

DIDYMI. Vbi obscuræ, & atræ nubes per Domini manifestationem in lucem conuersæ sunt, nullus excusationis locus peccatoribus relictus est, quare fulgorẽ nubium grando, & carbones ignis statim exceperunt: quibus uocabulis suppliciorũ genera significantur. Cumque ea, quæ de Christo uaticiniis prænunciata sunt, euentum sortita fuissent, illico, *intonuit de cęlo Dominus* quod ostensum est partim ex eo, quod magniloquæ de filio Dei prophetiæ, exitum, &
Matth.17. finem habuerunt, partim ex eo, quod Deus sublimes Theologiæ sermones singulorum mentibus immiserit, qui apertè dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quin &
Matth.16. Filium suum reuelans altissimus dat uocem iis, qui sublimia de Christo interpretantur. quando non caro, nec sangnis, sed Pater cœlestis Filium reuelauit. Quemadmodum uero iis, qui mente, & affectu ad Dei uisionem anteparati sunt, & interioris hominis aures aperuerunt, intonat de cœlo Dominus, & altissimus dat uocem suam, ut præ tonitru cœlitus misso ab imis, & terrenis re-
1.Cor.15. bus in altum euecti, cœlo appropinquent, ita iis, qui contrariis rationibus affecti, ac deprauati sunt, sagittas immittet, quæ sceleribus coinquinatos, & in malo consentientes perturbare, ac dissipare poterunt. Sagittas hoc loco sermones uocat, qui supplicia prædicentes comminantur: Sat enim sunt minæ ad terrorem, & perturbationem in animis commouendum. Vbi uerò minas sub enigmatum inuolucris intentatas deprompserit, & tanquam fulgur coruscans apparuerit, prædictis sagittis disiectos conturbabit: nam dissipati tanquam in confusione positi, scelerum, & malorum operum consensionem, & communicationem abiiciunt. *Et apparuerunt fontes aquarum*, Cum prædicta finem consequuta fuerint, tum sententiæ, ac cogitationes, quæ in animis nostris à Deo insitæ sunt, semota omni malitia, & ignorantia aperientur: & omnis cœlitus inspirata doctrina manifesta reddetur: Nam cum nobis ad Deum connexis, ablatum fuerit ignorantiæ, ac cœcitatis uelamen, tunc insiti aquarum fontes aperientur, ut facilè, affluenterque ex illis aqua exhauriri possit: Iuxta illud. Haurietis aquas cum gaudio de fontibus

tibus Saluatoris: Hæc enim aqua lętitiam,& iucunditatem affert, quoniam de fontibus Saluatoris hauritur, qui quidem fontes perspicacibus, & iis, qui uel in hac uita Deum uidere possunt, distributi sunt. Quemadmodum dicitur in ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Psal.67.

Athanasii. *Præ fulgore nubes*, hoc est statim ab aduentu suo prophetias aperuit, & manifestas reddidit, euersis hostibus, apparuerunt fontes aquarum, hoc est euangelicus salutaris sermo: qui etiam orbis terræ fundamentum factus est; Nam super ipsum ædificati sumus. Vel sic: Fontes intellige sanctos Prophetas, ut qui salutares sermones edant. Ita enim de illis scriptum est: Isa.12. Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris. Fundamenta quoque orbis terrarum Mosis sapientissimi scripturam accipies: in ea enim Christi mysterium, fidei, ac diuinæ cognitionis basim, & fundamentum à Prophetis in scripturis designatum inuenimus. Apparuerunt igitur fontes, idest manifestati sunt. An uerò fontes, uel fundamenta orbis terrarum sanctos Apostolos dicere possumus? nam & ipsi salutarem prædicationem emittunt, & subcœlestis Ecclesiæ fundamentum ab ipsis iactum est, Fontes quoque & fundamenta orbis terrarum baptismum salutarem interpretaberis.

Didymi. Cum per ea, quæ quis agit, dicit, & cogitat, quibusdam quasi iactis fundamentis orbis terrarum ædificatur, haud aberrabis à uero, si fundamenta orbis terræ habitus, uoces, & affectus intelliges. Cum ergò homines nequam sagittis suis dissipauerit, & conturbauerit, abditis hominum consiliis, factisque splendore fulgurum eius iam patefactis, reuelante Deo abscondita tenebrarum, ac fundamenta terræ, tum terræ fundamenta è tenebris eruet: idest profunda è tenebris eximet Deus: qui pœnis, ac suppliciis increpat homines: quod si diuinos uiros propter uitæ constantiam, & uirtutis firmitatem, super quibus ædificantur, qui secundum Christum instituuntur, fundamenta orbis terrę appellaueris, hi quoque dum nefarii homines increpabuntur, hi inquam reuelabuntur: nam cum huiusmodi fundamenta supplicium nullum attigerit, manifesti fient.

Athanasii. *Ab inspiratione spiritus iræ tuæ* subintellige: sublati sunt prædicti hostes. Non autem statim cum peccant homines, eos Deus punit, Nam si hoc fieret, ipsi planè interirent: nam iræ supplicia præ singulari bonitate sua longè ante prenunciat, quam infligat: Ait enim Docebo eos in tribulationibus eorum: Et hoc in Deo dicitur inspirare spiritum iræ suæ.

Eusebii. Fundamenta orbis intelliges sapientiæ Dei uires, per quas, & quondam creatura omnis fundata est. Et post hæc orbis firmatus est, qui non commouebitur in æternum: Quod si placeat Ecclesiam Dei per orbem terrarum intelligere, & fundamentum petram illam Psal.92. firmam, & immotam supra quam extructa est, iuxta illud, supra petram ędificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: petra autem erat Christus: Vel iuxta Apostolum, de quo ipse docens ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum Matth.16. est, qui est Christus IESVS. 1.Cor.3. post quod fundamentum, etiam Ecclesiæ fundamenta sunt prophetici, & Apostolici sermones secundum Apostolum dicentem: superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide IESV Christo: Si hæc inquā tibi magis arrideant ita intelligere, nihil à ueritate aberrabis. Eph.2. Hæc itaque orbis fundamenta reuelata sunt, cum Dei hostes oculis animi nostri, ne diuina contuerentur, tenebras offundebant, de medio sublati, missis à Domino sagittis dissipati sunt, & effugerunt ab increpatione Domini, & ab inspiratione spiritus iræ eius: Nos ergò ab illis exempti, ac suspicientes aquarum fontes meritò uidimus, & orbis terræ inspeximus fundamenta.

Theodoreti, & hoc multis in regionibus factum est, Nam terra scissa est, & commota. Et hiatus profundi in montibus uisi sunt: aridis in locis aqua exorta est, Hæc autem omnia omnium moderator agit, cum ultricē eius potentiam ostendit: docetque statim posse extremam perniciem afferre: Verum quæ benignitas sua singularis est, ultionem differt, ac pœnitentiam expectat.

Nicephori. *Præ fulgore*, A claritate diuinæ præsentiæ, tenebrosæ scripturæ & prophetiæ solutæ sunt, seu manifestatæ sunt. *Grando & carbones ignis* Grādini prophetiæ comparantur propter obscuritatis duritiem: igni uero, quia instar ignis infidelium contradictiones consumunt. uel quod terrorum plena sunt Prophetarum uerba. *Et intonuit de cælo* Pater de cœlo testimonium de Filio dedit. *misit sagittas*, Sagittæ sunt discipuli Domini, quia Dæmonas dissipauerunt. *Et fulgura multiplicauit* eosdem discipulos, & sagittas & fulgura intelligito, & fontes aquarum, uel doctrinarum, & fundamenta orbis terræ, qui fidei sedem, ac stabilitatem populo Domini statuerunt, *Ab increpatione tua Domine*, Hæc autem facta sunt, cum tu increpasti Dæmones,

mones, & illis iratus fuisti.

HESYCHII. *Præ fulgore*, Fulgor dicitur splẽdor procul apparẽs, splendor Christi non solũ iis, qui propè erãt sed gẽtibus quoq; resplẽduit. Nubes *in conspectu eius*, Hoc est Prophetæ habitabiles orbis partes pcurrerunt, Nã latẽtes in Iudæa prophetas, notos in omni terra per Euãgelicã doctrinam Christus reddidit. *Grando & carbones ignis*, legis, & prophetarum literam per grandinem intellexit. per carbones ignis spiritum in litera latentem significare uoluit. Cœterum quemadmodum grando nil aliud est, quam aqua frigore concreta, quæ delata germinibus nocet, in aquam uero soluta, prodest, sic & litera donec insoluta fuit, hoc est non interpretata, nihil utilis erat, sed potius auditores; lædebat, postquam uerò spiritus doctrinne interpretabilis reddita, & explicata fuit, proficua suscipientibus facta est, ita ut nulla inde legitimà excusatio relicta sit, his, qui post legis manifestationem increduli sunt, *Et intonuit de cœlos Dominus*, Hæc
Ioan. 12. (ut dixi) tempore Christi facta sunt, Venit enim uox de cœlo (inquit Euangelista) & clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergò quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Et Christus filios Zebedæi filios tonitrui uocatis ad intonandum misit. Hoc autem Symmachus ita. Et altissimus dedit uocem suam, cum grandine, & carbonibus ignis: *Misit sagittas suas &*
Can. Abac. *dissipauit eos*, Sagittas & fulgura uocat Apostolos, de quibus dicit Abacuh. In lucem iacula tua
Psal. 126. ibunt, in lumen fulguris armorum tuorũ. Et, Sicut sagittæ in manuũ potentis, ita filii excussor. Aut per sagittas martyres intelligit, Aut clauos manuum, eius iuxta lyricorum dicta μελωδὸν ἐρρῖψας βέλη κατὰ τοῦ παλαμναίου τοὺς ἥλους σοῦ τῶν χειρῶν.

ORIGENIS. *Fulgura multiplicauit*, Quando spiritalia spiritalibus comparamus, tum fulgura mittimus, lucem ab eis prouenientem manifestantes: poteris quoque per fulgura diuini præconii fulgores, & splendores intelligere, quo obscura Prophetarum uerba explicantur.

CHRYSOSTOMI. *Et apparuerunt fontes aquarum*, Scilicet euangelica præcepta è quibus tanquam ex fontibus omnia salutis dogmata emanarunt.

Matth. 5. ORIGENIS, Per fontes intelligit uirtutes, ex quibus cognitio proficiscitur: Beati (inquit)
1. Cor. 3. mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt: *Et reuelata sunt fundamenta*, Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter illud, quod positum est, qui est Christus IESVS.

HESYCHII. Hoc ad sensum minimè factum est, sed per fundamenta intelligit radices, & occasiones peccati: Nec est, quod mireris si prauam politiam nomine orbis appellauerit: Quoniam Dominus ait, totum mundum in maligno positum esse. Vel Fundamenta orbis
Ioan. 5. Euangelicus sermo est, quo fundatus est, aut uetus testamentum, est enim fidei quasi crepido; Aut Sancta Trinitas ignorantibus cognita & reuelata. Aut sancti uiri propter uitæ constantiã, & doctrinæ soliditatem *Ab increpatione iræ tuæ*, increpatio medella quædam est ei, qui increpatur & corripitur, adhibita, ut à malis perpetrandis desistat increpati, aut febrem, uentos, & ma-
Luc. 4. Matth. 8. re, apparuerunt, quę ad fidei rectitudinem spectant, & diuinam iram sentientibus tyrannis sancti illustres, & cogniti facti sunt.

Misit de summo, & accepit me, assumpsit me de aquis multis.

Eripiet me de inimicis potentibus, & ab ijs, qui oderant me quoniam confirmati sunt super me.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protectio mea.

Et eduxit me in latitudinem, & eripiet me, quoniam uoluit me.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodiui uias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

THEODORETI. Manifestam fecit hostibus meis curam, quam de me habet, cum dixisset *Misit de summo, & accepit me:* uidelicet omnibus persuasum esse uoluit, se de cœlo mihi opem demisisse. Hoc autem cura me dignum putauit, cum inimicis fortior apparuerim: nam *confirmati sunt, super me (inquit) præuenerunt me in die afflictionis meæ*. Hic latenter defectionem Absalon innuere uidetur, postquam peccauit. Nanque afflictionem, quam Symmachus miseriã appellat, imbecillitatem animi, qua peccatum commisit, nominauit.

EVSEBII. Illum enim absortum, & tanquam captiuum comprehensum, cum Deus Pater Filium suum misisset, rursus assumpsit: Vnde uerò assumpserit, iam declarat, inquiens, *de aquis multis*, Nam & in sexagesimo octauo psalmo dixit. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Quarè consequenter gratias agens superius dicit: *Et assumpsit me de aquis multis*, sed quas aquas intelligat, apertius declarat, cum dicit. *De inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me, quoniam con*

forta-

fortati sunt super me præuenerunt me in die afflictionis meæ Hinc quoque spiritus sanctus annunciat, Deum de aquis multis, illum assumpsisse, & in libertatem ab inimicis, qui quondam eum oppresserant, restituisse.

DIDYMI. *De aquis multis*, Aut de turbulentis, atque amaris huius uitæ aquis, uel ab aduersis potestatibus, confusis, & turbatis. Considera num impietatis dogmata, quæ nullum, aut multos Deos asserunt, sint aquæ multæ, quæ non possunt charitatem extinguere? Inuisibiles uerò hostes fortissimos inimicos dixit, à quibus Deus seruat, Forte uero & homines intelligit dignitate, uel excellentia quadam præstantes, & qui graues errores falso cognitionis nomine inducunt: Et cognitiones quoque illæ fortissimi hostes sunt, quæ de diuina prouidentia conqueruntur, aut etiam qualibet alia impietate infectæ sunt, petit etiam se liberari ab his, qui oderunt eum, idque sine causa, cum iam contra eum inualuissent, proinde cum nullus propterea quod malus sit, odio habeatur: sed eum uel propter Christum, uel propter uitam rectè institutam praui homines pietatis osores odio prosequantur; Hanc apud Deum confidenter orationem habet. Cæterum ex iis, qui iustos oderunt, alii sunt, qui fidelium conuersationem, oderunt, quoniam morum, & institutorum suorum eam indicem suspicantur: Alii etiam cum bonos afflictos cernunt, eos hostiliter inuadunt: nam prouidentiæ iudicium ignorantes, eos propter peccata eorum affligi opinantur: *Iob.15.* Etenim qui cum Iob disceptabant, ignorantes tentationis, & afflictionis eius uirtutem, nesciebant eum pati, ut iustus appareret. Sed cum peccatum malè afficiat homines, insurgunt Dæmones, & fortiores euadunt. Sed in tempore tribulationis confugientem ad se Deus, ne concussus cadat, confirmare, & munire, ac protegere solet. Et de anima perfecta illud etiam dictum: *Et factus est Dominus protector meus*, De qua, cum Deum uerbum tanquam protectorem habeat, loquentur illi, qui ascensum, & splendorem illius admirati dicunt. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, & innixa super fratrem suum? *Cant.8.* Aquas uero tentationes dicit.

EVSEBII. Ad ea transit, quæ ab eo in peccato, & in pœnitentia facta sunt. Iam (inquit) confessione mea, precibus item ac supplicationibus exauditis fulcimentum meum, & propugnaculum meum factus est Dominus: nam cum euerti, & miserè labi deberem, & interitus mihi acerbus immineret, si post peccatū à Deo penitus defecissem, ipse præsto affuit, & munimen, ac protectio mihi factus est: Nam misso ad me Nathan Propheta, peccatum meum detexit, quo cum prolaberer, iterum ne caderem, sublcuauit, correxit, atque etiam in latitudinem eduxit. Et in loco spatioso (ut Symmachus uertit) & amplo me collocauit. Nam positum in angustiis, & de salute mea desperantem liberauit, & in latitudinem eduxit me, ut ibi recreari, & colligere me, meæque ualetudinis curam gerere possem. Veruntamen me planè etiam liberabit, remittetque peccata mea, quo tempore ipse iuxta prophetarum prædictiones aduenerit; idque præstabit beneficus Dominus, *quoniam uoluit me*, Vel secundum Aquilam, quoniam consultus est in me: non enim auersus est, neque me de peccato meo monuisset, nec Prophetam ad me suum misisset, nisi me saluum uoluisset, Noui enim ac probe persuasus sum illum, tempore quo iustum iudicium suum laturus est, delicti mei, ac scelerum meorum in die calamitatis meæ non recordaturum. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*, nam iustitias meas reliquas & quicquid unquam uirtute, ac honestate præstiti, tanquam in trutina cum statera, & delicto meo comparans, illas delicto longè uberiores inuenisset: ideo non retribuet mihi iuxta peccatum meum: iam enim uiuenti retribuit maxima calamitatum congerie, quibus grauiter oppressus sum, sed secundum reliquas iustitiæ actiones in die iusti iudicii sui rependet mihi. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*. Nam sordes, quibus infectæ manus meæ prius erant, lachrimis detersi. Et ero immaculatns cum eo.

THEODORETI. Me (inquit) dum planè impelleret, & propè deiicere, confirmauit Deus: Et angustias loci in latitudinem redegit: pro interitu ab hostibus expectato uitam dedit, quod & in alio psalmo dicit: impulsus, euersus ut caderem, & Dominus suscepit me: *Saluum me faciet* *Psal.117.* spero autem & in futurum quod eadem ope me dignum faciet; & hostes superabo, quantalibet potestate ualeant: Non iniustè mei curam habet, qui mentis, ac propositi mei inspector est: nouit enim omnia mea studia ad eius præcepta custodienda intenta esse: Nam ubi ostendisset se Deo maximè curæ fuisse, iustè id etiam sibi concessum declarat; ut auditores ad uirtutem hortaretur; & nos eam nulla ratione consequi posse doceret, nisi purè Deum diligemus: Cæterum Propheta noluit, omnium suorum rectè factorum numerum recensere, sed hæc fundamenta quomodo diuina cura digni fieri ualeamus.

NICEPHORI. *Misit de summo*, Quæ sequuntur de se ipso Propheta loquitur. *Assumpsit*

me

me, per multas aquas calamitatum: aut inimicorum multitudinem intellige. *De inimicis meis* potentes inimici hic Dæmones intelligendi sunt, *præuenerunt me*, Verbum, præuenire, non semper significat præoccupare: sed aliquando occupare simpliciter, & inuadere; *In tempore autem afflictionis meæ*, hoc est in tempore infirmitatis animæ meæ. *Secundum iustitiam*, Iustitiam intelligito prophetæ manuum puritatem, hoc est immaculatum esse, & irreprehensibilem.

ATHANASII. *Misit de summo & assumpsit me*, Verè humanum genus seruauit de cœlo nobis sancti spiritus donum demittens, Theodotio. De cœlo salutem mihi tribuit.

ORIGENIS. *Quoniam confirmati sunt super me*, Ex his agnoscimus, quod ante Saluatoris aduentum Dæmones nobis fortiores erant, nunc aût nos illis fortiores sumus, quibus dedit Christus calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici. Luc. 10.

HESICHII. *In die afflictionis meæ*. Dies afflictionis hominum fuit dies quo transgressus est homo, in qua Dæmones decipientes nos præueniunt.

CHRYSOSTOMI. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*, At qui nullam aliam iustitiam possidemus, nisi Christum, qui secundum magnum Paulum factus est nobis sapientia à Deo iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

ATHANASII. Persuasus sum, quod tempore iusti iudicii eius immemor peccati mei secundum iustitiam meam retribuet mihi: nam alias actiones meas, quascunque ex iustitia feci tanquam in lance, opponens peccato meo longè plures, ac potiores & peccato à me perpetrato præponderare inueniet. Monet sermo eum, qui ex imbecillitate labitur posse per sequentes honestas actiones in pristinum gradum reponi. Cœterum qui hæc loquitur, nihil sibi tribuit; quare ad Saluatorem aiunt hæc referri, qui ex eius persona hunc psalmum dictari dicunt, tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Iustitiam uerò uocat in uniuersum actricem uirtutem: puritatem autem manuum actrices facultates, & actiones sordium immunes, & ab optimo habitu proficiscentes. Cœterum ab omni iactantia alienas benefactorum suorum causas Deo tribuit. Vias autem mandata intelligit: Non impiè autem se gerit ab eo, quicunque ueritatis dogmata, & assertiones probè, ac rectè explicat. Heb. 4.

Matth. 7. ORIGENIS. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*, qua mensura mensi
Psal. 118. fueritis, remetietur & uobis: sanctorum autem uox ista est, qui præ ingente fiducia dicere pos-
Rom. 3. sunt, Retribue seruo tuo: iustitiam uero eam intelligit, quæ est ex fide IESV Christi, quæ ma-
Rom. 4. nifestata est in omnes credentes, nam iis qui rectè credunt fides ad iustitiam reputatur.

HESYCHII. *Secundum puritatem manuum mearum*, paruas faciunt manus, qui aliena nô rapiunt, & nullo melius qui eleemosinam faciunt, illis enim ipsis manibus à iusto iudice merita rependuntur.

ORIGENIS, Puritas manuum est ex Christi gratia affectuum solutio, addita quoque hominis animi propensione: puritatem manuum propheticarum actiones quoque & efficaciam intelligit, quæ ab optimo habitu mundæ & incoinquinatæ redditæ sunt.

HESICHII. *Quoniam custodiui uias Domini*: Hoc est præcepta, per quæ ad Dominum accessi, quæ qui seruat meritò honestatur, operibus pietatem in Deum insigniens, & sigillans.

ATHANASII. *Nec impiè gessi à Deo meo*, iustis enim qui promptè illi parent mercedem rependit: ille autem non se impiè gerit, qui uera dogmata suscipit.

Et omnia iuditia eius in conspectu meo, & iustificationes eius non recesserunt à me.
Et ero immaculatus cum eo, & custodiam me ab iniquitate mea.
Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.
Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris.
Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.
Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.
Quoniam tu illuminabis lucernam meam, Domine Deus meus illuminabis tenebras meas.

EVSEBII. Cum prius dixisset, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*, describens quæ nam esset illius iustitia, & quo modo suas manus detersisset, inde prosequitur. Quoniam ergò hæc mihi (inquit) præscripsi, & tot mihi curationes adhibui, iterum eundem mihi sermonem uendico, non nescius, quod Dominus secundum ea, quæ prędicta sunt, retribuet mihi. Illud, *in conspectu oculorum eius*, Symmachus uertit, corã oculis eius: non enim oculis hominum ostendere, aut probatè puritatẽ meã, studui, neq; ut multis placerẽ, sed corã oculis ipsius iudicis omne studiũ puritatis męę proposui.

DIDYMI.

DIDYMI. Qui non propter Deum, sed gloriæ cupiditate, aut quauis alia de causa irreprehensibiles sunt, absque peccato, & immaculati esse possunt, non tamen coram Deo: qui uerò propter Deum, nec alia causa honestatem amplexatur, corā Deo sunt immaculati: Hæc.n. cū Deo so la coniunctio, immaculatos & bonos custodit. Qui uerò longè à Deo seiuncti sunt, statim reprehensibiles fiunt & contemptibiles filii propter peccatum efficiuntur. Sed quænam est iniquitas eius qui exactè prædicta seruat? An fortè hoc est quod dicere intendit? quia hominis mens prona est ad malum à iuuentute, ut quæ semper, quod uoluptarium est, propensè sequatur; qui uero legi Dei se dederit à præfracta hominum iniquitate cauens se custodit. Illud etiam fortasse, quod apud nos legitur, sapientia carnis inimica est Deo, & legi eius non est subiecta: iniquitas hominis est à qua se ipsum seruat, qui spiritu facta carnis mortificat, & ab operibus carnis abstinet. Rom. 8.

DIONYSII. *Et ero immaculatus*, quando (inquit) omnino immaculatus fuero, tū perfectè bona consequar, omnium enim rectè factorum inspector est Dominus, ipsa nanque manuū puritas ad pias cogitationes refertur, cum manus puritatem cogitant, dum incontaminata opera fidei moliuntur, sine quibus fides mortua est.

THEODORI. *Et ero immaculatus*, Et quomodo hoc fieri pōt? *Et custodiā me ab iniquitate mea*. siquidē cū ab iis, quæ malè egerim, tēperauero, integer posthac & purus ero, Sic David de recte factis suis mētionē facere coactus, ut diuinæ prouidentiæ iustitiam ostenderet, patratum facinus cœlare noluit.

ATHANASII. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo*, Qui secundū Deum homo est, diuinū timorē ante oculos continēter habēs cū fiducia, & libertate corā Deo agit. Iudicia Dei si inquirātur, inscrutabilia sunt, & abyssus multa, quoniā pp obscuritatē cōprehēdi nequeūt: Fieri tamē haud pōt, ut qui iudicia Dei præ oculis habet, ægre ferat Dei prouidentiā, & iudicio Dei cuncta disponi: nā uel ex ipso iudicii nomine iustū eē iudiciū cognoscitur: ius.n. dat, uel iustitiā, dicit, cū oīa iudicia, quæ citra rectitudinē fiant, eo additamento nominētur, ut nō iudicia, sed iudicia puersa dicātur: propterea dictū est, Egrediatur iudiciū puersum: Et iustitias eius nō repuli à me. Adhæreo (inquit) iustitiis Dei: Ab illis.n. recedūt, qui eas nō amplectuntur. Iustitiæ uero hoc loco dicuntur, quæ iustitiæ causa, & æquitatis lege sancita sunt, ut illud. Si emeres seruū Hebræū, & reliqua: nam prius dixerat: Hæc sunt iudicia, quæ propones eis. Verum cum iustitias unà cum iudiciis nominet, purgatos, ac probatos Dei sermones hæ, iustitiæ significare possunt, qui sermones cum iudicantur, nec argui, nec peruerti possint: iudicia nuncupātur, iustorum quoque cogitationes ponderatq;, & probate diligēter cum similes æquilibrio sint: iudicia meritò dici possunt. Exod. 21.

ATHANASII, *& iustificationes eius non recesserunt à me*. mandata intelligit per iustificationes, ea decedunt ab illis, qui ea non admittunt.

ORIGENIS, *& ero immaculatus*, immaculatus est ille, qui uiam Dei in se habet, Christum scilicet, ego enim, (inquit) sum uia: immaculatam hāc uiam, & ipse David appellat inquiēs. Deus meus immaculata uia tua. Ioan. 14.

IOANNIS GEOMETRÆ, solus qui cū Deo est, immaculatus esse potest, cōiunctio.n. & unio cum Deo immaculatos seruat, A qua siquis seiunctus est reprehensibilis filius efficitur, & si quis propter gloriam humanam irreprehensibilis esse uult non est cum Deo.

THEODORETI. *Cum sancto sanctus eris*, Pro mentis affectu ò Domine hominibus uices reddis: nā sanctis, quæ sanctitatē decent, rependis, & innocentibus, atque à peccato liberis consentanea præstas, iis uero qui declinant à uia, & contrarium iter ambulant, congruum uiæ finem accommodas, sed quo modo, aut qua ratione? *Quoniam tu populum humilem saluum facies & oculos superborum humiliabis*. nam his, qui animo demisso sunt, & in calamitatibus se temperatè gerunt, salutem largiris, & eos illustres reddis: qui uerò supercilium tollunt, ac superbiæ inseruiētes uiuūt, hos in terrā cogis despicere, & secū naturæ suæ uilitatem, atq; abiectionē reputare. Idē origenes

DIDYMI. Cum frequens sit in psalmis personarum mutatio, posset aliquis superiores uersiculos, ob ea, quæ sequuntur, ad Deum dictos referre: siquidem nulli hominum conueniet illud, *Quoniam tu populum humilem saluū facies, & oculos superborum humiliabis*. Alius uero non ad Deum, sed ad hominem hæc dicta transferet, ad hominem inquam, consuetudinem, cū sanctis habentē, & illorū uirtutes, & illi, qui cū malis uersatur, magnū imminere puersitatis discrimē dicet. Iuxta illud in prouerbiis allatū: Qui cū sapientibus graditur, sapiens erit, & qui cū insipientibus uersatur, iudicabitur. *Cum sancto sanctificaberis*, præbens illi sanctitatem, quæ abs te oritur, ut per fectum in ea indebitam illi, & congruam promisionem inducas: Et reliqua simili modo inferuntur. Non dixit autem, peruertet, sed peruertes: Nam cum gressus ad mala prohibeat Deus

in interitum currentem peruertit uias eius tanquam uallo sepiens, & semitas eius instaurans. Nam collatę gratiæ principium est à malis cohiberi: Qui uero hæc de homine intelligit, dicet, Virum, qui cum sancto uersabitur, ex iis, quę sanctè, ac innocenter fecerit, sanctificari: ut Eliseus cum Elia, & Timotheus cum Paulo, & qui cum innocente consuescet, uirtutem illius amplectens, innocens erit. Itemque qui cum electo uiro se iunxerit, & qui cum peruerso consuetudinem inierit, quod eadem cum illis uoluntate efficiatur, suam uitam, & mores mutabit. Quod siquis ita ut supradictum est, interpretari uelit, ad homines hos uersus referendo, certè inde ad DEUM personam mutare oportebit, ubi dicitur, *Quoniam tu populum humilem saluum facies.*

ATHANASII. *Quoniam tu populum humilem*, Ad chorum mittit Apostolorum: *Et oculos superborum*, hoc tendit in Scribas, & Pharisęos: *Quoniam tu illuminabis lucernam.* mentem nimirum. *illuminabis tenebras meas*, idest ignorantiam meam tuo expelles lumine.

DIDYMI: Pars animi, seu facultas illa, quæ lucem suscipit, quam nonnulli rationem uocant, idest mens ipsa lucerna illius esse dicitur: non quod natura, & uis ipsa sit lux, sed quod lucem suscipiat. Tenebrę uero illius sunt appetitiones & impetus, iracundia scilicet, & concupiscentia: Cum ergò mens à DOMINO, qui claritatis suæ illam participem reddit, illuminata fuerit, tum affectus, & impulsus animi ratione carentes ad prudentiam redacti illuminantur: non quod illi, quatenus rationis expertes lucem suscipiant, (non enim sapientiam admittunt,) sed quod ab animo sapientiæ, & uirtutis splendore illuminato reguntur. Vnde cum mens lucerna (ut dictum est) à DOMINO illuminata fuerit, necessario sequitur, ut & tenebræ nostræ illuminentur. Quod si mentē, quæ natura nobis indita illuminatur ob ignorantiam, & inscitiam tenebras fieri contigerit, multo magis uires illæ ratione carentes, cum mentem ducem lumine priuatam habuerint, tenebræ existimandæ sunt. De his ergò tenebris hoc loco Propheta
Matth.6. loquitur: & hoc est quod Saluator ait. Si ergò lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nam si oculus corporis hoc est mens, quæ lucerna esse debet, luce careat, multò, (ut ita loquar) corpus animę tenebræ sunt corpus uerò non illud, quod nos circumuestit mortale, sed illud, quod ex irrationali concretione constat, intelligo. Forsitan uerò, & qui cognitione ueritatis illuminati sunt, accensam lucernam habent, hoc DOMINO concedente, cum uero actiones suas rectitudine temperauerint, tunc & tenebras quoque suas illuminatas habebunt, Veruntamen non ii solum, sed etiam qui sapienter in contemplandis intellectualibus, & inuisibilibus rebus uersantur, lucernam habent à DOMINO illuminatam: Et qui rectè circa sensibilia affecti sunt, secundum sensum illuminantur, ea, ut decet, intuentes. Qui sensus tenebræ sunt, quod per se illuminari, hoc est, scientiæ lumen suscipere nequeant: alioquin quæ sensum habent, & ratione carent, scientiam susciperent.

THEODORETI. Quoniam superius afflictiones tenebras nominauit, meritò liberationem à tenebris lumen appellat, Hanc autem liberationem (inquit) prouidentiæ tuæ acceptam refero: quoniam lucerna est homo ille, qui ueram lucem accepit. Vocat autem sic formam serui, & meus est, & ex meo lumbo formabitur. Hoc uerò & in alio psalmo dicit. Illuc producam
Psal.131. cornu DAUID: paraui lucernam Christo meo.

NICEPHORI. *Et ero immaculatus*, hoc est per eum, uel cum eo existens: *Et custodiam me* custodire hic posuit pro, abstinere, & iniquitatē pro peccato. *In conspectu oculorum eius*, Non enim ad ostentationē hominum id se facere dicit, neque ut ab hominibus uideatur, sed ut placeat DEO. *Cum sancto sanctus eris* possunt hæc omnia ad Deum referri: & est hic quidā figuratus loquēdi modus, in quo uerbale nomē prò uerbi participio poni solet: tu enim (inquit) sanctum sanctificans eris: hoc est condigna tu Domine omnibus pro meritis rependes, iustissimus cum sis, & sanctum quidē sanctificabis, & innocentē innocentē facies, electum et eliges, & peruersum uertes in bonum scilicet, & impediendo eum in malis. Pōt ēt hoc in documentū afferri, & in uniuersum ad quemlibet pertinere: Et sensus est, quod, qualis quisq; ille fuerit, cū quo tu habitas, talis & tu efficieris: Quod uerò ait. *conuertes* idē est, quod rectus eris: uel conuertes, prauam nimirum sētentiam in bonam. *populum humilem*, humilem uirtute. *Lucernam meam Domine*, per lucernā mētem intelligit. *illuminabis tenebras meas* per tenebras affectibus obnoxiam, & ratione carentem animæ partem intelligito: aut etiam mœroris nebulas luce iucunditatis dissolutas.

EVSEBII: Num per populum humilē, uel pauperē iuxta Aquilam, uel, ut uertit Symmachus mansuetum Apostolorum chorum latenter insinuat? superbos uerò elatos olim sacerdotes doctores, & principes populi Iudæorum, quos Deus oculos sublimes contra Seruatorem nostrum attollentes humiliauit: cum interim populum suum humilem fidelemque ex uirtutibus

cogni-

cognitum saluum feceris? Cum autẽ quærerem, quæ nam esset lucerna Dauid in psalmo CXXX. scriptum inueni. producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo: Quę uero lucerna Christo parata ex semine Dauid alia esse potest, quam progenies ex successione Dauid secundum carnem orta? qua Christus usus est, qui lux in ea natus est? qui uirtutis suæ splendorem & luminis sui radios cunctis hominibus inuexit? iccirco antea dixit Prophetans Dauid. *Tu illuminas lucernam meam Domine*, ipse nanque (ait) Domine cum sis lux uera, lucernæ, quæ à me orietur, ineffabili quodam modo adiunctus eam illuminabis, quin & innatas mihi tenebras, tum planè aufe res, ut ne memoriam illarum ullam sim habiturus.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.
Deus meus impolluta uia eius, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantiũ in se.
Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?
Deus, qui præcinxit me uirtute, & posuit immaculatam uiam meam.
Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.

THEODORETI. Murum idest omnem fraudem, & dolum: nã tentationem, & murum insidias uocat, quas (inquit) tua gratia effugiam: iustè dirigis omnia, & propterea confido: siquidem à ueracibus uerbis tuis hoc didici: nã igne examinata (ut paulò ante diximus) probata (inquit,) & à mendaciis aliena: Verum non ego solus, sed quotquot eandem spem in te collocant, eadẽ ope fruuntur: neque enim est Deus alius, ut hic tibi, ille alteri supplicetur. Eius ego uirtute seruatus, rectum iter peragere festino: Et sicut ceruus (nam solet uenenosas feras conculcare) sic ego superior, & illustrior à te redditus, hostes meos sub pedibus conteram.

DIDYMI. Non põt aliquis ab afflictionum molestia, & acerbitate liberari, nisi in Deo fuerit. In Deo est qui Dei particeps est: Nam quemadmodum qui in scientia positus est, ab ignorantia soluitur, ita quisquis in Deo esse studet, eripitur à tentatione, nõ ut à tentatione sit immunis, sed ne tẽtationis laqueis capiatur. [Matth. 10.] propter hanc causam & qui IESVM coràm hominibus confitetur, in ipso est: Dicitur enim: Qui me confessus fuerit coram hominibus, ego confitebor eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Itaque is IESVM confitetur, qui particeps illius est, & Deus in se manentem uicissim confitetur, At peccator dirimitur à Deo, iuxta illud Prophetæ dictum, [Isa. 59.] quod peccatorum multitudo nos à Deo seiungit: Non est (inquit) abbreuiata manus Domini ut saluare nequeat: neque aggrauata est auris eius, ut non exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum: nam si murum interponamus Deo adhærere prohibebimur, & unum cum eo fieri nõ poterimus: qui uerò cum Deo fuerit agglutinatus, & unum cum eo factus, is iniquitatum murum transgredietur illas post tergus abiiciens: nam nulla re impedietur, quo minus possit facie ad faciem Deo appropinquare. Cœterum & sensibilium rerum spectra nos à Dei cognitione arcere solent, quod si sapienter diuinæ contemplationi pro uiribus uacantes Deum intelleximus auentes cum eo coniungi, à corporeis ac terrenis secedimus, ut ita mundum, & sensibilia conculcantes Deo possimus assistere.

EVSEBII. Noui me præterea potentia, & fortitudine tua suffultum cœlorum murum transgressurum, ubi in tuto positus summa cum tranquillitate salutẽ à te consequar: Vel per murũ intelligit hostium munitiones, & ualla, quibus (ait) me obsessum circundare conantur.

ATHANASII. *Transgrediar murum*, Quoniam circundederunt me hostes mei, ut euerterer. Hac dicit Iudæorum perfidiam carpens: Nam Iudæi Saluatorem tãquam in diuinã legẽ peccantem, & blasphemiæ uerba efferentem apprehenderunt: Sed tu (inquit) Domine iustè cuncta gubernas, unde est quod ego confidam, & omnia bona sperem.

DIDYMI. Vel sic. Deus noster impollutã habet uiam, quæ ducit ad ipsum. Est aũt uia illa uirtus, quã qui peragunt immaculati efficiuntur. *Via uero immaculata* Deĩ præcipue illa est, quę dixit. Ego sum uia, ueritas, & uita, hac siquidẽ licet ad Patrem peruenire: [Ioan. 14.] *Eloquia Domini igne examinata*, propterea quod pura sunt, & ab omni dolo remota: uel quod sint uelut ignis, cuius qui participes sunt, adeo succenduntur, ut materiæ omnis, ac terrenarum rerum paleas absumant.

THEODORI. Viri uox est propriã imbecillitatem sentientis contra potentes & ualidos inimicos, & propterea ad Deũ cõfugientes, Vnde aliàs dixit: Expugna impugnãtes me: Apprehẽde arma, & scutum, & exurge in adiutoriũ mihi; [Psal. 34.] Ad quẽ & dixit. Scuto circũdabit te ueritas! [Psal. 90.] *Quoniam quis Deus*, Nullus. n. uerè, ac propriè Deus est, pręter Domini uerbũ qui unigenitus Deus dictus est, quod solus sit, quẽ admodũ Pater Deus: nã reliqui oẽs diuini uerbi præsẽtia Dii cõstituũtur. Eos enim Deos uocat, ad quos sermo Dei factus est. At Saluator non particeps diuinitatis, sed Deus est, & Deorũ omniũ effector. *Et quis Deus præter Deum nostrum?* Cũ neminẽ Dominũ pręter Dominũ Christũ esse dixisset, apposuit neq; quẽq; esse Deum, uti ò Deus noster: nã nemo

1.Cor.8. ex ii,qui participatione Dii sunt,Deus esse pōtsicut Dominus IESVS.uel Deus noster tanquā unigeniti Pater.Nobis autem unus est Dominus Pater,& unus Dominus IESVS Christus:Considera uerò,num duos istos uersiculos mutuò protulerit propheta.

ATHANASII. *Qui præcinxit me uirtute,* Simile hoc illi est,quousque induamini uirtutē ex Luc.24. alto. *& posuit immaculatam uiam meam:* hoc est per euangelica oracula,& decreta ad uiā immaculatā currendā me præparauit. *Super excelsa statuens me,* hoc est,docens sapere quæ sursū sunt.

EVSEBII. Ex præhabitis impollutam esse Dei uiā,hoc est gubernationis eius,& prouidētiæ consiliū inculpatū esse,& reprehēsione carere declaratur:Quin & eloquia eius igne examinata sunt,hoc est explorata,& exquisitissime probata:nec in illis quicquam culpare,aut alienæ materię quicquā uel minimū permixtū licet deprehendere:Non sunt aūt huiusmodi uerba, quæ à sapientibus huius seculi proferuntur:nā interdū quidē honestā quandam speciē præse ferunt cęterum sacrilegio,& impietate referta sunt.Sed quid docent eloquia Dei igne examinata? Illud sanè,quod ille sit omniū in se sperantium protector:nec esse aliū Deum præter unum eundēq; Dominū nostrū,nec aliū perinde potentē,ac Deū nostrū:& propterea meritò protector est omniū sperantiū in se,cū nullus alius reperiatur,qui eidē tāto,ac tā magno cōparari possit. *Deus,qui præcinxit.* Nō desides,non ignauos tuetur,& protegit Deus,sed eos,qui tū laborādo,tū hostes debellando salutē suā procurāt,ita ergò cum mè uirtutibus suis muniat, mortales, & humanas uires meas sua charitate cōfirmat, ut tāquā uir,qui præcinctos habeat lumbos,ipse quoq; uirtute,quæ ab ipso manat cōmunitus aduersus hostiles impetus,& insultus subsistā.Atqui, quēadmodū dictū est *Deus impolluta uia eius,immaculatā,* ita me cū ad imaginē,& similitudinē suā esse uelit,immaculatā pariter posuit uia meā.i.uiuēdi rationē,& mores præceptis ac doctrinis excultā, ac oīs generis disciplinis ornatā,immaculatā reddidit.Aquila pro, *immaculatā* pfectā reddidit. Ac pedes meos pręterea tāquā pedes ceruorū pfecit. De ceruis aūt frequēs mētio fit in sacris literis: Quod siquis accuratè ppendat quæ de ceruo dicuntur,eorū intelligentiā ad sanctos uiros referri cognoscet.qui quodlibet animal reptile ac uirulētū ad internicionē,& exitiū usq; psequūtur.Huiusmodi est & cerui natura serpentibus,ac reptilibus cunctis infesta,& lętalis.Ceruus aūt montiuagum,& uelox animal est cuiusmodi sancti Dei,qui nō terrena,sed superna cōtēplantur, & excelsa regni cęlorū desiderio petunt.Quā ergò cū sanctis habuit similitudinē Dauid, Dei benignitati acceptā refert,dicēs: *Qui perfecit pedes meos tāquam ceruorū,* Quo uero pacto id fecerit,subinde ostēdit,cū ait. *Et super excelsa statuens me,* Nā & si alii nos trahere,& in abrupta,& profunda uitiorū deprimere obnixe quærāt,Deus tamē noster,ut certaminis præses,docet nos ad cursū celeres esse,& illius gratia ad sūma & excelsa nobis cōsentanea impellit.(Nō.n.uirtus nostra in excelsis nostris nos sistit)cōsentanea dico:quoniā anima secundū naturā cęleste domiciliū, & excelsa quæ illic sunt,non ut à se aliena,sed ut propria habet.Ideo dicit. *Super excelsa statues me.*

NICEPHORI. *Quoniam in te eripiar,* Experimentum,& probatio est ipsa tentatio.Murus uerò insidiæ & doli,uel etiam peccatum tanquam obstruens nobis uiam, quæ ad Deum ducit. *Impolluta uia,* idest uirtus,per quam nos Deus ambulare docet. *Et posuit immaculatam uiam meā:* Viæ reprehensio est lapus. *Qui perficit pedes meos,* hoc est præparat, uel perfectos facit ad cursū in tempore scilicet fugæ. *Et super excelsa,* qui in montibus seruat me,& illic sistere facit.Vel si altiorem uelis interpretationem,qui me cursu promptissimum fecit,ita ut persequētes Dæmones effugerem,unde ad uirtutum culmen euexit me.

DIDYMI. Hoc loco dicitur, *qui præcinxit me uirtute,* At Paulus dixit. Qui ueritate præcin-
Eph.6. cti sunt,armaturā Dei induuntur. Ex quibus colligitur ueritatē esse Christum Dei uirtutem.ait
Ioan.14. enim Saluator.Ego sum ueritas.Paulus uero Christus Dei uirtus est, *Et posuit immaculatam uiā*
1.Cor.1. *meam:* hoc est,ostendit:nam ponere hoc in loco ostendere significat,quēadmodum & illud. Quē
Rom.1. Heb.1. posuit hæredem uniuersorum,ut hinc etiam pateat integrum psalmum ex persona Christi fuisse dictatum. qui uero hæc dicit,serpentinis iniquitatibus,& nefariis potestatibus,unde illæ ortum habent, Dei gratia sublatis,interioris hominis pedes,hoc est,gradiēdi,facultates,cōpositos, & p
Deut..9 fectos habet,ut dicere queat.Sine iniquitatē cucurri,& direxi.Et cū iteri excelsis pfecerit,audiet
Exod.33. à Deo.Tu uerò ipse stà mecū.Cęterū stare in excelsis,non ex se ipso quispiam,sed ex Deo habet.

HESYCHII. *Deus meus impolluta uia eius,* Nemo igitur p eā ire pōt,qui turpi ac uituperabili uiuēdi ratione animā polluerit.Audi frater,quomodo huc intrasti nō habēs uestē nuptialē?

THEODOTIO. *Eloquia Dominio igne examinata,* Translatio est ab auro, uel argento igne expurgato. uel examinata , hoc est materie sordis ut compurentia ; quæ nonnulli Apostolorum audientes ardens cor habuerunt : uel ignem habentia, quem mittere in terram Christus uenerat,baptizans in spiritu sancto,& igne.

DIONYSIVS. *Quoniam quis Deus præter Dominum?* Nullus, si enim Deus Pater, ex quo oia, & unus Dominus IESVS Christus, p quē omnia, ēt & spiritus sāctus: Nō solū uerò Dominus est, sed & Deus: qui.n.(ait) Deus præter Dominū? Filiū Dei.i. uocat ēt Dominū. Cœterū & Thomas dixit ad IESVM. Dominus meus, & Deus meus: Dominus aūt spiritus ē īquit diuus Apostolus.

Qui doces manus meas ad prælium, & posuisti arcum æreum brachia mea.
Et dedisti mihi protectionem salutis, & dextera tua suscepit me.
Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.
Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata uestigia mea:
Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec defecerint.
Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.
Et præcinxisti me uirtute ad bellum, supplantasti omnes insurgentes in me subtus me.
Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

DIDYMI. Quemadmodum cœtera bona omnia, ita est ad pugnandum aduersus irruentes hostes à Domino edocemur. Manus.n. animę (actrices eius facultates intelligo) ipse format, ut scitè admodum scutum fidei, & gladiū spiritus, ac cętera spiritalia arma, quibus se tueātur, contineat. Docet etiam quo pacto illa tractare oporteat. Quin & Saluator homo factus, cum pro nobis decertasset, docuit nos quo modo repugnantes uires infringeremus, ac uinceremus: Et extensis in precando manibus (ait) hostes supero. *Et posuit arcum æreum brachia mea*, Figuratè brachia arcum ęreum dicta posuit, per æs tutamentum à uulneribus, & robur illarum ostendit. per arcum à brachiis nostris tela iaci quæ obuios hostes uulnerare possint.

EVSEBII. *Et disciplina tua*, pro hoc uertit Symmachus. Obedientia augebit me. Aquila: Mansuetudo ampliorem me faciet. *Dilatasti gressus meos*, Gressus autem intelligit secundum quos è uitiis ad uirtutem, à sensibus ad intelligentiam, à præsenti ad futurum seculum deuenit. Qui sanè duri, angusti, & ærumnosi eum primo ire cœperam, uidebantur: siquidem per uiam tribulationum ingrediebar, & hostium impactiones, & scandala declinare quærebam, at ubi uirtutis progressu illos superaui, hos latos illico deprehendi: nam qui uirtutis incremento ad finem usque peruenit, ærumnarum, ac sudorum angustias in itinere peragendo occurrentium, in loco spacioso positus minimè sentiet. *Non sunt infirmata uestigia mea*, ut uerè dicere queam. *Statuisti in loco spacioso pedes meos*, Verum & qui IESVM sequitur, uestigia eius insistit, & dum uiā ab IESV tritam laboribus transit, uestigia interioris hominis, hoc est animæ crura solidantur, ut uere profiteri possit: non sunt infirmata uestigia mea.

ATHANASII. Tanquam diuina gratia ad cursum præparatus, de uictoria confidit.

THEODORETI. *Qui docet manus meas*. Etenim ad preces manus attolleus de hostibus uictoriam refero: nā p brachia mea, quæ sunt tāquā arcus æreus, & infractus, tela in hostes mittere statuisti, & erudisti eū, qui deliquit, & collapsū erexisti, & docuisti, quā magnū malū sit peccatū, & salute dignū fecisti: In angustiis mihi ob afflictiones cōstituto amplitudinē consolationis præstitisti, qua recreatus usq; ad hoc tēpus pduraui: in prouidentia tua confirmatus omnes hostes me superaturum spero, nec prius destiturum, donec ipsos iterum mihi subiectos reddi. Hoc enim ostendit, cum dixisset *Et cadent subtus pedes meos*, quin etiā fortitudinē & robur mihi largitus es: hostium uerò impetus cohibuisti: Et hoc fuit tēpore Goliæ, & Saul: nam hunc quidem uerborum stultitiam effundentē & agendi tempus cōferentem, funda prostrauit: illū uerò forno sepultū facilè declinauit: eodem modo & Gettheorum insidias euasit., *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum*. Videlicet in fugam uertisti: Fugientium enim est terga dare. *Et odientes me disperdidisti*, Saul, Achitophel, Absalon, & innumeros alios.

DIDYMI. Innumeris modis à Deo adiutus audaciā in psequendis, ac profligādis hostibus cōparauit: psequēdi aūt finis fuit extremus illorū interitus: Neq; enim timor ullus, aut labor mihi fuit impedimēto. *Confringam illos*, Cū hostiū maximè miseretur, confringit illos, ne si continenti felicitatis successu aliquando nō labefactarētur, odiū, atq; inimicitias obstinatis animis insitas diutius retinerēt: nō.n. eos omnino pdere instituit, sed sensum quendā malorū illis iniiciens, quærit ut resipiscant. Nā cum de malorū statu deiiciuntur, beneficio certè iuuantur, quandoquidem uiris sanctis obtemperant, & illorum imperio subiiciuntur: nā cum inimici sub pedibus uiri sancti cadunt, non aliud, quam calamitatum compresio significatur. Sicut enim in deterrimo habitu consistere miserabilis est conditio, sic salutis principium est ab illo statu discedere.

EVSEBII. Ingentia in se Dei beneficia cōmemorat, & quot inimicos, & aduersarios eo defensore deuicerit. Atq; hoc (inquit) in me à gratia tua profectū est, ut nec pedes mei i angusto cōpressi sint, nec retibus inimicorū, & aliis impedimētis sint illigati. Nā tu Deus meus his omnibus

sublatis spatiosam,& planam uiam meam fecisti: *Cadent subtus pedes meos*, Dignitatē prophetici Luc.10. spiritus contemplare, qua promissionem Apostolis Saluator fecit, dicēs. Ecce dò uobis potestatē calcandi super serpentes,& scorpiones,& super omnē uirtutē inimici. *Et præcinxit me uirtute ad bellum*, ligans omnes insurgentes in me, robur,& fortitudinem mihi præstans: Cū dixisset, paulo ante *Deus qui præcinxit me uirtute*: hoc loco effectum rei ostendit, dicens. *Et præcinxit me uirtute ad bellum, & inimicos meos dedisti mihi dorsum*. Qui præ timore, ac pœnitentia inimicitias iam deponunt,& relinquunt, propterea quod ad uirtutem nondum libere accedunt, dorsum IESV fortasse à patre ponuntur, ut retro eum sequentes, consequi tandem possint. Fortasse & hoc dici potest: Vir probus libertatem erga Deum adeptus ante Deum assistit: malus uerò propter eius iniquitatem retrò proiectus dorsum Domini ponetur: nam quia ipsi mali priores Domino terga uerterunt, ipse quoque uerè auersatus eos dorsum habebit. Quod si iustus hæc quilibet afferat, dices malignas potestates, si ante faciem uenerint, cum ubique locorum reperiantur, si eas admiseris, ceruentibus obesse, si post terga proieceris, nihil in te machinari posse: iuxta Psal.128. illud: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.

DIDYMI. *Et odientes me disperdidisti*, Vt pro hostibus amici fiant,& odium in amorē conuertant: non enim substantiam & naturam, sed quod aliundè aduenit, disperdit: Diuinam siquidem bonitatem maximè decet, ut peccatum deleat, naturam seruet.

NICEPHORI. *Qui doces manus meas ad prælium*, Hic præterea bellicæ artis peritiam me docet, ita ut non tantum aduersus uisibiles hostes, sed etiam aduersus inuisibiles contendere ualeam, per manus autem intelligit uirtutes actrices: *Et disciplina tua*, Disciplinam uocat afflictiones, quæ Deo permittente obueniunt ipsi eruditionis & moderationis causa, quas nullus recusat propter eam, quæ inde sequitur, utilitatem. *Dilatasti*, Dissipatis laqueis, ac decipulis, per quas cum mihi transeundum esset, quasi angustiis quibusdam detinebar, spaciosum iter fecisti. *& non sunt infirmata*, Nam cum antea inimicos meos fugerem, superficie tenus, ac leuiter uix solū præmebam, ne uestigiorum impressione iis indicarer, qui me persequebantur. At nunc firmis & ualidis plantis incedo, nihil amplius timens: quin potius ego nunc hostes meos persequor,& illi terga semper ostendunt, nihil aliud eos esse, quam dorsum arbitrantes.

ATHANASII. *Brachia mea*, Manus,& brachia sunt uirtutes, quæ intellectuales hostes iaculantur,& expugnant. maxima uero manus est eleemosina, quæ pauperum amatores omni Ezech.16. materia fortiores reddit: nunquam enim infirmantur brachia miserentis.

ORIGENIS. Actionis symbolum est æs. AEs tuum inquit Ezechiel ad Hierusalem effusum est. postquam brachia nostra non amplius sagittas mittunt; inquit autem tu præparasti brachia mea arcum,& æreum illum quidem addit, intentum, & infractum illum ostendens, quoniam me in pugna aduersus hostes insuperabilem fecisti.

ATHANASII. *Et dedisti mihi protectionem salutis*, salutari tuo me (inquit) protexisti, hoc autem est aduentus prouidentiæ, ac dispensationis, quo me collapsum erexisti,& quam magnum malum sit peccatum ostendisti,& salute dignum fecisti. Salutare autem & salus Christus est, quā pro nobis pugnaturum pater amandauit.

ORIGENIS. *Et dextera tua*, Qui sedet ad dexteram patris, hic dextera uocatur. Et per priorem disciplinam nos erexit, per posteriorem nos docuit, Nam recta institutio animam erigit, cognitio uero ueritatis in amplitudinem ducit, Dextera autem Filius omnium opifex, de quo ali Psa.117. bi. Dextera tua fecit uirtutem, Dextera Domini exaltauit me.

ATHANASII. *Persequar inimicos meos*, tanquam diuina gratia ad cursum præparatus de uictoria confidit.

ORIGENIS: ille hostes persequitur, qui affectas & perturbatas in eo cogitationes relinquit, ab iis enim in nos ueniunt peccata. *Et non conuertantur donec defecerint*. Affectuum carentia defectum hostium parit. *Confringam illos nec poterunt stare*. Qui ab iniquo statu cadunt, beneficium consequuntur: sed neque ueritati aduersantes sermones contra potentem manum stare poterunt, quod Dauid interpretatur.

CYRILLI. *Supplantasti omnes insurgentes in me*, Nam cum benignus & misericors Deus hostem salutis nostræ ligasset, Dæmones sub hominum pedibus dedit.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Et comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictione populi constitues me in caput gentium.

THEODORETI. Siquidem gentes exteras earum Dii seruare non potuerunt, utcunque plurimum inuocarentur: Nec Saul, Absalon Osembee nec cœteri Israelitarum hostes Deū

adiutorem habuerunt. *Et comminuam*. Destituentur planè ab ea, quæ mihi auxilio est, gratia tua. *Eripies me*. Iudæorum fatuitatem & insaniam in Saluatorem hoc in loco uaticinatur, & gentium salutem prædicit, monetque ne ullam cum illorum reclamatione communionem habeamus. *Constituens me in caput gentium*. Sed quomodo, cum Dauid nunquam gentibus dominatum fuisse inuenimus? An quia per eum, qui ex ipso secundum carnem ortus est, Prophetia impletur? Nam qui ex Dauid secundum carnem natus est, & per diuum Ezechielem nominatur, Dominus inquam Christus gentibus cunctis dominatus est, semper quidē quatenus DEUS, uel inuitis omnibus imperans, uerum postquam humanitatem induit, uoluntariam in eum credētium seruitutem adeptus est.

DIDYMI. Ad quosdam uerò dicit. Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam uos: manus enim uestræ, hoc est actiones mortiferę ac sanguine plenæ sunt: *Et comminuam*. Isa.1. Huiusmodi enim homines de quibus sermo est pingues, & obæsos factos, & imaginem terreni ferentes comminuas, minis, exhortationibus, admonitionibus, ærumnosa quæque illis inferens. ut ante faciem diuini spiritus, qui figura quadam uentus appellatur, tanquam puluis facti ab omni terrena labe purgentur. Esse præterea isti possunt, quibus Dominus dixit, excute puluerem tuam Hierusalem. Hos etiam tanquam lutum platearum uel Dominus, uel iustus Domini imitator delet. At lutum istud deletum fieri poterit uas testaceum utile in domo magna, in qua Isa.52. aurea, argentea, lignea, testacea uasa sunt. Quoniam uero aurea, & argentea sunt in honorem, Rom.3. lignea uerò, & testacea in contumeliam, quicunque se ab his expurgat, fit uas honoris sanctificatum, & utile Domino in omne opus bonum præparatum. Et qui prius tanquam platearum lutum, hoc est cœnum uoluptatum, ac libidinum fuere, hos ab omnibus, quæ ab animo perturbato oriuntur, asperitatibus liberat: nam delens eos, qui uasa testacea quondam fuere, æquabilitatem ac leuitatem illis inducit. facitque ut sponso se ipsos expurgent, ut aurea, uel argentea uasa in honorem restaurentur: Nam quemadmodum ex aureis, & argenteis testacea ua- 2.Tim.4. sa nonnulli facti sunt (nam filii Sion honorati, exaltati argento, quomodo reputati sunt Thren.4. in uasa testacea opera manuum figuli) ita uoluntate propria ex testaceis aurea, & argentea fiunt.

EVSEBII. *Et comminuam eos in puluerem*. Considera qua ratione homo deleat, & ante faciem uentorum imminuat inimicos Dei: nimirum euidentissimis argumentis ostendens mundanam impiorum sapientiam, & omnem temporariam eorum uitam, & eas, quæ diuitię existimantur, omnem quoque gloriam nihil à puluere huc & illuc dissipato, atque agitato differre. *Eripe me de contradictione populi*. Adhuc auertente Domino faciem suam propter Iudaici populi incredulitatem, & gentes in hæreditatem postulante, cum Prophetico spiritu duos hominum ordines futuros uideret, ab uno se eripi, in alterum se coaptari petit. Quod si ex his unus dicitur esse gentium ordo, patet, quod alter est populus circuncisionis, cuius contradictionē potius quā alia crimina Idololatrię, transgressionis, iniquitatis accusat: Nā cū Pilatus eis optionem dedisset utrū uellent de duobus dimitti, Barrabam solui, IESVM uerò cruci affigi petierunt, clamaue- Matth.27. rūt, & uociferati sunt, mutuam inter se contradictionem ostendentes: Quando & Pilato dicente, Luc.23. Innocens ego sum à sanguine huius, uos uideritis: populus respondit: sanguis eius sit super nos: Ioā.18.19. & super filios nostros. Cum ergò hæc diuino spiritu diuinus uates præuidisset. Orat, ut à contradictionibus populi eripiatur: ne anima eius aliquando post mortem impietati populi connumeretur: Ideo dixit: Libera me à contradictionibus populi: Et paulò post dicit: *Filij alieni mentiti sunt, & claudicauerunt à semitis suis*. Eos enim filios nominat ob generis successionem, & seriem ab Abraham: alienos uerò uocat quod moribus dissiderent: Deinde ad alterum agmē transit, & prędicit gentium uocationē, & quem ab ipsis honorem consequutus esset: Propterea dixit: *Constitues me in caput gentium: populus quem non cognoui, seruiuit mihi*. Nam rerum euētus, & horum uerborum exitus, qui sancti spiritus uirtute conspicuus est, indubitatam diuinæ prouidentiæ fidem facit: Quis enim est, qui cum uideat ubique gentium apud Gręcos, & Barbaros omnes nationes cuiusque uocis, ac linguæ sursum deorsum ipsius Dauid memoriam circunferre, nomen illius uenerari, uoces excolere, & collectum ex gentibus populum, quem Dauid nunquam cognitum habuit, ipsius Dauid canticis, & Psalmis inseruire, & audientem Psalmorū odas, quæ olim literis traditæ sunt, simul concinere, non iis, quæ prędicta sunt fidem, & ueritatem astruat? possunt etiam hæc dici ex persona Christi, qui personam Dauid, ex semine illius natus accepit, de quo eidem innumerabiles promissiones factæ sunt.

NICEPHORI. *Tanquam lutum platearum*. Lutum quippe, quod in uiis iacet, conculcatione comminuitur: ex sequentibus enim præcedentia denotauit. *Eripies me de contradictione*.

ctione. Facies mihi populum meum obedientem, ita ut me tanquam regem uereatur. *Constituens me in caput gentium*. Hæc christo magis quam beato Dauid uidentur conuenire, ita ut ex illius humanitate dictum sit ad Patrem. *Tu constitues me in caput gentium*.

Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.
Filij alieni mentiti sunt mihi, inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.
Viuit Dominus, & benedictus Deus, & exaltetur Deus salutis meæ.
Deus, qui das uindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.
Ab insurgentibus in me, exaltabis me, à uiro iniquo eripies me.
Propterea confitebor tibi in nationibus, & nomini tuo psallam.

THEODORETI. Ex persona christi Domini hęc prædicit. Ait enim eos, qui legislatorem nullum, aut Prophetam ex meis unquam habuerunt, facillime uocatos audiuisse, & imperium meum amplexatos fuisse, ii autem, qui filii uocati sunt, & in filiorum ordinem coaptati, se ipsos alienos fecerunt, cum beneficiorum acceptorum memoriam ingratitudine deleuerint, in
Ier.2. fide claudicauerint, & pietatis semitas dereliquerint. Sic per Ierem. dicit Dominus. Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem uitis aliena: Ego autem plantaui te uineam electam omne semen uerum. Quomodo ergò conuersa es mihi in prauum? Per hæc ergò tum legitimam huius plantationis culturam ostendit, tum uero ingratum illorum animum carpit. Illud, *Inueterati sunt, & claudicauerunt*. Symmachus dehonestabuntur, & confundentur dixit. Et res ipsa effectusque uaticinio congruit, siquidem abhominabiles omnibus facti dedecore pleni sunt.

DIDYMI. *Populus quem non cognoui*. Cognitio duplex, una scientiæ nomine exprimitur, altera cognoscentis cum re cognita copulationem quandam significat. Iuxta priorem modum etiam malos Deus cognoscit, quibus Saluator dixit: Vos estis, qui iustificatis uos corā
Luc.16. hominibus, Deus autem nouit corda uestra: Et apud Prophetam: Idcirco cognoui omnia pec
Amos 2. cata uestra: Secundum uero posteriorem significationem, solos iustos cognoscere dicitur: co
Matth.7. gnouit enim Dominus, qui sui sunt. Malis autem dixit Saluator; Recedite à me operarii iniquitatis, nunquam noui uos: Itaque nec populus, qui ex gentibus à Saluatore cognoscebatur, cum Dæmoniis, ac Idôlis cultu impio deseruiret, & detestanda quæque committeret. Sed ubi pœnitentia ductus ad Christum colendum, & illi inseruiendum conuersus est, à Deo cognitus est. Propterea hoc loco non dixit: non cognosco: Sed: *non cognoui*. Nam qui adhuc in peccatis est, ignoratur: Verum quem olim non cognoscebam, iam patet me eum cognoscere, iuxta illud Apostoli, Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt Dii, inseruieba-
Gal.4. tis: nunc uerò cum cognoueritis Deum, immò cogniti sitis à Deo. Cum.n.Deum ignorabant, ab ipso ignorabantur, cognoscentes autem ab ipso in fidem cogniti fuere. Habet autem expressionem, & uim illud, *In auditu auris obediuit mihi*: non enim uacat uerbum illud, *auris*: Nam cum quis Deo obtemperat, non humano auditu, sed aure diuina sibi cœlitus addita utitur. Mi-
Isa.50. hi enim aures (ait) apposuit, ut audirem. Nam cum Deus bonus sit, probè rectè agentium Pater constituitur, & filii sunt, qui participes fiunt unigeniti filii sui: à quo alieni, & longinqui sunt omnes, quotquot in contraria mala delabuntur, & in illis inueterascunt, nequaquam participes
Rom.7. facti eius, quæ nunquam senescit sapientiæ, uerum in se ipsis corrumpuntur. Cæterum & Iudæi, de quibus sermo est, in uetustate literæ persistentes, & in nouitate spiritus non ambulantes,
3.Reg.18. filii alieni dicuntur, & inueterati sunt, & claudicant, ancipites, & duplici animo iuxta Eliæ dictū. Vsquequò claudicatis in utroque poplite? Si est Deus, sequimini eum. Sed fortè qui diuinam scripturam admittit, nec eam, ut decet interpretatur, in eam claudicare dicitur: nam qui non admittit, nec ambulat, nec claudicat in ea.

ATHANASII. *Populus, quem non cognoui*. Non cognoscere hoc in loco non significat ignorantiam: cuncta enim Dei scientiæ subiecta sunt, sed iccirco dixit, *non cognoui*, quia illi, dum tempus erat, mei cognitionem non accepere. *Filij alieni*. Qui primogenitus uocabatur Israel ob incredulitatem filius alienus uocatus est. *Inueterati sunt*. Omne inueteratum prope interitum est.

NICEPHORI. *Populus quem non cognoui*. Quoniam Deus eos cognoscere dicitur, qui eum cognoscunt, Idololatriam populum non cognouit, illa scilicet cognitione, qua domestici cognoscuntur. *In auditu auris*, In auditu auris suæ suscepit Euangelium meum. *Filij alieni mentiti*, Qui alieni erant, crediderunt. Filii uerò, hoc est Israelitę, alieni facti sunt non creden-

tes, sed inobedientes: mentiti enim sunt mihi patrium genus. *Filij alieni inueterauerunt*. Pauci, ac nullius precii æstimati sunt, & peruerse auersi sunt à uia mandatorum Dei, *Claudicauerũt*, Rectitudinem: hoc est, Prophetarum intelligentiam negligentes.

HESYCHII. *In auditu auris*. De Euangelica prædicatione, deque gentium obedientia intelligit.

ORIGENIS. *Claudicauerunt à semitis*. Semitæ hominum sunt actiones, & contemplationes.

DIDYMI. *Viuit Dominus*. Viuere autem dicitur Deus non quatenus uitæ particeps, [Ier.23.] sed ut qui dat aliis uitam. Et sæpe in scripturis ponitur: Viuo ego dicit Dominus: [Ezech.14.] Dicit quoque Saluator: Sicut misit me uiuens Pater, ita & ego uiuo propter Patrem. [Ioan.6.] Ostendit autem se non uitæ participatione uiuere, (ipse enim est uita) ex quo colligitur Filium eiusdem esse substantiæ cum Patre: Filius enim uita est, non uitæ communicatio, sed potius qui participes sui uiuificat. Viuit uero & Pater, qui uitam Filio similiter præbet, quando eadem à Patre, & Filio potestas manat, & eadem utriusque substantia, quod uerba ipsa premonstrant, sicut misit me uiuens Pater, ita ego uiuo propter Patrem. Perinde, ac si diceret, cum huiusmodi Patrem habeam, qui propria substantia uiuit, uiuo itidem ego. *Et benedictus Deus*. Deus uiuens, & benedictus is est, [Eph.1.] qui benedixit sanctis in omni benedictione spirituali in cœlestibus. Benedictus quoque dici potest, quod omnem circa se benedictionem habeat. An uero quicquid circa ipsum esse dicunt, & cogitant, benedictionibus refertum putant? *Exaltetur Deus salutis meæ*, Deus autẽ salutis meę exaltatur, cum ergo magnitudinis eius sensum accipio: Quorum enim magna sunt opera, eos quoque magnos esse necesse est. Quoniam ergò salus hominis eximia res est, sequitur autem ut author illius sit eximius. Itaq; exaltatur Deus, non ex humili in sublimem locum elatus, sed cum nos præclara de illo cogitamus.

EVSEBII. Quanquam se ipsum humiliauerit, cœlos inclinans, & descendes, sublimis tamen est, iuxta illud, Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. [Phil.2.] *Deus, qui das uindictas*. Nam incredulo populo, & contradicenti, uindictas, & supplicia inflicturus Deus dictus est. Vel iuxta Symmachum: Deus, qui supplicia mihi præbes. Veruntamen alterum agmen, de quo superius dictum est. *Constitues me in caput gentium, populus quem non cognoui seruiuit mihi*. Potestati ac ditioni illius subiicit: Ideò secundum Symmachum addit. *Qui subdit populum sub me*. Hic etiam, *Liberator meus (inquit) factus est de inimicis meis iracundis & ab insurgentibus in me exaltauit me*. Hic idem à uiro iniquò liberauit me: Quibus uerbis nonnullos eius inimicos, & aduersarios, atque alium præterea quendam iniquitatis plenum apertè carpit. Nam Iudaicæ gentis Principes notat Prophetæ sermo: nec non Iudam proditorem, qui omnium deterrimus, cum multis, & ingentibus beneficiis à Saluatore cumulatus esset, contrariis illum remetitus est. *Propterea confitebor tibi*. Ad alterum ordinem transit, quod dextrum nominare posses, & est ut operibus ipsis, & oculis cernas propè: Quod Dauid post Saluatoris nostri aduentum, tanquàm unus est, & modo uiuens, & cum hominibus uersatur, & suis scriptis, canticis, & hymnis per gentes omnes uniuersorum Deo psallit, & qui ex eius semine factus est, in unius personam proposita referuntur, fortior quoque iis, qui sibi insidias parauerunt, dicere: *Et ab insurgentibus in me exaltabis me*. Eos ergò missos facit, & gratiam, ac ueritatem suam omnibus gentibus impertit, cum etiam nunc ipse ubique terrarum præstò adsit medius stans inter eos, qui sperant in eo, Patri per Ecclesiam suam, confitetur, quare dicit, *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Psalmum dicam*.

THEODORETI. *Viuit Dominus*. Cum Iudęorum reclamationis, & contradictionis meminisset, mortem quoque ac resurrectionem, quæ illam sequuta est, latenter insinuat. Cumque Iudęi Christum crucifixum mortuum dicere consueuissent, meritò clamat: *Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ*. Nec solum uiuit, sed in cœlos ascendit, & uolentibus salutem præstat. *Deus, qui das uindictas mihi*. Tu igitur qui hæc longa post tempora operatus es, liberas me ab iis, qui me iniustè bello infestant, & quem mihi subdisti populum, obtemperantem reddes: nam per gentes, quę paulò post uocabuntur, in omnibus Ecclesiis per orbem uniuersum te celebrabo. Cæterum Prophetiæ huius effectus facile uideri potest: Nam in omnibus urbibus pagis, agris, terminis, montibus, & collibus terra, marique, inque omni regione culta, & deserta Diuus Dauid per piorum linguas Deum laudando celebrat. *Magnificans salutis regis*. Tu enim cum me in regem unxeris, non modo tutum, uerum etiam illustrem facis. Hac uerò prouidentia tua non solum me, sed posteros quoque meos dignaberis, quin & in seculum usque hunc splendorem semini meo seruabis. Verum si hoc Iudaice consi-

deretur.

deretur, redarguit Prophetiam: nam progenies Dauid ad captiuitatem usque in regno permansit. Post reuersionem autem à Babylone, cum Zorobabel solus rebus præfuisset nullos regni hæredes reliquit. Quare si Prophetia (ut uerum esse constat) uera est, (spiritus enim ueritatis ipsam reuelauit,) sequitur, ut cogitemus semen Dauid æternum habere splendorem. Videlicet Dominum Christum ex Dauid secundum carnem natum sempiternum regnum habere ac gloriam, eamque ante secula ut Deum effectorem habuisse, quam eandem rursus, ut homo, in nouissimis diebus accepit. Itaque per diuinum Ezechielem uniuersorum Deus (inquit) dabo illis
Ezech. 36. Dauid Regem eorum, & rursus. Et Dauid Rex eorum, in medio ipsorum. Se ipsum uero Da-
Ezech. 34. uid appellauit. utpote qui ex lumbis Dauid secundum carnem ortus est. Hoc idem beatus quo
Isa. 11. que Isaias clamat. Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, & in eum gentes sperabunt.
Matth. 1. Quæ cum Beatus Matthæus didicisset, Euangelium suum, sic exorsus est. Liber generationis IESV Christi filii Dauid.

ATHANASII. Cum tu Domine, Propheta inquit, hæc & illa mihi præstiteris, simul ac gentes uocaueris, confitebor ego tibi, canentibus illis hymnos, quos edidi, non modo autem, hoc erit, uerum etiam magnificabo salutes Regis eius, scilicet populi, qui ex gentibus ad fidem conuersus est, ut Regis eius, & gentium ipsarum sit salus. quam præstitit in medio terræ. *Magnificabo.* Hoc est, palàm omnibus acclamabo. nam & hanc exhibuit (inquit) cum miseri-
1. Petr. 2. cordia, in populum suum unctum utetur. Siquidem in regale sacerdotium uncti sumus. Cum uero & populo, & mihi (ait) misericordiam feceris, illud quoque præstabis, ut in posteros quoque meos maneat: nam semen Dauid, populus est ex gentibus collectus quasi natus, ex Dauid, qui ex semine iuxta carnem genitus fuit.

DIDYMI. *Magnificans salutes Regis.* Aut pro salute, & spiritali istorum prouentu gratias agens confitetur, aut eorum peccatis sibi sumptis, pœnitentiæ illorum legatus interuenit, nã uox illa. *Confitebor tibi*, utraque significat. Quin & Filius in nomine Patris Psalmum dicit, dum omnia ad Patris uoluntatem facit. Salutes Regis Christi Pater magnificat, non quas ipse Rex habet. Sed quas iis exhibet, qui ab ipso seruantur. Dei uero Rex est. Non quod ullus Deo dominetur, sed quod eorum, qui Deo adhærent, imperium habeat. Quoniam interdum principem appellamus tanquam subditorum ducem, interdum uero Regis principem, nempe ipsius legibus subiectam. *Et faciens misericordiam.* Misericordiam Christo facit, dum eorum, qui sub Christo sunt, miseretur, pro quibus sacrificat, & quibus Rex præest. nam uox hæc, Christus scilicet, & Sacerdotem, & Regem significat. Quod si de Dauid, & de quocunque uiro manu præstanti dictio intelligatur, significat Deum eorum misereri, qui sunt rebus agendis apti, & Idonei. & eorum quoque, qui eos moribus, & uitæ præscripto imitantur. Misericordia uero illa non temporaria, & breuis est, sed æterna, & usque in seculum duratura. Verum si de Chri-
Ezech. 34. sto, qui uerè Dauid est, intelligatur, (suscitabo .n. (inquit) pastorem unum seruum meum Dauid) misericordiã illi, & semini eius sempiternam exhibet. Quando unctio, & Sacerdotium illius æternum sit. nam translato ueteri Sacerdotio incommutabile Christi Sacerdotium manet.

NICEPHORI. *Viuit Dominus.* Docet hic Propheta inquiens, quod & si Christus mortuus est, ipsum tamen uiuere, & in gloria esse, ac exaltatum esse. *A uiro iniquo*, ab omni qui me iniustè oppugnat. *Magnificans salutes Regis.* Tu ô Domine magnas facis salutes meas, per regem enim se ipsum intelligit. *Et facies misericordias Christo suo.* Semen Dauid IESVS est cui facit misericordias in seculum. Hic de Deo uerbo incarnato dictum est, non enim conuenit illud in seculum iis, qui ex semine Dauid profecti sunt reges.

ORIGENIS. *Et subdis populos sub me.* Ecce uobis dedi potestatem calcandi super ser-
Luc. 10. pentes, & scorpiones, & quæ sequuntur. qui ignorato priori populo præbet ut sub ipso ordinetur. *Ab inimicis meis iracundis.* quibus ira dominatur, in iis, & iracundia. Hostes uero mei
Psal. 57. iracundi. An non & furentes animo? furor enim illis (inquit) secundum similitudinem serpentis. Inimici autem iracundi, & insurgentes erant principes prioris populi.

HESYCHII. *A uiro iniquo eripies me.* Siue intellectuali, siue sensibili, nam ab utroque liberari beatum est. ne in eorum uiis consuescentes, eorum laqueis irretiamur, & capiamur. Iniquus uir Iudas. *Propterea confitebor*, nimirum quia à uiro iniquo ereptus sum, & exaltatus supra omnes insurgentes in me. *Magnificans salutes Regis.* Hoc cedit in gloriam Saluatoris, illi n. conuenit: ipse siquidem salutes magnas fecit, quas Christus rex per aduentum suum nobis manifestauit, non tantum enim per unigeniti authoritatem, sed & per sancti spiritus approbationem salutare præconium processit.

IN FINEM

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XVIII.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.



EVSEBII. Et hic quoque Psalmus inter eos est, qui ad lætum nos finem dirigunt. ueruntamen canticum est etiam pro gratiis agendis illis ascriptum, qui de hostibus uictoriam reportarunt. Proinde Symmachus canticum pro uictoria Dauid, reddidit. Quoniam uero uictoriarum datori Deo dicatus est, secundum Aquilam. Vincenti canticum inscriptus est.

THEODORETI. Tria esse legum genera à beato Paulo didicimus. unum quidem per ea, quæ in natura, & rebus creatis uidentur sine scripto hominibus inditum est. Rom. 1. nam inuisibilia ipsius (inquit) à creatione mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Rom. 2. Et rursus. Cum enim gentes, quæ legem non habent à natura, ea, quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Aliud est per magnum Mosen literis commendatum. Nam propter peccatum (inquit) data est lex. ordinata per Angelos in manu mediatoris. Tertium genus est lex gratiæ, lex enim (inquit) spiritus uitæ liberauit me a lege peccati, & mortis. Gal. 3. Rom. 8. Consona his tribus generibus, & ordine eodem nos in hoc Psalmo Propheta docet. nam primã legem naturæ approbatam ostendit, dum rerum conditorem prędicat, post eam, quę per Mosen lata fuit, quæ uolentibus eam seruare ampliorem scientiam authoris & opificis Dei prębet. Tertiam demum perfectam gratiæ legem, quæ animas mundat, & nos à corruptione præsenti liberat. Propterea nos in finem Psalmus hic mandat, nouam uitam prænuncians.

ATHANASII. Instruentem doctrinam ex Apostolorum persona ad gentes hic Psalmus continet. Quare & Cœlum, & Solem, & elementa reliqua, quæ magnos Deos nominauit, hæc factorem suum laudare dicitur. *Cæli enarrant.* Simile est hoc illi. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Rom. 1.

HESYCHII. *In finem.* De aduentu Christi in extremis temporibus, & de seculi consummatione doctrina est Psalmi huius ex Apostolorum persona gentes instruens. Alii uero dicunt, quod Psalmus hic ad dogmata sancienda pertinet, sicut quartus, sed ille ad eos, qui res prouidentia carere, hic uero ad eos est, qui temere omnia fieri dicunt, aduersus quos propheta tantum non digito ostendens ait. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Enarrant non uoce, sed aspectu, non clamantes, sed apparentes. quotquot enim eorum pulchritudinem, & ordinem intuentur, ad gloriam opificis celebrandam excitantur.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.
Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam.
Non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur uoces eorum.
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.

THEODORETI. Fuere nonnulli, qui cum carnis oculis Deum uidere non possent, nullos esse Deos arbitrati sunt, omnia casu fieri dicentes. Contra quos ex rerum naturis propheta hoc loco argumentatur. Satis enim (inquit) est uel sola cælorum pulchritudo, & magnitudo, quæ oculis subiecta est, ad opificis magnificentiam ostendendam, & prædicandam. Nam siquis magnificè extructum, & artificiosè factum ædificium uidens architectum admiratur. & nauigium inspiciens optimè instructum, artificem commendat, & cum imaginis contemplatione concurrit pictoris memoria multo magis mundi structura, ornatusque iste, quem oculis intuemur, nos ad opificem, & authorem deducet? Facit Gen. 1. autem mentionem de cœlo, & firmamento, magni Mosis doctrinam sequutus. Nam Moses primo cœlum factum fuisse memorat, postea firmamenti opificium narrat. quod rursus cœlum cœlorum appellauit. Non est autem quod aliquis miretur, cum cœlorum multitudinem audit. Solet enim scriptura, interdum singularitate, interdum multitudine uti. Singulariter beatus Dauid nominat, dicit enim. Cœlum cœli Domino. Psal. 115. Et alibi. Qui cingit cœlum in nubibus. Psal. 146. Multitudinis uero numero idem dicit: Laudate eum cœli cœlorum. Psa. 148. quod idem significat cũ

eo, Cœlum cœli Domino. Nam cœlum, quod ſuſpicimus, ueluti quoddam terræ tectum paratum eſt. firmamenttum autem quod ſupra circumtegit hoc cœlum, tale eſt huic cœlo, quale hoc cœlum eſt terræ, propter hoc igitur, cœlum cœli dicitur, & cœli cœlorum nuncupantur. Animaduerteudum eſt autem, quod & ciuitates nonnullæ apud nos gemina appellatione uocantur. Et nos Tarſum dicimus, & Tarſos, ciuitatem unam. Theben, & Thebas. Micenam, & Micenas, antiqui nominabant ciuitatem unam multitudinis numero nuncupatam intelligentes. Hæc non temerè dico, ſed propter eos, qui cœlos plures recenſere conantur.

Pſal.101. ORIGENIS. *Cœli enarrant*. Cœli peribunt. Ipſi enim (ait) peribunt, tu autem perma
nes. Igitur qui enarrant gloriam Dei peribunt. Atqui nemo narrans gloriam Dei peribit:
2.Reg.2. Nam qui honorificauerit me, inquit, glorificabo eum: non ergò peribunt cœli: porrò qui Dei
gloriam enarrant, cœli puræ & intellectuales naturę ſunt, & cœli dicuntur, propterea quod in ſe
iuſtitiæ Solem habent. cœli autem iſti, qui pereunt corporea natura conſtant.

Hebr.1. DIDYMI. *Gloria*, Dei eſt unigenitus, iuxta illud. Splendor glorię, &. Videbitur glo
Pſa.4. ria Domini, aut gloria Dei eſt. Ordinatio, & celſitudo regni eius. quam familiæ cœleſtis uirtu
tes Deum laudantes decantant, cognominatione quadam cum iis, in quibus habitant, cœlis cœli
nuncupatę. Manus autem eius ſunt efficaces uires eius. *Annunciat firmamentum*. nec id uerbis ſed operibus ipſis.

ASTERII. cœlos Dei gloriam enarrantes, ratione utentes Angelos, & ſanctos uiros
Ezech.3. intelligere poteris. Nam Ezechiel audiuit cherubim, & Seraphim dicentia. Benedicta Do-
Iſa.6. mini gloria de loco ſuo. Et Iſaias ait. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. Ple-
Luc.22. num eſt cœlum, & terra gloria eius. & Lucas dicit. Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo
militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altisſimis Deo. Illud uero, *Enarrant*, ſempiternam gloriæ celebrationem ſignificat, & ideo non dixit enarrauerunt. Non enim cœperunt, & poſtea ſiluerunt. sed cum cępiſſent, nulla mora interiecta continenter Dei gloriam enarrāt. Quod planè faciunt uiri ſancti, qui in terris ſimilem Angelicæ uitam ducunt. Et Pro
Pſal.99. phetæ quoque dicunt. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Et Apoſtoli: Ipſius enim factura ſumus:
Eph.2. Et ne quis arbitraretur cœlos ingenitos, & per ſe caſu exiſtentes, dixit. *Et opera manuum eius annunciat firmamentum*. *Dies* (inquit) *& Nox*. ordinibus ſtatus, & concinnis curſus ſibi mutuo cedentes per ipſas res opificem ſuum prædicant, cuius legi obedientes, hanc quoque pulchram, & mirabilem efficiunt harmoniam.

EVSEBII. *Cœli enarrant*. Doctrinam Pſalmus continet Dei magnificentiam aſtruentē. Quoniam enim quod immanifeſtum, & inuiſibile eſt incorporeę, ingenitæ, & diuinæ ſubſtantiæ, propterea quod carneis oculis comprehendi non poteſt, qui oculos animæ obcæcatos habent, è rerum natura ſuſtulerunt, impuro, & impio ore Deum non eſſe affirmantes, nec quicquam corporeis rebus præſtantius inueniri, ſed caſu, temerè, & nullo conſilio, ac ratione mundum uniuerſum regi, ac gubernari, neceſſariò ſermo pręſens his Pſalmorum canticis, demonſtrando eum opifici omnium rerum uirtute Theologiam oſtendit. huiuſmodi ferè ratiocinio utens. Rerum quidem caducarum natura exigua eſt, & imbecilla, cogitationes quoque noſtrę prauæ ſunt, & fallaces; quare plurimum à gloria Dei pro maieſtate enarranda diſtamus. neque enim humana uoce, ac lingua carnis, nec labiis noſtris, dignum de Deo ſermonem recenſere unquam ualemus. Quod ſi quis efficacem, præſtantem, ac eximiam, Deoque conſentaneam doctrinam andire cupit, qua ſenſus animi confirmentur, ſe ipſum colligat, excitetque ad audiendam infinitæ magnitudinis potentiam Dei, pro dignitate acclamantem, quam illi laudibus euehunt, qui cœlum uniuerſum complectentes, creatorem ſuum, & uniuerſorum opificem Deum canticis, & gloriæ laudibus extollunt: nam cœli ipſi rebus cunctis, ac firmamento ipſo ſubiecto, creaturam omnem corpori & ſenſibus patentem complexi, gloriam Dei, non Græca, non alia qualibet utentes lingua, ſed re ipſa ornatu ſuo, & numeroſo illo concentu, harmonia ſapientisſima opificis infinitę magnitudiuis potentiam docent. nam à magnitudine, ac pulchritudine rerum opifex ipſarum pariter conſideratur. Et inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque uirtus eius, & diuinitas. Qui ergò ſuſpicatur cœlos nullo authoris & opificis conſilio, ac ratione, & citra diuinam uirtutem ſe ipſos cohibere, ac tantæ magnitudinis, & figurę motusque temperamenti, & conſtantię cauſam corporibus aſcribit, delirat, & inſanit. Quare decet, ut qui ingenio præſtant, apertè confiteantur, parum abeſſe, quin uocem audiant, qua cœli opero ipſo, & diu-

turna

turna uersationem emittunt, gloriam creatori suo, & opifici Deo referentes. Ita quoque firmamentum, quod Moses secundo creationis mundanæ die factum esse declarat. hoc inquam firmamentum, cum aliud sit ab iis, qui recensiti sunt, cœlis, omnibus prædicat, & tantum non uociferatur. non temerè, ac sine consilio tam admirandum opus in rerum naturam prodiisse. Verum Dei rerum omnium factoris opus esse. Ideo dictum est. *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum*. Viderat autem Moses antequam firmamentum consisteret, cœlum primo die factum, cum dicat. In principio creauit Deus cœlum & terram. Gen.1. Deinceps igitur post factum primum cœlum, naturam, & ortum lucis introducit. & lucem diem uocari docet, & uespere ac mane diem unum factum esse. Mox à secundo die exorsus, firmamenti opificium inducit. Ceterum scriptura plures cœlos agnouit. Ideo dicit, Laudate Dominum de cœlis. & rursus. Laudate illum cœli cœlorum. Et. aquæ quæ super cœlos sunt, Psal.148. & alibi dictum est, cœlum cœli Domino. Et Saluator regnum cœlorum pollicetur. & in oratione nos instituit ut diceremus. pater noster qui es in cœlis. Matth.6.

EVSEBII. *Dies diei eructat uerbum*. Docet dies, docet & nox, si quis est, qui erudiri uelit, quanta sit sapientia, & ineffabilis, & incomprehensibilis uirtus Dei temporum interualla metientis. nam si nemo has horas, tempora, & momenta distinxisset, inconsultò, & absque ratione, ac moderatione motus per aduentitium quoddam accidens substitissent. Ac sane oportebat dierum interualla per omne æuum inæqualia esse, uel omnino confusa esse tempora, & noctes similiter fortuitò ferri. nam quod inordinatum est, nihil habet cum ratione commune. & casum confusio sequitur: quemadmodum uicissim ordini præest ratio harmoniæ, & consonantiæ dux est sapientia. Huiusmodi ergo uicissitudines, & mutuæ successiones interdum quidem dierum excrescentium noctibus ipsis cedentibus, interdum uero noctium, dum per horarum incrementa usuram temporis resarciunt, ferè loquuntur, & clamant uoce ingenti; & sapientissimi Dei uniuersorum ordinationi testimonium afferentes Dei cognitionem hominibus prædicant. Sic enim clamant ipsorum dierum, ac noctium uoces, operibus ipsis, clamant inquam audire uolentibus ita ut nullum eorum doctrina lateat auditum. Vniuersus igitur orbis terrarum numerosa, ac iucunda & mutua illorum chorea refertus est. Ideo dictum est. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur uerba eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum*. Eorum, scilicet dierum, ac noctium, cœlorum que Dei gloriam enarrantium, & firmamenti opera manuum eius annunciantis. Hic mihi subit admirari, quo pacto diuus Apostolus in Epistola ad Romanos. Verba illa. *In omnem terram* Rom.4.9.10 *exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum*. retulerit ad Discipulos, & Euangelistas, 11.& 15. & Apostolos Saluatoris, sed cũ Apostoli sensum exquisitius considerarem, inueni ipsum figuratè per abusionem quandam eam comparationem aptè fecisse. non enim, quemadmodum dixit, nunc quidem. Isaias autem clamat super Israel, nunc uero quemadmodum prius dixit Isaias, & rursus, quemadmodum scriptum est, & iterum, dicit enim scriptura, non sic illud. *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Nam si huiusmodi aliquid prius dixisset quispiam fortasse illam Psalmi loquutionem, tanquam alicuius uiolenter accipientis, interpretaretur. nunc uero sumpta ex Psalmo collatione, simplici phrasi uti uidetur. unde est, quod aliquis dicat illum figuratè per abusionem, commodè atque utiliter eiusmodi testimonio usum esse.

THEODORETI. *Dies diei eructat uerbum*. Ordinata.n. dierum ac noctium successio, terminos à conditore fixos ostendit, quos inanimis hæc mundi machina præterire non potest. Nã cum diei, ac noctis incrementa, ac decrementa ad hominum utilitatem parata sint, cumque à se inuicem tempora mutuentur, atque iterum ultrò citroque sibi debitum reddant, prouidentiam, quæ in ipsis est, ostendunt. Hæc autem. *Eructant uerbum &: indicant scientiam, & enarrant gloriam Dei*, docet non esse animata, quæ oculis subiiciuntur uerum est quædam effictio personæ, quæ ab iis, quæ uidentur, ad opificem, qui non uidetur peruenire, ac illi laudes, & hymnos afferre docet. *Non sunt loquelæ, neque*. Symmmachus apertè magis interpretatus est. dicens. Et nox nocti indicat scientiam, non dictionem, neque sermones, quorum non audiuntur uoces, sed in omnem terram exiuit sonus eorum, uel secundum Aquilam, regula eorum, non enim sermonem (ait) emittentes neque uerba proferentes, sed regulam, & proprium ordinem præ se ferentes, omnem terram, & mare ad diuinas laudes iugiter celebrandas, & decantandas inuitant.

ASTERII. Et Apostolus Apostolo diuinũ præconium affert, inquiens, quemadmodũ

[Luc. 1.] tradidere nobis, qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis. Et illud. Contuli [Gal. 2.] cum illis Euangelium. Andreas quoque Christum Euangelizauit Petro, quem Moses descri- [Ioan. 1.] psit. Philippus Nathanaeli, Ioãnes duobus eius discipulis. *Et nox nocti indicat scientiam.* Im- [Exod. 14.] pius impio, Aegyptius Aegyptio dicens, Fugiamus à facie Israel, nam Dominus pugnat pro eis contra Aegyptios. ut Dominus uera dixerit, cum ait. Et scient omnes Aegyptii, quod [Psal. 77.] ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone. Et Dauid (inquit) cum occideret eos, [Psa. 82.] quærebant eum. Et rursus. Erubescant, & conuertantur, & cognoscant, quod nomen tibi Do- [Matth. 27.] minus. *Et nox nocti.* Mulier ad Pilatum dixit. nihil tibi, & iusto huic. multa enim per som- [Deut. 4.] nium passa sum propter eum. Sed quare cœlos firmamentum, dies ac noctes magistros consti- tuit. ut qui Apostolos. Et Prophetas audire nolunt, operibus opificii, tanquam doctoribus uterentur. Ita populo Moses dixit. Ne cum suspexeris cœlum, uidens Solem, & Lunam, & Stellas, errore deceptus adores ea, quæ distribuit Dominus Deus tuus gentibus, non ut adorent ea, sed ut inde erudiantur. *Cœli nanque enarrant gloriam Dei. Eructat uero uerbum,* & [Psal. 44.] Propheta, Cum Ecclesiæ dicit. Eructauit cor meum uerbum bonum. Et terrę qui- dem sonus, id est animæ rudiori, & quæ recenter ad Dei cognitionem deducitur, sermo [1. Cor. 3.] conuenit puerilis, & minus efficax, testante Paulo. Et ego fratres non potui uobis lo- qui, ut spiritalibus, sed tanquàm carnalibus in Christo. At uerba quæ orbi terræ, id est perfectiori animę, & quæ Dei domus facta est, prædicata sunt, perfecta & selecta dog- mata esse possunt.

DIDYMI. Sed & qui in contemplatione uitam traducere amant thesauros sibi in cœlo reponentes, ibique cor habentes, cœli sunt, qui prędictam Dei gloriam enarrant, contempla- tione rerum animo & mente perceptibilium. Qui uero actiones eligunt, pro firmamento ha bentur, stabiles enim ac immoti annunciant opera manuum Dei. Christi opera Dei facien- [Gen. 1.] tes, & per ipsa clamantes, opera Dei sunt. Cæterum ei clara intelligentia dies est. Voca- uit enim Deus lucem diem, cumque hęc alii intelligentiæ consonet, eructat uerbum, non se- cus, ac scriptura uetus spiritalibus escis repleta præ plenitudine uerba eructans nouo testamen- to uerbum subministrat, quod quidem per allegoriam dies nuncupatur. nox uero profundis- [Cor. 2.] sima mysteriorum est explicatio, quæ alteri acies generis nocti scientiam indicat. nam cum ali- quis scrutans omnia etiam profunda, Dei spiritum habuerit, is ex abditissimis Dei my- steriis aliquid scrutatur. quo agnito inde cætera id genus secreta aggreditur inuestiganda, & eorum cognitionem assequitur. Loquelæ uero sunt, quæ sermones instituunt, ac præuię illis existunt. Sermones, qui spiritales narrationes continent, & per euidentem demon- strationem, perfectas illorum probationes adducunt. Ideo non sunt loquelæ, neque sermo- nes ulli ad obediendum Deo instituti, quorum uoces non audiantur. Iccirco enim allati sunt à Domino, ut ii, in quorum gratiam allati sunt, pareant illis. Vnde nullus non cre- dentibus, nec agentibus, nec cogitantibus ea, quæ narrantur, defensioni locus relinquitur. Voces autem ad loquelas, ac sermones prædictos referre oportet. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Quicunque terra sunt cum necessario sementis egeant, hi sonum sermonum hoc est scripturę uerba sensu magis, quam mente percipiunt, qui uero istorum statum super- gressi sunt, ut meritò fines orbis terrę nuncupentur, de omnibus apertè eruditi, & loquelarum, & sermonum uerba suscipiunt. Sanè Petrus summus Apostolus, non sonum IESV, sed uer- [Ioan. 6.] ba percepit. cum dixit. Verba uitę ęternæ habes. Et Saluator ipse uerba, quæ ego loquutus sum uobis, spiritus sunt: nam Apostoli, quibus hæc loquutus fuerat, non terra sed fines orbis terræ fuerunt.

NICEPHORI. *Cœli enarrant gloriam.* Gloriam, & opera manuum, Magni- ficentiam opificis nominauit, quam ex cœlorum structura discimus, etenim primum il- lud & inaspectabile cœlum ex secundi aspectione argumentamur. *Dies diei.* Dies pro- pter exactum, & diligentem rerum ordinem, & terminorum cuiusque stabilitatem modo quodam uidentur sibi mutuò dicere determinationem illius ordinis à Deo constitutam. Idem quoque noctes per suas uices efficiunt. *Non sunt loquelæ.* Per interrogationem legendum est, quasi dicat, numquid non sunt loquelæ, neque sermones earum rerum, quæ anima carent, & quarum uoces non audiuntur? *In omnem terram.* Interrogationi referunt. Vsque adeo (dicit) operibus clamant magnitudinem Dei mutæ istę creaturę, quod & omnis auditus impletur earum uoce.

HESYCHII.

HESYCHII. *Non sunt loquelæ*. Commendat hoc in loco, & gloria dignam ostendit sapientiam Apostolorum, utpotè qui purè ac sinceré Christi mysteria loquantur: Siquidem Prophetarum sermones propter eorum obscuritatem non admodum à multis intelliguntur: Sed Apostolorum sermones ad omnes usque terrarum terminos pertingere. Voces (inquit) cœlorum non sunt alicuius idiomatis per quod non audiantur, nam ubique locorum spectaculum præbent, & uisu percipiuntur. Per loquelas autem sonos, per sermones autem uerba fortè significari dices. Porrò loquelæ, & soni, qui apud nos sunt, alii audiuntur quidem si propè nos fuerint non intelliguntur autem, si alterius linguæ fuerint. Alii audiuntur etiam si procul editi fuerint. At cœlorum enarrationes non eiusmodi sunt, sed ostensione quadam quasi indice absque ullo linguę instrumento loquentes mirabilia opificis opera ostendunt.

In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.
Exultabit ut gygas ad currendam uiam suam, à summo cœlo egressio eius.
Et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.
Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.
Iustificationes Domini rectæ letificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.
Timor Domini mundus permanens in seculum seculi, iudicia Domini uerè iustificata in semetipsa.

DIDYMI. Soli (inquit) posuit tabernaculum seu domum. ubi posuit? An in prædicto cœlo, & fundamento? Hoc uero & cœlum, & thalamum nominauit. nam quemadmodum nox, & dies mirabili, & ordinato consensu authorem, & opificem commendant, ita Sol ordinatè cursum suum conficiens, præcipientis & ordinantis potentiam ostendit. At si iuxta reconditum magis sensum interpretari uelis, Tabernaculum Dei Ecclesiam dices, quæ in Sole posita est, quatenus lucet in ea sol. nam cum radiis solis congreditur, quicunque sonum, & uerba eius, quæ ad fines orbis terræ peruenerunt, animo complexus est. Quin, & eorum quilibet, qui percipiunt Dei gloriam, tabernaculum eius, & in sole iustitiæ, hoc est, Christo poni asseritur. Fieri non potest, ut qui patentem sensibus lucem ignorant, eam inquàm, quæ ad supergredientem sensibilia lucem impellit, lucis istius intelligentiam assequantur. siquidem intelligi potest comparatione quadam Christum in sole hoc sensibili domicilium habere cum ex eo sub speculationem, & intelligentiam nostram ueniat, tanquàm ex sensibili intellectuale deducatur. Nō .n. ut nonnulli prauè sentiunt, post resurrectionem Dominus Saluator in Solis orbe corpus suum usque ad secundum aduentum seruandum collocauit. Sol igitur iustitię, tanquam de thalamo ex paternis finibus egreditur. iuxta illud. Ego ex Patre exii, & ueni. Procedit tanquam
sponsus, natura mente & ratione præditam, hoc est Ecclesiam gloriosam coniugem habens. un Ioan.
de Ioannes inquit, qui habet sponsam sponsus est. Exinaniuit enim se ipsum, & formam serui Ioan. 3.
accipiens lætus & exultans, tanquàm robustissimi gigantis fortitudine assumpta, omnem diuini
consili cursum lubenter expleuit. Et de summo cœlo egrediens descendit. Illuc ascendens, un-
de principium acceperat. Si ergò uideritis (inquit) filium hominis ascendentem ubi erat prius. Ioan 6.
Et nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit filius hominis. Quin etiam nullus ab Ioan. 3.
eius calore occultari potest. Ignis .n. quem uenit mittere in terram, participes sunt omnes, ita Luc. 15.
ut nonnulli spiritu feruentes fiant.

ASTERII. Quanquàm cæci Solis lucem non uident, calorem tamen illius sentiunt, ita
non credentes omnes, quanquá Christi diuinitatem negant, eius tamen nominis uirtutem didi
cere, uel etiam in secundo aduentu, non est, qui se abscondat a calore eius, quando Deus mani- Psa. 49.
festè ueniet, Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet. Tunc .n. cuiuscun- 1 Cor. 1.
que opus, quale sit ignis probabit.

THEODORETI. *In Sole posuit*. Hæc dilucidius tres interpretes exposuere. dicentes. Soli posuit tabernaculum in ipsis. Cœlis nimirum. Ita .n. docuit & magnus Moses. Et fecit Deus duo magna luminaria, & posuit illa in firmamento cœli, ut lucerent super terram, eodem modo & diuinus Dauid posuit Soli tabernaculum in cœlis, ea de causa ut ab illis ueheretur, & pulchritudine quidem sua sponsum cum decore, ac dignitate è thalamo suo exeuntem imitaretur, ex uelocitate uero gigantem fortissimum currentem præ se ferret, cui nullum esse potest impedimentum quo minus ulterius progrediatur. Ita enim ab oriente emergit Sol & unius diei curriculo ad occasum peruenit, omnibus interea animalibus calorem suum impertiens.

HESYCHII. *In Sole posuit*. Per Solem Dominicam carnem intellexit propterea quod purissima erat, & quia nobis paruo tempore occidit, & mortuis exortus est, de quo Prophe-
Malach.4. ticè dictum est: Et orietur uobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ & sanitas in pennis eius.

ORIGENIS. Dominus noster Sol est iustitiæ, in quo Pater habitat, iuxta illud. Ego in Patre, & Pater in me est. Et rursus: Pater in me manens opera facit. Et Apostolus, Deus in
2.Cor.5. Christo erat mundum concilians sibi.

GREGORIVS. Angeli sunt, qui Dominum reuertentem à nuptiis suscepere, & ad portas uigilantes sedebant, ut ipse reuertens à nuptiis in cœlestem gloriam rursus ingrederetur, ut iuxta canticum Psalmi huius tanquam sponsus e thalamo procedens, nos sibi per Sacramenti regenerationem puram uirginem copulet.

CHRYSOSTOMI. Thalamum uirgineum intelligit: Et quoniam sine uiro peperit, meritò natum ex ea sponsum habuit inuisibili uirtute operantem.

EVSEBII. Præter ea, quæ dicta sunt, Sol quoque Dei gloriæ doctor constitutus est, ut qui Domini, & magni regis legem perpetuò tenore seruet, non enim præter eam, quæ illi statuta est, uiam aliam ingredi, nec alio se uertere audet. neque præfixos sibi in cœlo fines egreditur, sed imperantis decreto, splendore ac flore lucis illustratus ordinatam uiam incedit, & procedens tanquàm ex adytis, & penetralibus sponsi, caput ab orientis termino proferens, fortiter proprium citra laborem cursum aggreditur. Circumdans autem circuit omnia tanquam gigas, qui uiribus præstet, & sit inexpugnabilis, uelut è carceribus incipiens ab extremo centro orizontis in oriente, diei ac noctis spatio orbem uniuersum perlustrat, ita ut eius caloris nemo sit expers. Hæc autem præstat, ut factoris sui, & eius qui in firmamento se constituit imperio pareat. Iccirco dictum est. *In Sole posuit tabernaculum suum*. Quod sanè obscurè dictū reliqui apertè magis interpretati sunt. Aquila enim dixit: Soli posuit tabernaculum in ipsis, Symmachus uero. Soli ordinauit tabernaculum in ipsis, similiter quoque Theodotio, & quinta editio reddidit. In prædictis enim cœlis, ac firmamento tabernaculum, ac domici-
Gen.1. cilium Solis Deus constituit. Iuxta id, quod à Mose dictum est. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut præesset diei; & luminare minus ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas Deus in firmamento cœli ut luceant super terram. Hinc Sol ostendit, se sui Dominum non esse, neque sui iuris, sed & sui, & rerum omnium Dominum agnoscere.

NICEPHORI. *In Sole posuit*. Vacat propositio, in, Inquit enim quod Deus posuit, & ordinauit Soli, tabernaculum, & habitationem illic, id est, in firmamento cœli ubi cernitur, ut temeritati, & casui nullus sit locus. *Tanquam sponsus*: Subintellige uerbum, est. Pulcher est (inquit) Sol & decorus fulgentium radiorum splendore instar sponsi è thalamo exeuntis. *Exultabit ut gigas*. Hoc in loco etiam tempus prò tempore positum est, futurum scilicet pro præsenti. Gaudet (ait) & lętatur Sol constitutum sibi iter percurrens: hoc est, indefessus semper est Sol in currendo uiam suam: Est autem gigas, qui corpore robustissimus est, *à summo cœlo*, Summā cœli plagam orientalis orizontis intelligit. Occursum uero eius occasum dicit, Secundum quem uespertinum subit orizontem: nam de iis, quæ apparent, sermonem facit. *Lex Domini*. Non modo creaturæ Dei, sed & mandata eius magnitudinem illius docent. *Testimonium Dei fidele*. Id est: dignum cui fides habeatur: Testimonium uerò, & legem, & iustificationes diuinas in summa præceptiones intelligit, paruulos autem, qui per ætatem, uel illiteraturam, uel innocentiam paruuli sunt. *Timor Domini castus*. In Deum reuerentia, & pietas etiam in futurum seculum cum iustis egreditur. *Iustificata*, hoc est, quæ uera pariter sunt, & iusta.

THEODORETI. *Nec est qui se abscondat à calore eius*. Vt euidentiam maiorem ostenderet, luminis loco de calore mentionem fecit, contingere enim potest, ut etiam qui longè absunt, accenso manu igne, lumine eius perfruantur, at caloris participes esse nequaquam poterunt, nisi propius accedant. Verum Sol etiam remotissimè radios emittens, calorem pariter, & lumen impertit. Omnia igitur hæc (ait) ad effectorem, & opificem demonstrandum satis super que sunt. Veruntamen præter hęc legis adiumentum nobis exhibuit, qua homines aberrantes à uia dirigeret: *Lex Domini immaculata*.

GREGORII Theologi. Solis tū pulchritudo tū magnitudo à Propheta cōmendatur. Pulchritudo quidē ut qui niteat tāquā sponsus, magnitudo uero, ut qui procerrus ac robustus sit tanquā

gigas,ad currendum,ita quod à summo summa queque pariter illustret.

Chrysostomi. *Exultabit ut Gigas*. Dominus noster cum per carnis assumptæ dispensationem fortem alligasset, Diabolum nimirum, & ab eo alligatos soluisset,& secum accepisset, in cœlos ad Patrem reuersus est. Quamobrem Psalmus ait: *Exultabit ut Gigas,ad currendam uiam suam*. Velocitate gigantem imitatus est multo cum robore currentem. Gigas enim impetuosum significat, & ad Dominum assumitur magno impetu in Dæmonum phalanges irruentem, & eorum in nos impressionem & uim comprimentem. *A summo cœlo egressio eius*. Per hæc illis aduersari uidebitur, qui Sphæræ figuram cœlis attribuunt, in Sphæra enim & circulo non inuenitur extremum & summum, hic uero dicit, *A summo cœlo egressio eius*. Amplecti autem uidetur id, quod alibi dictum est, qui firmat cœlū sicut fornicem. Quoniam ue ro constat cœlum orbicularis esse formæ ad hæc respondendum est, quod cum cœli globus in duo hemisphæria secetur superum scilicet, & inferum, & unumquodque sex habeat signa Solque continenter ea obeat, & de signo in signum ingrediatur, summū intelligit superum hemisphærium, oriensque & occidens signum. *Et à summo cœlo egressio eius*. Postquam idem dixit tanquam gigantem cursum suum instituere, ad interuallum, & spacium declarandum accedit, quod uno scilicet integro circuitu ab extremo oriente unius diei circulo ad extremum occidentem feratur, quod incitatissimam conuersionem ostendit, quantam nemo cogitare posset. *Et non est qui se abscondat à calore eius*. Cœlorum Christi audiens iustitiæ Solem ipsum cogitat. Quis enim frigida morte emortuus ab eius calore occultare se poterit. nonne omnes ex mortuis incorruptibiles resurgent? Matth. 12.

Gregorii Theologi. Nullis locorum interuallis calor ille Solis minor sentitur. Calorem autem dixit,& non lucem, maioris miraculi ostensionem efferens, legem, testimonium, iustitias præceptum, & iudicia Mosis legem appellat. Sic enim ipse eam nominat. nam aliàs inquit. hæc sunt iustitiæ, & iudicia, quæ dedit Dominus Mosi. Et alibi, Et custodies legem Domini Dei tui, & seruabis præcepta eius. Et uocatur quidem lex, ut quæ optimum uitę institutum præscribat. Testimonium, uelut quæ testato peccantes arguat, & transgressionis pœnam intentet. Iustitias, propterea quod, quod iustum est doceat, & iniusta prohibeat, & rectè agentes iustos esse declaret. Præceptum uero, quia quod agendum est præcipit, & Domini more imperat. Iudicia demum, ut quæ diuina decreta demonstrent, doceantque quibus bonis diuinam legem custodientes perfruantur, & quibus suppliciis eam transgredientes afficiantur. Ait ergo, cum Dei lex omni prorsus maculę immunis sit, animas hominum conuertit, & immaculatas ipsas efficit. Testimonium imperfectos territat, & indoctos sapientes reddit. Iustitiæ uero cor lætificant iustificationis causam ostendentes. Præceptum mentis oculos illuminat, Dei cultum docens, pietas uero, ac Dei timor horum custodiam subministrans in causa est, ut omnibus bonis perfruamur. Meritò autem Domini timorem sanctum appellat, hoc est omnis penitus reprehensionis expertem, nam timor humanus reprehensione non caret, & ignauię cognomento nuncupatur. Iudicia autem uera, & iustificata in semetipsa dixit, ut quæ prẽmia, & supplicia hominibus iustè rependant hęc inquit auro, & lapidibus præciosis magis preciosa, & melle dulciora esse, at non omnibus, sed iis, qui uerè homines sunt, quorum uita,secundum prophetę uocem iumentis insipientibus non comparatur. Exod. 2.. Psa.48.

Evsebii. hęc omnia lex Dei complexa est, ut anima conuerteretur, nam testimonium primum, & iustitias, & pręcepta continet, Deinceps his hominibus timorem Domini animas conuertentem, tanquam baculum aptauit, & omnibus iudicia Dei tanquàm coronidem attexuit, & singulis suam proprietatem tanquam munus apposuit,legi quidem quę per omnia generalis dicta est, animæ conuersionem dedit, sed qua ratione animas conuertat, per sequentia ostendit,dicens, *Testimonium fidele*, quo qui in Deo paruuli sunt,sapientes redduntur. iustitiis uero tribuit, ut rectę sint, & fructum lętitiæ prebeant iis, qui sunt iustitię eius participes. Et inter hęc pręceptum est Domini,,cui proprium est ut lucidum sit, & oculos illuminet. Cum timore autem Domini puritatem coniunxit,puritati autem perpetuam,& sempiternam uitam. At inter omnia, Dei iudicium apposuit,& cum eo iustitiam & ueritatem copulauit.

Didymi. *Testimonium Domini*,quod de bonis operibus ,ac de cognitione ueritatis affert,fidele est, nec à credendo denominatur, sed quia dignum est, cui fides adhibeatur, ut illud; Fidelis sermo,ab eo dictus est, qui fide dignus est. Ac de Deo ipso dicitur. Deus Tim...

ſenſu percipiet. Hæc planè ſeruus Domini ſeruat, nam *ſeruus tuus* (inquit) *cuſtodit ea* non de ſe ipſo tantum hæc afferens, ſed de quolibet ſeruo Dei, *in cuſtodiendis illis retributio multa*, Retributio multa ſanè non eſſet, ſi prò cuſtodia, & obſeruatione prædictorum, temporaria, & fluxa merces expectaretur. Cum uerò cœleſtis ſit, iſta retributio, & omnes mundi diuitias antecellat, multam ſanè, ac copioſam eſſe neceſſe eſt. *Delicta quis intelligit?* Manifeſta quidem & iam patrata delicta, quilibet intelliget, ſed quæ interius fiunt, & cupiditate, ac cogitationibus committuntur, rarus admodum eſt, qui perſpiciat. nam illud. *Quis*, rarum quid hoc loco innuit. Paulus ergo nihil ſibi conſcius, cum ſciret paucorum eſſe delicta intelligere, non in hoc (ait) iuſtificatus ſum, cum ergo dixiſſet, *Delicta quis intelligit*, deinceps addit, *Ab occultis meis munda me*, non 1.Cor.4. aliter ac ſi iuſtus diceret, quoniam in occultis cordis cogitationibus maculas, & ſordes aliquas ſæpe ineſſe contingit, quas & alii neſciunt, & ego quoque ignoro, Tu, qui occultorum cognitor es, illas abſterge, nam ſordes huiuſmodi niſi deleantur, occaſionem ut ab alienis capiar, exhibent. parce igitur ſeruo tuo, neque permiſeris ipſum ab alienis captiuum abduci, ab occultis purgans eum, delicta enim quæ in occulto ſunt, nec dum ad opus deducta, factis aliquando committi poſſunt. Aliena hoc loco uocat, uel res, uel malignas poteſtates. parcet autem proprio ſeruo Deus, cum proprio filio pro nobis tradito, non pepercerit. Nam filio parcere, eſt omnes perdere cũ, uero non pepercerit, id in communem omnium ſalutem ceſſit, citra ullam filii noxam quippe qui natura huiuſmodi ſit, ut perniciem nullam ſubire poſſit.

THEODORETI. *Etenim ſeruus*, Et quo lucro apertè doceas. *in cuſtodiendis illis retributio multa*. Maximum (inquit) præmium uolentibus hæc cuſtodire proponitur, At poſtquam Dei iudicia cuſtodire promiſit, humanam imbecillitatem in memoriam reuocans, & ſuperbiam uerbi huius conſiderans illico ſubiunxit *Delicta quis intelligit*, nam ſi Dei mandata magna cum alacritate ſeruare uoluero, à naturali imbecillitate in multa inopinata trahor, & nonnulla quidem imprudens pecco, nonnulla uero ab ingruentibus calamitatibus preſſus, & ſi facto peccatum effugio cogitationes tamen omni me ſorde coinquinant propterea te obſecro, qui me expiare potes, & exclamo, *Ab occultis meis munda me*, Non enim me ſolæ cogitationes circundant, uerum etiam Dæmonum agmina me obſident, & illa quidem exterius hæc uero interius me conficiunt, Meritò autem Dæmonas alienos appellauit, tanquam hoſtes, & inimicos, qui nullam prorſus nobiſcum uolunt habere conſuetudinem. *ſi mei non dominati fuerint*, cupio uehementer abs te auxilium, ut horum inſidias euadens, animam prorſus ab omni labe ſolutam reddam, & præteritorum delictorum uenia impetrata ſempiternas tibi laudes in cãticis afferam, oracula tua iugiter mente uerſans. His ergo nouum teſtamentum, & baptiſmatis gratiam, & donum prædicit ſpiritus ſancti, à quò & præteritorum delictorum ueniam credentes accipiunt, & in poſterum ſatis auxilii habentes, tum inſurgentia perturbationibus, tum ingruentibus malignis ſpiritibus ſuperiores fiunt. Deinde ad hæc ſubiunxit, *Domine adiutor meus*: & accommodatam pſalmo huic perorationem fecit, Nam Dominum tanquam creatorem, & opificem uocauit, & Redemptorem appellauit, tanquam eum, qui per ſancti lauacri regenerationem, & à priori morte liberet, & à Dæmonum ſeruitute redimat, incorruptamque demum, & immortalem uitam largiatur. Hęc autem, & illa pſalmus continet, & prima quidem pars mundi fabricam, & prouidentiam docet, media legem, poſtrema gratiam, inquit enim, *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo, Domine adiutor meus, & redemptor meus*, nam bona hæc à nouo teſtameto nobis ſuppeditantur.

EVSEBII. Illud, *Ab alienis parce ſeruo tuo*, Aquila uertit, & à ſuperbis conſerua ſeruum tuum. Neceſſariò autem efficacem huiuſmodi precationem emiſit, tanquam ſuperbè antea loquutus eſſet, nam cum rectè agentes tumor quidam, & elatio animi gloriantis propter rectè facta quorum ſibi conſcius eſt ſæpenumero comitetur, mox, animus in ſuperbiam uerſus, alio deteſtabili modo ceruices extollit, & prolabitur, ita ut Apoſtolus dicat, Ne ſuperbia elatus incidat in iudicium Diaboli. cum neceſſario dixiſſet prius, *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea*. ſeque man- Tim.3. datorum Dei cuſtodem dixiſſet, rogat ut à ſuperbia liberetur, & infert. *Si mei non fuerint Dominati*, Quamuis hactenus me mandatorum Dei obſeruatorem dixerim, cum tamen nondum me ab occultis meis purgatum eſſe agnoſcam, angarque adhuc, & ſollicitus ſim, ut à ſuperbiæ faſtu liberer, meritò hæc dico, ut qui necdum perfecti aliquid præſtiterim, tum me ipſum accuratè perfectum agnoſcam, & tum demum à delicto ingenti emundabor, cum etiam occulta mea non fuerint dominata, nec me ſuperba cogitatio, aut maligni Dæmones in ſeruitutẽ abegerint. Magnum delictum uocat, quod facto perficitur. nam niſi ab occultis meis mundus reddar, peccata, quæ in me ſunt, ad nefaria facta me compellent, & grauiſſimo crimini obnoxius ero.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei,cum hæc omnia in me abs te profecta fuerint, tum eloquia oris,quæ protuli dum te laudo,dum gratias ago grata tibi erunt.nam eloquia placent,grata,& accepta ſunt,quæ ut ſuſcipiantur,digna ſunt. *Et meditatio cordis mei.* cum meditatio mentis meæ,rationibus,ac intellectionibus facta,omnino irreprehenſibilis reddita fuerit,in conſpectu tuo ſemper eſt,nam meditatio reprehenſione carens,non aliunde oritur,quam à te,qui ab occultis meis me mundas. *Domine adiutor meus,& liberator meus.* Te auxiliante Domine nullius hoſtium ſpiritualium imperio ſuccumbo,quod ſi accidat ob ignauiam me ab aduerſantiis captiuum abduci,tu ſolus inuentus es adiutor,& redemptor meus,qui me ab illis redimere poſsis.

NICEPHORI, *Etenim ſeruus tuus*, ſeruus omnis iuſſa hærilia capeſcit *Delicta quis intelligit?* per hæc docet,neque eum, qui ſecundum uirtutem perfectus eſt,prorſus peccati immunem eſſe,quis enim (ait) futurus eſt adeo ſapiens ad diſcernenda peccata, ut in ea non incidat, cum aliqua peccata ſint maximè latentia, & quæ humanam cognitionem fugiant? *Ab occultis meis*, occulta peccata ea intelligit,quæ per ignorantiam committuntur. *Et ab alienis parce*, quicunque præeſt obnoxius eſt ſubditorum peccatis,quando nimirum ob ejus negligentiam deliquerint. *uel ab alienis*,hoc eſt à peccatis quæ fortuita cauſa commiſſa ſunt, & non electione, uel ab alienis,hoc eſt ab inimicis tam uiſibilibus,quã inuiſibilibus,etenim hi quoque alieni ſunt. *Et erunt ut complaceant*.Hinc habebunt ut tibi probentur. *Et meditatio cordis mei*, ubi intellige uerbum,erit.niſi enim dediſcat cor meum turpia cogitare, tua certè, & ea,quibus tu delectaris, nũquam conſiderabit *Domine adiutor meus*,ꝑ hæc docet & quod Dominus adiuuat in iis omnibus, quæ per uirtutem aguntur,& quod ab omni malo liberat.

HESYCHII. *Dulciora ſuper mel*,Iudicia Dei peccatoribus, & tranſgreſſoribus formidabilia,& deprecanda ſunt, at cuſtodientibus legem,& explentibus eã omnino cunctis diuitiis præcioſiora,eximia enim ſpes eſt retributionis.Hæc ad effectum prophetæ pertinent,qui ex ſe alios docet,quomodo ad Deum & mandata eius affectos eſſe oporteat,quare infert.

ORIGENIS. *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea*,Si ſeruus qui cuſtodit, ſanè qui non cuſtodit, ſeruus non eſt. Seruat autem illa,qui ea ipſa tantum,& nihil aliud præterea concupiſcit.quare magna eſt concupiſcentium illa retributio,Lucrum igitur quod inde refertur adducens,mihi quidẽ ita iudicantur ea eſſe dulcia,& deſiderabilia.

ATHANASII. *In cuſtodiendis illis retributio multa*,Merces obſeruantiæ quę oculus non uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt:Non eſt igitur ſine lucro illorum obſeruantia,etenim multas,& pulchras retributiones habet. Hactenus autem de pietate diſeruit, Hinc percurrit quæ ad iuſtitiæ adminiſtrationem in homines,& iuris actionem ſpectant,deque humanis delictis agit,peccata diuidit in ea,quæ conſultò,& in ea quæ non ſponte fiunt,& ex his alia ex imbecillitate,alia ex neceſsitate,alia ex errore fiunt.

HESYCHII. *Delicta quis intelligit*,Quis enim peccata hominum præter cordium agnitorem Deum nouerit?Non ſolum me inquit cogitationes circundant, ſed & Dæmonum turmæ infeſtãt,& ex hoſtibus alii foris inſidiantur,alii uero interius mecum agunt.Quis ergo adeo prouidus eſt,ut peccatorũ diſcrimina cognoſcat,ſiue ſpõtè illa,ſiue ab inuitis fiãt.*Ab occultis meis mũda me*.Qui euangelio inſtructus eſt,uera.Dei iudicia cuſtodit,inquit orans ut integer & purus mente appareat & nihil turpe cogitet, & ab externis inſultibus Dæmonum liberetur.

ORIGENIS. *Ab alienis*,Aliena uocat quæ extrinſecus Dæmone ſuggerente eueniunt u.g. ſiquis bonæ ſit mentis, & poſteà tanquàm chriſtianę fidei profeſſor captus tormentis, & cruciatibus traditus,dolorũ acerbitate uictus fidem abneget,inuoluntario caſu cecidit,quęcunque igitur non à nobis,ſed extrinſecus ortum habent,hæc aliena dixit.*Si mei non fuerint dominati*, Si & quæ per concupiſcentiã, & libidinem occultè ſubrepunt, & hæc tanquam in nobis aliena dominata mihi non fuerint, me ſanæ, atque integrę mentis inuenies. *Domine adiutor & redemptor meus*,per hæc intelligit & nouum teſtamentum, & gratiam,& baptiſmatis donũ,quo non ſolum peccatorum uęnia nobis conceditur,ſed futura bona reuerſantur.

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XVIIII.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.
Emittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.
Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.
Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum impleat.



EVSEBII. Psalmus is iuxta titulum ipsi Dauid sanè ascribitur. Attamen considera num ad historiam quoque referatur, & precatio sit à Dauid in suis effusa supplicationibus, cum Deum oraret, & obtestaretur, ut sibi adiutor esse uellet, dum aduersus hostes in acie staret. Siquidem conueniebat, ut sanctorum Angelorum chorus, & cœtus piorum hominum eorum præsertim, quibus sacrificandi & litandi munus publicum incumbebat, hæc Dauid facienti simul precari, & dicere: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis,* & quæ sequuntur. tum uero tibi nomen aderit Dei Iacob. Siquidem uel sola inuocatio, & appellatio satis erit tibi ad omnes hostes ulciscendos. Hæc uerò non tantum ipsi Dauid, sed iis omnibus, qui similiter ac ille, puras, atque intellectuales hostias precibus exoluunt, quadrare possunt, ut diuinæ uirtutes, & sanctorum Angelorum chori, simul orare, ac uota facere dicantur.

ATHANASII. Dicitur hic psalmus tanquam ex persona sociorum ipsius Dauid, ipsi sacra facienti bene precantium. Cœterum & ad personam Apostolorum referri potest, quo tempore Saluator cruci affixus se uictimam pro nostra redemptione fecit.

THEODORETI. Cum Sennacherib Iudæam olim inuasisset, & ad Hierosolimas expu- 4.Reg.19. gnandas ingentem exercitum Rapsace ductore misisset, & literas conuitiis omnibus, & execrationibus plenas Ezechiæ scripsisset, tum beatus Ezechias uir omni pietate cultus iis literis acceptis, sibi Isaiam Prophetam auxiliarem asciscens ad Dei templum cucurrit. Et explicatas Deo literas ostendit, hostium impietatem exponit. rogat, ob illatas sibi iniurias, suam ut Assyriis uirtutem faciat manifestam. Hæc multis antea seculis diuino spiritu afflatus Propheta uaticinatur, & præsentem psalmum dictat, in quo populum comprecantem ostendit, ut propitia eius supplicatio fieret. Nam postquam magnus Ezechias ad templum accurrit, in manibus ferens illas iurgiis, & conuitiis plenas literas, precatur populus, ut illius preces admittat & inde opem ferat, sanctum hoc loco templum appellans *Memor sit omnis sacrificij tui,* Deinde cum Propheta 4.Reg.19. pacis tempore diuino cultui studiosè uacaret, meritò hæc de ipso narrant, precantes uniuersorum Deum, ut Regis pietatem respiciat, & multorum, & omnis generis sacrificiorum eius recordetur. rursusque pacem concedat; ut amplioribus ipsum uictimis, & sacrificiis, conciliet, illud aût. *Holocaustum tuum pingue fiat,* Sic interpretatus est Symmachus, & subsidium tuum maius faciat. Hoc est securitate, quæ ex pace oritur impertita, occasionem præbeat, qua maioribus illum hostiis promereatur. *Tribuat tibi secundum cor tuum.* Iustum (inquit) iudicem precamur, ut pietati tuæ animæ dignam remunerationem largiatur.

DIDYMI. Possunt hæc dici in solatium eius, qui afflictionibus animi agitatur. nam uel uerbum siue ratio animo insidens, uel spiritus Dei illum excitans dicit. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis,* nam qui perturbationibus commouetur, ubi auxilium perceperit, discet non esse desperandum, nec consterni animo, ac deiici debere, sed Deo precibus inhærere, nam preces propitium sibi Deum futurum præsumunt, quamobrem Propheta hortatur afflictos, ut continenter ad preces uertantur, cum dicit, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.* Nomen Dei cum Iacob coniunctum clypeus tuus est, sed cur non de Abraham & Isaac sicut de Iacob mentionē fecit? An fortè quia dictum est quod cum Iacob, in multis, & grauibus ærumnis & afflictionibus extiterit, calamitosæ, ac afflictæ uitæ exemplum fuerit, quisque ergo in malis, & aduersis rebus constanter uersari, & ad afflictiones subsistere didicit ab ipsa Dei nominatione, quæ Iacob est protegitur, ut quemadmodum ille supplantator factus, supplantet, & mala, malignosque spiritus illa excitantes conculcet. Verùm de sancto auxilium mittit, aut à cœlesti templo, (Templum enim apud Hebræos sanctum nominatur) uel de sancto, Saluatore scilicet nostro IESV Christo, De quo dicitur: Deus de Theman ueniet, & sanctus de mon- Abach.3.

te, Pharam umbroso, Hæc autem interpretatio ex sequenti uersiculo cõfirmabitur. *Ex Sion enim* (inquit) *tueatur te.* quod inde Saluator humano generi illuxerit. Iuxta illud. Ex Sion species de coris eius, prima quoq; interpretatio procedere poterit, ut oret, ut Deus ex cœlesti Sion tueatur, & sacrificii illius sit memor. Significans afflicto homini forè, ut Deus è tribulatione illum eripiat, adeo ut ad agendas gratias conuersus sacrificium, & hostias offerat. cuius sic oblati sacrificii Deus sit memor futurus, & holocaustum ab ipso susceptum, pingue fiat. Ostendendum est autem sacrificium, ab holocausto differre, nam sacrificium inanimatorum, holocaustum animatorum oblatio est.

Psal.49.

ORIGENIS. *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Exhilaret, obeset. Namque animalia irrationalia obesa sacrificantur, & incenduntur, rationalia uerò post holocausta pinguia fiunt, siquidem post ignis sancti expurgationem cognitione digna fiunt, cum totum igne sanctificatum sit: pinguia uero alicuius holocausta facit Deus, ut pinguedo nutriat ignem in altari. porro inanimatorum sacrificia non manent, Animatorum aũt sunt holocaustomata. *Det tibi secundum cor tuum* Non decet Deum dare, neque petenti accipere qui nesciat, quid petat. *Et omne consilium tuum confirmet,* Laus est petenti, si petitorum compos fiat, ut potè, qui illa cupiat, & petat, quæ placita Deo sint.

NICEPHORI. Totum hoc omne de seculi consummatione dictũ est, qui penès Ezechiã erant, inter quos & Isaias erat, horũ præsentium uerborum uirtute pro rege precantes utebantur, quando ille contumelias & execrationes Sennacherib per Rampsacem audiuit, & postquã cum magno dolore ad templum accedens, quæ acta fuerant omnia, Deo annunciauit eum aduocans in auxilium, Conuenire quoque illa possunt & omni credenti contra Dæmonas instructo, qualia corpus pro anima intercederet, etenim Dæmones nihili faciunt Dei nomen. Sanctum uero, & Sion intelliges cœlum, Christum, & regẽ christianorum. *pingue fiat,* idest pingue, & acceptum habeatur, *Secundum cor tuum,* ut anima tua uult.

DIDYMI. Orantium uotis annuit, & iuxta desiderium donat Deus, cum ea petuntur, quæ & Deum dare decet, & accipienti utilia futura sunt, horum enim postulatio rectè facta Deum largitorem habebit. *Et omne consilium tuum confirmet.* Consilium hoc est uoluntatem tuam impleat, Voluntas impletur, cum in deliberationibus suis minimè frustratur, sed ad uota cedunt de quibus consilium cœperat.

ASTERII. *Exaudiat te,* Dicunt alii hanc precationem habuisse prophetam, cum Dauid singulari certamine aduersus Goliath pugnaturus esset, nam cum alienigena ille execraretur, Dauid in Diis suis, Prophetæ ante Deum pro Dauid orabant, ne Deus, cui uota facerent, unus ex Diis illorum censeretur. Et cum Dauid uictor euasisset, diceret unum ex Diis suis Dauidi opẽ tulisse. Icirco Deum Iacob illum nominauit, qui uerus, uiuens, & cœlestis Deus est, ne rursus Israelitæ, ut olim in deserto chorum ducentes, dicerent, isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt ex AEgypto, uel etiam Iacob meminit, quoniam incircumciso alienigenæ illi Dauid dicebat, Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & Clypeo, ego uero uenio ad te in nomine Domini exercituum Israel. Conuenientia ipsi Dauid Prophetæ orant *protegat te nomen Dei Iacob, memor sit omnis sacrificij tui.* non cruenti illius, & sanguine peracti. (de hoc enim Deo dixit propheta) sacrificium & oblationem uoluisti. Et holocaustis non delectaberis, quoniam si uoluisses sacrificium dedissem utique) sed eius, quod laude, & membrorum mortificatione perficitur, quemadmodum dixit, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, iuxta quod cum Paulo dicet aliquis, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, *In die tribulationis,* Qui dixit, inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Sed cur non dixit, in die tranquillitatis, quietis, pacis, & imperturbatæ uitæ? an quia calamitatum tempore in primis ampliori, & celeri magis auxilio indigemus? nam in tranquillitate plerique sæpe aut prorsus non orant, aut mente, & cogitatione uagantes non ut decet, orant, *itaque exaudiat te in die tribulationis,* ut gratias agens, dicas. Inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudinem.

Reg.17. Reg.12. Psal.39. Psal.50. Gal.6. Psal.117.

Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones suas nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo, in potentatibus salus dextera eius.

Hi in curribus, & hi in equis nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine saluum fac regem, & exaudi nos in quacunque die inuocauerimus te.

EVSEBII. Qui prius preces effunderant à diapsalmate uaticinantur, & futura eidem prædicunt

dicunt. Illa autem sunt, ille cui rationalia sacrificia obtulisti, omnia tibi tribuet, quæcunque anima, & corde tuo expetiisti, iis tibi collatis bonis, quæ ab ipso par est proficisci. Scies quoque illum ipsum omne tuum consilium perfecturum, cum ab illius sanctitate consilia tua minimè sint aliena. Et quæ circa te bona, & deliciæ erunt, huiusmodi, ut in nos quoque, qui prò te orauimus, & uota fecimus, eorum fructus redundet. *Lætabimur in salutari tuo.* nam didicimus iam, & ab oraculis diuini spiritus cognouimus germen ex te Dauid, nasciturum omnibus hominibus salutare, in quo, & nos, qui modo loquimur, exultabimus. Tum cum salutare tuum illuxerit non ipse solum, sed nos quoque una tecum magnificabimur in nomine Domini. Cum uerò petitiones tuæ dignæ Deo sint, confide, tibique sit persuasum, eum qui hæc omnia precibus, tuis annuit, uniuersa postulata tua perfecturum. Dexteram uerò manum, omnia salutaria, & propitia gesta interpretantur. *in potentatibus*, Virtutibus enim, & signis, atque portentis beneficentiam in homines exercebit. *Hi in curribus.* Experientia rerum index erit uictoriæ, nam hostes tui fidentes equis, & curribus uincti, non secus ac Pharao in rubro mari demersi concident, nos uero nomine Domini Dei nostri armati tecum, qui sacrificiis non delectaris, simul quasi precibus militantes, subleuabimur, erigemur, cum uictoriam ipse de inimicis nostris pepereris. Sed hæc (inquiût) erunt, cum salutaris Christi manifestatio fiet, tum enim in primis omnes aduersariæ potestates, & hostes Dei inuisibiles per salutare tuum euersi cadent. Sed quicunque salutare illud susceperint, à ueteri ipsorum interitu resurgent. Iccirco Simeon de ipso dixit, Ecce enim positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum. ruinam quidem inimicorum, & aduersantium illi, resurrectionem uero illorum, qui quondã ceciderant, sed ab ipso erecti sunt, At hæc tum euenient: Nunc uerò nobis Domine, *saluum fac Regem*, Dauid. omni tempore, & in die, qua inuocauerimus te. Cœterum hæc quoque Regi Ezechiæ congruere possunt, ut alius interpres ait, Verumtamen eadem secretiori, & mystico sensu considerato, equos sanè affectus illis insilientes, quos hostiles inuadunt potestates. Currus uero conspirationem affectionum impetu agentium, in quibus contra nos instruuntur. Cœterum cum isti huiusmodi sedem habeant nobis tamen arx est inexpugnabilis, inuocatio Dei. Luc. 2.

T H E O D O R E T I. *Lætabimur in salutari tuo.* Cum Deus enim preces tuas admiserit, nos quoque lætitia, & iucunditate perfruemur, clari & illustres facti ob Dei uirtutem. *Nunc cognoui*, Ex ipso rerum euentu didicimus Regem nostrum Deo fretum salutem consequuturum, & in imo templo preces afferentem, de summo auxilium accepturum, nam postquã ostendit eum in terris precantem, declarat quoque de cœlo adiuuari. *potentatibus.* accedentes adiuuat Deus, Dexteram autem hoc loco humano more dicens diuinam potentiam indicat. *Hi in curribus*, illi (inquit) equis, & curribus fidẽtes nihil inde utilitatis retulere, sed nescio quo pactò præpediti, corruerũt, nos uero diuino auxilio implorato, salutẽ manifestò consequuti sumus, & ob terrorem hostium penè collapsi, hostibus superiores facti sumus. Huiusmodi ergò auxilium adepti, te Domine obsecramus, ut nos unà cum rege nostro huius auxilii participes simus.

T H E O D O T I O. *Nos autẽ in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Te enim preces admittente, nos quoque lætitiam communicabimus, illustres facti & conspicui in uirtute Dei, in Christo enim est salus, & magnificatio, in filiis autem hominum non est salus, *impleat Dominus omnes petitiones tuas*, quænam erant petitiones, at illa, Pater sancte serua eos de mundo? scilicet credentes in ipsum.

A T H A N A S I I. *Hunc cognoui*, ut potè per spiritum de resurrectione illuminatus.

D I D Y M I. *Lætabimur in salutari tuo*, est autem salutare de quo dictum est. Ecce natus est nobis hodie saluator. qui est Christus Dominus & Simeõ. Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum, posuit autem salutare pro salute. quam seruat illi Deus, quem in die tribulationis exaudit, qua fiet exultatio in salute. *Et in nomine Domini.* Cum alii in mundanis rebus oblectentur, nos *in nomine Domini Dei nostri magnificabimur*. illud antem *magnificabimur*, progressum in bono significat, non enim dicit, magni sumus. Isaac pariter crescens maior factus est donec magnus uehementer factus est. Magnificatur autem aliquis in nomine Domini, cum ea præstat, quæ ad sincerum, & perfectũ seruũ pertinent, *impleat Dominus omnes petitiones tuas*, Magna laus illius est, de quo sermo est, ut à Domino implendæ sint omnes petitiones eius, nihilque postulet, quod à Deo non statim consequatur: Porro petitio impletur cum quæ quis petierit, euenient, & uerè sese offerent. *Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum*, Vox hæc *Christus*, cum aliàs de sacerdote, aliàs de Rege, interdum etiam de uerbi Dei dispensatione secundum carnem, afferatur, sunt qui hæc intelligant de Dauid esse dicta, aliqui de Ezechia, qui & psalmo argumentum dedit, & aliqui de dispensatione humanitus peracta. Fortasse autem cum omnes credentes cor- Luc. 2. Gen. 26. Eph. 5.

pus Christi impleant,iuxta illud.ita & Christus unum corpus est, multa autem membra, saluari Christus dicitur,cum qui corpus,& membra eius,sunt,salutem habuerint. ut aptè illud attulerit. *Nunc cognoui*,nunc enim,hoc est,in præsenti seculo agnoscimus Christum saluum fieri, cũ. qui per fidem illi inhærent,salutis pignus inde accipiant. *Exaudiet illum de sancto suo*. Exaudit Christum secundum omnem traditionem superiorem. Dextera uero Dei, hoc est sermo illius salutem parit.nec id obiter,sed in potentia,& uirtute,tanquam imperator,aut Rex fortissimus.

NICEPHORI. *Nos autem in nomine Domini*,nomen,quod ab inimicis exprobratum,& cõtumelia affectum *Lætabimur*: futuri indicatiui pro optatiuis modis ponuntur. lætemur (inquit) pro salute,quæ tibi à Domino uentura est. *Et in nomine*, formidabilis etiam erit gentibus hoc solo nomine Deus Israel inuocatus,per quod nomen & nos magnificabimur,ueluti exaudita inuocatione nostra. *in potentatibus salus dexteræ eius*, salus illa,quæ obuenit à gratia Dei fundata est in abundantia quadam,atque excessu diuinæ potentiæ,idest fortis est, & ualida. *Hi in curribus*. eosdem utrobique inimicos intelligit cum dicit,hi, & hi. *In curribus* autem & in equis dæmones esse dicunt,propter celeritatem & bellicos apparatus.


ATHANASII. *Lætabimur in salutari tuo*. Quod humano generi dedisti,per tuam resurrectionem omnibus manifestum fecisti.

ORIGENIS. *Hi in curribus*,Homines aut in diuitiis aut in gloria,aut in splendore generis oblectãtur,sanctus uero in Dei salutare,est aũt salutare Patris in mundo Filius,salutare.uero Filii in mundo crux:*ipsi obligati sunt et ceciderunt*, Aduersarii quidẽ eũ malitia in nos inuehuntur,nos uero cum Dei notitia illis resistimus, cadent enim aduersariæ potestates cum prædictum salutare mundo illuxerit. *Domine saluum fac regem*, Regem uocat quemlibet hominem.propriè uero mentem nostram, quæ affectibus moderetur,& imperet,perfruentes inquit nos huiusmodi susceptione supplices petimus & regem nostrum eadem continuo frui.

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XX.

Domine in uirtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit uehementer.
Desiderium cordis eius tribuisti ei,& uoluntate labiorum eius non fraudasti eum.
Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis,posuisti in capite eius coronam de lapide præcioso.



THANASII. Hunc quoque psalmum præmonstrati Regis amici concinunt,tanquam lætante Rege,quod è semine suo salutare mũdo sit profecturum.hoc enim erat,quod ex animo desiderabat,sibique dari maximè quærebat,quod & illi quasi corona preciosis lapidibus contexta, quæ caput suum exornaret,collatum est. Dauid enim cum Domino suo,eodemque filio secundum carnem inter omnes gentes gloria ingenti condecoratur, neque corona tantum fuit illi hoc salutare, sed uita, & longitudo dierum, & gloria,& magnificentia,& lætitia, gaudium,& spes,& misericordia inconcussa.

EVSEBII. Arbitror ego proposita uerba ab iis proferri,qui ea quoque precati sunt,quæ in superiori psalmo continentur.nam cum Dauid iam didicisset ab oraculis sibi factis,tũ quæ ad salutare ex eius semine nasciturũ pertinerent,tũ salutaris ipsius potentiã,propterea lætabitur,& exultabit uehementer,atq; his quoq; fidens debellatis hostibus uictoriætriumphum tibi acceptum in modum lætatur,& exultat,quod ope tua, & auxilio tuo ab insidiis inimicorũ ereptus sit,nec tã, de salute sua gloriatur, quàm quod abs te salutare illi oritur.Nam cum salutare à Deo uehementer expetiisset, & pro eo labiis suis preces ad Dominum supplicationesque effudisset,sua spe minimè cadet nec uoto frustrabitur, quin & amplius precando faciet,ut uotis suis à Domino satisfiat.

DIDYMI. Qui constitutus est Rex super montem Sion,is uerè Rex est, qui ob præstitam illi à Deo potestatem,lætus omni iucunditate exultat, Integer uero psalmus hic de Christo rege, & de conregnante cum eo intelligi potest, idque admonuisse uolui, ne in singulis dictionibus,

bus,idem repetere ac significare cogar.Cum uero præsens hic psalmus uerum, ac germanum finem respiciat,quæ in eo dicta sunt *in finem*,inscribuntur.Quin,& canticũ pro uictoria iuxta Symmachum,& uictori canticũ iuxta Aquilam nominatur,quoniam inimicorum,& oppugnatorum Dei perniciem recenset.

THEODORETI.Post illustrem illam,& conspicuam uictoriam,cum Assyrij nocte misera bili clade attriti sunt,beatus Ezechias morbo correptus esset,cumque se propediem moriturum (2.Reg.20.) ab Isaia didicisset, multis lacrymis ac precibus Deo placato,adiecta quindecim adhuc annorũ uitę promissione,à morbo liberatus est.Rursus itaq; Dauid ex psona populi hunc psalmũ conscripsit,pp Regis incolumitatẽ Deo gratias agens.(Cum ualdè potens sis ô Domine,necnon benignus,ac phumanus, ẽt Regis nostri preces admisisti,& petita oĩa liberaliter concesisti? imò maiora uotis munera largitus es.(Hoc.n.subiũxit) *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus*,nã nec rogatus illi regnum donasti,propria uero gloria, hoc est regio diademate caput eius coronasti.

DIDYMI. Spiritu ambulat,qui carnis desideria non explet. quicunq; spiritu præstat, cordis sui desiderium habet à Deo,qui.n.à carnis cupiditate abstinet,quæ cor,hoc est,mens optat,accipit à Deo qui replet in bonis desiderium eius,quin ẽt uoti cõpos,quæ præcatus,est,consequitur, (Psal.102.) nec postulatio labiorum suorum à Domino fraudatur. Ab eo uero quod dixit,*præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*,usus est causam reddente coniunctione. *Quoniam*.ostendẽs ipsũ lętari, & exultare propterea quod in benedictionibus bonitatis præuentus fuerit.Sed ut discrimẽ faceret iter eas benedictiones,quę nõ sunt benedictiones bonitatis,hic addidit,bonitatis,nã cũ Iacob (Gen.49.) filiis benediceret duro ac difficili quodãmodo, quæ illis uetura erant,prænunciauit.ut illud,Maledictus furor eorum& siquid est huius generis.Sed præpositũ Regẽ & eius imitatorẽ præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis,ac ad cęlestes promissiones attollit,quarũ i terris,dũ hic uitã ducimus,arrabonẽ habemus,nã ex studiis & operibus quisq; suis coronatur,nã qui equitati studet,iustitiæ coronã accipiet,qui rectè de Trinitate sẽserit,incorruptã gloriæ coronã cõsequetur, & quisquis ĩ Domino delectatur,lętitię corona ab ipso pręcingetur,& qui gratia seruatus ẽ,caput eius gratiarũ corona decoratur,quin & is,qui cũ auro & argẽto lapides eximios cõgerit,à lapidibus his eximiis,& pretiosis,quos negociatus fuerit.coronabitur,circũdãte Deo caput animę suę preciosorũ lapidũ corona. præterea ad diuinã potẽtiã oĩ uirtute ornãtã dicitur,oĩs lapis pretio (Ezech.28.) sus operimẽtũ tuũ.Deus ergò qui ĩ misericordia,& miserationibus coronat,ei coronã preciosis (Psal.102.) cõtextã lapidibus ĩponet,quẽadmodũ ĩ spe coronat eos,qui in eũ spe tẽdũt.Est.n.Dominus Sabaoth corona spei gloria compacta.Cum uero Apostolus discipulis dicat.Gaudium,& corona meanum fortè Christi domestici ob constantem in uirtute progressum pretiosi lapides, quasi coronam plectẽtes imponent capiti Christi? *Domine in uirtute tua*,Christus est in uirtute Patris.Etenim Christus Dei Virtus,& Dei sapientia est.Cœterum & Reges terræ lætãtur,cũ Dei uirtute regnum rectè administrant,omnis.n.qui affectibus suis dominatur, rex est qui in Dei uirtute hoc est in Euangelica doctrina lætatur lubens(inquit)ô Domine regis nostri preces admittens omnes eius petitiones illi largitus es,quare ob illustrem à te habitam salutem lætatur,& exultat.

ORIGENIS, Quẽadmodũ unigenitus & uirtus,& sapiẽtia,& uerbũ Dei,sic & salus,ẽ,scies aũt qđ quẽadmodũ sũt,& uirtutes,& sapiẽtię,& rationes Dei,sic & salutes:alia.n.Dei,alia mũdi salus est, *Desiderium cordis eius tribuisti ei*,potens(inquit)& benignus Deus regis nostri preces admisit,& omnes eius petitiones adimpleuit,& maiora petitis dona largitus est, An fortè per hæc ad ueritum in carne,& ortum ex semine Dauid intellexit.

GREGORII NIS. *Posuisti in capite eius coronam*,Corona ipsi ecclesia fit propterea quod animati lapides caput eius coronant complicatio autem coronæ huius charitas est, quam siue patrem,siue matrem,siue dilectionem quispiam appellet,non errabit, Deus enim,ait Ioanne,scharitas est.

ORIGENIS. Christi corona Deus est,Christus rationalis naturæ,lapides preciosi,uel margaritæ sunt sermones de quibus dictum est, ne proiiciatis margaritas uestras ante porcos. Et (Matth.7.) preciosa margarita,mercatoris Christi discipuli,qui tanquam coronam complicantes Christi capiti imponuntur. quibus autem studiis aliquis oblectatur, his etiam coronatur, Nam qui iustè (Matth.13.) iustitiam sequitur,iustitiæ coronam accipiet,qui oblectatur in Domino corona exultationis pro (2.Timo.4.) tegetur,& qui gratia seruatus est,gratiarum coronã in uertice accipiet suo & qui thesaurum au (Eccl.1. Isa 28.) ro argento,& lapide precioso comparat is ab iis lapidibus,quos laborauerit coronabitur. Sed & (Eccl.32.) Dominus sperantes in ipsum coronat misericordia,& miserationibus. (Ezech.16.)

NICEPHORI. *In finem*,inscribitur psalmus hic,ut qui uaticiniũ habeat,quod Ezechiæ regis tempore finem accepit,cũ quindecim annorũ additamento uita illi prorogata fuerit,quando

post illustrē illā,& splendidā uictoriam,& inuisibilē Assyriorū stragē ęgrotauit ad mortem,& ex morte eū Dominus nec opinantē,liberauit, & uitā produxit. *Et uoluntate labiorū*,Voluntatē petitionē appellauit,quoniā primū uolumus,postea petimus.*Qm præuenisti*,quoniā præoccupasti ſe pius antequā ipſe aliquid peteret à te.Benedictionem hoc in loco pro beneficiis accipere debemus,quæ a Dei benignitate proficiſcuntur.*posuisti in capite*,donasti illum corona regia.

ASTERII. Qui in præcedenti psalmo,precantes pro Rege dixerunt.Saluum fac Domine Regē,& exaudi nos,quo die inuocauerimus te,& rursus in potentatibus salus dexteræ eius.post quam uiderunt eū cōtra hostes cōfirmatū,& miro quodā mō seruatū esse,gratias agētes dixerūt *Domine in uirtute tua lætabitur Rex*, nā licet assiduis afflictionibus obsideatur,in multa nihilominus tribulatione probatus,gaudii abūdātia illi adest,quod gaudiū tollerantia,& expectatione cō firmatur,quod innuit dicēs.Dominus affuit,& cōfirmauit me,& quisquis affectibus dominatur,
Tim.1. rex ē, & i uirtute Dei,hoc ē in Euāgelica doctrina lętatur.quod cū significaret Apostolus dixit. nō.n.erubesco Euāgeliū , uirtus.n.Dei est in salutē.quoniā ergo Euāgeliū uirtus,& salus est,me ritò inquit,*super salutare tuum exultabit uehementer. Desiderium cordis eius*,Illud .f. quod in man datis Dei Dauid habuit,ipse.n.dixit,cōcupiuit aīa mea,desiderare iudicia iustitiæ tuæ. Et.concu
Psal.118. piscit,& deficit aīa mea in atria Domini.Et.Ecce nobiscū psallit in ecclesiis. Remissionē peccato
Psa.83. rū concupiuit,& Dominus et annuit.& ut simplicius uerbis illius loquar. *Desiderium cordis eius tribuisti ei,& uolūtate labiorum eius non fraudasti eū*.Os,& labia ipsius Dauid fuere cātores,qui eius carmina modulabantur,& precabātur eū sēper ex Diuina gratia psalmos prophetare,ut ma iorē psalmorū supellectilē cōpararēt.Sed quāobrē hęc dicimus?quoniā quæ præterita sunt,prę sentium,& futurorum pignora habemus.*Quoniam præuenisti eum in benedictionibus.* Cum Deus ex indignis dignum eligit,tum ante electionē illi benedicit,ut si quis Paulum laudet.dicat.quem
Act.9. Ananias persequutorem uidit,hunc Deus Euangelistam pręuidit,uas electionis mihi est.Sic pro-
Act.13. phetā Dauid laudibus celebrat,cū honorifica illius mētione dicit.Inueni Dauid Filiū Iesse uirū se
Psal.88. cundū cor meū.Et inter Filios Iesse regē mihi cōstitui.quibus benedictionibus dulcedinis ostē
4.Reg.21. dit eum illū præuenisse,Nū inter benedictiones blasphemiæ,ac execrationes cōplectūtur, ut il
Iob.1. lud.Benedixit Naboth Deo,& Regi,pro maledixit,uel blasphemauit. Et rursus. Num in faciem benedixerit tibi,hoc est blasphemauerit,uel maledixerit.*posuisti in capite eius coronā de lapide pre cioso*.Regnum Saul,ac Regis Adraazar coronam.

Vitam petiit à te,& tribuisti ei,longitudinem dierum in seculum seculi.
Magna est gloria eius in salutari tuo,gloriam,& magnum decorem impones super eum.
Quoniam dabis ipsi benedictionem in seculum seculi,lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo.
Quoniam Rex sperat in Domino,& in misericordia altissimi non commouebitur.

ASTERII.*Vitam*. scilicet pœnitētiā dicenti,in uia tua uiuificabis me,& rursus. Eloquium
Psal. 187. tuum uiuificauit me.illud uero *in seculum seculi*,uitam futuram sanctis præparatam significat.

DIDYMI.Si Christi imitator ē is,de quo sermo habetur, sanè Deus uitā illi petēti tribuit.
Rom.6. Gratia.n.Dei ē uita ęterna.Sed si de christo dicitur.illi quidē uitā petēti dedit Pater,ut mortuos uiuificaret.*Longitudinē Dierum*,non tantū uitā absolutè petiit,sed lōgitudinē dierum,ut.f.uitam haberet immortalē,& fine carentē.Dierum longitudinem suscipit is, qui sibi cognitionis lumen accendit,ut omnia ueritatis dogmata illuminata teneat,nam oīs cognitionis præscriptio dies quę dā est,*Magna gloria eius in salutari tuo*,Dei salutare magnā Regi gloriā parat,Regi inquam à mor tuis resurgenti,ac cuilibet,qui cum illo resurrexit,*Gloriam & magnum decorem*, Gloriam hoc lo co eam intelligit,quæ in resurrectione accessit,illud uero,*impones* significat illum aliam ante hac gloriam habuisse,iuxta illud.Glorificaui,& iterum glorificabo:est autem magnificentia magnis
Ioan.12. in rebus decor.Sanè in magnis decor circa Saluatorem fuit,quid enim maius quàm mortuos ex citare?super mare ambulare?aut id generis prodigia facere?Verum etiam,cum ipse reuixit,decor illi in magnis extitit,Ad cœlos enim euectus est,& sedet in dextera Patris, *Quoniam dabis ei bene dictionem in seculum*.Hæc illi omnia obtigerunt,quoniā benedictio illi à Patre datur in seculum
Gal.3. seculi.qua etiam appropinquātibus sibi benedicit,& præcipuè,cum prò nobis factus maledictū, de legis maledicto nos liberauit,ut in gētibus benedictio Abrahę fieret.*Lætificabis eū in gaudio.* Quēamodū à Deo patre,& Domino IESV Christo eadē gratia,& pax datur,sic idē gaudiū à Deo, & uultu eius manare necesse ē.vultus.n.Dei est caracter substātiæ eius, porrò hoc quod Regi in Deū sperāti,eueniet eū.f.uoti sui cōpos factus erit, hoc et expectantibus cōtinget,ut letitię sensum quendā,ut experimentū illis iniiciat.Vel hoc modo.quoniā uultus est imago tua,Hęc uero est Deus uerbū,qui simul cum hoc uultu Rex factus, tēplū ipsius appellatur, & conformis illius existens,in gaudio lætificatur.

Evsebii. Alius ad Dauid superiora uerba retulit, lætificabit enim (inquit) eũ Deus in gaudio, cum facie ad faciem suæ gloriæ illum spectatorem constituerit. Ideo Symmachus ait, lætificabis eum in lætitia præ uultu tuo, nam ubi tẽpore iudicii, uultu magni Regis medius Dauid stans inter eos qui saluabuntur, & caput pretioso lapide redimitus, & gloria, magnoque decore insignitus, uisus fuerit, diuino gaudio, & cœlesti lætitia cumulabitur.

Theodoreti. Alius de Ezechia hoc dictũ affirmat, Non modo (inquit) salutem illi, & uitam donasti, uerum etiam illustrem illum & clarum, tum miranda hostium cœde, tum præpostero Solis recursu reddidisti. Hoc autem terra, marique passim adeò notum est factum, ut Babyloniorum Rex dona ad eos miserit, qui prius Assyriis tributa pendebant, namq; in gratiã Ezechiç id Soli accidisse suspicatus est, id ex interitu Assyriorũ cõiectãs. *Quoniã dabis ei benedictionẽ, in seculũ*, Et in omnibus (inquit) generationibus celebris erit, & decãtatus, cũ abs te tãtũ sit auxiliũ cõsequutus, illud enim, *cum uultu tuo*, Symmachus dixit, ante uultum tuum. Letitiam ergo (inquit) & assiduam iucunditatem habebit, tuo uultu, hoc est beneuolentia potitus. Reg.20.

Nicephori. *Longitudinem dierum*. non solum hanc uitam, quam hic degimus produxisti, sed aliam incõprehensibilẽ largitus es. *Magna est gloria*, ex pernitie hostiũ magnam gloriam consequutus est, ita ut Assyrii dona illi attulerint & Sol in eius gratiam reuerti uisus sit. *Quoniam dabis ipsum*, in omni generatione illustrẽ esse, & decantatum cum talem in te fiduciam habuerit. hoc.n. significat illud *cum uultu tuo*, uel tũ simpliciter gaudium habebit, sed unà cum familiaritate tua: causam uero induxit: quoniam inquit, sincerè in te sperauit. Hæc uero illi peperit fiducia, quam in te habuit, hoc enim subiunxit *Quoniam Rex sperat in eo*, Hostibus superior est, quicunque gratiæ tuæ fit compos, gratiam uero tuam consequitur, quisquis nulli hominum fidens, tua sola spe nititur.

Evsebii. Cum prædictas promissiones Dauidis sermo prænunciasset, causam consequẽter attexuit, propter quam promissiones illas consequuturus esset. Sed quænam causa fuit illa? spes sanè in Domino, qua misericordiam consequutus, spe Dei altissimi non decidet. nec ab hac firma statione demouebitur, spes enim non confundit.

Didymi. Qui oleum ab altissimo accepit, ut exultationis oleo inungatur, is planè perpetuum ex unctione sacerdotium habet, iuxta ordinem Melchisedech, qui est sacerdos in æternum nam quod eum minimè commotum asserit, significat temporariam illum dignitatem, à qua in alium statum commutari contingat, non habiturum. Psal.100.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui oderunt te. Quoniam pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Theodoreti. *Inueniatur manus tua*. Hoc quoque Symmachus apertè magis interpretatus est, dicens. Apprehendet manus tua omnes inimicos tuos. Dextera tua inueniet omnes, qui te oderunt, hanc enim sententiam uerba ipsa sequuntur. Et sequentibus cohærent. Siquidem non frustra (inquit) Rex in te confidit, cum dexteram tuam cunctis inimicis tuis fortiorem esse, & celerrimos capere, & potentissimos perdere posse, cognoscat? Dexteram rursus & manum efficacem, Dei potentiam dicit. Facillimum (inquit) est tibi tanquam clibanum succendere eos, & igne, tanquam combustioni aptam materiam conficere.

Didymi. Non quibusdam, sed omnibus inimicis Dei inuenitur manus eius, cum supplicia illis inferuntur. Manus hæc illa est, quæ diuinæ legi repugnantes demolitur. iuxta illud. pugnat Dominus occulta manu contra Amalech. inimicos hoc loco intelligere illos fortasse potes, qui sublata prouidentia se totos impietati dedunt. nam his, qui Deum esse negant, inuenitur manus, quæ illos agitat, & suppliciis affligit, ut Deum rebus cunctis præesse cognoscant. Osores autem Dei uocat hoc loco, peccantes, nam si quis præcepta Dei obseruat, in eo perficitur charitas Dei. Iuxta illud. Si quis diligit me, sermonem meum seruat, unde consequens est, ut qui neque sermonem, neque præcepta obseruat, ut Deum oderit, qui uerò sic infectus odio est, is planè periisse dicitur. Et quoniam expectatio est uẽturũ Saluatorem, qui Dextera Dei est, ut quærat, & saluum faciat, quod perierat, meritò dicitur, *Dextera tua inueniat omnes inimicos tuos*. Cæterũ quid intersit inter manum & dexteram in scripturis uidendum est. Manum sanè in ulciscendis malis adhibet, ut illud. Manus tua gentes disperdidit, & nunc mittens manum percutiam te, etenim manus Domini tetigit me. Dexterã uerò in bonis & in salute ordinat scriptura: Dextera .n. illius saluauit eos, & dextera Domini fecit uirtutem. Et, Dextera Domini suscepit, me & similia. & hoc quoque loco manũ ab inimicis, quę illos puniat, inueniri dicit, Dexterã uerò osores, ut cum inuenti fuerint, non amplius in perditione persistant. Exod.17. Ioan.14. Psal.43. Iob.19. Psa.47.

Eusebii. Deo ista à precantibus dicuntur, qui pariter dicunt. quanquam hi, qui Domine tecum inimicitias exercent, non desistant animas illas, atque adeò sanctos omnes, qui se tibi dedicarunt, hostiliter infestare. ineuitabilem tamen manum tuam, & inuictam potentiam nō effugient: nam tantisper efferuntur hostes tui dum domesticos tuos tanquam athletas exagitant & exercent, Veruntamen exiguo temporis spacio elatos, illos manus tua statim occupabit, & fugientes dextera tua apprehendet. Sed quid aget, ubi eos apprehenderit? *pones eos ut clibanum ignis*, nam ubi uultus tuus apparuerit, regnum tuum ostendens, statim efficies, ut nequitiæ ignis: quem ipsi sibi accenderant, ad supplicium eorum ardeat, ut ipsi sibi ipsis clibanus fiant, cuius generis febres ardoribus correpti patiuntur cum nihil extra sit, quod feruorem moueat, illi intus ignē habent. Sic ergo inquit, & hostes tuos pones ut clibanum ignis, unde illis dicetur. Ambulate in lumine ignis uestri, & in flammis, quas succendistis.

Didymi. Illud *pones eos*, ad inimicos referri puto, quos ubi suppliciis afficiendos tradideris, pones ut clibanum ignis, non tamē perpetuò, sed usque dū diuinus uultus tuus illucescat, hoc autem loco καιρὸς non tempus, sed statum quendā significat eorum, qui Dei uultum percipere possunt. Arbitror ēt nomen illud, *Clibanum*, non frustra positum esse, nā quemadmodum clibanus non temerè, neque fortuitò succendi solet, sed proposito fine aliquo, ut uel panis, uel aliud quippiam coquatur, ita quoq; Deus pœnas infert, quoad huiusmodi occasio ueniat, qua uultum ipsius intueri queant. *Domine in ira tua conturbabis eos*, Eos, qui in nequitia, & in præpostera opinione conquieuerunt, uoluptatibus illectos Deus conturbabit in ira sua. perturbatos in supliciorum, ac uindictæ expectatione. Hos autem ita affectos ignis deuorabit, non corporeus ille, sed aut ignis pœnitentiæ propter commissa mala, uel ignis implacabilitatis & mitæ cuiusdam amaritudinis animę immissus, ignis hic ratione ac comparatione quadam corporeis morbis respondet, nam quemadmodum cibi qualitas, uel excessus febrem excitant, ita eos, qui in malitia conquiescunt, & peruersa dogmata sectantur, ignis quidam malus consequitur, qui eos deuorat, non quidem substantiam, uel naturam absumens, (hæc enim interire nequit) sed qualitatem, hoc est uitium, quo ligna, fænum, stipulæ, zizania fiunt ut, quæ illam circundant, hoc est accidentibus absumptis, substantia huiusmodi rebus detensa pura, & soluta relinquatur.

Cor. 3.

Nicephori. *Quoniam pones*, in tempore, quo ira tua uisitabit eos conficies illos igne tanquam combustibilem materiam.

Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.

Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum in reliquiis tuis præparabis uultum eorum.

Hic quoque ostēdit naturā, & substantiam minimè interire, sed fructus malos edidisse, hoc est malos mores, & opera iniqua, *Et semen eorum, filiis hominum*, quemadmodum plantę quæ perfectos, fructus faciunt, ex fructibus semina producunt, ut inde aliæ similes illis plantæ oriantur, sic qui in malitia, & impietate fructus ferunt, doctrinæ semina iaciunt, ut sui similes impios, & perditos homines efficiant, hoc semen delet à filiis hominum.

Eusebii. Hæc nonnulli peruertētes dixerunt plurimorū impiorū successiones, ad multas generationes peruenisse, & improborū liberos piè, ac religiosè uixisse. Sed intellige tu, semē & fructus esse eorū doctrinas, & ipia dogmata, quę post eorū mortē in homines irrepserūt. hæc Deus prò sua bonitate, & misericordia tandē aufert, & delet, ut nec fructus impiorū, nec semen supsit. *Quoniā declinauerunt in te mala*, causā rursus affert, pp quā ista passuri sunt. dicens, *Quoniā declinauerunt in te mala*, Symmachus cōmunierūt cōtra te malū, uel obstruxerūt contra te in malum. uertit, nā licet, (inquit) uidebātur homines oppugnare, quia tamē nulla ratione, uel causa probabili uel ob turpē aliquā rē sed ob pietatē, qua tecolunt illis insidias struebant, meritò aliquis dicere poterit, eos tibi Deo insidias molitos esse, & machinationes omnes, quas sanctis tuis parauerunt, contra te quoque excogitasse, propterea quæ prædicta sunt eos apprehendent, nam neq; consilia eorum præualebunt, nec manus tuas effugere poterunt. nā illi omnia in te machinabantur, & impio animo aduersus te consilia capientes peragebant. Sed tu illos auersos, & profugos, terga uertentes ab ira tua pulsos abscedere coegisti.

Theodoreti. Nec eos solū, sed oēs eorū posteros delebis. hoc. n. & semē, & fructus nominauit, ut oīs eorū memoria statim deleatur. Hoc aūt in tēpore uultus tui. i. tēpore iræ tuæ, cū hoc facere uolueris, & opportunū esse tēpus uindictę iudicaueris, quoniam contra te linguā mouerunt & maledictis usi sunt. *Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*. Symmachus ita dixit. cogitauerūt cogitationes imbecillas. Prædicit antē per hæc uerba cōuitia illius Assyrii dicētis. Ne te decipiat Deus tuus, cui confisus es. quoniam liberabit Hierusalem de manu mea.. De

2.Par. 32. 4.Reg. 18. & 19.

iis

iis uerbis hoc loco intelligit. Cogitauerunt cogitationes, quæ non possunt fieri, uel cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, sperantes quemadmodum Idolis, sic uero Deo superiores fore.

DIDYMI. *Declinauerunt in illum mala*, uel quia peruersa de Deo dogmata asseruerunt, uel quia malitiæ suæ causam illi ascripserunt. declinauerunt autem mala in Saluatorem tum proditores, tum hostes eius. Animaduertendum autem est mala, ex inclinatione, nõ autem ex rectitudine, quemadmodum bona, perfici. Mali autem omnino peruersi, inopinantes, ac debiles aggrediuntur, namq; non expectanti noxam, & nihil inde timenti insidias struunt. Cœterum malus omnis quibus artibus peccat, consilium cogitat, quod firmum nequit consistere, cõsiliũ scilicet malitiã, quæ diutius durare non potest. *Quoniam pones eos dorsum*, quos Deus auersatur, eos cũ uultus esse possint, dorsum ponit. Vel sic. qui Dei uultum contueri non possunt, quia cor purũ nõ habẽt, facit, ut quæ à tergo illius sunt, scilicet opera post ipsum manentia, considerent, ut creaturam illius contemplantes sensum illius accipiant, utq; impedimenta, quæ ne uultũ purum haberent, faciebant, relinquentes, ad Deum deducantur, & ipsum Dei uultũ intueantur. Iccirco dicit. *In reliquiis tuis præparabis uultum eorum*. Reliquiæ Dei sunt res illius excelsiores, quæ operibus cunctis, quæ sensibus subiiciuntur, longè præstantiores sunt.

THEODORETI. *Quoniam pones eos dorsum*. Symmachus dixit. Quoniam facies eos auersos, nam qui cœdẽ Angeli fugerint, eos in stuporem conuertes, cogesq; terga dare, ut abeuntes, quæ gesta sunt aliis referant. Hęc aũt uates tanquã nondũ facta more prophetico, ponit. *in reliquiis tuis*, hoc p hyperbaton dictum nonnulli affirmauerunt, & ita intellexerunt. in reliquiis illorum prępara bis uultũ tuum, pro eo quod est. & captiuis, & fugientibus, supplicium, inferes, possunius quoq; & si eadem structura utamur, sentẽtiam sic accommodare, facilè tibi erit, & pęnis quę tibi reliquæ sunt afficere, & eos qui effugiunt, terga dantes, & eos, qui sibi iam euasisse morte per suadent, conuertere, sistere, & mulctare.

CYRILLI. Qui hunc psalmum referri ad Christũ opinati sunt, pęnas, & supplicia in Iudęos cõmemorari dixerunt ab eo loco, ubi ait. *inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, hæc. n. (ait) omnia illis infligentur, quo tempore apparebit facies tua. Sed quamobrem? quia *declinauerunt in te mala*. quæ isthæc sunt? ea, quæ narrant Euangelia illos in Christum machinatos fuisse, nã cogitauerunt consiliũ, quod stabilire non potuerunt, arbitrantes Dominum gloriæ morte circumueniri posse. Quare *pones eos dorsum* (inquit) nã qui primo Filii, & populus Dei uocabantur. iis qui ex gẽtibus crediderunt, dorsum positi sunt, iuxta illud, erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. *in reliquiis*, aũt dixit, quoniã quãdo plenitudo gentiũ introducta fuerit, tunc ois Israel saluus erit. Malach. 3.
Exaltare Domine in uirtute tua, cantabimus, & psallemus uirtutes tuas.

DIDYMI. Quoniam cum te ipse demitteres imbecillitati nostræ, imbecillitatem quandã omnibus hominibus fortiorem assumpsisti, dũ ex infirmitate cruci affixus es. *Exaltare Domine in uirtute tua. cantabimus. & psallemus uirtutes tuas.*

THEODORETI. *Exaltare Domine*. Cũ Deus humilis exaltatur, nõ quod nõ habet accipit, sed quod habet ostendit. Meritò igitur dicit. *Exaltare Domine in uirtute tua*. ostendatur celsitudo tua p ineffabilẽ potentiã tuã, quam nos celebrantes, & concinentes te, & opera tua admiranda enarrabimus.

CYRILLI. *Exaltare Domine*, simile est illi. Adueniat regnum tuum, manifestò autem, per hæc fieri secundum aduentum precatur. Matth. 6.

NICEPHORI. *Fructũ eorũ*, fructũ & sonũ dicit, quod tota eorũ generatio peribit. *Quoniã declinauerunt in te mala*, in te blasphemi fuerunt. illud uero *declinauerunt* significat, per inclinationẽ à rectitudine malum effici. errantes igitur in te mala fecerunt, sanctũ nomen tuum blasphemantes. *cogitauerunt cogitationes*, dixerunt enim Hierusalẽ iri captã derelictã: hæc aũt blasphemia erat ne te diripiat Deus tuus cui confidis liberabit Hierusalẽ iri de manu mea. *in reliquiis*, hoc per hyperbaton figuram construendum est, si sententiæ tenorem seruare uoluerimus, hoc pacto in reliquiis eorum præparabis uultum tuum, ac si dicat, quod neque ii saluabuntur qui superfuerint ab Angelica strage cõtra hos etiam uisitationem tuam in ira tua præparabis, & persequeris adeo ut euadere non possint.

ORIGENIS. *Quoniam inclinauerunt*, tum inclinamus cũ præter naturam mouemur.


EVSEBII. Sed & quilibet malus, & flagitiosus, cui male facere intendit, in illum mala inclinat: non enim rectitudine ut bona, sed declinatione à recto mala perficiuntur.

ATHANASII. *In reliquiis tuis*, Reliquisti (ait) illis conuersionis tempus quod est uocatio eorum post gentium plenitudinem.

IN FINEM PRO SVSCEPTIONE MATVTINA PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XXI.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti longè à salute mea uerba delictorum meorum.



ATHANASII. Canitur hic psalmus pro matutina susceptione, hoc est quãdo emicans Dei uerbum, id est, unigenitus eius filius de alto, iuxta illud, quod spriptum est, oriens, nos à nocte, & caligine diabolica liberauit, Luc. 1. Luc. 24. Aut matutinam susceptionẽ intelligit dominicę resurrectionis tempus: Resurrexit, n. ualdè manè uiam humanæ naturæ ad immortalitatem patefaciens. Apertè autem, quæ illi crucis tempore à Iudæis facta sunt, nobis exponit.

EVSEBII. Inscriptio psalmi argumentum omne illorum quę in ipso dicuntur, ad id tempus refert, quo Saluator noster à mortuis resurrexit, ideo *prò matutina susceptione*, dicitur, cuius autem generis fuerint, quę ad matutinam susceptionem spectant, Euangelistæ postea declarabunt. Lucas quidem ita scribit. Valde manè una sabbatorum mulieres uenerunt ad monumentum, ferentes quæ parauerunt aromata. Luc. 24. inuenerunt aũt lapidem reuolutum à monumento, & factum est dũ mente consternatæ essent de isto, ecce duo uiri steterunt secus illas in ueste fulgenti qui & dixerũt, quid quæritis uiuẽtem cum mortuis? non est hic sed surrexit, recordamini qualiter loquutus est uobis cum adhuc esset in Galilea, cæteri quoque pariter Euangelistæ concinuere. Ecce quo modo quę ad matutinam susceptionem pertinent, in Saluatoris nostri resurrectione perfecta sunt. Quare uniuersam passionis Saluatoris nostri dispensationem, in eius resurrectionem, diuinus spiritus confert, & ad illum ipsum finẽ per prędictã prænotationem ac titulum hoc, uaticinium refert. qui enim fieri potest, ut psalmus non sit prophetia futurus, quæ resurrectionẽ Saluatoris nostri, Ecclesiæ cętum, gentiũ uocationẽ nouæq; prolis populi nasciturí præcognitionem contineat, quando spiritus sanctus in his tanquam in summis bonis oblectantur, simul & canit?

DIDYMI. Susceptio matutina oriente iustitiæ Sole perficitur, & diei principiũ parit, nã ortus ueri luminis, ignorantię ac erroris nocti fine imposito spiritualem aurorã inuexit, quæ simul ac cępit, ad finẽ pfecti, ac diuini luminis, quod à Trinitate manat, occurrit. quo quidẽ lumine omnia spiritalia perfecta sunt. Finis est cuius gratia reliqua, ipse uero nullius causa fit. quod etiam summum ac extremum omnium optabilium appellant. nihil enim ultra illud, quod appetendum sit, superest, propterea quod illud est perfectissimum bonũ. Inscriptio igitur huius psalmi, *in finẽ susceptionis matutinæ cantur ipsi Dauid*, hoc est illi qui ex eius semine secundum carnem natus est. Nulla uero mutatio personæ fit in hoc psalmo sed integer est de persona Christi, cuius etiã dictiones ipsæ in nouo testamento receptæ sunt, quæ uero illæ sint, cum illuc peruẽtũ erit, aperiemus.

THEODORETI. Psalmus hic Domini nostri crucẽ, resurrectionẽ, gẽtium, & demũ uniuersi orbis salutem prædicit, quod ex ipsa inscriptione liquet. *susceptio matutina*, nostri Saluatoris aduentus est, qui auroræ similis his qui sedebant in tenebris illuxit, lux, n. uera Dominus est, oriens aũt lux diluculum facit, qua exorta tenebræ discutiuntur. in eum igitur hic psalmus est scriptus, si quidem potius sacris Apostolis & ipsi adeo Saluatori, qui huius psalmi, initio in cruce usus, est credendum est, quam iis, qui aliam interpretationem afferre conantur.

NICEPHORI. Psalmus hic crucem Saluatoris prædicit, & resurrectionem, nec non & gentium uocationem, & salutem nostram. Susceptio autem matutina uel Domini aduentus, est qui diluculi instar his qui, in tenebris erãt, illuxit. Ioan. 1. Hic autem Dominus IESVS propriam sibi totam humanitatem faciens sermonem facit, & ad unitum ipsi Deo uerbum, & ad Patrem eius per ipsum. Ego enim (inquit) & Pater unum sumus.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti longè à salute mea uerba delictorum meorum.
Deus meus clamabo die, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.
Tu autem in sancto habitas laus Israel.
In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi.

THEODORETI. Saluator cruci affixus hanc uocem hebraicè suscepit. Heli Heli Lamaaza btani, quomodo igitur eiusdem ueritatis testimonium scribēdo præteriri potest, derelictum aūt fuisse dicit, ut qui cum nullū peccatū fecerit, morti tamē obnoxius fuerit, quæ in peccatores grassabatur. Derelictionē aūt nō coniunctę Diuinitatis separationem, ut nōnulli opinati sunt sed permissionem illam qua diuinitas permisit, ut humanitas pateretur, appellauit. Aderat enim in patiente serui forma Diuinitas, et dum generi humano salutem compararet, eum pati permittebat, at Diuinitas ipsa nihil inde propterea patiebatur. Quomodo enim pati poterat, quæ nulli perpessioni subiecta sit? Hæc ergò uerba Dominus quatenus homo protulit, & quoniam ipse humanæ naturæ caput est, pro uniuersa natura humana in sequentibus uerba facit. Mar.16.

DIDYMI. Animaduertendum est Prophetam recto, prò uocandi casu usum fuisse. Nā dixit, *Deus meus, Deus meus*, prò, mi Deus, mi Deus, quod genus loquendi multis in scripturę locis usurpatur. Quod ergo intendit, huiusmodi est. Qui uerus, & in uniuersum Deus es cum sis Deus meus, adhibe mihi aures tuas, multis enim & grauibus doloribus attritus sum. *Cur enim dereliquisti me?* Vox est destitutionis causam quærentis, nam cum ingentis innocentiæ sibi conscius esset, (nunquam enim peccatum agnouerat) tutò sibi persuasit, se nullomodo in peccato derelictum esse: Interrogat autem non ut discat, sed alia causa, quæ omnibus utilis futura esset, Hoc enim notum fieri quærit, se scilicet non sui ipsius, sed se uidentium causa perpeti, nam cum eum uiderint pro se ipsis destitutum esse, laudibus eum tanquàm Saluatorem, & liberatorem illicò decantabunt.

EVSEBII. Cum illud (respice in me) in Hebręo non adsit. Sed solum apud septuaginta in primo uersu ponatur, meritò quoque Saluator noster illud omisit.

GREGORII Theologi. Sanè hic neque à Patre, neque à sua ipsius Diuinitate, ut quidam suspicati sunt, tanquam mortem timente, & propterea a patiente seiuncta, derelictus est. Quis.n. uel nasci à principio, uel in crucem ascendere ipsum impulit? Cæterum ipse affectiones, & commotiones nostras in se ipso format, nos.n. destituti, & neglecti prius eramus, deinde asciti, & seruati nunc sumus eius tormentis, qui omnium perturbationum expers est, uti etiam ignorantiam, & defectus nostros sibi uendicans sequentia Psalmi uerba, proferat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.*

EVSEBII. Aquila, Longe à salute mea uerba rugitus mei; Symmachus, Verba luctuū meorum. Quinta editio, Verba clamoris mei, reddiderunt. Considera ergò quomodo in his omnibus nullus interpretum, uerbi, Delictorum, meminerit. non enim rationi consentaneum erat delicta ascribere personę Saluatoris nostri, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed lamentabatur propter sæuientem populum, & propter Iudam ex Apostolica dignitate ruentem, uerba enim luctuum meorum, qui prò populo circumferantur, procul à salute mea fuerunt, cum populi nullam à salute, quam illis obtuli utilitatem perceperint.

THEODORETI. Animaduertendum est neminem aliorum interpretum de hac uoce. *Delictorum meorum*, mentionem fecisse, sed Aquila, Rugitus mei, dixit, Symmachus, Verba luctuum meorum. Theodotio, Clamoris mei, uerterunt. Nos uero ne de industria, & callidè, eos qui aliter Psalmum interpretati sunt, reprehendere uideamur, septuaginta interpretum expositionem sequemur. Qui cum eam uocem perpendissent, Psalmum hunc Domino minime conuenire dixerunt, nam qui fieri potest (inquiunt) ut qui peccatum non fecit, dicere queat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.* Audiant igitur Ioannem clamantem. Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Et diuum Paulum dicentem. Ille, qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficiamur Dei iustitia in illo. Et rursus, Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum. Quarę cum esset iustitię fons, peccatum nostrum tulit, cumque esset benedictionis pelagus, maledictionem nobis inhærentem suscepit, & crucem tulit, & opprobria despexit. Ita etiam cum prò nobis habuit uerba, si enim nobis definitam disciplinam spontè subiit. Disciplinam enim pacis nostræ (ut ait Propheta) multò magis ad usum nostrum sermonem accommodat, & clamat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.* Ne respicias (inquit) humanæ naturæ lapsus, sed propter cruciatus meos illi salutem largiaris. Et postquam crucem humano more ferens sæpius in cruce precatus est. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, & mæreas dicebat, tristis est anima mea usque ad mortem, meritò & Psalmus hæc prædicens inquit. *Deus meus clamabo.* Ioan.1. 2.Cor.5. Gen.3. Matth.26.

DIDYMI.

HESYCHII. *In Sole posuit.* Per Solem Dominicam carnem intellexit propterea quod purissima erat, & quia nobis paruo tempore occidit, & mortuis exortus est, de quo Prophe- Malach. 4 ticè dictum est: Et orietur uobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ & sanitas in pennis eius.

ORIGENIS. Dominus noster Sol est iustitiæ, in quo Pater habitat, iuxta illud. Ego in Patre, & Pater in me est. Et rursus: Pater in me manens opera facit: Et Apostolus, Deus in 2. Cor. 5. Christo erat mundum concilians sibi.

GREGORIVS. Angeli sunt, qui Dominum reuertentem à nuptiis suscepere, & ad portas uigilantes sedebant, ut ipse reuertens à nuptiis in cœlestem gloriam rursus ingrederetur, ut iuxta canticnm Psalmi huius tanquam sponsus e thalamo procedens, nos sibi per Sacramenti regenerationem puram uirginem copulet.

CHRYSOSTOMI. Thalamum uirgineum intelligit: Et quoniam sine uiro peperit, meritò natum ex ea sponsum habuit inuisibili uirtute operantem.

EVSEBII. Præter ea, quæ dicta sunt, Sol quoque Dei gloriæ doctor constitutus est, ut qui Domini, & magni regis legem perpetuò tenore seruet, non enim præter eam, quæ illi statuta est, uiam aliam ingredi, nec alio se uertere audet. neque præfixos sibi in cœlo fines egreditur, sed imperantis decreto, splendore ac flore lucis illustratus ordinatam uiam incedit, & procedens tanquàm ex adytis, & penetralibus sponsi, caput ab orientis termino proferens, fortiter proprium citra laborem cursum aggreditur. Circumdans autem circuit omnia tanquam gigas, qui uiribus præstet, & sit inexpugnabilis, uelut è carceribus incipiens ab extremo centro orizontis in oriente, diei ac noctis spacio orbem uniuersum perlustrat, ita ut eius caloris nemo sit expers. Hæc autem præstat, ut factoris sui, & eius qui in firmamento se constituit imperio pareat. Iccirco dictum est. *In Sole posuit tabernaculum suum.* Quod sanè obscurè dictū reliqui apertè magis interpretati sunt. Aquila enim dixit: Soli posuit tabernaculum in ipsis, Symmachus uero. Soli ordinauit tabernaculum in ipsis, similiter quoque Theodotio, & quinta editio reddidit. In prædictis enim cœlis, ac firmamento tabernaculum, ac domici- Gen. 1. cilium Solis Deus constituit. Iuxta id, quod à Mose dictum est. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas Deus in firmamento cœli ut luceant super terram. Hinc Sol ostendit, se sui Dominum non esse, neque sui iuris, sed & sui, & rerum omnium Dominum agnoscere.

NICEPHORI. *In Sole posuit.* Vacat propositio, in, Inquit enim quod Deus posuit, & ordinauit Soli, tabernaculum, & habitationem illic, id est, in firmamento cœli ubi cernitur, ut temeritati, & casui nullus sit locus. *Tanquàm sponsus:* Subintellige uerbum, est. Pulcher est (inquit) Sol & decorus fulgentiun radiorum splendore instar sponsi è thalamo exeuntis. *Exultabit ut gigas.* Hoc in loco etiam tempus pro tempore positum est, futurum scilicet pro præsenti. Gaudet (ait) & letatur Sol constitutum sibi iter percurrens: hoc, est, indefessus semper est Sol in currendo uiam suam: Est autem gigas, qui corpore robustissimus est, *à summo cœlo,* Summa cœli plagam orientalis orizontis intelligit. Occursum uero eius occasum dicit, Secundum quem uespertinum subit orizontem: nam de iis, quæ apparent, sermonem facit. *Lex Domini.* Non modo creaturæ Dei, sed & mandata eius magnitudinem illius docent. *Testimonium Dei fidele.* Id est: dignum cui fides habeatur: Testimonium uerò, & legem, & iustificationes diuinas in summa præceptiones intelligit, paruulos autem, qui per ætatem, uel illiteraturam, uel innocentiam paruuli sunt. *Timor Domini castus.* In Deum reuerentia, & pietas etiam in futurum seculum cum iustis egreditur. *Iustificata,* hoc est, quæ uera pariter sunt, & iusta.

THEODORETI. *Nec est qui se abscondat à calore eius.* Vt euidentiam maiorem ostenderet, luminis loco de calore mentionem fecit, contingere enim potest, ut etiam qui longè absunt, accenso manu igne, lumine eius perfruantur, at caloris participes esse nequaquam poterunt, nisi propius accedant. Verum Sol etiam remotissimè radios emittens, calorem pariter, & lumen impertit. Omnia igitur hæc (ait) ad effectorem, & opificem demonstrandum satis super que sunt. Veruntamen præter hęc legis adiumentum nobis exhibuit, qua homines aberrantes à uia dirigeret: *Lex Domini immaculata.*

GREGORII Theologi. Solis tū pulchritudo tū magnitudo à Propheta cōmendatur. Pulchritudo quidē ut qui niteat tāquā sponsus, magnitudo uero, ut qui procerrus ac robustus sit tanquā

gigas,ad currendum,ita quod à summo summa quęque pariter illustret.

CHRYSOSTOMI. *Exultabit ut Gigas*. Dominus noster cum per carnis assumptæ dispensationem fortem alligasset, Diabolum nimirum, & ab eo alligatos soluisset,& secum accepisset, in cœlos ad Patrem reuersus est. Quamobrem Psalmus ait: *Exultabit ut Gigas,ad currendam uiam suam*. Velocitate gigantem imitatus est multo cum robore currentem. Gigas enim impetuosum significat, & ad Dominum assumitur magno impetu in Dæmonum phalanges irruentem, & eorum in nos impressionem & uim comprimentem. *A summo cœlo egressio eius*. Per hæc illis aduersari uidebitur, qui Sphæræ figuram cœlis attribuunt, in Sphæra enim & circulo non inuenitur extremum & summnm, hic uero dicit, *A summo cœlo egressio eius*. Amplecti autem uidetur id, quod alibi dictum est, qui firmat cœlū sicut fornicem. Quoniam uero constat cœlum orbicularis esse formæ ad hæc respondendum est, quod cum cœli globus in duo hemisphæria secetur superum scilicet, & inferum, & unumquodque sex habeat signa Solque continenter ea obeat, & de signo in signum ingrediatur, summū intelligit superum hemisphærium, oriensque & occidens signum. *Et à summo cœlo egressio eius*. Postquam idem dixit tanquam gigantem cursum suum instituere, ad interuallum, & spacium declarandum accedit, quod uno scilicet integro circuitu ab extremo oriente unius diei circulo ad extremum occidentem feratur, quod incitatissimam conuersionem ostendit, quantam nemo cogitare posset. *Et non est qui se abscondat à calore eius*. Cœlorum Christi audiens iustitiæ Solem ipsum cogitat. Quis enim frigida morte emortuus ab eius calore occultare se poterit. nonne omnes ex mortuis incorruptibiles resurgent? *Matth. 12.*

GREGORII Theologi. Nullis locorum interuallis calor ille Solis minor sentitur. Calorem autem dixit,& non lucem, maioris miraculi ostensionem efferens, legem, testimonium, iustitias præceptum, & iudicia Mosis legem appellat. Sic enim ipse eam nominat. nam aliàs inquit. hæc sunt iustitiæ, & iudicia, quæ dedit Dominus Mosi. Et alibi, Et custodies legem Domini Dei tui, & seruabis præcepta eius. Et uocatur quidem lex, ut quæ optimum uitę institutum præscribat. Testimonium, uelut quæ testato peccantes arguat, & transgressionis pœnam intentet. Iustitias, propterea quod, quod iustum est doceat, & iniusta prohibeat, & rectè agentes iustos esse declaret. Præceptum uero, quia quod agendum est præcipit, & Domini more imperat. Iudicia demum, ut quæ diuina decreta demonstrent, doceantque quibus bonis diuinam legem custodientes perfruantur, & quibus suppliciis eam transgredientes afficiantur. Ait ergo, cum Dei lex omni prorsus maculę immunis sit, animas hominum conuertit, & immaculatas ipsas efficit. Testimonium imperfectos territat, & indoctos sapientes reddit. Iustitiæ uero cor lætificant iustificationis causam ostendentes. Præceptum mentis oculos illuminat, Dei cultum docens, pietas uero, ac Dei timor horum custodiam subministrans in causa est, ut omnibus bonis perfruamur. Meritò autem Domini timorem sanctum appellat, hoc est omnis penitus reprehensionis expertem, nam timor humanus reprehensione non caret, & ignauię cognomento nuncupatur. Iudicia autem uera, & iustificata in semetipsa dixit, ut quæ prœmia, & supplicia hominibus iustè rependant hęc inquit auro, & lapidibus præciosis magis preciosa, & melle dulciora esse, at non omnibus, sed iis, qui uerè homines sunt, quorum uita, secundum prophetę uocem iumentis insipientibus non comparatur. *Exod. 20.* *Psa. 48.*

EVSEBII. hęc omnia lex Dei complexa est, ut anima conuerteretur, nam testimonium primum, & iustitias, & pręcepta continet, Deinceps his hominibus timorem Domini animas conuertentem, tanquam baculum aptauit, & omnibus iudicia Dei tanquam coronidem attexuit, & singulis suam proprietatem tanquam munus apposuit, legi quidem quę per omnia generalis dicta est, animæ conuersionem dedit, sed qua ratione animas conuertat, per sequentia ostendit, dicens, *Testimonium fidele*, quo qui in Deo paruuli sunt, sapientes redduntur. iustitiis uero tribuit, ut rectę sint, & fructum lętitiæ prębeant iis, qui sunt iustitię eius participes. Et inter hęc pręceptum est Domini, cui proprium est ut lucidum sit, & oculos illuminet. Cum timore autem Domini puritatem coniunxit, puritati autem perpetuam, & sempiternam uitam. At inter omnia, Dei iudicium apposuit, & cum eo iustitiam & ueritatem copulauit.

DIDYMI. *Testimonium Domini*, quod de bonis operibus, ac de cognitione ueritatis affert, fidele est, nec à credendo denominatur, sed quia dignum est, cui fides adhibeatur, ut illud; Fidelis sermo, ab eo dictus est, qui fide dignus est. Ac de Deo ipso dicitur. Deus *Tim.*

 fide-

sensu percipiet. Hæc planè seruus Domini seruat, nam *seruus tuus* (inquit) *custodit ea* non de se ipso tantum hæc afferens, sed de quolibet seruo Dei, *in custodiendis illis retributio multa*, Retributio multa sanè non esset, si prò custodia, & obseruatione prædictorum, temporaria, & fluxa merces expectaretur. Cum uerò cœlestis sit, ista retributio, & omnes mundi diuitias antecellat, multam sanè, ac copiosam esse necesse est. *Delicta quis intelligit?* Manifesta quidem & iam patrata delicta, quilibet intelliget, sed quæ interius fiunt, & cupiditate, ac cogitationibus committuntur, rarus admodum est, qui perspiciat. nam illud. *Quis*, rarum quid hoc loco innuit. Paulus ergo nihil sibi conscius, cum sciret paucorum esse delicta intelligere, non in hoc (ait) iustificatus sum, cum ergo dixisset, *Delicta quis intelligit*, deinceps addit, *Ab occultis meis munda me*, non [1.Cor.2.] aliter ac si iustus diceret, quoniam in occultis cordis cogitationibus maculas, & sordes aliquas sæpe inesse contingit, quas & alii nesciunt, & ego quoque ignoro, Tu, qui occultorum cognitor es, illas absterge, nam sordes huiusmodi nisi deleantur, occasionem ut ab alienis capiar, exhibent. parce igitur seruo tuo, neque permiseris ipsum ab alienis captiuum abduci, ab occultis purgans eum, delicta enim quæ in occulto sunt, nec dum ad opus deducta, factis aliquando committi possunt. Aliena hoc loco uocat, uel res, uel malignas potestates. parcet autem proprio seruo Deus, cum proprio filio pro nobis tradito, non pepercerit. Nam filio parcere, est omnea perderecũ, uero non pepercerit, id in communem omnium salutem cessit, citra ullam filii noxam quippe qui natura huiusmodi sit, ut perniciem nullam subire possit.

THEODORETI. *Etenim seruus*, Et quo lucro? apertè doceas. *in custodiendis illis retributio multa*. Maximum (inquit) præmium uolentibus hæc custodire proponitur, At postquam Dei iudicia custodire promisit, humanam imbecillitatem in memoriam reuocans, & superbiam uerbi huius considerans illico subiunxit *Delicta quis intelligit*, nam si Dei mandata magna cum alacritate seruare uoluero, à naturali imbecillitate in multa inopinata trahor, & nonnulla quidem imprudens pecco, nonnulla uero ab ingruentibus calamitatibus pressus, & si facto peccatum effugio cogitationes tamen omni me sorde coinquinant propterea te obsecro, qui me expiare potes, & exclamo. *Ab occultis meis munda me*, Non enim me solæ cogitationes circundant, uerum etiam Dæmonum agmina me obsident, & illa quidem exterius hæc uero interius me conficiunt, Meritò autem Dæmonas alienos appellauit, tanquam hostes, & inimicos, qui nullam prorsus nobiscum uolunt habere consuetudinem. *si mei non dominati fuerint*, cupio uehementer abs te auxilium, ut horum insidias euadens, animam prorsus ab omni labe solutam reddam; & præteritorum delictorum uenia impetrata sempiternas tibi laudes in cãticis afferam, oracula tua iugiter mente uersans. His ergo nouum testamentum, & baptismatis gratiam, & donum prædicit spiritus sancti, à quò & præteritorum delictorum ueniam credentes accipiunt, & in posterum satis auxilii habentes, tum insurgentia perturbationibus, tum ingruentibus malignis spiritibus superiores fiunt. Deinde ad hæc subiunxit, *Domine adiutor meus*: & accommodatam psalmo huic perorationem fecit, Nam Dominum tanquam creatorem, & opificem uocauit, & Redemptorem appellauit, tanquam eum, qui per sancti lauacri regenerationem, & à priori morte liberet, & à dæmonum seruitute redimat, incorruptamque demum; & immortalem uitam largiatur. Hęc autem, & illa psalmus continet, & prima quidem pars mundi fabricam, & prouidentiam docet, media legem, postrema gratiam, inquit enim, *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo, Domine adiutor meus, & redemptor meus*, nam bona hæc à nouo testameto nobis suppeditantur.

EVSEBII. Illud, *Ab alienis parce seruo tuo*, Aquila uertit, & à superbis conserua seruum tuum. Necessariò autem efficacem huiusmodi precationem emisit, tanquam superbè antea loquutus esset, nam cum rectè agentes tumor quidam, & elatio animi gloriantis propter rectè facta quorum sibi conscius est sæpenumero comitetur, mox, animus in superbiam uersus, alio detestabili modo ceruices extollit, & prolabitur, ita ut Apostolus dicat, Ne superbia elatus incidat in iudicium Diaboli. [Tim.3.] cum necessario dixisset prius, *Etenim seruus tuus custodit ea*. seque mandatorum Dei custodem dixisset, rogat ut à superbia liberetur, & infert. *Si mei non fuerint Dominati*, Quamuis hactenus me mandatorum Dei obseruatorem dixerim, cum tamen nondum me ab occultis meis purgatum esse agnoscam, angarque adhuc, & sollicitus sim, ut à superbiæ fastu liberer, meritò hæc dico, ut qui necdum perfecti aliquid præstiterim, tum me ipsum accuratè perfectum agnoscam, & tum demum à delicto ingenti emundabor, cum etiam occulta mea non fuerint dominata, nec me superba cogitatio, aut maligni Dæmones in seruitutẽ abegerint. Magnum delictum uocat, quod facto perficitur. nam nisi ab occultis meis mundus reddar, peccata, quæ in me sunt, ad nefaria facta me compellent, & grauissimo crimini obnoxius ero.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei,cum hæc omnia in me abs te profecta fuerint,tum eloquia oris,quæ protuli dum te laudo,dum gratias ago grata tibi erunt.nam eloquia placent,grata,& accepta sunt,quæ ut suscipiantur,digna sunt. *Et meditatio cordis mei.* cum meditatio mentis meæ,rationibus,ac intellectionibus facta,omnino irreprehensibilis reddita fuerit,in conspectu tuo semper est,nam meditatio reprehensione carens,non aliunde oritur,quam à te,qui ab occultis meis me mundas. *Domine adiutor meus,& liberator meus.* Te auxiliante Domine nullius hostium spiritualium imperio succumbo,quod si accidat ob ignauiam me ab aduersantiis captiuum abduci,tu solus inuentus es adiutor,& redemptor meus,qui me ab illis redimere posis.

NICEPHORI, *Etenim seruus tuus*, seruus omnis iussa hærilia capescit *Delicta quis intelligit?* per hæc docet,neque eum, qui secundum uirtutem perfectus est,prorsus peccati immunem esse,quis enim (ait) futurus est adeo sapiens ad discernenda peccata, ut in ea non incidat, cum aliqua peccata sint maximè latentia, & quæ humanam cognitionem fugiant? *Ab occultis meis,* occulta peccata ea intelligit,quæ per ignorantiam committuntur. *Et ab alienis parce*, quicunque præest obnoxius est subditorum peccatis,quando nimirum ob eius negligentiam delinquerint. *uel ab alienis*,hoc est à peccatis quæ fortuita causa commissa sunt, & non electione , uel ab alienis,hoc est ab inimicis tam uisibilibus,quã inuisibilibus,etenim hi quoque alieni sunt. *Et erunt ut complaceant*.Hinc habebunt ut tibi probentur. *Et meditatio cordis mei*, ubi intellige uerbum,erit.nisi enim dediscat cor meum turpia cogitare , tua certè, & ea,quibus tu delectaris, nũquam considerabit *Domine adiutor meus*,p hæc docet & quod Dominus adiuuat in iis omnibus, quæ per uirtutem aguntur,& quod ab omni malo liberat.

HESYCHII. *Dulciora super mel*,Iudicia Dei peccatoribus , & transgressoribus formidabilia,& deprecanda sunt, at custodientibus legem,& explentibus eã omnino cunctis diuitiis prætiosiora,eximia enim spes est retributionis.Hæc ad effectum prophetæ pertinent,qui ex se alios docet,quomodo ad Deum & mandata eius affectos esse oporteat,quare infert.

ORIGENIS. *Etenim seruus tuus custodit ea*,Si seruus qui custodit, sanè qui non custodit, seruus non est. Seruat autem illa,qui ea ipsa tantum,& nihil aliud præterea concupiscit.quare magna est concupiscentium illa retributio,Lucrum igitur quod inde refertur adducens,mihi quidẽ ita iudicantur ea esse dulcia,& desiderabilia.

ATHANASII. *In custodiendis illis retributio multa*,Merces obseruantiæ quę oculus non uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascenderunt:Non est igitur sine lucro illorum obseruantia,etenim multas,& pulchras retributiones habet. Hactenus autem de pietate disseruit, Hinc percurrit quæ ad iustitiæ administrationem in homines,& iuris actionem spectant,deque humanis delictis agit,peccata diuidit in ea,quæ consultò,& in ea quæ non spontè fiunt,& ex his alia ex imbecillitate,alia ex necessitate,alia ex errore fiunt.

HESYCHII. *Delicta quis intelligit*,Quis enim peccata hominum præter cordium agnitorem Deum nouerit?Non solum me inquit cogitationes circundant, sed & Dæmonum turmæ infestãt,& ex hostibus alii foris insidiantur,alii uero interius mecum agunt.Quis ergo adeo pro uidus est,ut peccatorũ discrimina cognoscat,siue spõtè illa,siue ab inuitis fiãt.*Ab occultis meis mũda me*.Qui euangelio instructus est,uera.Dei iudicia custodit,inquit orans ut integer & purus mente appareat & nihil turpe cogitet , & ab externis insultibus Dæmonum liberetur.

ORIGENIS. *Ab alienis*,Aliena uocat quæ extrinsecus Dæmone suggerente eueniunt u.g. siquis bonæ sit mentis, & posteà tanquàm christianę fidei professor captus tormentis , & cruciatibus traditus,dolorũ acerbitate uictus fidem abneget,inuoluntario casu cecidit,quę cunque igitur non à nobis,sed extrinsecus ortum habent,hæc aliena dixit.*Si mei non fuerint dominati*, Si & quæ per concupiscentiã , & libidinem occultè subrepunt, & hæc tanquam in nobis aliena dominata mihi non fuerint, me sanæ, atque integrę mentis inuenies. *Domine adiutor & redemptor meus*,per hæc intelligit & nouum testamentum, & gratiam,& baptismatis donũ,quo non solum peccatorum uenia nobis conceditur,sed futura bona reuersantur.

IN FINEM

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XVIIII.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.
Emittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.
Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.
Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum impleat.

EVSEBII. Psalmus is iuxta titulum ipsi Dauid sanè ascribitur. Attamen considera num ad historiam quoque referatur, & precatio sit à Dauid in suis effusa supplicationibus, cum Deum oraret, & obtestaretur, ut sibi adiutor esse uellet, dum aduersus hostes in acie staret. Siquidem conueniebat, ut sanctorum Angelorum chorus, & cœtus piorum hominum eorum præsertim, quibus sacrificandi & litandi munus publicum incumbebat, hæc Dauid facienti simul precari, & dicere. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, & quæ sequuntur. tum uero tibi nomen aderit Dei Iacob. Siquidem uel sola inuocatio, & appellatio satis erit tibi ad omnes hostes ulciscendos. Hæc uero non tantum ipsi Dauid, sed iis omnibus, qui similiter ac ille, puras, atque intellectuales hostias precibus exoluunt, quadrare possunt, ut diuinæ uirtutes, & sanctorum Angelorum chori, simul orare, ac uota facere dicantur.

ATHANASII. Dicitur hic psalmus tanquam ex persona sociorum ipsius Dauid, ipsi sacrafacienti bene precantium. Cœterum & ad personam Apostolorum referri potest, quo tempore Saluator cruci affixus se uictimam pro nostra redemptione fecit.

THEODORETI. Cum Sennacherib Iudæam olim inuasisset, & ad Hierosolimas expugnandas ingentem exercitum Rapsace ductore misisset, & literas conuitiis omnibus, & execrationibus plenas Ezechiæ scripsisset, tum beatus Ezechias uir omni pietate cultus in literis acceptis, sibi Isaiam Prophetam auxiliarem asciscens ad Dei templum cucurrit. Et explicatas deo literas ostendit, hostium impietatem exponit. rogat, ob illatas sibi iniurias, suam ut Assyriis uirtutem faciat manifestam. Hæc multis antea seculis diuino spiritu afflatus Propheta uaticinator, & præsentem psalmum dictat, in quo populum comprecantem ostendit, ut propitia eius supplicatio fieret. Nam postquam magnus Ezechias ad templum accurrit, in manibus ferens illas iurgiis, & conuitiis plenas literas, precatur populus, ut illius preces admittat & inde opem ferat, sanctum hoc loco templum appellans *Memor sit omnis sacrificij tui*. Deinde cum Propheta pacis tempore diuino cultui studiosè uacaret, meritò hæc de ipso narrat, precantes uniuersorum Deum, ut Regis pietatem respiciat, & multorum, & omnis generis sacrificiorum eius recordetur. rursusque pacem concedat; ut amplioribus ipsum uictimis, & sacrificiis, conciliet, illud aut. *Holocaustum tuum pingue fiat*, Sic interpretatus est Symmachus, & subsidium tuum maius faciat. Hoc est securitate, quæ ex pace oritur impertita, occasionem præbeat, qua maioribus ipsum hostiis promereatur. *Tribuat tibi secundum cor tuum*. Iustum (inquit) iudicem precamur, ut pietati tuæ animæ dignam remunerationem largiatur. 4.Reg.19. 4.Reg.19.

DIDYMI. Possunt hæc dici in solatium eius, qui afflictionibus animi agitatur. nam uel uerbum siue ratio animo insidens, uel spiritus Dei illum excitans dicit. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, nam qui perturbationibus commouetur, ubi auxilium perceperit, discet non esse desperandum, nec consterni animo, ac deiici debere, sed Deo precibus inhærere, nam proces propitium sibi Deum futurum præsumunt, quamobrem Propheta hortatur afflictos, ut continenter ad preces uertantur, cum dicit, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob*. Nomen Dei cum Iacob coniunctum clypeus tuus est, sed cur non de Abraham & Isaac sicut de Iacob mentionē fecit? An forte quia dictum est quod cum Iacob, in multis, & grauibus ęrumnis & afflictionibus extiterit, calamitosæ, ac afflictæ uitæ exemplum fuerit, quisque ergo in malis, & aduersis rebus constanter uersari, & ad afflictiones subsistere didicit ab ipsa Dei nominatione, quæ Iacob est protegitur, ut quemadmodum ille supplantator factus, supplantet, & mala, malignosque spiritus illa excitantes conculcet. Verum de sancto auxilium mittit, aut à cęlesti templo, (Templum enim apud Hebræos sanctum nominatur) uel de sancto, Saluatore scilicet nostro IESV Christo, De quo dicitur: Deus de Theman ueniet, & sanctus de monte Abach.3.

te

te, Pharam umbroso, Hæc autem interpretatio ex sequenti uersiculo cōfirmabitur. *Ex Sion enim*
Psal. 49. (inquit) *tueātur te.* quod inde Saluator humano generi illuxerit. Iuxta illud. Ex Sion species de coris eius, prima quoq; interpretatio procedere poterit, ut oret, ut Deus ex cœlesti Sion tueatur, & sacrificii illius sit memor. Significans afflicto homini forè, ut Deus è tribulatione illum eripiat, adeo ut ad agendas gratias conuersus sacrificium, & hostias offerat. cuius sic oblati sacrificii Deus sit memor futurus, & holocaustum ab ipso susceptum, pingue fiat. Ostendendum est autem sacrificium, ab holocausto differre, nam sacrificium inanimatorum, holocaustum animatorum oblatio est.

ORIGENIS. *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Exhilaret, obeset. Namque animalia irrationalia obesa sacrificantur, & incenduntur, rationalia uerò post holocausta pinguia fiunt, siqui- 10
dem post ignis sancti expurgationem cognitione digna fiunt, cum totum igne sanctificatum sit: pinguia uero alicuius holocausta facit Deus, ut pinguedo nutriat ignem in altari. porro inanimatorum sacrificia non manent, Animatorum aūt sunt holocaustomata. *Det tibi secundum cor tuum* Non decet Deum dare, neque petenti accipere qui nesciat, quid petat. *Et omne consilium tuum confirmet,* Laus est petenti, si petitorum compos fiat, ut potè, qui illa cupiat, & petat, quæ placita Deo sint.

NICEPHORI. Totum hoc omne de seculi consummatione dictū est, qui penès Ezechiā erant, inter quos & Isaias erat, horū præsentium uerborum uirtute pro rege precantes utebantur, quando ille contumelias & execrationes Sennacherib per Rampsacem audiuit, & postquā
cum magno dolore ad templum accedens, quæ acta fuerant omnia, Deo annunciauit eum ad- 11
uocans in auxilium. Conuenire quoque illa possunt & omni credenti contra Dæmonas instructo, qualia corpus pro anima intercederet, etenim Dæmones nihili faciunt Dei nomen. Sanctum uero, & Sion intelliges cœlum, Christum, & regē christianorum. *pingue fiat,* idest pingue, & acceptum habeatur, *Secundum cor tuum,* ut anima tua uult.

DIDYMI. Orantium uotis annuit, & iuxta desiderium donat Deus, cum eæ petuntur, quæ & Deum dare decet, & accipienti utilia futura sunt, horum enim postulatio rectè facta Deum largitorem habebit. *Et omne consilium tuum confirmet.* Consilium hoc est uoluntatem tuam impleat, Voluntas impletur, cum in deliberationibus suis minimè frustratur, sed ad uota cedunt, de quibus consilium cœperat.

ASTERII. *Exaudiat te,* Dicunt alii hanc precationem habuisse prophetam, cum Dauid 12
singulari certamine aduersus Goliath pugnaturus esset, nam cum alienigena ille execraretur
Reg. 17. Dauid in Diis suis, Prophetæ ante Deum pro Dauid orabant, ne Deus, cui uota facerent, unus ex Diis illorum censeretur. Et cum Dauid uictor euasisset, diceret unum ex Diis suis, Dauidi opē tulisse. Icirco Deum Iacob illum nominauit, qui uerus, uiuens, & cœlestis Deus est, ne rursus Israelitæ, ut olim in deserto chorum ducentes, dicerent, isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt
Reg. 12. ex AEgypto, uel etiam Iacob meminit, quoniam incircumciso alienigenæ illi Dauid dicebat, Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & Clypeo, ego uero uenio ad te in nomine Domini exercituum Israel. Conuenientia ipsi Dauid Prophetæ orant *protegat te nomen Dei Iacob, memor sit*
Psal. 39. *omnis sacrificij tui.* non cruenti illius, & sanguine peracti. (de hoc enim Deo dixit propheta) sa-
Psal. 50. crificium & oblationem uoluisti. Et holocaustis non delectaberis, quoniam si uoluisses sacrifi- 13
cium dedissem utique) sed eius, quod laude, & membrorum mortificatione perficitur, quemadmodum dixit, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, iuxta quod
Gal. 6. cum Paulo dicet aliquis. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *In die tribulationis,* Qui dixit, inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Sed cur non dixit, in die tranquillitatis, quietis, pacis, & imperturbatæ uitæ? an quia calamitatum tempore in primis ampliori, & celeri magis auxilio indigemus? nam in tranquillitate plerique sœpe aut pror-
Psal. 117. sus non orant, aut mente, & cogitatione uagantes non ut decet, orant, *itaque exaudiat te in die tribulationis,* ut gratias agens, dicas, Inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudinem.

Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum 14
suum.
Exaudiet illum de cælo sancto suo, in potentatibus salus dextera eius.
Hi in curribus, & hi in equis nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.
Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.
Domine saluum fac regem, & exaudi nos in quacunque die inuocauerimus te.

EVSEBII. Qui prius preces effunderant à diapsalmate uaticinantur, & futurū eidem præ

dicunt

dicunt. Illa autem sunt. ille cui rationalia sacrificia obtulisti, omnia tibi tribuet, quæcunque anima, & corde tuo expetiisti, iis tibi collatis bonis, quæ ab ipso par est proficisci. Scies quoque illum ipsum omne tuum consilium perfecturum, cum ab illius sanctitate consilia tua minimè sint aliena. Et quæ circa te bona, & deliciæ erunt, huiusmodi, ut in nos quoque, qui prò te orauimus, & uota fecimus, eorum fructus redundet. *lætabimur in salutari tuo.* nam didicimus iam, & ab oraculis diuini spiritus cognouimus germen ex te Dauid, nasciturum omnibus hominibus salutare, in quo, & nos, qui modo loquimur, exultabimus. Tum cum salutare tuum illuxerit non ipse solum, sed nos quoque una tecum magnificabimur in nomine Domini. Cum uerò petitiones tuæ dignæ Deo sint, confide, tibique sit persuasum, eum qui hæc omnia precibus, tuis annuit, uniuersa postulata tua perfecturum. Dexteram uerò manum, omnia salutaria, & propitia gesta interpretantur. *in potentatibus,* Virtutibus enim, & signis, atque portentis beneficentiam in homines exercebit. *Hi in curribus.* Experientia rerum index erit uictoriæ, nam hostes tui fidentes equis, & curribus uincti, non secus ac Pharao in rubro mari demersi concident, nos uero nomine Domini Dei nostri armati tecum, qui sacrificiis non delectaris, simul quasi precibus militantes, subleuabimur, erigemur, cum uictoriam ipse de inimicis nostris pepereris. Sed hæc (inquiũt) erunt, cum salutaris Christi manifestatio fiet, tum enim in primis omnes aduersariæ potestates, & hostes Dei inuisibiles per salutare tuum euersi cadent. Sed quicunque salutare illud susceperint, à ueteri ipsorum interitu resurgent. Iccirco Simeon de ipso dixit, Ecce enim [Luc. 2.] positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum. ruinam quidem inimicorum, & aduersantium illi, resurrectionem uero illorum, qui quondã ceciderant, sed ab ipso erecti sunt, At hæc tum euenient: Nunc uerò nobis Domine, *saluum fac Regem,* Dauid. omni tempore, & in die, qua inuocauerimus te. Cæterum hæc quoque Regi Ezechiæ congruere possunt, ut alius interpres ait, Verumtamen eadem secretiori, & mystico sensu considerato, equos sanè affectus illis insilientes, quos hostiles inuadunt potestates. Currus uero conspirationem affectionum impetu agentium, in quibus contra nos instruuntur. Cæterum cum isti huiusmodi sedem habeant nobis tamen arx est inexpugnabilis, inuocatio Dei.

THEODORETI. *Lætabimur in salutari tuo.* Cum Deus enim preces tuas admiserit, nos quoque lætitia, & iucunditate perfruemur, clari & illustres facti ob Dei uirtutem. *Nunc cognoui,* Ex ipso rerum euentu didicimus Regem nostrum Deo fretum salutem consequuturum, & in imo templo preces afferentem, de summo auxilium accepturum, nam postquã ostendit eum in terris precantem, declarat quoque de cœlo adiuuari. *potentatibus.* accedentes adiuuat Deus, Dexteram autem hoc loco humano more dicens diuinam potentiam indicat. *Hi in curribus,* illi (inquit) equis, & curribus fidẽtes nihil inde utilitatis retulere, sed nescio quo pactò præpediti, corruerũt, nos uero diuino auxilio implorato, salutẽ manifestò consequuti sumus, & ob terrorem hostium penè collapsi, hostibus superiores facti sumus. Huiusmodi ergò auxilium adepti, te Domine obsecramus, ut nos unà cum rege nostro huius auxilii participes simus.

THEODOTIO. *Nos autẽ in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Te enim preces admittente, nos quoque lætitiam communicabimus, illustres facti & conspicui in uirtute Dei, in Christo enim est salus, & magnificatio, in filiis autem hominum non est salus, *impleat Dominus omnes petitiones tuas,* Quænam erant petitiones, at illa, Pater sancte serua eos de mundo? scilicet credentes in ipsum.

ATHANASII. *Hunc cognoui,* ut potè per spiritum de resurrectione illuminatus.

DIDYMI. *Lætabimur in salutari tuo,* est autem salutare de quo dictum est. Ecce natus est [Luc. 2.] nobis hodie saluator. qui est Christus Dominus & Simeõ. Quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum, posuit autem salutare pro salute. quam seruat illi Deus, quem in die tribulationis exaudit, qua fiet exultatio in salute. *Et in nomine Domini.* Cum alii in mundanis rebus oblectentur, nos *in nomine Domini Dei nostri magnificabimur,* illud autem *magnificabimur,* progressum in bono significat, non enim dicit, magni sumus. Isaac pariter crescens maior factus est donec magnus ue- [Gen. 26.] hementer factus est. Magnificatur autem aliquis in nomine Domini, cum ea præstat, quæ ad sincerum, & perfectũ seruũ pertinent, *impleat Dominus omnes petitiones tuas,* Magna laus illius est, de quo sermo est, ut à Domino implendæ sint omnes petitiones eius, nihilque postulet, quod à Deo non statim consequatur: Porro petitio impletur cum quæ quis petierit, euenient, & uerè sese offerent. *Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum,* Vox hæc *Christus,* cum aliàs de sacerdote, aliàs de Rege, interdum etiam de uerbi Dei dispensatione secundum carnem, afferatur, sunt qui hæc intelligant de Dauid esse dicta, aliqui de Ezechia, qui & psalmo argumentum dedit, & aliqui de dispensatione humanitus peracta. Fortasse autem cum omnes credentes [Eph. 5.]

cor-

bus,idem repetere ac significare cogar.Cum uero præsens hic psalmus uerum, ac germanum finem respiciat,quæ in eo dicta sunt *in finem*,inscribuntur.quin,& canticũ pro uictoria iuxta Symmachum,& uictori canticũ iuxta Aquilam nominatur,quoniam inimicorum,& oppugnatorum Dei perniciem recenset.

THEODORETI.Post illustrem illam,& conspicuam uictoriam,cum Assyrii nocte misera bili clade attriti sunt,beatus Ezechias morbo correptus esset,cumque se propediem moriturum ab Isaia didicisset, multis lacrymis ac precibus Deo placato,adiecta quindecim adhuc annorũ uitę promissione,à morbo liberatus est.Rursus itaq; Dauid ex psona populi hunc psalmũ conscripsit,pp Regis incolumitatẽ Deo gratias agens.(Cum ualdè potens sis ô Domine,necnon benignus,ac phumanus, & Regis nostri preces admisisti,& petita oia liberaliter concessisti? imò maiora uotis munera largitus es.(Hoc.n.subiũxit) *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus*,nã nec rogatus illi regnum donasti,propria uero gloria, hoc est regio diademate caput eius coronasti. 3.Reg.20.

DIDYMI. Spiritu ambulat,qui carnis desideria non explet.quicunq; spiritu præstat, cordis sui desiderium habet à Deo,qui.n.à carnis cupiditate abstinet,quæ cor,hoc est,mens optat,accipit à Deo qui replet in bonis desiderium eius,quin & uoti cõpos,quæ precatus,est,consequitur, nec postulatio labiorum suorum à Domino fraudatur.Ab eo uero quod dixit,*præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*,usus est causam reddente coniunctione.*Quoniam*.ostendẽs ipsũ letari, & exultare propterea quod in benedictionibus bonitatis præuentus fuerit.Sed ut discrimẽ faceret iter eas benedictiones,quę nõ sunt benedictiones bonitatis,hic addidit,bonitatis,nã cũ Iacob filiis benediceret duro ac difficili quodãmodo,quæ illis uentura erant,prænunciauit.ut illud,Maledictus furor eorum& siquid est huius generis.Sed præpositũ Regẽ & eius imitatorẽ præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis,ac ad cęlestes promissiones attollit,quarũ i terris,dũ hic uitã ducimus,arrabonẽ habemus,nã ex studiis & operibus quisq; suis coronatur,nã qui ęquitati studet,iustitiæ coronã accipiet,qui rectè de Trinitate sẽserit,incorruptã gloriæ coronã cõsequetur, & quisquis Domino delectatur,lętitię corona ab ipso pręcingetur,& qui gratia seruatus ẽ,caput eius gratiarũ corona decoratur,quin & is,qui cũ auro & argẽto lapides eximios cõgerit,à lapidibus his eximiis,& pretiosis,quos negociatus fuerit.coronabitur,circũdãte Deo caput animę suę preciosorũ lapidũ corona. præterea ad diuinã potẽtiã oĩ uirtute ornãtã dicitur,ois lapis pretiosus operimẽtũ tuũ.Deus ergò qui i misericordia,& miserationibus coronat,ẽt coronã preciosis cõtextã lapidibus ĩponet,quẽadmodũ i spe coronat eos,qui in eũ spe tẽdũt.Est.n.Dominus Sabaoth corona spei gloria compacta.Cum uero Apostolus discipulis dicat.gaudium,& corona meanum forte Christi domestici ob constantem in uirtute progressum pretiosi lapides, quasi coronam plectẽtes imponent capiti Christi? *Domine in uirtute tua*,Christus est in uirtute Patris.Etenim Christus Dei Virtus,& Dei sapientia est.Cæterum & Reges terræ lætãtur,cũ Dei uirtute regnum rectè administrant,omnis.n.qui affectibus suis dominatur, rex est qui in Dei uirtute hoc est in Euangelica doctrina lætatur lubens(inquit)ò Domine regis nostri preces admittens omnes eius petitiones illi largitus es,quare ob illustrem à te habitam salutem lætatur,& exultat. Psal.102. Gen.49. Ezech.28. Psal.102.

ORIGENIS,Quẽadmodũ unigenitus & uirtus,& sapiẽtia,& uerbũ Dei,sic & salus,ẽ,scies aũt qđ quẽadmodũ sũt,& uirtutes,& sapiẽtię,& rationes Dei,sic & salutes:alia.n.Dei,alia mũdi salus est, *Desiderium cordis eius tribuisti ei*,potens(inquit)& benignus Deus regis nostri preces admisit,& omnes eius petitiones adimpleuit,& maiora petitis dona largitus est, An fortè per hæc ad uentum in carne,& ortum ex semine Dauid intellexit.

GREGORII NIS. *Posuisti in capite eius coronam*,Corona ipsi ecclesia fit propterea quod animati lapides caput eius coronant complicatio autem coronæ huius charitas est, quam siue patrem,siue matrem,siue dilectionem quispiam appellet,non errabit, Deus enim,ait Ioanne,charitas est.

ORIGENIS. Christi corona Deus est,Christus rationalis naturæ,lapides preciosi,uel margaritæ sunt sermones de quibus dictum est, ne proiiciatis margaritas uestras ante porcos.Et preciosa margarita,mercatoris Christi discipuli,qui tanquam coronam complicantes Christi capiti imponuntur. quibus autem studiis aliquis oblectatur, his etiam coronatur, Nam qui iustè iustitiam sequitur,iustitiæ coronam accipiet,qui oblectatur in Domino corona exultationis protegetur,& qui gratia seruatus est,gratiarum coronã in uertice accipiet suo & qui thesaurum auro argento,& lapide precioso comparat is ab iis lapidibus,quos laborauerit coronabitur. Sed & Dominus sperantes in ipsum coronat misericordia,& miserationibus. Matth.7. Matth.13. 2.Timo.4. Eccl.1. Isa 28. Eccl.32. Ezech.16.

NICEPHORI. *In finem*,inscribitur psalmus hic,ut qui uaticiniũ habeat,quod Ezechiæ regis tempore finem accepit,cũ quindecim annorũ additamento uita illi prorogata fuerit,quando

post illustrẽ illã,& splendidã uictoriam,& inuisibilẽ Assyriorũ stragẽ ęgrotauit ad mortem,& ex
morte cũ Dominus nec opinantẽ,liberauit, & uitã produxit. *Et uoluntate labiorũ*, Voluntatẽ peti-
tionẽ appellauit,quoniã primũ uolumus,postea petimus. *Qm̃ præuenisti*, quoniã præoccupasti sę
pius antequã ipse aliquid peteret à te. Benedictionem hoc in loco pro beneficiis accipere debe-
mus,quæ a Dei benignitate proficiscuntur. *posuisti in capite*, donasti illum corona regia.

ASTERII. Qui in præcedenti psalmo,precantes pro Rege dixerunt. Saluum fac Domine
Regẽ,& exaudi nos,quo die inuocauerimus te,& rursus in potentatibus salus dexteræ eius.post
quam uiderunt eũ cõtra hostes cõfirmatũ,& miro quodã mõ seruatũ esse,gratias agẽtes dixerũt
Domine in uirtute tua lætabitur Rex, nã licet assiduis afflictionibus obsideatur,in multa nihilomi
nus tribulatione probatus,gaudii abũdãtia illi adest,quod gaudiũ tollerantia,& expectatione cõ
firmatur,quod innuit dicẽs. Dominus affuit,& cõfirmauit me,& quisquis affectibus dominatur,
Tim.1. rex ẽ, & i uirtute Dei,hoc ẽ in Euãgelica doctrina lętatur. quod cũ significaret Apostolus dixit,
nõ.n.erubesco Euãgeliũ , uirtus.n.Dei est in salutẽ. quoniã ergo Euãgeliũ uirtus,& salus est,me
ritò inquit, *super salutare tuum exultabit uehementer. Desiderium cordis eius*, Illud .s. quod in man
datis Dei Dauid habuit,ipse.n.dixit,cõcupiuit aĩa mea,desiderare iudicia iustitiæ tuæ. Et.concu
Psal.118. piscit,& deficit aĩa mea in atria Domini. Et. Ecce nobiscũ psallit in ecclesiis. Remissionẽ peccato
Psa.83. rũ concupiuit,& Dominus ei annuit.& ut simplicius uerbis illius loquar. *Desiderium cordis eius
tribuisti ei,& uolũtate labiorum eius non fraudasti eũ*. Os,& labia ipsius Dauid fuere cãtores,qui
eius carmina modulabantur,& precabãtur eũ sẽper ex Diuina gratia psalmos prophetare,ut ma
iorẽ psalmorũ supellectilẽ cõpararẽt. Sed quãobrẽ hęc dicimus? quoniã quæ præterita sunt,prę
sentium,& futurorum pignora habemus. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus*. Cum Deus
ex indignis dignum eligit,tum ante electionẽ illi benedicit,ut si quis Paulum laudet.dicat. quem
Act.9. Ananias persequutorem uidit,hunc Deus Euangelistam pręuidit,uas electionis mihi est. Sic pro-
Act.13. Psal 88. phetã Dauid laudibus celebrat,cũ honorifica illius mẽtione dicit. Inueni Dauid Filiũ Iesse uirũ se
4.Reg.21. cundũ cor meũ. Et inter Filios Iesse regẽ mihi cõstitui. quibus benedictionibus dulcedinis ostẽ
Iob.1. dit Deum illũ præuenisse, Nũ inter benedictiones blasphemiæ,ac execrationes cõplectũtur, ut il
lud. Benedixit Naboth Deo,& Regi,pro maledixit,uel blasphemauit. Et rursus. Num in faciem
benedixerit tibi,hoc est blasphemauerit,uel maledixerit. *posuisti in capite eius coronã de lapide pre
cioso*. Regnum Saul,ac Regis Adraazar coronam.

Vitam petiit à te,& tribuisti ei,longitudinem dierum in seculum seculi.
Magna est gloria eius in salutari tuo,gloriam,& magnum decorem impones super eum.
Quoniam dabis ipsi benedictionem in seculum seculi,lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo.
Quoniam Rex sperat in Domino,& in misericordia altissimi non commouebitur.

ASTERII. *Vitam*. scilicet pœnitẽtiã dicenti,in uia tua uiuificabis me,& rursus. Eloquium
tuum uiuificauit me. illud uero *in seculum seculi*, uitam futuram sanctis præparatam significat.
Psal. 187. DIDYMI. Si Christi imitator ẽ is,de quo sermo habetur, sanè Deus uitã illi petẽti tribuit.
Rom.6. Gratia.n.Dei ẽ uita ęterna. Sed si de christo dicitur. illi quidẽ uitã petẽti dedit Pater,ut mortuos
uiuificaret. *Longitudinẽ Dierum*, non tantũ uitã absolutè petiit,sed lõgitudinẽ dierum,ut.s.uitam
haberet immortalẽ,& fine carentẽ. Dierum longitudinem suscipit is, qui sibi cognitionis lumen
accendit,ut omnia ueritatis dogmata illuminata teneat,nam oĩs cognitionis præscriptio dies quę
dã est, *Magna gloria eius in salutari tuo*, Dei salutare magnã Regi gloriã parat, Regi inquam à mor
tuis resurgenti,ac cuilibet,qui cum illo resurrexit, *Gloriam & magnum decorem*, Gloriam hoc lo
co eam intelligit,quæ in resurrectione accessit,illud uero, *impones* significat illum aliam ante hac
gloriam habuisse,iuxta illud. Glorificaui,& iterum glorificabo: est autem magnificentia magnis
Ioan.12. in rebus decor. Sanè in magnis decor circa Saluatorem fuit,quid enim maius quàm mortuos ex-
citare? super mare ambulare? aut id generis prodigia facere? Verum etiam,cum ipse reuixit,decor
illi in magnis extitit, Ad cœlos enim euectus est,& sedet in dextera Patris, *Quoniam dabis ei bene
dictionem in seculum*. Hæc illi omnia obtigerunt,quoniã benedictio illi à Patre datur in seculum
Gal.3. seculi. qua etiam appropinquãtibus sibi benedicit,& præcipuè,cum prò nobis factus maledictũ,
de legis maledicto nos liberauit,ut in gẽtibus benedictio Abrahę fieret. *Lætificabis eũ in gaudio*.
Quẽamodũ à Deo patre,& Domino IESV Christo eadẽ gratia,& pax datur,sic idẽ gaudiũ à Deo,
& uultu eius manare necesse ẽ. vultus.n.Dei est caracter substãtiæ eius, porrò hoc quod Regi in
Deũ sperãti,eueniet cũ.s.uoti sui cõpos factus erit, hoc ẽt expectantibus cõtinget,ut lętitię sen-
sum quendã,ut experimentũ illis inuiciat. Vel hoc modo. quoniã uultus est imago tua, Hęc uero
est Deus uerbũ,qui simul cum hoc uultu Rex factus, tẽplũ ipsius appellatur, & conformis illius
existens,in gaudio lætificatur.

EVSEBII

EVSEBII. Alius ad Dauid superiora uerba retulit,lætificabit enim(inquit)eū Deus in gaudio,cum facie ad faciem suæ gloriæ illum spectatorem constituerit. Ideo Symmachus ait,lætificabis eum in lætitia præ uultu tuo,nam ubi tēpore iudicii,uultu magni Regis medius Dauid stans inter eos qui saluabuntur,& caput pretioso lapide redimitus,& gloria,magnoque decore insignitus,uisus fuerit,diuino gaudio,& cœlesti lætitia cumulabitur.

THEODORETI. Alius de Ezechia hoc dictū affirmat,Non modo(inquit)salutem illi,& uitam donasti,uerum etiam illustrem illum & clarum,tum miranda hostium cœde,tum præpostero Solis recursu reddidisti.Hoc autem terra, marique passim adeò notum est factum, ut Babyloniorum Rex dona ad eos miserit,qui prius Assyriis tributa pendebant, namq; in gratiā Ezechiæ id Soli accidisse suspicatus est, id ex interitu Assyriorū cōiectās. *Quoniā dabis ei benedictionē,in seculū*,Et in omnibus(inquit)generationibus celebris erit,& decātatus,cū abs te tātū sit auxiliū cōsequutus,illud enim, *cum uultu tuo*,Symmachus dixit,ante uultum tuum. Lętitiam ergo(inquit) & assiduam iucunditatem habebit,tuo uultu,hoc est beneuolentia potitus. Reg.20.

NICEPHORI. *Longitudinem dierum*.non solum hanc uitam,quam hic degimus produxisti,sed aliam incōprehensibilē largitus es. *Magna est gloria*, ex pernitie hostiū magnam gloriam consequutus est,ita ut Assyrii dona illi attulerint & Sol in eius gratiam reuerti uisus sit. *Quoniam dabis ipsum*, in omni generatione illustrē esse, & decantatum cum talem in te fiduciam habuerit. hoc.n.significat illud *cum uultu tuo*,uel tū simpliciter gaudium habebit,sed unà cum familiaritate tua:causam uero induxit:quoniam inquit, sincerè in te sperauit. Hæc uero illi peperit fiducia,quam in te habuit,hoc enim subiunxit *Quoniam Rex sperat in eo*, Hostibus superior est, quicunque gratiæ tuæ fit compos,gratiam uero tuam consequitur,quisquis nulli hominum fidens,tua sola spe nititur.

EVSEBII. Cum prædictas promissiones Dauidis sermo prænunciasset,causam consequēter attexuit,propter quam promissiones illas consequuturus esset. Sed quænam causa fuit illa? spes sanè in Domino,quà misericordiam consequutus,spe Dei altissimi non decidet.nec ab hac firma statione demouebitur,spes enim non confundit.

DIDYMI. Qui oleum ab altissimo accepit,ut exultationis oleo inungatur,is planè perpetuum ex unctione sacerdotium habet,iuxta ordinem Melchisedech,qui est sacerdos in æternum nam quod eum minimè commotum asserit, significat temporariam illum dignitatem,à qua in alium statum commutari contingat,non habiturum. Psal.100.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes,qui oderunt te. Quoniam pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui,Dominus in ira sua conturbabit eos,& deuorabit eos ignis.

THEODORETI. *Inueniatur manus tua*. Hoc quoque Symmachus apertè magis interpretatus est,dicens. Apprehendet manus tua omnes inimicos tuos. Dextera tua inueniet omnes,qui te oderunt,hanc enim sententiam uerba ipsa sequuntur. Et sequentibus cohærent. Siquidem non frustra(inquit)Rex in te confidit,cum dexteram tuam cunctis inimicis tuis fortiorem esse,& celerrimos capere,& potentissimos perdere posse,cognoscat? Dexteram rursus & manum efficacem,Dei potentiam dicit. Facillimum(inquit)est tibi tanquam clibanum succendere eos,& igne, tanquam combustioni aptam materiam conficere.

DIDYMI. Non quibusdam,sed omnibus inimicis Dei inuenitur manus eius,cum supplicia illis inferuntur. Manus hæc illa est,quæ diuinæ legi repugnantes demolitur. iuxta illud. pugnat Dominus occulta manu contra Amalech.inimicos hoc loco intelligere illos fortasse potes, qui sublata prouidentia se totos impietati dedunt.nam his,qui Deum esse negant,inuenitur manus,quæ illos agitat, & suppliciis affligit, ut Deum rebus cunctis præesse cognoscant. Osores autem Dei uocat hoc loco, peccantes,nam siquis præcepta Dei obseruat,in eo perficitur charitas Dei. Iuxta illud. Siquis diligit me,sermonem meum seruat,unde consequens est,ut qui neque sermonem,neque præcepta obseruat,ut Deum oderit,qui uerò sic infectus odio est,is planè periisse dicitur. Et quoniam expectatio est uenturū Saluatorem,qui Dextera Dei est,ut quærat, & saluum faciat,quod perierat,meritò dicitur, *Dextera tua inueniat omnes inimicos tuos*. Cæterū quid intersit inter manum & dexteram in scripturis uidendum est. Manum sanè in ulciscendis malis adhibet,ut illud. Manus tua gentes disperdidit, & nunc mittens manum percutiam te, etenim manus Domini tetigit me. Dexterā uerò in bonis & in salute ordinat scriptura: Dextera .n.illius saluauit eos,& dextera Domini fecit uirtutem. Et, Dextera Domini suscepit,me& similia.& hoc quoque loco manū ab inimicis,quę illos puniat,inueniri dicit,Dexterā uerò osores, ut cum inuenti fuerint,non amplius in perditione persistant. Exod.17. Ioan.14. Psal.43. Iob.19. Psa.47.

Eusebii. Deo ista à precantibus dicuntur, qui pariter dicunt. quanquam hi, qui Domine tecum inimicitias exercent, non desistant animas illas, atque adeò sanctos omnes, qui se tibi dedicarunt, hostiliter infestare. ineuitabilem tamen manum tuam, & inuictam potentiam nó effugient: nam tantisper efferuntur hostes tui dum domesticos tuos tanquam athletas exagitant & exercent, Veruntamen exiguo temporis spacio elatos, illos manus tua statim occupabit, & fugientes dextera tua apprehendet. Sed quid aget, ubi eos apprehenderit? *ponet eos ut clibanum ignis*, nam ubi uultus tuus apparuerit, regnum tuum ostendens, statim efficies, ut nequitiæ ignis: quem ipsi sibi accenderant, ad supplicium eorum ardeat, ut ipsi sibi ipsis clibanus fiant, cuius generis febres ardoribus correpti patiuntur cum nihil extra sit, quod feruorem moueat, illi intus igné habent. Sic ergo inquit, & hostes tuos pones ut clibanum ignis, unde illis dicetur. Ambulate in lumine ignis uestri, & in flammis, quas succendistis.

Didymi. Illud *pones eos*, ad inimicos referri puto, quos ubi suppliciis afficiendos tradideris, pones ut clibanum ignis, non tamé perpetuò, sed usque dú diuinus uultus tuus illucescat, hoc autem loco καιρὸς non tempus, sed statum quendã significat eorum, qui Dei uultum percipere possunt. Arbitror ét nomen illud, *Clibanum*, non frustra positum esse, nã quemadmodum clibanus non temerè, neque fortuitò succendi solet, sed proposito fine aliquo, ut uel panis, uel aliud quippiam coquatur, ita quoq; Deus pœnas infert, quoad huiusmodi occasio ueniat, qua uultum ipsius intueri queant. *Domine in ira tua conturbabis eos*, Eos, qui in nequitia, & in præpostera opinione conquieuerunt, uoluptatibus illectos Deus conturbabit in ira sua. perturbatos in suppliciorum, ac uindictæ expectatione. Hos autem ita affectos ignis deuorabit, non corporeus ille, sed aut ignis pœnitentiæ propter commissa mala, uel ignis implacabilitatis & insitæ cuiusdam amaritudinis animę immissus, ignis hic ratione ac comparatione quadam corporeis morbis respondet, nam quemadmodum cibi qualitas, uel excessus febrem excitant, ita eos, qui in malitia conquiescunt, & peruersa dogmata sectantur, ignis quidam malus consequitur, qui eos deuorat, non quidem substantiam, uel naturam absumens, (hæc enim interire nequit) sed qualitatem,
Cor.8. hoc est uitium, quo ligna, fænum, stipulæ, zizania fiunt ut, quæ illam circundant, hoc est accidentibus absumptis, substantia huiusmodi rebus detensa pura, & soluta relinquatur.

Nicephori. *Quoniam pones*, in tempore, quo ira tua uisitabit eos conficies illos igne tanquam combustibilem materiam.

Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.
Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.
Quoniam pones eos dorsum in reliquiis tuis præparabis uultum eorum.

Hic quoque ostẽdit naturã, & substantiam minimè interire, sed fructus malos edidisse, hoc est malos mores, & opera iniqua, *Et semen eorum, filiis hominum*, quemadmodum plantę quæ perfectos, fructus faciunt, ex fructibus semina producunt, ut inde aliæ similes illis plantæ oriantur, sic qui in malitia, & impietate fructus ferunt, doctrinæ semina iaciunt, ut sui similes impios, & perditos homines efficiant, hoc semen delet à filiis hominum.

Eusebii. Hæc nonnulli peruertẽtes dixerunt plurimorũ impiorũ successiones, ad multas generationes peruenisse, & improborũ liberos piè, ac religiosè uixisse. Sed intellige tu, semẽ & fructus esse eorũ doctrinas, & impia dogmata, quę post eorũ mortẽ in homines irrepserũt. hæc Deus prò sua bonitate, & misericordia tandẽ aufert, & delet, ut nec fructus impiorũ, nec semen supsit. *Quoniã declinauerunt in te mala*. causã rursus affert, ꝑ quã ista passuri sunt, dicens, *Quoniã declinauerunt in te mala*, Symmachus cõmunierũt cõtra te malũ, uel obstruxerũt contra te in malum. uertit, nã licet, (inquit) uidebãtur homines oppugnare, quia tamẽ nulla ratione, uel causa probabili uel ob turpẽ aliquã rẽ sed ob pietatẽ, qua te colunt illis insidias struebant, meritò aliquis dicere poterit, eos tibi Deo insidias molitos esse, & machinationes omnes, quas sanctis tuis parauerunt, contra te quoque excogitasse, propterea quæ prædicta sunt eos apprehendent, nam neq; consilia eorum præualebunt, nec manus tuas effugere poterunt. nã illi omnia in te machinabantur, & impio animo aduersus te consilia capientes peragebant. Sed tu illos auersos, & profugos, terga uertentes ab ira tua pulsos abscedere coegisti.

Theodoreti. Nec eos solũ, sed oẽs eorũ posteros delebis. hoc. n. & semẽ, & fructus nominauit, ut oĩs eorũ memoria statim deleatur. Hoc aũt in tẽpore uultus tui. ſi tẽpore iræ tuæ, cũ hoc facere uolueris, & opportunũ esse tẽpus uindictę iudicaueris, quoniam contra te linguã mouerunt & maledictis usi sunt. *Cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*. Symmachus ita
2.Par. 22. 24.Reg.18. & 19. dixit. cogitauerũt cogitationes imbecillas. Prædicit autẽ per hæc uerba cõuitia illius Assyrii dicẽtis. Ne te decipiat Deus tuus, cui confisus es. quoniam liberabit Hierusalem de manu mea. De iis

iis uerbis hoc loco intelligit. Cogitauerunt cogitationes, quæ non possunt fieri, uel cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, sperantes quemadmodum Idolis, sic uero Deo superiores fore.

DIDYMI. *Declinauerunt in illum mala*, uel quia peruersa de Deo dogmata asseruerunt, uel quia malitiæ suæ causam illi ascripserunt. declinauerunt autem mala in Saluatorem tum proditores, tum hostes eius. Animaduertendum autem est mala, ex inclinatione, nõ autem ex rectitudine, quemadmodum bona, perfici. Mali autem omnino peruersi, inopinantes, ac debiles aggrediuntur, namq; non expectanti noxam, & nihil inde timenti insidias struunt. Cæterum malus omnis quibus artibus peccat, consilium cogitat, quod firmum nequit consistere, cõsiliũ scilicet malitiã, quæ diutius durare non potest. *Quoniam pones eos dorsum*, quos Deus auersatur, eos cũ uultus est se posint, dorsum ponit. Vel sic. qui Dei uultum contueri non possunt, quia cor purũ nõ habẽt, faciunt, ut quæ à tergo illius sunt, scilicet opera post ipsum manentia, considerent, ut creaturam illius contemplantes sensum illius accipiant, utq; impedimenta, quæ ne uultũ purum haberent, faciebant, relinquentes, ad Deum deducantur, & ipsum Dei uultũ intueantur. Iccirco dicit. *In reliquiis tuis præparabis uultum eorum.* Reliquiæ Dei sunt res illius excelsiores, quæ operibus cunctis, quæ sensibus subiiciuntur, longè præstantiores sunt.

THEODORETI. *Quoniam pones eos dorsum*. Symmachus dixit. Quoniam facies eos auersos, nam qui cœdẽ Angeli fugerint, eos in stuporem conuertes, coges q; terga dare, ut abeuntes, quæ gesta sunt aliis referant. Hęc aũt uates tanquã nondũ facta more prophetico, ponit. *in reliquiis tuis*, hoc p hyperbaton dictum nonnulli affirmauerunt, & ita intellexerunt. in reliquiis illorum pręparabis uultũ tuum, pro eo quod est. & captiuis, & fugientibus, supplicium, inferes, possumus quoq; & si eadem structura utamur, sentẽtiam sic accommodare, facilẽ tibi erit, & pęnis quę tibi reliquæ sunt afficere, & eos qui effugiunt, terga dantes, & eos, qui sibi iam euasisse mortẽ persuadent, conuertere, sistere, & mulctare.

CYRILLI. Qui hunc psalmum referri ad Christũ opinati sunt, pęnas, & supplicia in Iudęos cõmemorari dixerunt ab eo loco, ubi ait. *inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, hæc. n. (ait) omnia illis infligentur, quo tempore apparebit facies tua. Sed quamobrem? quia *declinauerunt in te mala*. Quæ isthæc sunt? ea, quæ narrant Euangelia illos in Christum machinatos fuisse, nã cogitauerunt consiliũ, quod stabilire non potuerunt, arbitrantes Dominum gloriæ morte circumueniri posse. Quare *pones eos dorsum* (inquit) nã qui primo Filii, & populus Dei uocabantur. iis qui ex gẽtibus crediderunt, dorsum positi sunt, iuxta illud, erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. *in reliquiis*, aũt dixit, quoniã qnãdo plenitudo gentiũ introducta fuerit, tunc oĩs Israel saluus erit. *Malach. 3.*
Exaltare Domine in uirtute tua, cantabimus, & psallemus uirtutes tuas.

DIDYMI. Quoniam cum te ipse demitteres imbecillitati nostræ, imbecillitatem quandã omnibus hominibus fortiorem assumpsisti, dũ ex infirmitate cruci affixus es. *Exaltare Domine in uirtute tua. cantabimus. & psallemus uirtutes tuas.*

THEODORETI. *Exaltare Domine*. Cũ Deus humilis exaltatur, nõ quod nõ habet accipit, sed quod habet ostendit. Meritò igitur dicit. *Exaltare Domine in uirtute tua*. ostendatur celsitudo tua p ineffabilẽ potentiã tuã, quam nos celebrantes, & concinentes te, & opera tua admiranda enarrabimus.

CYRILLI. *Exaltare Domine*, simile est illi. Adueniat regnum tuum, manifestò autem, per hæc fieri secundum aduentum precatur. *Matth. 6.*

NICEPHORI. *Fructũ eorũ*, fructũ & sonũ dicit, quod tota eorũ generatio peribit. *Quoniã declinauerunt in te mala*, in te blasphemi fuerunt. illud uero *declinauerunt* significat, per inclinationẽ à rectitudine malum effici. errantes igitur in te mala fecerunt, sanctũ nomen tuum blasphemantes. *cogitauerunt cogitationes*, dixerunt enim Hierusalẽ iri captã derelictã: hæc aũt blasphemia erat ne te diripiat Deus tuus cui confidis liberabit Hierusalẽ iri de manu mea. *in reliquiis*, hoc per hyperbaton figuram construendum est, si sententiæ tenorem seruare uoluerimus, hoc pacto in reliquiis eorum præparabis uultum tuum, ac si dicat, quod neque ii saluabuntur qui superfuerint ab Angelica strage cõtra hos etiam uisitationem tuam in ira tua præparabis, & persequeris adeo ut euadere non posint.

ORIGENIS. *Quoniam inclinauerunt*, tum inclinamus cũ præter naturam mouemur.

EVSEBII. Sed & quilibet malus, & flagitiosus, cui male facere intendit, in illum mala inclinat: non enim rectitudine ut bona, sed declinatione à recto mala perficiuntur.

ATHANASII. *In reliquiis tuis*, Reliquisti (ait) illis conuersionis tempus quod est uocatio eorum post gentium plenitudinem.

IN FINEM PRO SVSCEPTIONE MATVTINA PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XXI.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti longè à salute mea uerba delictorum meorum.



ATHANASII. Canitur hic psalmus pro matutina susceptione, hoc est quãdo emicans Dei uerbum, dest, unigenitus eius filius de alto, iuxta illud, quod spriptum est, oriens, nos à nocte, & caligine diaboli ca liberauit. Aut matutinam susceptionẽ intelligit dominicę resurrectionis tempus: Resurrexit, n. ualdè manè uiam humanæ naturæ ad immortalitatem patefaciens. Apertè autem, quæ illi crucis tempore à Iudæis facta sunt, nobis exponit.

Luc.1. Luc.24.

EVSEBII. Inscriptio psalmi argumentum omne illorum quę in ipso dicuntur, ad id tempus refert, quos saluator noster à mortuis resurrexit, ideo *prò matutina susceptione*, dicitur, cuius autem generis fuerint, quę ad matutinam susceptionem spectant, Euangelistæ postea declarabunt. Lucas quidem ita scribit. Valde manè una sabbatorum mulieres uenerunt ad monumentum, ferentes quæ parauerunt aromata. inuenerunt aũt lapidem reuolutum à monumento, & factum est dũ mente consternatæ essent de isto, ecce duo uiri steterunt secus illas in ueste fulgenti qui & dixerũt, quid quæritis uiuẽtem cum mortuis? non est hic sed surrexit, recordamini qualiter loquutus est uobis cum adhuc esset in Galilea, cæteri quoque pariter Euangelistæ concinuere. Ecce quo modo quę ad matutinam susceptionem pertinent, in Saluatoris nostri resurrectione perfecta sunt. Quare uniuersam passionis Saluatoris nostri dispensationem, in eius resurrectionem diuinus spiritus confert, & ad illum ipsum finẽ per prędictã prænotationem ac titulum hoc, uaticinium refert. qui enim fieri potest, ut psalmus non sit prophetia futurus, quæ resurrectionẽ Saluatoris nostri, Ecclesiæ cętum, gentiũ uocationẽ nouæq; prolis populi nasci turi præcognitionem contineat, quando spiritus sanctus in his tanquam in summis bonis oblectantur, simul & canit?

Luc.24.

DIDYMI. Susceptio matutina oriente iustitiæ Sole perficitur, & diei principiũ parit, nã ortus ueri luminis, ignorantię ac erroris nocti fine imposito spiritualem aurorã inuexit, quæ simul ac cępit, ad finẽ pfecti, ac diuini luminis, quod à Trinitate manat, occurrit. quo quidẽ lumine omnia spiritalia perfecta sunt. Finis est cuius gratia reliqua, ipsẽ uero nullius causa fit. quod etiam summum ac extremum omnium optabilium appellant: nihil enim ultra illud, quod appetendum fit, superest, propterea quod illud est perfectissimum bonũ. Inscriptio igitur huius psalmi, *in finẽ susceptionis matutina canitur ipsi Dauid*, hoc est illi qui ex eius semine secundum carnem natus est. Nulla uero mutatio personæ fit in hoc psalmo sed integer est de persona Christi, cuius etiã dictiones ipsæ in nouo testamento receptæ sunt, quæ uero illæ sint, cum illuc peruẽtũ erit, aperiemus.

THEODORETI. Psalmus hic Domini nostri crucẽ, resurrectionẽ, gẽtium, & demũ uniuersi orbis salutem prædicit, quod ex ipsa inscriptione liquet. *susceptio matutina*, nostri Saluatoris aduentus est, qui auroræ similis his qui sedebant in tenebris illuxit, lux. n. uera Dominus est, oriens aũt lux diluculum facit, qua exorta tenebræ discutiuntur. in eum igitur hic psalmus est scriptus, si quidem potius sacris Apostolis & ipsi adeo Saluatori, qui huius psalmi, initio in cruce usus, est credendum est, quam iis, qui aliam interpretationem afferre conantur.

Ioan.1.

NICEPHORI. Psalmus hic crucem Saluatoris prædicit, & resurrectionem, nec non & gentium uocationem, & salutem nostram. Susceptio autem matutina uel Domini aduentus, est qui diluculi instar his qui, in tenebris erãt, illuxit. Hic autem Dominus IESVS propriam sibi totam humanitatem faciens sermonem facit, & ad unitum ipsi Deo uerbum, & ad Patrem eius per ipsum. Ego enim (inquit) & Pater unum sumus.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti longè à salute mea uerba delictorum meorum.
Deus meus clamabo die, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.
Tu autem in sancto habitas laus Israel.
In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi.

THEODORETI. Saluator cruci affixus hanc uocem hebraicè suscepit. Heli Heli Lamaaza btani, quomodo igitur eiusdem ueritatis testimonium scribẽdo præteriri potest, derelictum aũt [Mar.16.] fuisse dicit, ut qui cum nullũ peccatũ fecerit, morti tamẽ obnoxius fuerit, quæ in peccatores grassabatur. Derelictionẽ aũt nõ coniunctę Diuinitatis separationem, ut nõnulli opinati sunt sed permissionem illam qua diuinitas permisit, ut humanitas pateretur, appellauit. Aderat enim in patiente serui forma Diuinitas, at dum generi humano salutem compararet, eum pati permittebat, at Diuinitas ipsa nihil inde propterea patiebatur. Quomodo enim pati poterat, quæ nulli perpessioni subiecta sit? Hæc ergò uerba Dominus quatenus homo protulit, & quoniam ipse humanæ naturæ caput est, pro uniuersa natura humana in sequentibus uerba facit.

DIDYMI. Animaduertendum est Prophetam recto, prò uocandi casu usum fuisse. Nã dixit, *Deus meus, Deus meus*, prò, mi Deus, mi Deus, quod genus loquendi multis in scripturę locis usurpatur. Quod ergo intendit, huiusmodi est. Qui uerus, & in uniuersum Deus es cum sis Deus meus, adhibe mihi aures tuas, multis enim & grauibus doloribus attritus sum. *Cur enim dereliquisti me?* Vox est destitutionis causam quærentis, nam cum ingentis innocentiæ sibi conscius esset, (nunquam enim peccatum agnouerat) tutò sibi persuasit, se nullomodo in peccato derelictum esse: Interrogat autem non ut discat, sed alia causa, quæ omnibus utilis futura esset, Hoc enim notum fieri quærit, se scilicet non sui ipsius, sed se uidentium causa perpeti, nam cum eum uiderint pro se ipsis destitutum esse, laudibus eum tanquàm Saluatorem, & liberatorem illicò decantabunt.

EVSEBII. Cum illud (respice in me) in Hebręo non adsit. Sed solum apud septuaginta in primo uersu ponatur, meritò quoque Saluator noster illud omisit.

GREGORII Theologi. Sanè hic neque à Patre, neque à sua ipsius Diuinitate, ut quidam suspicati sunt, tanquam mortem timente, & propterea a patiente seiuncta, derelictus est. Quis.n.uel nasci à principio, uel in crucem ascendere ipsum impulit? Cæterum ipse affectiones, & commotiones nostras in se ipso format, nos.n.destituti, & neglecti prius eramus, deinde asciti, & seruati nunc sumus eius tormentis, qui omnium perturbationum expers est. uti etiam ignorantiam, & defectus nostros sibi uendicans sequentia Psalmi uerba, proferat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.*

EVSEBII. Aquila, Longe à salute mea uerba rugitus mei; Symmachus, Verba luctuũ meorum. Quinta editio, Verba clamoris mei, reddiderunt. Considera ergò quomodo in his omnibus nullus interpretum, uerbi, Delictorum, meminerit. non enim rationi consentaneum erat delicta ascribere personę Saluatoris nostri, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed lamentabatur propter sæuientem populum, & propter Iudam ex Apostolica dignitate ruentem, uerba enim luctuum meorum, qui prò populo circumferantur, procul à salute mea fuerunt, cum populi nullam à salute, quam illis obtuli utilitatem perceperint.

THEODORETI. Animaduertendum est neminem aliorum interpretum de hac uoce. *Delictorum meorum*, mentionem fecisse, sed Aquila, Rugitus mei, dixit. Symmachus, Verba luctuum meorum. Theodotio, Clamoris mei, uerterunt. Nos uero ne de industria, & callidè, eos qui aliter Psalmum interpretati sunt, reprehendere uideamur, septuaginta interpretum expositionem sequemur. Qui cum eam uocem perpendissent, Psalmum hunc Domino minime conuenire dixerunt, nam qui fieri potest (inquiunt) ut qui peccatum non fecit, dicere queat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.* Audiant igitur Ioannem clamantem. [Ioan.1.] Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Et diuum Paulum dicentem. Ille, qui pecca- [2.Cor.5.] tum non nouit, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficiamur Dei iustitia in illo. [Gen.3.] Et rursus, Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum. Quarę cum esset iustitię fons, peccatum nostrum tulit, cumque esset benedictionis pelagus, maledictionem nobis inhærentem suscepit, & crucem tulit, & opprobria despexit. Ita etiam cum prò nobis habuit uerba, si enim nobis definitam disciplinam spontè subiit. Disciplinam enim pacis nostræ (ut ait Propheta) multò magis ad usum nostrum sermonem accommodat, & clamat. *Longè à salute mea uerba delictorum meorum.* Ne respicias (inquit) humanæ naturæ lapsus, sed propter cruciatus meos illi salutem largiaris. Et postquam crucem humano more ferens sæpius in cruce precatus est. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, & mæreas dicebat, tristis est anima mea usque ad [Matth.26.] mortem, meritò & Psalmus hæc prædicens inquit. *Deus meus clamabo.*

DIDYMI.

NICEPHORI. *Cur dereliquisti me?* Derelictionem (inquit,) non unitę diuinitatis separationem, sed futuram mortis permissionem. *Longe à salute mea*. Reatus (ait) peccatorum meorum procul sunt à salute mea: hoc est nullo impedimento sunt saluti meæ, quia nulla sunt omnino delicta mea, quę commiserim. Subit enim Dominus hæc dicens, atque accipit in se totius humanæ naturę personam. *Clamabo die*. Die ac nocte inclamabo pro passione si fieri potest ut à me transeat. tu uero abnuis. Et hoc *non ad insipientiam mihi*. Noui enim te propter humani generis salutem hoc permittere: humanæ tamen naturæ imbecillitatem affero. *Tu uero in sancto habitas*. Et templum tuum patitur, quod mirandum est. *Et liberasti eos*. Per liberationem à periculis non corporis solum, uerum etiam animæ imaginis liberationem intelligunt, quando scilicet anima tentationibus appetita nihil inde in suo proposito lęditur.

DIDYMI. Intelligere quoque poteris. *Verba delictorum meorum*, non pro delictis, sed delicti enunciationes esse. quo more solemus dicere, uerbum cœli, & uerbum solis. Iuxta quod sol, & cœlum, facta sunt, & in lucem prodiere. Sic etiam dicemus Saluatorem uerba delictorum non delicta ipsa in corpus suum admisisse. Hæc delictorum uerba Christi corpus portauit, antequam pateretur. ubi uerò à mortuis resurrexit, quando & saluus factus esse dicitur, longè ab eius salute prędictorum delictorum uerba facta sunt. nam principes, & potestates delictorum auctrices eiecit, quando nobis libertatem comparans de iis triumphum duxit.

DIDYMI, & EVSEBII. *Deus Deus meus clamabo per diem ad te*. Cæsim legendum est, *Et nocte*, clamabo, nulla mihi insipientia attributa, significat enim nobis non inutilem futurum clamoris fructum. ait enim, *non ad insipientiam mihi*, id est optimè quidem noui, quod cum clamauero, exaudies me, quoniam cum in sanctis habites, laus es, & gloria eorum qui ad te animum dirigunt. In prosperitate, quę dies appellatur, & in nocte aduersitatum ad te clamo, in utroque enim statu clamo, nam benè res agenti periculum est ne animo efferatur. malè uero agenti, ne succumbat, timendum est. Hoc pro nobis Saluator dixit, & fatetur Deum in utraque occasione se clamantem exauditurū, nam si illud. *Et non exaudies*. per interrogationem legatur, ipsum exaudire significat.

EVSEBII. Clamanti mihi in nocte ad insipientiam non reputabitur, quando quę me circunstant mala, grauia, & molesta sint. quoniam plerique rebus aduersis ita obscurantur ut quid ad Deum clamantes dicere oporteat, ignorent.

THEODORETI. *Et nocte, & non ad insipientiam mihi*. Vel secundum reliquos interpretes. Et nocte, et non silentium. Nocte (inquit) & die continenter clamantem, & nunquā silentem me non exaudisti. quin potius me ad crucem tradidisti. Veruntamen noui mysterium tuæ dispensationis. Hoc enim significat illud. *Et non ad insipientiam mihi*. Cogitaui .n. non sine causa te distulisse uota mea adimplere, sed ingens quoddam ac salutare ex supplicio meo prępraraturum. *Tu autem in sancto habitas*. Hoc autem est maximè omnium admirabile, quod te in sancto hoc corpore habitante crucis tormentum subire passus sim. *Laudem uero Israel*. Ipsum appellat, ut potè, qui à suis propris cultoribus laudetur, & decantetur. nam pro laude hymnum, reliqui interpretes dixerunt. *In te sperauerunt*. Lucrum spei ostendit. Atqui (inquit) apertè noui, cum omnes patres sibi multum de tuo auxilio polliciti essent, spe sua minimè frustratos fuisse, & cum tuam opem implorassent, fructus prouidentiæ tuæ uberes percepisse.

ATHANASII. *Tu uero in sancto habitas*. Quoniam in sanctis habitas, qui in te mentē fixerunt. Laus, & gloria ipsorum factus es.

ORIGENIS. Qui ab Israel laudatur, is ipse laus est.

ATHANASII. *In te sperauerunt patres nostri*. Scilicet qui secundum carnem, quales fuere Patriarchę & Prophetæ.

EVSEBII. Atqui in omnibus sanctis tuis habitas, semperque cum illis permanes, & eosdem semper exaudis. nam in hoc laus Israelis, hoc est cuiuslibet sancti, esse consueuisti. quod si in omnibus sanctis Deus habitat, multo magis in unigenito suo habitabit, eumque magis exaudiet: Id autem non per comparationem, quemadmodum dicit Ananus, (una enim uoluntas est Patris, ac Filii,) sed secundum carnem, atque humanitatem capiendum est.

DIDYMI. Patres ex quibus secundum carnem ortum duxit, in te sperauerunt, expectantes claritatem meam, & sperantes non sunt fraudati, cum per me à morte, ac Diabolo fuerint liberati.

EVSEBII. Planè compertum habui, quod omnes Patres nostri tuo freti auxilio, spe sua non sunt defraudati, & te in auxilium inuocato, prouidentiam & curam tuam experti sunt.

Ego autem sum uermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.
Omnes uidentes me deriserunt me loquuti sunt labijs mouerunt caput.
Sperauit in Domino eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.
Quoniam tu es qui extraxisti me de uentre spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero.
A uentre matris meæ Deus es tu, ne discesseris à me.

THEODORETI. *Ego autem sum uermis.* Vermis ergo (inquit) & uilis uisus sum. Aliqui per uermem ostendi dixerunt, quod ex Virgine sit natus. nam uermis non oritur ex permixtione sexuum. At ego per uermem uilitatem tantum significari sentio. *Mouerunt caput.* Verba hæc in sacris Euangeliis etiam posita sunt. Multi.n. (inquit) mouentes capita dicebant. *Matth 17.* Alios saluos facit, se ipsum saluum facere non potest. Et alter ex latronibus dicebat, Si Filius *Luc.23.* Dei es, saluum te ipsum & nos facias.

EVSEBII. *Ego autem sum uermis.* Humiles nos esse docet, ac eos præsertim, qui ad Deum accedunt. Vilissimum omnium animalium, & maximè imbecillum uermis est, atque ex corruptione corporum enascitur. & quæcunque attigerit demolitur, & consumit, & cum exitio sus sit, non tangitur, sed suspenditur. Huius autem meminit. Isaias dicens. Noli timere uer- *Isa.41.* mis Iacob, minimus ex Israel. Ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui tanquam rotas plaustri nouas, triturantes instar præli, triturabis montes, & comminues colles, & ut puluerem pones. Ventilabis, & uentus tollet, & turbo disperget eos. Tu uero exultabis in Domino, & in sancto Israel letaberis. Quibus uerbis cum Propheta uermem nominasset, eumque minimum ob uilitatem, & paruitatem esse dixisset, ingentem illi tamen fortitudinem apposuit, cum dixit. Triturabis montes, & comminues colles. Et tanquã puluerem pones, ac uentilabis. Vnde cum Saluator dicat. Ego sum uermis, & non homo, uilitatem ac imbecillitatem, despectumque, & opprobrium suæ mortis ostendit, cum alioquin aduersarias potestates deleuerit, debebat enim in morte, & ipsa mortuorum regione aduersarias potestates perdere. Alio quoque modo uermem, & non hominem ipsum nominari dicere potes. Quod non perinde ut homines ex sexuum coniunctione carnis ortum habuerit. Demum per hæc uerba mortem suam, & se mortuum inanimatum significat. Iccirco subiungit. *Ego sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Mortuus enim non est homo, sed si omnino mortuus est, sat est illi homo si uideatur. Ego autem sum (inquit) non homo, quoniam cum mortem uirtute propria abolere posset, mortem suscepit, iure se ipsum uermem non hominem appellauit. Planè Dominus, & Saluator noster, uerè omnium hominum opprobriũ factus est, cum crucem pro nobis, despectissimum mortis genus subierit. nam alia quoque ex ipsius persona prophetia dicit. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Ac alii ho- *Psal.68.* mines illum crucis tempore despectissimum reputarunt. Aliud uero agmen fuit præter istos, quod ostentui illum habuerunt. Quinam isti? præter quàm populus ex circuncisione? Quamobrem deinde inquit. *Et abiectio plebis.* Isti enim illudentes ei, & subsannantes dicebant. Væ qui destruis templum, & in tribus diebus illud ædificas, alios saluos fecit se ipsum saluum faciat, si Rex Israel descendat de cruce, & credimus illi. Deinceps de illis refert, dicens. *Matth. 27.* *Omnes uidentes me, deriserunt me, loquuti sunt labijs, & mouerunt caput.* Et hæc quoque impleta sunt eo tempore, quo Saluator passus est. Vnde Matthæus scribit. Prætereuntes autem blasphemabant enim mouentes capita sua, atque dicentes, uah qui destruis templum. Principes quoque sacerdotum pariter cum Pharisæis, & Scribis, dicebant: Alios saluos fecit, se ipsum nõ potest saluũ facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si uult, dixit.n. Filius Dei sum.

ORIGENIS. *Ego autem sum uermis.* Non oritur uermis ex copula, sed ex ligno, & rodit ligna, fœnum, stipulas, fortasse & Deus noster ignis est consumens, prauam, & combustibi- *Prou.15.* lem materiem. Quod si lignorum uocabulo rationis participes naturæ significantur. Te enim inquit, omnia paradisi ligna æmulata sunt. In his autem natus aptus est Christus nasci tanquam *Ezech.31.* sapientia, & iustitia meritò & probè Christus uermis nominatur, Christus inquam in lignis huiusmodi natus. Porrò & tanquam uermis esca factus est diabolo, & Angelis eius: Atqui sapienti rectus, insipienti uero obliquus inuenitur. Præterea peccatoribus nobis uermis efficitur, con scientiam nostram arguens, & rodens. *Spes mea ab uberibus.* E nos sperauit inuocare Deum, *Isa 66.*

sed

ſed non ab uberibus matris, Chriſtus autem antequam congnoſceret bonum, & malum elegit. Quare probè dicitur ſperaſſe ab uberibus matris non enim (ait) homo eſt qui uiuat, & non peccet.

DIDYMI. Addiſcant legis periti: qui hęc dicunt, eos malè de prouidentia ſentire, qui hæc prædicant. Ea enim aliquis de Iſaia, qui medius diſſectus eſt, intelligenda dixerit, nec de Iſaia tantum, ſed de omnibus, qui pro pietate perpeſſi ſunt mala. Nos enim non aſſerimus homines tum ſaluari à circunſtantibus calamitatibus cum illis exempti ſunt, ſed cum illas forti animo & inuicto pertulerint, ut animus recto propoſito præ anguſtiis excuſſo non lædatur. Martyres ſanè & ipſos ueritatis teſtes ſuppliciis multis affectos, & in tormentis interemptos liberari, & ex afflictionibus ſaluos fieri affirmamus. nam qui à tormentis Deum abnegantes erepti ſunt, non ſolum à ſuppliciis non liberati, ſed ab ipſis abſorpti dicendi ſunt.

EVSEBII. *Quoniam tu es, qui extraxiſti me.* Oſtendit non iuxta naturę ordinem, neque perinde ac reliqui homines, neque de more cæterorum animantium, quæ ex mare, ac fœmina generantur, ortum eius extitiſſe. ſed excellentius quid, ſupra communem naſcendi conditionē habuiſſe.

DIDYMI. Hæc propterea fortaſſe dicit, quod qui ex ſemine concipitur, ubi ſtatuto tempore in uentre abſolutus, & perfectus fuerit. foras ab utero ipſo eiicitur. At Saluatorem ſolum Pater ab utero Virginis extrahit non ullo illi aliunde foris iniecto ſemine, ſed diuino partu ex ipſa euulſo. *Spes mea ab uberibus.* Cæteri quoque homines adulta ætate ſperare futura ſolent, cum rationis uſus aduenerit, ac intemeratæ Virginis infans ab uberibus, & incunabulis perfectionem ſperat. nam cum Deum ſpem ſuam habeat, omnis expers malitiæ factus eſt, neque ut reliqui homines poſt inſcitiam, & nequitiam bona ſperauit. Siquidem ſecundum Iſaiam. Antequam cognoſceret bonum uel malum fiduciam non habet malitia eligendi bonum. *De uentre matris meæ.* Antequam IESVS carnem acciperet, ſolam Patris proprietatem tulit, Deus .n. Pater eius fuit, & ipſe Filius Dei. Ex quo uero caro factus eſt, de uentre proceſſit. Et habitum ad Patrem, eundemq́, Deum habuit. Iccirco dicit. licet ſemper Pater meus ſis, tamen à uentre matris meæ Deus eſſe cœpiſti.

Iſa. 7. THEODORETI. Hæc prænunciauit Iſaias, cum dixit: Ecce uirgo concipiet in utero, & pariet Filium, & uocabunt nomen eius Emanuel. ſubiunxit. butyrum, & mel comedet, & priuſquam cognoſcat malum, uel bonum, reprobat malum cauſa eligendi bonum. Diuus ergo Dauid Chriſti perſonam gerens ait. Quoniam & tu me in utero formaſti, & deinde ex utero eduxiſti. Et adhuc lactens, & ubera matris ſugens in tua cura ſpes meas eſſe uolui.

NICEPHORI. *Ego autem ſum uermis.* Hoc dicit ob apparentem uilitatem. *Tu extraxiſti.* Tu eduxiſti me de uentre ſiue utero matris meæ uirgineis clauſtris nullatenus apertis.

Ne diſceſſeris à me.
Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adiuuet.
Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obſederunt me.
Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.
Sicut aqua effuſa ſunt, & diſperſa ſunt, omnia oſſa mea.
Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio uentris mei.

THEODORETI. *Ne diſceſſeris à me.* Niſi enim adſis decertantibus, & uires animumque addas, deuorabuntur illi. Deinde orat tanquàm humanitatem indutus. uocat autem. *Tauros*, Sacerdotes, & Scribas quibus populi principatus erat commiſſus. hi enim erant omnium audaciſsimi. *Vitulos*, uero eorum ſubditos. Tauros autem pingues dicit, utpotè qui in copia rerum ſibi ſuppeditata maximè perfruentes oblectarentur. Ita enim uaticinatus eſt magnus Moſes. Et comederunt Iacob. Et incraſſatus eſt dilectus, recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus dilatatus dereliquit Deum creatorem ſuum. Atque etiam beatus Oſee, Eum ferocienti iuuencæ comparat dicens. Nam ut Vacca laſciuiens errauit Efraim. Ita enim populum appellauit. Sic autem Efraim, ait, uitula docta diligere contentionem, hoc eſt, quæ contentionem, & rixas amat, nam νεῖκος non ipſam uictoriam, ſed contentionem dicit. Et poſt hæc deiectionem eius oſtendens dicit. Ego autem conſcendam ſuper pulchritudinem colli eius, ſuperbam eius ceruicem deprimam, & ſeruitutis iugum imponam. Pſalmus ergò is, Scribarum, Phariſeorumque defectiones prædicit, qui Taurorum audaciam leonumque ferocitatem,

Deut. 2. Pſal. 78. Cant. Moſ. 2. Oſee 4. Oſee 10.

imitantes,

imitantes, Dominum Christum circundantes obſederunt.

Evsebii. Si Tauros pingues intelligas eſſe Principes Iudaicę gentis, ſummos item Sacerdotes, ſcribas, & ſeniores, non errabis. De his meminit in Pſalmo ſexageſimo ſeptimo dicens. Increpa feras arundinis, congregatiot aurorum, in uaccis populorum. Atque hic qui- [Psal.67.] dem populos uaccas, Principes uerò populorum manifeſtè tauros appellauit. Cæterũ Aquila hoc loco, Prò. Circundederunt me uituli multi. dixit vaccæ Tauri pingues. uel iuxta Symmachum, prò. tauri pingues, pinguiſſimi obſederunt me, atque cinxerunt me, dixit. Porrò ſecundum Aquilam. Optimates Baſan terruerunt me, dictum eſt. ubi ſermo militares Pilati ordines & aciem, quàm Baſan appellauit, latenter inſinuat. Milites enim Pilati ſpineam coronam plectentes illi pro diademate impoſuerunt. Super ipſum quoque aperuerunt os ſuũ, ſicut leo rapiens, & rugiens. Clamantes, Tolle, Tolle, crucifige eum. ſanguis eius ſit ſuper [Matth.27.] nos, & ſuper filios noſtros. Aquila ſicut leo capiens (ait) ac fremens. Iuxta Symmachum uero, ſicut leo uenator frendens. Huiuſmodi homines, cum ſanguinem Chriſti ſitirent, & filiis ſuis Saluatoris ſanguinem imprecarentur, nihil à frementibus, & rapientibus leonibus differebant.

Didymi. *Ne diſceſſeris à me*. Cum Deus nobis præſens adeſt, poteſt etiam dum affligimur tollerantiam dare, ut qui perturbatur, conſtanti animo ſit. At Deo recedente, grauia ſunt quæ nos circunſtant. Orat ergo Propheta hoc pſalmo forma nobis factus, & nos in tentationibus ita orare docet. ne eiuſmodi res in Deum admittamus, quibus Deus abſcedat. ut præſente Deo tribulationum noſtrarum authores uincat. Nam ſi ab aliquo Deus recedat, nullus illi adiutor erit. *Vituli multi*. Nil quidem prohibet, quin uitulos intelligas malignas poteſtates, quę terrenis, & corporeis detinentur, nam uitulus animal eſt terrę addictum, malignę uerò poteſtates, quę falſis opinionibus ingerendis præſunt, cum fraudulentis, & doloſis perſuaſionibus quaſi cornibus occurrant, meritò pingues tauri dici poſſunt. Pingues, ob multiplicem ſcientiam, & magnum orationis fucum. poſſes item Iudęos dicere, qui boues iuxta legem ſacrificantes, ex quibus uitulos educabant, Dominum hoſtiliter circundederunt. Pontius uero Pilatus, & nonnulli alii dignitate præſtantes tauri cornuti ſunt, qui eum obſidere tentarunt. Illud quoq; *Circundederunt me uituli multi*, dictum eſſe potuit à Saluatore, de ipſo Eccleſiæ corpore, cum uideret homines humi repentes, & prociduos corpus ſuum circundediſſe. Cum uero Principes ſeculi huius ſapientiam profitentes uidiſſet corpus eius circumcurſare, Dicit. *Tauri pingues obſederunt me*. Deinde feritatem eorum agreſtem, & ad malum infligendum promptitudinem cernens ait. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens*. Os enim illorum apertum ad rapiendos eos, qui decepti ſunt, nihil aliud eſt, quam ſermo fraudulentus. Et fortaſſe leo rapiens, & rugiens ad Diabolum referri poteſt. à quo leone bonus paſtor, duo crura, & reſiduam auris partem eripuit cum anima hominis aurem per auditum, per crura uero inceſſum ipſius deglutierit. *Sicut aqua effuſus ſum*. Quoniam qui credunt Chriſti corpus ſunt fidelium [Amos 3.] ſupplicia in ſe ipſum aſſumens dicit, ſe eadem perpeſſum eſſe, quæ omnia iis, qui eius corpus efficiunt, euenere. Quoniam igitur paſtore percuſſo, oues diſperſæ ſunt, dicit. *Sicut aqua effu-* [Matth.26.] *ſus ſum*. nam aqua effuſa diſſipatur. De Apoſtolis autem intelligit, cum dicit. *Diſſipata ſunt omnia oſſa mea*. Ipſi enim propter firmitatem, qua aſperrima quæque ſuperarunt, oſſa illius ſunt. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens*. Eius cor tanquam cera in medio uentre liqueſcit, qui quos ipſe peperit, calamitatem ſuſtinere uidet. Quoniã ergo quę prædicta ſunt diſcipulis Iesv acciderunt, cor eius ardore charitatis in eos affectum, & ſucenſum, ceræ uſum in medio uentre ſuſcepit. dum in illos, quos pepererat, commiſeratione afficeretur, quin & cordis dulcedo cum cera eſſet, liquefacta eſt, quando cibus effecta in uentrem conceſſit. Intelligit aũt cogitationes cordis curarum aſſiduitate cor extenuantes. ut inde in nutrimentum, & integritatem nutriti diſtribuantur.

Theodoreti. Oſſa uocat ſacros Apoſtolos, quoniam & corpus eccleſiam dicit. Robur enim ac fulcimentum corporis oſſa ſunt: iis enim quicquid in corpore molle aclentum eſt fulcitur, Diſſipati autem omnes ſunt tanquam aqua, cùm cruci traderetur, huc illuc diffuſi. *Factum eſt cor meum*. Hæc omnia quoque crucis tempore acciderunt. Cor quidem prę timore *tanquam cera* igni admota, euanuit, lingua quoque immota faucibus hæſit, & diuini Euangeliſtæ nos docent, eum nullum reſponſum interrogantibus dediſſe, licet ſœpius quęſitus. poſt crucem uerò ſepulturæ traditus eſt, id quod mortis puluerem appellat, eo quod, qui humantur puluere obducuntur.

Origenis.

ORIGENIS. *Quoniam tribulatio proxima est*, At fortasse dixit illud: *Quoniam tribulatio proxima est*. Cum in cruce penderet, ea referens ad circunstantes turbas in inferno ab illis quæ ibi erāt potestatibus afflictas. Dicit autem hęc, tanquàm si nullus Angelorum illi præsto fuisset. Quomodo enim ausus fuisset aliquis eorum eò descendere? *Et dispersa sunt omnia ossa mea*. Ossa ipsius sapientiæ dogmata ecclesiæ sancta sunt, quæ in paschate non comminuenda esse lex præcipiebat. Os enim (ait) non comminuetis ex eo. Effluit autem tanquàm aqua sermo ab iis qui non sincerè ipsum emittunt, & ab iis qui non proprio & decenti modo loquuntur. Dispergunt uerò ossa omnia sermonis, ab iis qui eius contextum non seruant, sed eam quæ in scripturis est armoniam dissoluunt, ita ut os eius aliud penes hunc sit, aliud penes illum, & aliud penes alterum. Qui uero in Deo perfectus est os ad os coniungit, & armoniam ad armoniam intendente Israel. Aut iuxta illud: Miserere mei Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, quædam sunt intellectualia animæ ossa.

ATHANASII. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*. Proprium doloris est, quod dictum est: Scriptum enim est, cœpit pauere, & tædere, indoluit Christus propter Iudæorum, & Iudæ proditoris perditionem, cui illi in impietatem in eum traditi sunt.

Mar.14.

NICEPHORI. *Non est, qui adiuuet me*. Nam & ipse discipulorum chorus me reliquit. *Vituli multi*. Vitulos uocat numerosam Iudæorum populi multitudinem, propterea quod nullum ordinem, aut regulam seruat. *Tauri pingues*. Tauros appellat eos, qui præeminebant, & populo præerant: Pingues autem qui multis Dei donis præ cæteris fruebantur. *Aperuerunt in me*, Magna (inquit) audacia clamabant, & execrabantur. & dicebant, Tolle Tolle crucifige eum. *Omnia ossa mea*. Per ossa intelligit sacros discipulos, ut qui contineant reliqua Christi Ecclesię membra, qui eo relicto aufugerunt. & per effusionem, digressum illorum à se, & fugam significat. *Factum est cor meum tanquam cera*. Defecit enim, & debilitatum est in igne tribulationum: Ventrem autem totam corporis concauitatem appellat. *Et lingua mea*. Quando uidelicet falsis testibus eum accusantibus nihil respondit: uel etiam quando in cruce sitiuit.

Matth.28.

Aruit tanquam testa uirtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis. & in puluerem mortis deduxisti me.

Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi uero considerauerunt, & inspexerunt me, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem.

DIDYMI. *Virtus mea*. Verum & fortitudo in uitæ huius fornacem immissa perinde ac testa exaruit. nam ubi quis afflictiones, & tribulationes multas expertus fuerit, tanquam ex fornace uitæ succensus, testacei operis ariditatem suscipiet. nec amplius ab humore, & fluxo uoluptatum cæno humescet. *Lingua mea adhæsit faucibus meis*. Cum auditores dispersi, nec præsentes amplius fuerint, lingua quæ docendi, ac disserendi apud eos munus exequitur, ociosa hæret faucibus, nam quæ uocem emittit, & sermonem profert ab hęsione faucium minimè præpeditur, sed per hæc sitim significat quàm habuit in preciosa cruce, cum, & potum petenti, acetum cum fele attulerunt. *Et in puluerem mortis deduxisti me*. Puluerem mortis fortasse dicere potes, quod à Paulo corpus mortis appellatur, ipsum enim uere ex terra formatum est, puluis autem mortis ideo dictum est, quoniam quicquid oritur, eidem moriendum est, nam si quod nascitur, in corpus quoddam coalescit, necesse est, ut dissolutio, quæ mors est, consequatur. Hoc igitur corpus ex Virgine cum Saluator assumpsisset, dixit, *In puluerem mortis deduxisti me*. Fortasse quoque inferos quos adiuit, & mortalitatem, quam nostri causa suscepit, mortis puluerem appellabis, fuit enim in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Rom.7.

EVSEBII. *Circundederunt me canes multi*. Postquàm de Iudęis mentionem fecit, militum quoque meminit. nam militibus Iudæi IESVM tradidere, unde est, quod animaduertas ipsam prophetiam rerum seriem obseruasse. Cæterum meritò illos quidem tauros, hos uero canes appellauit. Nam Iudęi sub iugo legis erant, licet palam legem transgrederentur, Gentes uero contra legem erant impurissimi. Sic & Chananeam Dominus appellauit dicens, non enim bonum est sumere panem de manu filiorum, & dare canibus. Attamen qui quondam canes fuere, post mortem Christi filiorum hæreditatem per fidem adiere. qui uero olim

Eadē Theodoretus dicit nisi forte mutata sunt nomina.

Marc.7.
Matth.15.

filiorum nomine gloriabantur, & tanquam filii tractabantur canis appellationem sortiti sunt, nam contra Dominum more canum deseuierunt. De his beatus Paulus exclamat, Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. *Phil.3.* Sed propheticus sermo cum milites Pilati canes uocasset, adiunxit, *Concilium malignantium obsedit me.* Deinde quæ ab ipsis audacter patrata sunt, recenset. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et hoc ipsum compertum, & clarum est etiam contentiosis, & contradictionis cupidissimis. nam Dominum ipsum in sacris Euangeliis suis discipulis dicentem audimus. Videte manus meas, & pedes meos, quoniam ego sum. Et Thomæ quoque clauorum signa ostendit, & uulnus lancea illatum. *Ioan.20.* Illud uero, *Dinumerauerunt omnia ossa mea,* Sic intelligitur. Sic me dum traherent, ac cruci affigerent extenderunt, ut facillimum fuisset cuilibet ossa mea numerare, *Ipsi uerò considerauerunt, & inspexerunt me,* conuitiantes scilicet, ac irridentes. *Diuiserunt sibi uestimenta mea.* Hoc quoque sacrorum Euangeliorum historia manifestissimè docet. *Matth.27.*

DIDYMI. *Foderunt manus meas.* Verba hæc mortem per crucem illatam ostendunt, nam illud, *foderunt,* clauorum perforationem ostendit. Ossa uero corporis dinumerari possunt, cum affixis carnibus nudata fuerint. Et corporis Christi ossa Apostoli fuere. Carnes uero sunt, qui simplicius, ac superficie tenus crediderunt. Quando igitur corpus compactum est, ossa quidem fulciunt carnes, carnes uero circa ossa cum sint, ipsa contegunt. Quare cum timor aliquis leuiter credentes fugientes turbauerit, soli qui amant, firmi & constantes relinquuntur, ut ab aliis seiuncti facillime numerari possunt. *Ipsi uero considerauerunt, & inspexerunt.* Palpantes & attrectantes præter honestum uniuersum corpus meum. & unumquodque os meum dimetientes, ut uiderent, & inquirerent ubi clauos figere oporteret. *Diuiserunt sibi uestimenta mea.* Præter historiam uestimenta IESV potes intelligere manifestas scripturarum dictiones. illis enim Deus uerbum spiritales sensus continens circumamicitur. Qui uero de fide non bene sentiunt, impii, & perniciosi spiritus, uestes Saluatoris, hoc est scripturarum dictiones, diuidunt, nam ex illis alius alias admittit, alius non admittit. At tunica IESV est indiuisa, propterea quod inconsutilis est, non enim coactam unitatem, sed conformem, & germanam habet. *Ioan.19.* Est autem desuper contexta per totum, quia supernè tradita, ac diuinitus inspirata. nam scriptura quamlibet potestatem antecellit. Verum Ecclesia nec uestimenta diuidit, nec super his sortem mittit, nam illis omnino induta potitur, & assidens à dextris IESV tanquam Regina uestitu deaurato, circundata uarietate circumamicta est. Huiusmodi uero supergressa uestimenta, ipsum etiam, qui est sapientia, & fortitudo IESVM induit, sapiens ipsa, & potens effecta. *Psal.44.*

NICEPHORI. *Aruit tanquam testa uirtus mea.* Robur meum, & uirtus ut antea non agit miracula, iuxta illud quod alibi dictum est, infirmata est in paupertate uirtus mea. *Psal.30.*

ORIGENIS. *In puluerem mortis.* Non dixit in mortem, sed in puluerem mortis deductus est Christus. Non enim anima eius in inferno derelicta est, & caro eius non sensit corruptionem, *Diuiserunt sibi uestimenta mea.* *Psal.15.* Iudæi sanè dum legem scriptam obseruant, sensibilia sermonis uestimenta diuidunt. Hos autem spiritum uerbi retinentes intellectualia Saluatoris nostri uestimenta in Christum baptizati partimur, & ipsum tanquam sapientiam, ueritatem, & iustitiam induimus.

NICEPHORI. *In puluerem mortis.* Ad sepulchrum (inquit) tu uolens deduxisti me, propter hominum salutem. *Canes multi,* scilicet Romanorum milites, qui canes ideo dicuntur, quia tum immundi erant secundum legem, tum etiam impudentes secundum mores. *Dinumerauerunt,* nudum me crucifigentes, atque in cruce extendentes ita ut ossium meorum compagines à quouis dinumerari possint. *Ipsi uero considerauerunt.* Curiosè de me tunc suspenso disquisiuerunt, mouentes capita, & irridentes.

THEODORETI. Hæc quoque ſacrorum Euangeliorum doctrina manifeſtiſsimè docet.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum a me, ad defenſionem meam conſpice.
Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam.
Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.
Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.
Qui timetis Dominum laudate eum uniuerſum ſemen Iacob glorificate eum.
Timeat eum omne ſemen Iſrael.

DIDYMI. *Tu autem Domine ne elongaueris.* Dum, quæ recenſui, agunt illi, tu Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, nam te ſuffragante, ac ad defenſionem meã proſpiciente, cum tertia die à mortuis reſurrexero, eorum in me conatus, & dolos inanes oſtendam. *Erue à framea animam meam.* Quoniam qui me circundederunt hoſtes, mortem meam appetentes, enſe muniti ſunt, quo animam, non corpus occidant. *Eripe Domine à gladio eorum animam meam*, eamq́ue immunem terroris, & illæſam cuſtodi. licet inſtructa ſit anima mea, Diabolum tamen uidens Dæmonum phalange ſtipatum, & malignorum hominum, qui ab illis excitantur compreſsione, perturbata, (mobilis enim eſt naturę) orat ut adiutorem nanciſcatur, qui ſe ab hoſtium framea liberare poſsit. Diabolus quoque per allegoriam framea dici poteſt, nam cuilibet animæ inſidias ſtruit, ut eam uulneret, itaque orat ſe ab huiuſmodi framea defendi, & liberari. *Et de manu canis unicam meam.* Canis ſingulariter propter genus, dicitur hic, quod paulo ante multitudinis numero expreſsit. Vnicam uero animam ſuam appellauit, propterea quod una ſit, atque eadem à cæteris animabus diuiſa. Illæ quidem omnes nouerunt, hæc uero minimè nouit peccatum, illisq́ue per interualla temporum prudentiam Deus ingerit, hæc uero unita Dei uerbo nullo temporis interſtitio ſeiuncta uſque in finem permanebit. Cum hæc ergo animæ illius inſignia ſint, unica illius eſſe dicitur. Cæterum Eccleſia quoque, quæ illi aſsiſtit, cum non habeat maculam neque rugam (conſtat enim ex uiris innocentia perfectis) fortaſſe unica illius eſt, quibus proficientibus, ac in uarios ordines ſecundum profectum diuiſis ſexaginta ſanè ſunt Re-
Cant. 6. ginę, & octoginta concubinæ, & adoleſcentulæ, quarum non eſt numerus. at hæc una ſuper omnes eſt columba, perfecta, unica exiſtens matri ſuæ, illi ſcilicet, quæ ſurſum eſt Hieruſalem. *Salua me ex ore leonis.* A leone hoc eſt Diabolo liberari ſe petit. & humilitatem ſuam, qua ſe uſque ad mortem dimiſit, obediens Patri ſuo, mortem inquàm crucis, ſeruari petit. cupit quoque ſaluari à cornibus unicornium, quod eſt aliud aduerſantes potentiæ genus, regnũ præ ſe ferentis, cornu enim regni ſymbolum eſt. niſi fortè uelis crucem à figura cornu ſignificari.

THEODORETI. Cum nihil mihi humani auxilii reliquum ſit, supereſt, ut protectione tua munitus liberer & ab iis, & ab eo, qui per eos operatur, qui canis, & leonis more irrumpit. Leonem, & canem, & unicornem Diabolum appellat. qui iuxta uocem Apoſtoli, mortis imperium habet. qui & crucis tempore tanquàm fera illum inuaſit, & mor-
Ioan. 12. tem intulit. Quod & Dominus in ſacris Euangeliis teſtatus eſt dicens. Nunc iudiciũ eſt mũ-
Ioan. 14. di huius nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Et rurſus: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, ueruntamen cum nihil inueniat eorum, quę quærit, (quærit autem peccato addictos,) impudenter, & iniquè illos morti tradit. Iniuſtitiam tulit, ut hac arte mortem deſtrueret.

DIDYMI. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et hæc etiam ex perſona Chri-
Hebr. 2. ſti dicta fuiſſe teſtatur Paulus ſcribens ad Hebræos, cum Patrem alloqueretur. inquit autem. Tuam ò Pater proprietatem, ac cognitionem, & ſcientiam quoque narrabo & manifeſtam reddam iis, qui fratres mei futuri ſunt. Quibus ſpiritum meum immiſi-
Rom. 8. ſti, quibus etiam illud dici poteſt. Quoniam filii eſtis, miſit Deus ſpiritum Filii ſui
Matth. 28. in cordibus ueſtris. Hi uero illi ſunt, qui ſpiritum adoptionis accipientes, filii Dei facti ſunt, & unigeniti fratres, qui cum à mortuis ſurrexiſſet, & mulieribus apparuiſſet. Euntes (inquit) dicite fratribus meis, quod reſurrexerim. *In medio autem Eccleſiæ*, ex his congregatæ patrem laudabit eiq́ue laudes, & ſacros hymnos decantabit.

THEODORETI. Etiam hic loquitur more humano, appellat enim fratres eos,

qui

qui in illum credunt, fratres nimirum tanquàm hominis, nam quatenus Deus Dominus est, quatenus homo frater. Vnigenitus enim est, & primo genitus, atque illud quidem ut Deo ac Domino congruit, hoc uero ut homini. Quatenus enim Deus solus natus est, unigenitus nominatur. quatenus uero homo primogenitus. Cuius quidem rei testis est Apostolus dicens: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Cum hæc Rom. 8. igitur (ait) fratribus meis enarrauero, per ipsos te decantabo illos docens hunc hymnum concinere, mox præstat quod promisit. *Qui timetis Dominum laudate eum.* Nam ubi tàm ex gentibus, quàm ex Iudæis Ecclesia congregata est, tàm hos, quàm illos ad canendos hymnos in Dei laudem inuitat. Iudæos quidem ab eorum maioribus denominat scilicet Iacob, & Israel. gentes uero à uirtute, utpotè quæ nobilitatis loco homines honestare solet. Sic enim eos, qui ad legem accedebant, Iudæi nominare solebant. Quod nos actorum historia docet. nam cum Diuus Apostolus concionem haberet, sic exorsus est, Viri Israelitæ, & qui timetis Act 13. Deum.

DIDYMI. Nomen Iacob, plures habet significationes, nam interdum significat filium eius Isaac. Interdum duodecim tribus ab eo propagatas. Est etiam, cum de decem tribubus tantum dicatur, quæ seiunctæ à domo Dauid, Ieroboam sequutæ sunt. Quin & prò Saluatore ipso aliàs accipitur, iuxta illud. Iacob seruus meus suscipiam eum, Electus Psal. 42. meus Israel, complacuit sibi in illo anima mea. Hæc enim Matthæus de Saluatore dicta scripsit. Patet autem modo de duodecim tribubus illud nomen Iacob non esse dictum, Matth. 12. quoniam infideles multi ex ipso emanarunt. Semen ergò Iacob de uero supplantatore, & de eo, qui mortem contriuit IESV, uerè dici potest. Hic autem est, qui uniuersum semen illius effectum Deum pro doctrina ipsius glorificare poterit. Et cum Israel etiam sit, in quo sibi complacuit anima Dei, cumque semen eius electum sit, quatenus Israel Deum timebit, Atque omnis planè imitator IESV, qui certamen aduersus principes tenebrarum habuerit, Iacob erit, colluctatores supplantans. Eph. 6. Quod si etiam cor purum, & mentis claritatem habeat, Deum uidebit, atque hoc ipso Israel erit. Cuiuslibet ergò semen, qui eiusmodi sit, Deum timebit.

NICEPHORI. *Erue à framea.* Interfectorem diabolum, & sæuos eius ministros insinuat: Vnicam uerò ipsius animam dicit, ut quę sola peccatum non fecit, utque sola Dei uerbum unitum habeat secum in eadem persona. Hæc autem omnia sunt Prophetiæ, quale illud in Euangelio, uenit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. *Narrabo nomen.* Hæc facta fuerunt post resurrectionem, & adhuc fiunt per sanctum Euangelium eius, per fratres uero omnes credentes intelligit.

EVSEBII. Cum Iudæorum gens in tres ordines distributa sit, primus quidem in promiscuam, & communem gentis multitudinem, quæ uocatur Israel: alius est sacer ordo, qui erat Domus Aaron, postremus ad sacerdotum ministerium pertinebat, quæ fuit domus Leui. Cumque hæc tria genera Psalmus alibi recensuisset, aliud quartum genus supradictis adiungit. scilicet timentium Dominum. hoc autem erat ex gentibus ad Deum conuersis. Dixit enim Domus Israel benedicite Domino. Similiter quoque domus Aaron, & domus leui. Psal. 113. Et in fine, qui timetis Dominum. At ibi qui sunt ex Israel iis qui timent Dominum præpositi sunt. hic uero secus actum est, post resurrectionem Saluatoris timentes Dominum Israeli proponuntur. nam cum ipse dixisset, *Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio Ecclesiæ laudabo te.* Oportebat primum Ecclesiæ suæ hymnum impartiri, hi autem fuerunt qui ex gentibus per ipsum salui facti sunt, quos ipse ostendit dicens. *Qui timetis Dominum laudate eum.* Pollicetur quidem se paternum nomen fratribus, ac discipulis tanquàm præstantioribus accuratissimè narraturum. Ecclesiæ uero suæ, ac populorum multitudini, non paternum genus narrat, non enim isti capaces sunt, sed hymnum illos docet. Demùm semini Iacob præcipit, ut ipsum glorificet. Iudaico populo posterius posito, hoc est post eos, qui ex gentibus crediderunt. Quos etiam non Iacob, sed semen Iacob & Israel exquisitè, propter ortum, quem à patriarcha habuerunt, nuncupat, non enim imitatione paterna, neque ex similitudine Patris digni fuerunt, ut nomine Iacob appellarentur. Sed seminis causa hoc modo uocati sunt.

ORIGENIS. *Erue à framea.* Reprehensibilis framea est tentatio illa, quæ ad incre-

per meam resurrectionem nostram salutem operatus est. Post hæc declarat, quàm cum Patre habeat æqualitatem, nam subiunxit. *Apud te laus mea.* Nam quemadmodum apud omnes homines te clarum, & illustrem facio, sic & tu omnes homines eundem mihi honorem exhibere doces, cum modo dicas, hic Filius dilectus in quo bene complacui, ipsum audite. modo uero Et clarificaui te, & iterum clarificabo. Ita eius cognitionem Petro reuelauit, sic Paulo, sic per hos rursus reliquis hominibus. Cæterum, *Ecclesiam magnam*, uocauit eam, quæ ad extremos usque terrarum terminos pertingens doctrinam suscepit. Vota uero non preces hoc loco, nec deprecationes, sed promissiones intelligit. Et hanc quoque differentiam lex ipsa nouit. Si uoueris uotum Domino, idest, si promiseris Deo. Quoniam uero superius pollicitus est, per credentes in ipsum hymnos se cantaturum, apertè hic magis se finem promissis impositurum docet, ut qui diuina oracula contemplantur, ex rerum euentu ueritatem promissorum agnoscant. Cum uero de Ecclesia mentionem fecerit, necessariò de ea uaticinatur, & gentium omnium uocationem prædicit. Quas quidem pauperes appellat, utpote quæ quondam pietatis diuitias non habuerunt, sed ignorantiæ paupertati deseruierunt. Matth. 3. Ioan. 12. Num. 30.

DIDYMI. *Vota mea.* Votum est confessio pro gratiarum actione, eorum qui diuinitus beneficia consequuntur.

EVSEBII. *Edent pauperes.* Modo (inquit) *Edent*, paulo uero post dicet. Comederunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Verum cum comedissent, pingues facti sunt. Priusquàm uero comederent, pauperes appellabantur. quibus pollicetur ut cibo à se exhibendo utantur. nam, *Edent* (inquit) *pauperes.* Isti uero fuerunt, quos in beatitudinibus cæteris anteponit dicens. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. quibus & quæ postea sequuntur, pollicitus est, dicens. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, postquam ergò comederint pauperes, & comedentes impleti, (uel ut ait Symmachus, saturati fuerint) laudabunt Dominum cum quærentes. Sed quis ex comestione fructus? *Viuent corda eorum in seculum seculi*, nam panis uitæ ab illo exhibitus immortalitatem parit, & uitam æternam. Inquit enim. Ego sum panis uitæ, qui de cœlo descendi, & uitam mundo affero. Et rursus. Siquis manducauerit ex pane meo uiuet in æternum, & reliqua. Cernis quomodo hęc Psalmo congruant. *Edent pauperes, & saturabuntur.* Et. *Viuent corda eorum in seculum seculi.* Matth. 5. Ioan. 6.

THEODORETI. *Edent pauperes*, non omnes, nec enim omnes Euangelio paruerunt, sed quicunque diuini amoris ignem susceperint, quos tanquam esurientes, & sitientes explendos pollicetur, & immortali cibo oblectandos. Diuinum autem cibum doctrinam spiritus esse nouimus, & arcanum, atque immortale conuiuium, quod agnoscunt qui sacris initiati sunt. *Viuent corda eorum.* Etenim adhuc corruptibile corpus induti, & mortali sarcina onerati, resurrectionis spe uiuificati, uitam æternam præstolantur.

DIDYMI. Cum duplex in scripturis habeatur diuitiarum genus, quando alii rectè factis omni sermone, & omni cognitione, alii uero prauis opinionibus, & turpibus actionibus diuites sunt. consequens est, ut contraria quoque utrosque sequatur paupertas, & qui diuinis diuitiis potitur contrariis careat, & paupertatem illi oppositum habeat, ut diues, & pauper summa cum laude, ac commendatione esse possit. quemadmodum contrarium fit, qui turpes diuitias habet, uituperabilem quoque, & ueris diuitiis repugnantem habeat paupertatem. Pauperes ergo laudabiles ii sunt, de quibus præsens sermo loquitur. *Edent pauperes, & saturabuntur.* Pauperes quoque iuxta prædictos modos illos dixeris, qui ex gentibus, spem non habent, sed impii in mundo cum sint, ubi ad fidem accesserint, edent, & saturabuntur.

EVSEBII. *Reminiscentur.* Cum lux illis salutaris illuxerit tum reminiscentur Dominum sibi illum extitisse. qui rerum omnium uerè effector est. Qui enim Domini esse sibi uidebantur, cum Domini sui recordationem subierint, ad ipsum confugient. Et qui quondam quibusdam hostilibus insidiis auersabantur, hunc eundem esse Dominum suum agnoscent, & conuertentur ad eum. Sed ne quis suspicaretur de Iudæorum gente ista prædici, sermo accuratè subiunxit. hæc in uniuersis terræ gentibus implenda esse. Verum quid ubi conuersæ fuerint facturæ sunt, sermo deinceps attexit, dicens. *Et adorabunt in conspectu eius omnes familiæ gentium.* Pro quo Aquila

Et Symmachus, omnes cognationes gentium, dixerunt. Et hæc quidem aptissimè. quæ enim gens non cognationes habet ad Deum uniuersorum conuersas? Quæ porrò ciuitas, quæ regio, quę denique domus, non selectos, & segregatos Deos aliquos habet? Quomodo autem gẽtium cognationes sui obliuisci, & Dei uniuersorum reminisci poterunt, & quo pacto uniuersi fines terræ ad eum conuertendi sint, subiungit dicens. *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Nam Dæmones, & Diabolus, qui olim grassabatur, & dominabantur destructi sunt, & solum Dei regnum in omnibus potestatem accepit. Sermo igitur rerum ordinem sequitur, nam primum dixit. *Reminiscentur*, mox. *Conuertentur*, tertiùm. *Adorabunt*. Erunt autem hæc omnia, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

THEODORETI. *Reminiscentur*. Accuratè positum est. quoniam cum id, quod sunt à Deo accepissent, opificis memoriam de mente obliterarunt, cæterum omnes fines terræ, non una gens, nec aliquæ, sed innumeri ex omnibus terrę habitatoribus accurrent, atque diuinæ cogitationis radios propenso animo suscipient. Docens uero proprium Dei imperium esse, & nõ alienum, posuit illud. *Quoniam Domini est regnum*, non enim tantum Iudæorum Deus est Deus, ut illi putant, uerum totius humanæ naturæ creator est. Ita & Apostolus inquit. Nunquid Iudæorum Deus est? num? nonne & gentium? quoniam unus est Deus, qui iustificabit

Rom.3. circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.

DIDYMI. *Fines terræ*. Sunt, qui Dei memoriam subeunt, & conuertuntur. uel gentes aut hi, qui è terra emigrant, ut in cœlo conuersentur. *Et adorabunt in conspectu eius*. Iudæi cum Iudæam colerent, coràm Deo adorare sibi uidebantur, adeuntes Hierosolyma, ac templum quod Solomon extruxerat, inuisentes. huiusmodi figuratum in loci adorationem, gentes quæ in extremis terræ finibus habitabant, persequi non ualebant, cęterum ubilibet essent, Deumque adorando uenerarentur, in spiritu & ueritate modo secundum Deum & legẽ uiuerent, adorare illum didicere. Huic consonat Sophoniæ uaticinium, & adorabit ipsum, quisque de loco suo, omnes insulæ gentium. *Dominabitur gentium*, quæ sunt super terram, nam cum sit omnium Rex pariter & Deus propterea quod eas ab errore Dæmonum in fidem in eum conuertit, illarum dominabitur.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi.

Annunciabitur Domino generatio uentura, & annunciabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quẽ fecit Dominus.

THEODORETI. Nam qui comederunt, & saturati sunt de cibo immortalitatis gratias agentes, eum qui hæc elargitus est, tanquàm Deum adorabunt. cumque superiori uersu, pinguium tantum meminerit, quasi diuino illo cibo nutriti pingues facti sint, merito subiunxit. *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* Nam ubi à mortuis resurrexit alii sponte, alii inuiti, nonnulli amoris ardore, nonnulli metu hoc cultu Deum colunt. Iuxta dictum Apostoli, quod prædicit fore, ut omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferPhil.2. norum, & omnis lingua fateatur, quod Dominus, IESVS Christus est in gloria Dei Patris Amen. Decenter autem dixit, animam suam illi uiuere, non seruituram, natura enim assumpta diuinitati coniuncta est, & gloriæ, atque honoris eius particeps facta est.

EVSEBII. *Manducauerunt, & adorauerunt.* Nunc sanè passim die resurrectionis Saluatoris (qui Dominicus appellatur) cernere licet eos, qui mysticum, & sacrosanctum cibum, corpus scilicet Saluatoris sumunt, postquam comederint, adorare eum, qui uiuifici cibi dator, & largitor est, & effectum admirari, qui nudis & apertis uerbis re ipsa perficitur. *Pingues terræ.* Symmachus, abundantes terræ, interpretatus est. quibus uerbis significantur hi, qui animas cœlesti cibo nutrierunt, & robustiores facti sunt. at isti quidem comederunt, & adorauerunt. Quoniam uerò necesse est, ut omne genu illi flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. meritò addidit. *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.* Prò quo Aquila uertit, Antè faciem eius flectent omnes, qui descendunt in puluerem. Quibus uerbis genu flectentes in Ecclesia Dei designauit, in qua flexis genibus demissa in terram fronte adorare consueuerunt. Mox subiungitur. *Et anima mea illi uiuet.* & semen meum seruiet ipsi, quod magis clare Symmachus inter-

pretatus

pretatus est, connectens, ac dicens. Ante ipsum genua ad terram flectent omnes, qui descendunt in pulverem. cuius anima uixerit, semen seruiet illi nam omnes hi (inquit) genua flectentes adorabunt, quorum spes est animam uicturam esse, & quorum semen seruiet illi. quod si cui magis arriserit, nt ex persona Saluatoris illud accipiatur, *& anima mea illi uiuet*, secundum septuaginta interpretationem, & semen meum seruiet illi, existimandum illi erit, hæc à Saluatore, qui per totum integrum psalmum loquitur, de omni anima illi addicta, & de semine ipsius, edisseri. At semen eius, quodnam aliud dices, quam eos, qui per regenerationem sancti spiritus filii eius facti sunt? qui seruientes patri eius, sempiternæ, ac beatæ uitæ compotes erunt.

D I D Y M I. *Pingues terra*, illos intelligere poteris, qui circa terrena uersantur, atq; spiritu ad pœnitentiam uocati facta corporis mortificant, ut non amplius terrena curent. Qui ex quo concupitum cibum à I E S V manducauerunt, Deum in spiritu, & ueritate adorauerunt. pingues quoque sapientes mundi, & diuites, & principes hos sensibus subiectos intelliges, nam isti cibũ à I E S V traditum manducantes, quo impendentia, & inhærentia mala propulsantur, Deum adorabunt, ipsum super omnem sapientiam, diuitias, & principatum, & cœtera bona quàm habebant eminere inuenientes. Sed descedentes in terram intelliget aliquis Angelos è cœlo descendentes, qui Dominum Saluatorem adorauerũt. iuxta illud. Adorent eum omnes Angeli Dei. Cœterum *Psal. 96.* considera num descendentes in terram sint, qui communem mortem obeunt, qui Dominũ pro ipsis ad inferos descendentem adorabunt. *Manducauerunt*, paternum scilicet cibum, *pingues* autẽ eos uocat propter bonum diuinorum eloquiorum nutrimentum. *Adorauerunt*, hoc dicit. quo- *Credo esse alterius quã Didimi.* niam qui ad fidem accedebant, genua incuruabant, hi enim quondam credentes erant, qui descendebant in terram, hoc est qui cadebant in interitum, & corruptionem, propterea quod eos Dominus non agnoscebat. *Et anima mea illi uiuet*, sancta enim, & immaculata erat uita super terrã quã Christus in carne gessit, ut sacra fuerit Deo & Patri: solus enim ipse peccatum non fecit, quan- *Isa. 53.* uis inter nos uersatus sit, & carnem nostram peccati amatricem cœperit. *Semen eius*. Eos fortè intelligere poteris, qui ab ipso per fidem uocati sunt. *Annunciabitur Domino generatio uentura*. *Eccl. 1.* Gentes quoque hoc loco significat: qui illud, generatio præterit, & generatio aduenit, de duobus populis intelligentes, prætereuntem uocant eos, qui sunt ex circuncisione, propterea quod à Domino recesserint, nam generatio praua, & maligna facti sunt. Aduenientem dicunt esse gen- *Matth. 12. & 16.* tium uocationem, quæ ad ipsum uocantem Saluatorem adductæ sunt. Hæc ergo annuntiabitur Domino ab iis, qui prò ipsa orant, & dicunt. *Ad te gentes uenient à finibus terræ, & omnes gentes, quascunque fecisti uenient, & adorabunt in conspectu tuo.* Hanc enim generationem ad ipsum accedentem, non eiiciet Saluator, qui dicit. Venientem ad me non eiiciam foras. benè autem dixit, ue- *Ioan. 6.* nientem, non eum, qui uenit, nam qui continenter uenire ad ipsum uirtutibus insistendo satagit, hunc minimè foras expellit. Generatio igitur, de qua sermo est, nondum uenit, sed ad ipsum per opera fidei accedit, isti ergo uenturam generationem Domino annuntiant, tristitiam quoq; Dei quę per fidem I E S V in omnes credentes operatur, annuntiabunt populo, qui diuino ac spiritali partu ędendus est. quem proprio sanguine Dominus generauit. cum eum qui non erat populus, populum suum uocasset. *Osee 12.*

E V S E B I I. Cum Saluator de semine suo ibi mentionem fecisset ubi dixit, *& semen meum seruiet ipsi*, quodnam esset semen hoc, declarat, cum generationem uenturam, & populum nasciturum nominasset. nam quemadmodum quæ nascuntur, substantiæ suæ principium à seminibus capiunt, sic populum nasciturum, & generationem uenturam, quæ iuuenis, ac recens sit, non aliũde principium accepturam ostendit, quam ex seminibus ipsius ratione præditis, quæ cũ in terris uersaretur spiritus adoptionis per Apostolos suos seminauit. Symmachus hoc ita uertit. in libro scribetur Domino admirabiliter, quomodo enim scienti Domino annuntiabitur generatio uentura? Sed liber, qui uenturæ generationis, ac populi nascituri prophetiam continet, Domino committitur.

T H E O D O R E T I. Non de hoc (inquit) seculo intelligo hæc, in quo ego hæc prænuntio, sed de futuro. atque de eo, quod oriturum est, quod ipse uniuersorum Dominus formauit, hic ergo omnia hæc prædixit, ualdè non satis mirari possum Iudæorum stupiditatem, qui in diuinis oraculis semper uersantes, ueritatem in his emicantem, minimè cernant, sed ad ipsum Dauid dictatum hunc psalmum esse prædicant audientes Dauid exclamãtem, Annuntiabitur Domino generatio uentura, & reliqua. Nam nihil horum ipsi Dauid euenisse uidemus, nec ulli ex iis, qui ab ab eo profecti sunt. salus autem Dominus Christus, ex Dauid secundum carnem, cum Deus uerbum factus homo esset, & ex Dauid formam serui accepisset, omnem terram, atque mare diuina cognitione repleuit, & illis, qui olim in errore, ac impio Idolorum cultu uersabantur, pro il-

lis

lis,qui non sunt, Deum,qui est,adorare persuasit.Sed his,atque Iudæis pariter relictis ad reliquorum psalmorum interpretationem transeamus.

Nicephori. *In conspectu eius*,sed & mortales omnes aduenienti illi ad iudicium genua flectent,alii quidem sponte sua ac libenti animo,alii uero inuiti & cum timore. *Et anima mea illi uiuet*,ipse enim est,qui eam uiuificat,quique a peccato eam occidi non sinit.*& semen eius*,semē eius,qui per euangelium illi generati sunt.*Annunciabitur Domino*,Dauid inquit,non hæc de præsenti, sed de uentura generatione dico,& de populo, qui illi generabitur, quem sibi ipsi Christus constituit. illud uero ante annunciabitur, pro cognoscetur à Deo generatio fidelium ex gentibus,iustitiam uero Domini appellat tiranni interitum,inquit, quod generatio quæ in personam à Christo cognoscetur,uel homines istius generationis notum facient posteris iustitiam Domini.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XXII.

Dominus regit me , & nihil mihi deerit,in loco pascuæ ibi me collocauit.
Super aquam refectionis educauit me,animam meam conuertit.
Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.



Thanasii. Canitur præsens psalmus ex persona gentium,exultantium,propterea quod eas Dominus ad pascua deducat. sed & Mysticum , & sacrosanctum conuiuium, quod pastor ipsis apposuit,no nulli interpretantur.

Hesychii. Iam constat Dauid pastorem ouium fuisse.Psalmus igitur pastori bono,Filio scilicet Dei dicatur, ad quem omnia quæ in psalmo dicta sunt,referuntur.

Athanasii. Psalmus est redeuntium à Babylonia seruitute, quoniam postquam Cyrus rex eos dimisit,cum magna lætitia,& copia rerum ad sua reuersi sunt , sed & hoc beatus Dauid antedicit, ex persona igitur ipsorum in patriam reuertentium ait.

Origenis. *Dominus regit me*,Quemadmodum oues herba & aqua nutriuntur,sic & homo actione,& cognitione alitur.

Maximi. Locus pascuę actrix est uirtus, aqua uero refectionis cognitio rerum.

Evsebii. Medius est ouium status inter eos, qui uirtutis progressu perfecti sunt,& eos, qui deterrimè in imo malitiæ uersantur,qui propterea serpentibus,ac feris agrestibus comparantur.perfectus enim est,qui secundum imaginem,ac similitudinem Dei, animam uirtutis notis,& moribus insignitam habet,quique Domiuum Regis non pastoris titulo honestat. Qui uero ingenii prauitatem ex proposito à uirtute lapsus in ferinum habitum prorumpit,equus uenere furens,& lupus rapax meritò dici potest.quin hos præterea non homines, sed serpentes,& uiperarum progenies,porcos item,& canes,& uulpes Diuina scriptura uocare solet. At qui ab eorum moribus ad meliorem cultum progrediuntur tanquam in præludiis ac manuductione diuinæ cognitionis constituti,oues Dei meritò nuncupantur,qui ubi ad perfectionem statum peruenerint,non amplius oues,sed homines nominantur.Verum quandiu sanè hi oues sunt, & sub pastore Dauid proficiunt,à Dauid nempe,ab Ezechiele descripto scilicet Christo Saluatore, qui ex
Ezech.37. semine Dauid secundum carnem ortum habuit,acti,docetur dicere,*Dominus regit me, & nihil mihi deerit*.iidemque intellectuale pabulum ac herbam nimirum euangelicam doctrinam sumentes dicent.*in loco pascuæ ibi me collocauit*,Ceterum qui ad Christum quasi manu ducitur,cum adhuc ouis existat,uini uerę uitis particeps esse nondum potest.quare interim aquam bibit,aquam sanè salutarem,de qua Saluator clamabat,dicens,si quis sitit ueniat ad me,& bibat,& rursus, qui bi-
Ioan.7. berit ex aqua,quam ego dabo illi,flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.& iterum,qui biberit
Ioan.4. ex aqua,quam ego dabo illi non sitiet in æternum , is ergo dicere poterit,*super aquam refectionis educauit me*.Veruntamē etiam quisquis ueterum peccatorum sarcina per lauacrum regenerationis

tionis, ac renouationis spiritus sancti, leuatus est, dicere potest, *super aquam refectionis educauit me.* nam uerè refectionis aqua illa est, qua quiuis graui, & ærumnoso peccatorum onere, quod animam deprimit, deposito, ac sordibus cunctis, notis, & maculis purgatus, uinculis quoque multiplicibus absolutus, lætus propter hæc, dicet. *super aquam refectionis educauit me.* Deinde, ut qui dudum animo defecerat, mox pabulo, & aqua salutari sibi exhibitis, se ipsum reficiens, & quasi à morte in uitam reuocatus ait *Animam meam conuertit.* Hæc omnia illi aderunt, qui sub Domino [Ezech. 37.] per Dauid ab Ezechiele descripto, pascetur.

DIDYMI. Qui mitis, & placabilis per Christum redditur, ab eo regi dicitur, & is de optimo [Ioan. 6.] pastore suo dicit. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* me enim ad salubres escas, ubi herbæ diuinæ sunt, deducit, & de eo dictum est illud, ingredientur, & egredientur, & pascua inuenient, [Ioan. 10.] Forte uero diuina doctrina locus pascuus dici potest, ubi herba spiritalis, qua mores componuntur, inuenitur, in hoc ergo loco collocauit me, non dixit autem habitare me fecit, nam quamdiu homo proficit, cum pabulo illo uti uult, quoniam ubi ex oue homo factus erit, non pastore, sed doctore, & præceptore illi opus est. *super aquam refectionis educauit me,* Morum disciplina, & institutio uitæ non animi solum est medicina, sed curationem quoque à peccatis præstat. *Animam meam conuertit,* quoniam non eram ouis, cum longè à pascuis errarem, pastor ipse fuit, qui errabundam ouem conuertit. Animaduertendum autem nullum suaptè natura malum esse, quoniam quilibet eò conuerti potest, ubi à principio erat, nam Deum auersantibus adiectitium quoddam, & aduentiens peccatum est, ideoque auferri potest.

THEODORETI. Hæc quoque eodem sensu, quo superiora dicuntur, nam ubi superiori [Psal. 21.] proximo psalmo dixisset. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, & rursus, Manducauerunt, & adorauerunt omnes pinguea terræ, latenter hoc loco innuit huius cibi largitorem, & pastorem educatorem uocat. Sic enim Christus se ipsum nominauit. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt meæ me. eodem nomine [Ioan. 10.] per Ezechielem prophetam se ipsum appellauit. Et hoc quoque loco, quotquot salutari cibo re- [Ezech. 34.] fecti sunt, exclamant. *Dominus regit me,* nam pastor hic omnis generis bonorum fructum elargitur iis, qui eo pascuntur. *In loco pascuæ,* cum pastorem bonorum datorem appellauerit, meritò quoque de ouium pabulo mentionem facit, pulchra sanè translatione, pabulum hoc loco sacram uocat diuinorum eloquiorum doctrinam, primum enim nos sanctis alit eloquiis, mox secretiorem, & Mysticum magis cibum subministrat. *Super aquam refectionis,* Regenerationis aquam intelligit, in qua, dum qui abluitur, gratiam capit, uetera peccati spolia demittit, & iuuenis pro sene efficitur. *Animam meam conuertit.* Horum me inquit participem fecit, cum primum me ab errore in uiam rectam reuocasset. *propter nomen suum,* nam hæc omnia magnificentiæ suæ dona sunt, non enim uirtute nostra, sed nominis ac bonitatis suæ causa illa percipimus.

DIDYMI. *Deduxit me super semitas iustitiæ,* De pastore illud dixit. *Deduxit me,* præeunte, & uiam præmonstrante, ut eius uestigia sectantes ad eas semitas, quas ipse strauit, ascendamus. cum enim proprias oues è caulis eduxerit, ante illas uadit, & propriæ oues illum sequuntur. Iusti- [Ioan. 18.] tiam uero habitum appellat, quo rebus iustis detinemur. semitas eius, eas dixit, quæ ad illius præscriptum & normam fiunt. Vel iustitia est uniuersalis, ac generalis uirtus, semitæ uero eius, singulæ uirtutes sunt. quoniam igitur nomen illud inuocaui super me. super antedictas iustitiæ semitas me deduxit.

EVSEBII. Hæc ipsum agere dicit, ne pereuntibus, uel malè tractatis ouibus nomen eius blasphemetur.

CHRYSOSTOMI. Videte quomodo se commendat ecclesia ore filiorum suorum, quia uerè, quem Deus regit, nec cadere potest, nec errare, iste Rex noster, qui regit quotidie corda, & [Bene intelligito.] corpora nostra, interiores, & exteriores sensus conseruat, & nihil deficit. *nihil deerit,* Magnum est, cum Deo non peccatur, donat sapientiã, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam. Cum ista non defecerint, quid quærit auarus? in istis uirtutibus se totum Deus refundit, & in quo totus est Deus, nunquam erit reus. *in loco pascuæ.* Amplus est locus pascui huius. Epulæ istæ & semper satiant, & nunquam deficiunt. Nam uultis nosse, quomodo pascit Deus eos, qui illum expectant, hoc est sustinent, Dixit Propheta, in illis diebus mittam in eis non dicam famem [Amos. 7.] panis, aut sitim aquæ sed audiendi uerbum Dei. *super aquam refectionis,* Eximia est aqua ista, nã est alia aqua, quæ non refectionis, sed consumptionis est, de qua Propheta. Foderunt sibi lacus de- [Ier. 2.] tritos, aquam mendacem, aqua quæ non habet fidem. Est et catholica. aqua, in qua ostenditur fons æternus, qui reficit, hoc est iterum facit, eo modo, quo generatio, & regeneratio reficit animas, quia innouat in fide, abluit sordes, detergit maculas, rudem facit aptum, expoliat ueterem

rem

rem hominem cũ actibus suis, induens nouũ eum, qui secundũ Deũ creatus est. Hæc aqua primatum tenet in elementis sed cũ elemẽtũ istud acceperit spiritum sanctũ, fit sacramentũ, & iam nõ Eph.4. erit aqua potationis, sed sanctificationis, non erit aqua communis, sed refectionis. *Animam meã conuertit*, quid est conuertere? ex aliquo aliquorsum ducere. ex peccato ad iustitiam, ex mendacio ad ueritatem, ex miseria ad misericordiam, ex carnali opere ad sensum spiritalem, sic conuertit Deus animam. *Deduxit me super semitas iustitiæ*, istæ semitæ agnoscuntur diuersæ uiæ generis humani, licet uniuersas semitas Domini agnoscamus, misericordiam, & ueritatem, tamen semita una agnoscitur, quæ est prima in semitis, idest uirginitas. secunda continentia, quæ est uidualis, tertia coniugalis, sunt aliæ semitæ, quæ ad patriam conducunt. nam semitæ ideo dicuntur, quasi semiuiæ idest angustæ, & quod planæ & amplæ non sunt. Audite, quę sint istæ semitæ angustæ. pro inimicis orare, nulli malum pro malo reddere, inimicum cibare, potare, uestire, iniuriam pati, & non facere, & ut concludamus semitas iustitiæ. quod tibi fieri non uis alii ne feceris, semitæ sunt iustitiæ, & hoc facit, non pro merito nostro, sed propter nomen suum.

N I C E P H O R I. *Nihil deerit*, ex necessariis, & opportunis, *in loco pascuæ*, per herbas, & aquas diuinam doctrinam intelligit, *animam meam conuertit*, ab Idolorum errore ad Dei cognitionem. *super semitas iustitiæ*, semitas intelligit particulares uirtutes, & mandata quæ ad uniuersalem illam, quæ uirtutes omnes complectitur, tendunt: hanc enim iustitiam appellauit. *propter nomen suum*, propter hoc, quod christianus uocor, uel ne nomen suum propter nostra mala opera ab infidelibus blasphemetur.

Nam si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.
Virga tua, & baculus tuus ipsa me deduxerunt
Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me,
Impinguasti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians me quam præclarus est.

T H E O D O R E T I. Huiusmodi adiutorem, ac propugnatorem habens ne ipsas quidem mortis portas timebo, sed potius mortem prorsus contemnam. *Virga tua, & baculus tuus*, Ad hæc alia quoque apponit. Baculus enim meam imbecillitatem fulcit, uirga me in uiam rectam deducit. Cœterum non errabit, qui his nominibus salutarem crucem nominauerit. nam illius signo, & memoria tum ab hostibus, & Dęmonibus liberamur, tum in uiam rectam deducimur. *parasti in conspectu meo mensam*, comperta sunt hæc sacrorum ministris, nec ulla indigent explanatione. Nouerunt enim oleum spiritus, cum eorum capita oleo inungantur. nouerunt, & efficacem ebrietatem, sed non dissolutam, & mysticum cibum, quem nobis proponit is, qui præter pastoris munus sponsus quoquę factus est nobis. His ergo bonis (inquit) me ad conuiuium inuitasti, merentibus interim, & se excruciantibus inimicis, proptereaquod, qui quõdam illis addicti erant adeo nunc immutati sunt.

O R I G E N I S. Hinc non De Deo, est sed ad Deũ conuertitur sermo. sedere autem in umbra mortis, & ambulare in medio umbræ mortis, non idem est, nam qui sedet in umbra mortis, in ipsa manet, & firmus in malo persistit, & obduratus in peccato perseuerat, icciroo in tenebris est, & misericordia indiget, quæ tanquam lux ei oriatur. qui uero non sedet, sed transit, ac per mediũ umbræ mortis ambulat, non stans, sed per eandem prætercurrens, is non ambulat solus, quia Dominus cum eo pergit. Cœterũ de sessione umbræ mortis alibi scriptum est. sedẽtibus in regione Isa.9. & Matth.4. & umbra mortis, lux orta est eis.

D I D Y M I. Cum Deus nobiscum fuerit, nulla noxa lædere nos potest. iuxta Prophetę dictum. Ecce Dominus auxiliabitur mihi, quid mihi oberit? Isa.50. liberat uero à tribulationibus, quas hoc loco umbram mortis appellauit. Cœterum mala hic uocat molestias, egestatem, morbos, & reliqua huius notę, de quibus Iob inquit. Iob.2. Mala non perferemus? nam ubi quæ opposita bonis mala adsunt, præsens Deus non est, peccatum enim procul ab eo abest, qui cum Deo uersatur.

E V S E B I I. Vmbram mortis appellare quoque poteris communem, & natura omnibus debitam mortem, & animæ à corpore separationem, ad discrimen mortis animæ, iuxta quod dictũ Ezech.18. est, anima, quæ peccauerit, ipsa morietur &, est peccatum ad mortem, 1.Ioan.5. Nam interitus animæ non umbra mortis, sed uera est mors. quoniam ergo didicerunt eum, qui credit in Filium Dei non moriturum in æternum, sed à morte ad uitam trãsmigraturum, aptissimè non mortem, sed mortis umbram impendere illis dicunt, qua pericula, hominibus imminentia, & communem mortem, quæ separatio est animæ à corpore, significarunt. *Virga tua, & baculus tuus.*

E V S E B I I. & T H E O D O R E T I. A transuersariis enim duabus uirgis crux efficitur recto quidem baculo, nos credentes in eum confirmat, transuerso uero ueluti uirga contra Dæmones utitur, per uirgam quoque Christum intelligere poteris iuxta illud. Psa.44. uirgam uirtutis emittet

tet

& dominus de Sion, & uirga gloriosa,& uirga magnitudinis.

ORIGENIS. Tàm uirga,quàm baculus ad flagella,& supplicia referuntur,iuxta illud, si dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint,si iustitias meas pro phanauerint, & mandata mea non custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum,& in uerberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis: Non enim dispergitur misericordia Dei ab eo, qui propter peccatum flagellatur,nam quem Deus peccantem non flagellat,eundem nec suscipit,quippe cum filium,quem suscipit castigat.nam de peccatoribus,quos non castigat dicitur. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum: in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua. *Virga tua, & baculus tuus,* Virga satis est, quid opus est baculo? si fueris ouis errans, uirga uapulabis. si homo peccator fueris, baculo uerberaberis. ideo in his non uirga, sed baculus in prouerbiis à Solomone appellatur.qui parcit baculo,odit filium suum.his hortatur eum,qui uapulat,sibi persuasum habere,Deum omnem filium,quem amat,castigare. Psal.88. Heb.12. Apo.3. Psal.72. Prou.13.

DIDYMI. Aut uirgam increpationem,aut eruditionem dicunt,ut illud,quid uultis in uirga uenio ad uos:baculum uero consilium, & adhortationem, ac consolationem, quæ omnia animum confirmant. 1.Cor.4.

ORIGENIS. *Aduersus eos,qui tribulant me.*uel è regione tribulantium me,latens hoc habet mysterium, ut quemlibet orare oporteat, ut tribulationes patiatur, nam nulla ab aduersariis potestatibus tribulatio infligitur, cui mensa quædam spiritalis non instruatur. quemadmodum in magnis certaminibus,ad singula præmia, ita secundum quamlibet tribulationem proposita sunt dona quædam,ita ut tribulationes ab iis facilè perferantur, qui spiritalem, & intellectualem mensam sibi paratam putant. Tantum oculos tuos in diuinas mensas coniicito, ut gratias agens cum Apostolo dicas, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.

DIDYMI, & ORIGENIS. Diximus dudum eum, qui adhuc proficit, tanquàm ouem in pascuo loco manere,postquàm uero profecerit,& ad finẽ usque percurrerit,cum non amplius ouem,& pascuis indigentem,sed rationalem hominem declaratum, mensam rationalibus cibis à Domino instructam habere.Nam Domino quoque sapientia dixit. Parauit mensam suam,uictimas suas proposuit,Hic gratias agens ait.*parasti in conspectu meo mensam,*non morum institutionem ut prius,aut quę rudimenta uiuendi traderet,sed mysticam ueritatis doctrinam, sed considera num quandiu aliquis in hac uita moratur,dum per speculum & ęnigma ueritatem uidens ouis sit quę sub pastore regatur.cum uero ad futurum seculum transierit,facie ad faciem ueritati admouens,ad spiritalem mensam accedat.iuxta illud:& ego disponam uobis testamentum,ut edatis,& bibatis super mensam patris in ueritate. unde & *parasti*,dictum est,Hinc enim præparauit Deus,quæ oculus non uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus eum.illud uero *in conspectu meo.* significat apertam mihi esse mensam è regione tribulantium me. cum plerique in me inimicitias exerceant, & propterea mihi negotium facescant,& tribulent me,& Dominus uelit me contra illos fortem esse,*parauit in conspectu meo mensam,*in qua solidus expositus cibus est, ut eo refectus & satur, aduersus eos qui me affligunt,fortiter subsistam,cum enim perfectorum bonorum compotes efficimur. tum robustiores,& plures aduersarios habemus.sic Apostolus inquit.Ostium mihi apertum est magnum, & aduersarii multi. 2.Cor.12. Prouer. 9. Luc.22. 1.Cor.2. 1.Cor.16.

DIDYMI. *Impinguasti in oleo caput meum*, hoc est mentem largè perfudisti. Vnctio hæc sacratũ unguentum significat cuius Aaron figura fuit.nanq; ait,sicut unguentum in capite quod descendit in barbam,barbam autẽ Aaron. *Et calix tuus inebrians me.* Quoniam sapientia non solum mensam instruxit,uerum etiam in cratere miscuit uinum suum ex ipsa uera uite expressum, hoc uero uinum miscuit,cum humanis uocibus diuinas speculationes admiscuit,ex hoc cratere distribuens singulis calicem exhibet. qui calix cum præclarus, hoc est preciosus sit, & electus, dicitur accipientis esse.quemadmodum spiritus sanctus appellatur ab eo,qui spiritum sanctum accipit.ideo,& calix meus inquit,quod si etiam calix tuus legatur,eandem habet sententiam.tui nempe Domini calix est,quem ut bibam,mihi propinasti,siquidem non humana est prędicta illa sapientiæ uini permixtio. Psal.132. Prouer. 9.

CHRYSOSTOMI. *Nam si ambulauero in medio umbræ mortis,* Medium umbræ mortis tentationum uitam intelligimus. Nam ille in medio umbræ mortis ambulabat,qui dicebat, in ha- Psal. 119.

inhabitaui in tabernaculis cedar. idest cum filiis tenebrarum,cum his,qui oderunt pacem eram
pacificus:dum loquebar illis, impugnabant me gratis.in medio umbræ mortis ambulabat,qui
huiusmodi molestias tollerabat,Nam & Apostolus quando inter fallos fratres ambulabat,in me
1.Cor.4. dio umbræ mortis incedebat.sed non timemus,quia Dominus pro nobis est, & fortior nobiscū
Act.9. magis quàm cum illis.& potior est ille ad protegendum, quam illi ad expugnandum. *Virga tua, & baculus tuus.* Duo hæc sacramentis referta sunt, uirga, & baculus: in uirga dualitas intelli-
1.Cor.4. gitur,uigor legis, & uirgo Maria, namque ait Apostolus. quid uultis in uirga ueniam ad uos,
Psal.2. an in sermone spiritus mansuetudinis?& alibi dictum est.Reges eos in uirga ferrea,& tanquam
Isa.11. uas figuli confringes eos.& uirgo Maria intelligitur,ut dicit Propheta.egredietur uirga de radi-
ce Iesse,& flos de radice eius ascendet:quid est florebit uirga de radice Iesse,nisi de tribu Iesse sur
get flos? partus eius edidit nobis istum florem in odorem suauitatis. Baculus intelligitur lex,
quæ ostendere,non auferre,ut gratia,peccata nouit, Nam peccatorum agnitionem,ubi ostensa
fuerit correctio subsequetur. Baculus est senii fulcimentum,& quia populus,qui legem accepe-
rat secundum literā intelligebat,& tremula membra ipsi baculo nitebantur,quia litera occidit,spi
2.Cor.3. ritus uitam dat.in senectute mundi uenit ueritas,ut ablata figura legem adimpleret,& non solue
ret.ergo in uirga uigor legis, in baculo ostensio peccatorum. *ipsa me consolata sunt.* quomodo
consolata sunt?quoniam Propheta in spiritu uidebat,de quo Dominus dixit Multi prophetę cu-
Matth.13. pierunt uidere,quæ uidetis, & non uiderunt. Nam meum uiderunt ita quod diceret: Abra-
Luc.8. ham uidit diem meum,& gauisus est.*parasti in conspectu meo mensam,*ista mensa agnoscitur alta-
ris Domini consecratio,de qua sapientia dicit.parauit mensam,miscuit uinum.*Aduersus eos qui*
Prouer.9. *tribulant me.*qui sunt isti,qui nos tribulant: suggestiones aduersarii, perturbationes,cupiditates,
libidines,honores seculi,hæc tribulant,quoniam qui sic uiuunt,tribulationem carnis habent. *in-
pinguasti in oleo caput meum,*Gratias tibi Domine I E S V,qui istud oleum nobis ostendisti, non
Eccl.10. illud oleum,quod habent heretici,de quo dictum est. Muscæ morientes perdunt suauitatem un
Psal.140. guenti,nec illud,de quo dictum est, oleum peccatoris non impinguet caput meum,sed oleum
Isa.61. illud,quod significat Isaias dicens.spiritus Domini super me,propter quod unxit me euangeliza
re pauperibus misit me,prædicare annum acceptabilē remissionis.dimittere captiuis remissionē,
& cœcis lumen reddere,istud oleum agnoscimus oleum chrismatis. Christus enim dicitur un-
ctus.christiani ab unctione,impinguat caput nostrum,idest Christum Dominum,caput enim ui
1.Cor.11. ri Christus,in isto oleo facies cordis exhilaratur,de quo dicit propheta. Exhilaretur facies in oleo,
Psal.103. quæ est ista facies,quæ exhilaratur in oleo,nisi imago & similitudo Dei? *calix tuus inebriās,* istē
Matth.26. calix est de quo in cruce clamauit. Pater si fieri potest transeat a me calix istē, & quia obedien-
tiæ nobis formam dedit.sequendo subiunxit. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. De
isto calice bibit Ecclesia,inebriauit Martyres ut ne coniunctos suos agnoscerent,præ nimio Chri-
sti amore.neque parentes filios,neque filii parentes.inebriauit autem uino sanctitatis non uino
erroris.sed quam præclarus est istē calix.uidete quanta sit in orbe claritas, ex tormentis Aposto-
lorum, & martyrum.ubique spiritus impuri clamant,se incendio affligi,orationibus, & meritis
eorum. uirtutes, quas Deus facit, considerate. cœci uident, mortui suscitantur, & cuncta,
quæ sancti fecerunt, illustria, & clara per uniuersum orbē facta sunt. *Vmbra mortis,* homi-
num uita,siquis igitur cum Deo est,& Deus cum eo, & hic confidenter dicere potest. Nam
& si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala quoniam tu mecum es. per uir-
gam uero Dei iudicium intelligit: per baculum, prouidentiam, eius autem qui horum
cognitionis particeps est,proprium est dicere.*Virga tua & baculus tuus,*ipsa me consolata sunt,
parasti in conspectu meo mensam. idest actricem uirtutem, ipsa enim aduersus eos, qui nós af-
fligunt,à Christo parata est. Oleum uero mentem impinguās cognitio rerum factarum est,ca-
lix uero Dei,cognitio Dei, misericordia eius,uerbum & Deus,is enim per eius carnis assumptio-
nem omnes dies persequitur,donec omnes saluandos capiat, quemadmodum Paulum cœpit
Domus autem regis est in qua omnes sancti habitant,& demum dierum longitudo est uita
æterna.

N I C E P H O R I. *Vmbra mortis,*est labor ille,qui in quocunque reperitur periculo:mala ue-
rò tentationes sunt, & calamitates. *Virga tua,* & peccantem correxit,& labantem stabiliuit,
uirga enim & baculus admonuerunt me,*parasti in conspectu meo,*spiritalia oblectamenta:donasti
contra id,quod cupiunt, qui tribulant me. *impinguasti in oleo,* spiritali gratia mentem meam
hilarem reddidisti, *Et calix tuus,* poculum inquam diuinæ cognitionis potens aduersus inimi-
cos.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus uitæ meæ.

Et

Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

THEODORETI. Namque horum bonorum omnium tua inexplicabilis benignitas est conciliatrix, quæ nec preces nostras expectat, sed nos etiam fugientes & auersantes insequens præuenit, salutem impertit, & nos in diuinas collocat mansiones, iuuatque nos, tum in præsenti, tum in futura uita.

DIDYMI. *Et misericordia tua subsequetur.* Non ex operibus tantum consequi salutem, quantum ex gratia miserentis Dei solemus. Nam Deus, qui diues est in misericordia, ob multam charitatem, qua homines diligit, mortuos delictis & peccatis, conuiuificauit Christo, unde, *Eph. 2.* & sanctus ait. *Et misericordia tua subsequetur me.* mihique superueniat, & infundatur, nec id semel, sed omnibus diebus uitæ meę subsequatur me. omnes uero dies uitæ, uel præstantes ueritatis illuminationes sunt, quibus uiuificamur, uel Christus, qui per uitam præsens nobis adest. *Et ut inhabitem in domo Domini,* Moratur quidem in loco pascuo, habitat uero in domo Domini, nec id ad tempus, sed omnibus diebus uitę immortalis, continuò, ac sine intercapedine illuminatus.

EVSEBII. Misericordia, & gratia tua fretus, noui me nunquàm ab ea, quam in te habeo, spe casurum. quoniam cunctis diebus uitæ meę misericordia tua regit me, hæc ergo misericordia, hæc gratia tua, nec domum, & Ecclesiam tuam domicilium habere dignata est. ubi uersans tanquàm in sacra Dei Domo, & templo sancto, dierum, ac perennis uitæ longitudinem consequar, illa uerò, *ut inhabitem in domo tua,* ut nunquam ab ipsa recedam, aut declinem, sed usque inter sacrosancta claustra moram faciam, illa inquam, perpetuam in domo tua mihi mansionem conciliant, hæc mihi causam forè credo longitudinis dierum, qui in lumine subsident tuo. Symmachus dixit in longum tempus, pro eo. in longitudinem dierum. infinitatem, ac immortalitatem diuinæ uitæ insinuans,

ORIGENIS. Quæ sit misericordia, quæ subsequitur ab Apostolo didici. Nimirum Christum esse Dei potentiam, & Dei sapientiam, siquidem factus etiam est à Deo nobis iustitia; & sanctificatio, & redemptio. ipse ait ego sum uia, ego uita, ego ueritas. pax uestra. discite eun- *Rom. 1.* dem quoque esse misericordiam, quæ persequitur, animata te misericordia persequitur. Alios *1 an 6* quidem capit, alios non capit nimis fugientes, non apprehendit parcè fugientes capit, & eos ad Ecclesiam adducit. ut misereatur, & habitent in domo Domini in longitudinem dierum, & in sancta cœlesti Ecclesia longęui fiant.

CHRYSOSTOMI. *Misericordia tua subsequetur me.* Quoniam uerè quotidie misericordia fit in populo Dei, ut pagani ad Ecclesiam reducantur, Iudęi conuertantur, hærotici corrigantur, peccatores indulgentia munerentur, usque in finem seculi hæc misericordia subsequetur Ecclesiam omnibus diebus uitę eius, quandiu est mundus. sequitur. *Et ut inhabitem in domo Domini.*

Hęc domus Domini illa significata est, de qua Propheta cecinit. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Psal. 83.* AEque domum Domini agnoscimus cor humanum, de quo dicebat Apostolus. *Hebr. 3.* quæ domus sumus nos, in ipsa domo cordis habitat Dominus, in corde nostro Dominus manet, & nos cum Domino manemus. Nam cum ei locum habitationis in corde facimus, in domo Domini habitamus, & eò peruenimus in longitudine dierum, sed cur non dixit, in longitudine noctium? quia ille dies non habet noctem. ista longitudo dierum æternam uitam ostendit.

NICEPHORI. *Et ut inhabitem*, persequetur me, donec habitem omnino in gloria tua.

T IN FI-

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PRIMA SABBATI.

PSALMVS. XXIII.

Domini est terra & plenitudo eius orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in ea.



ICEPHORI. De una sabbato psalmus est, seu quo die Dominus resurrexit, *In finem*, uerò pro Dominica assumptione dictum est.

THEODORETI. In nonnullis exemplaribus scriptum reperi, *super una sabbatorum*, Cœterum in sacra editione, (quæ ἑξαπλᾶ dicitur) hoc minimè appositum est. Verum ne & hoc absque interpretatione dimittamus, Dominicam resurrectionem prænunciat, postquam terra omnis, ac pelagus radios diuinæ cognitionis accepit, atq; hoc est, quod hic psalmus uaticinatur, & præterea Domini ad cœlos reditum prædicit.

ATHANASII. Ascensum Domini præsens psalmus nobis prænunciat, necnon gentium doctrinam, & quemadmodum cœlesti domicilio dignatæ sunt, psalmus autem hic consequutione quadam uigesimo secundo preponi debebat, est enim ad eorum consolationem factus, qui in seruitutem Babyloniam abducebantur, ille autem ad eos dictus est, qui ab ea reducebantur. Verum, (quemadmodum initio diximus) non ordinatim positi psalmi sunt, sed ut inuenti sunt: cum uideret ergò beatus Dauid grauiter afflictos eos, qui captiui ducebantur propterea quòd patrium solum, & proprium templum relinquebant, longius repetens ipsos consolatur, dicens: ne ægrè feratis Babylona, nam si honestè, ac cum uirtute uixeritis, & studiosè bonos mores uitæ quæsiueritis, ibi etiam Deum inuenietis. quandoquidem omnia sua sunt, & in manu eius sunt omnes fines terræ.

ORIGENIS. *Et uniuersi qui habitant in ea.* Considera & sic, nisi absolutè intelligendum sit, quod omnes homines pars Domini sunt, quomodo omnes habitantes terræ Domini sint, nisi propter uocationem, quæ ex omnibus gentibus facta est, hoc uaticinetur. Terram autem eius dicit, à quo lętatur esse perfecta.

ATHANASII. Quis autem incredulus dicat. Terram quidem Satanæ esse, nunc uero illi Christum dominari, ideo eius opificem Deum dicit, laudans eius uirtutem, & potentiam, qua tamam terræ molem super aquas fundauit.

Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in ea.
Ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.
Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in uano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.

THEODORETI. Cum Iudęi existimarent soli Palestinæ Deum præesse, & eorum tantum curam gerere, (nam Deus eorum solus putabatur) meritò Propheticus sermo Deum orbi uniuerso imperare dicit, non arrepta sibi per uim potestate, neque alio dominante summoto, Verum cum ipse mundum condidisset, & in rerum naturam ex nihilo deduxisset, iure ipsius habet imperium. *Quia ipse super maria*, et opificium, & prouidentiā his uerbis ostendit, nam cum tellus natura arida esset, temperatum ei dedit humorem, siquidem mari eam circumcinxit & mediterraneas regiones pelago interiecto distinxit, & fluminibus quam plurimis & maximis, necnon etiam fontibus, qui per medium continentem erumperent illa quidem perpetuò delabi, hos uero continenter scaturire fecit. Quare cum Dei potentiam ostendisset, ac gentium cognitionem prædixisset, exhortationem affert ad uirtutem, & colloquii modo orationem format.

EVSEBII. Quomodo tanta moles super humentem, & liquidam naturā cōstitisset, nisi oī uirtute præpotens Dei uerbum, terræ orbem cum iis, quæ in eo sunt, continuisset, nō temere. n. ac fortuitò condita terra est, & huiusmodi figura circumscripta. sed Domini potentia mirabiliū effectrix, opifex admirabilis tā ingētē grauitatē & plenitudinē terræ, & habitātes in ea sup humeros aquarum ferri sublimes uoluit. ideo de illo dictum est, *super maria fundauit eum.* non enim se ipsa terrā, quæ grauis est & anima caret, super maris abyssos firmauit, sed omnium factor

Dei rubus fundauit, Alia quoque ratione ostendit terram non casu, neque fortuito subsistere, aut sine ratione huiusmodi figura conuestitam esse, & dixit. *Et super flumina præparauit eam*, nam si terra omnis iuxta Græcorum sphæram plana esset, & leuis, nunquàm in ea fluuii consisterent, neque defluentibus imbribus irrigari posset, quemadmodum rursus si æquor latum, & extensum in plana regione existeret, flumina ipsa non confluerent, tum, quæ ex fontibus semper fluentibus oriuntur, tum ea, quæ ex hybernis imbribus colliguntur. nam illa diu inundantia neque sentinibus, neque plantis, neq; culturæ aptam redderent. sed ne incolis quidem ipsis utilis, & commoda esse posset, omnibus ab aquarum alluuie demersis, ac euersis. Hæc igitur acciderent, nisi uerbum illud opifex, & sapientia Dei in hanc figuram diuino artificio conformasset. Nunc uero sic condita est, ut in montes, saltus, colles, & ualles dispertita sit, ut, & flumina decursus suos sine impeditione faciant. montes quoque & nemora, & plantę animalibus distributæ sunt, & campi, & planities in habitationē & cultū hominibus separatę. Quis ergo hæc uerè diuinæ prouidentiæ opera esse non fateatur, quæ futura prospiciens ante plenitudinē terræ, & antequam eā consisterent, quæ in ipsa huiusmodi forma insignita sunt, eius figurę illā finxit, ut apta, & commoda omnibus animantibus esset.

DIDYMI. At diuino magis & secretiori modo terra Domini facta est, quando per aduentū suum eam à Dæmonum tyrannide, à qua miserè detinebatur, mirabiliter liberauit, iis omnibus abolitis ac deiectis, quæ perniciosa fraude in ea fiebant, incantationes, ueneficia, terrestrium Dæmonum responsa, simulachrorumque, ac sacrificiorum leges. Verum nec terra solum, sed plenitudo quoque terræ Domini est. sanè gentes omnes, quæ terram incolunt, sunt bonorum, quæ ad eam pertinent, plenitudo. Iuxta illud Misericordia Domini plena est terra. & laudis eius plena est terra. quin orbis terræ, nempe Ecclesia, quæ sub cœlo est, unà cum habitantibus in ea, illius est, sanè hunc orbem terræ incolunt, qui piè, ac religiosè uiuunt, & cogitant. *Ipsè super maria fundauit eam.* Maria censentur afflictiones, quæ in tentationibus uehementibus, & procellam, & amaritudinem habent, tunc enim basim, & fundamentum immutabilem accipit Ecclesia, quando irruentibus in eam fluctibus immota, & inconcussa in fide perseuerat. *Et super flumina præparauit eum*, orbem scilicet prædictum, ac terram per legem illis traditam ad ipsam Dei suscipiendam præparauit, à quo, tanquam à fonte uaria dona fluunt flumina uiuentis aquæ. Vt uero huiusmodi fluminibus scateat, præparauit eum, cum ipsum, (ut antedictum est) super maria fundasset. Psal. 32. & 118.

ORIGENIS. Ante Christi aduentum notus in Iudæa solum Deus fuit. ubi uero Christus illuxit, omnis terra Domini facta est. & sanè ante Christi aduētum non erat plenitudinem in omni terra inuenire, siquidem multum erat inane, At ubi Christus apparuit è cœlo ueniens, plerique eorum, qui ex gentibus, ad fidem accesserunt, dicere potuissent, De plenitudine eius nos omnes accepimus, & propterea plenitudinem ipsius esse, non enim sacra Euangelica institutione plenitudo Christi esse possunt, Atqui solus peccator in solitudine habitat, qui uero in Ecclesia sancta, quæ Trinitate plena est, hic orbem terræ habitat. Quienim ex Diabolo est, Domini non est, cum se ipsum illi dicauerit. Cætera similis ei factus, qui ab ipso pendet. Ioan. 1.

THEODORETI. *Quis ascendet in montem Domini.* Postquam fidem exposuit, doctrinam operum exponit, ut qui utranque perceperint, uerę hæreditatis compotes fiant. Montem uerò non terrenum, qui est Sion sed cœlestem significat, ut beatus Apostolus ostendit. Accessistis inquiens, ad montem Sion, & ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem cœlestem, Nam postquàm paulò ante docuit Deum omnium esse authorem, & opificem, meritò uiam, quæ ad eum ducit, ostendit. & ad interrogata respondet dicens, *innocens manibus, & mundo, corde.* par est (inquit) ut qui montem illum conscendere optat sordidis cogitationibus animum expurget, & mundas habeat manus ab huiusmodi actionibus. nam per manus actiones intelligit, per cor autem concupiscentias latenter innuit, nam inde consilia, hinc facta proficiscuntur. Heb. 12.

ORIGENIS, DIDYMI, & EVSEBII. Mons Domini summum bonum, & Dei uerbum dicatur, ad quem ascendit, qui uirtutis progressu ad summitatem eius peruenire studet. rarò autem huiusmodi inuenies uirum. *Quis ascendet in montem Domini.* Iudas quidem ascendit in montem Domini: non stetit autem in loco sancto eius, non enim erat innocens manibus, neque purus corde, sed fur, qui loculos ferebat.

ORIGENIS. Aduerte, qui proficit, ascēdit ad mōtē Domini, qui uero pfectus ē, cū ulterius progredi nequeat, consistit firmus, & immotus, consistit autem in ipso fine. & locus Dei sanctus

Exod. 34. 1. Cor. 10.

appellatur, nam qui Dominum sequitur planè conscendit, & eorum quę post se relinquit, oblitus, ad ea tendit, quæ antè sunt, eo sibi fine proposito ut cum Deo stet in loco sancto eius, ad quem ascendere, & in quo consistere eum oportet, qui euangelizat Sion: ad quem accedenti Mosi Deus dixit: Tu uero stà mecum, nam si ex sacris literis liceat exemplum sumere, Moses stetit in loco sanctificationis Dei. sed quia sanctificationem Dei quęris, ubi stare oporteat, prophetæ dicunt, & statuit super petram pedes meos. siquidem petra erat Christus. Discamus autem quis nam sit, qui promissiones huiusmodi consequatur. *innocens manibus & mundo corde*, dictum est de iis in decimoquarto psalmo. Respondet autem quæsitis, & eum Domini mõtem ascensurum ostendit, qui & speculatione, & actione pręstabit, nam innocens manibus est, qui innocuas, & inculpatas actiones facit. Cor mundum habet, qui præstantissimo habitu contemplationi ueritatis insistit. plures enim puras habent actiones, uerum quoniam laudem & gloriam ab hominibus propter eas uenantur, corde puri non sunt.

NICEPHORI. Ex quo Dominus resurrexit, diabolus tyrannus expulsus est, & terra omnis sub uero Domino, & opifice omnium facta est. *ipsè super maria*, per hæc & opificium, & prouidentiam ostendit: nam cum tellus arida sit natura, per concauitates & ambitum, & per medias partes eius aquarum humiditatem ad eius cohærentiam dedit, Illud uerò *præparauit*, firmitatem ostendit. *in montem Domini*, Mons Domini cœlũ, & locus sanctus, & habitaculum, quod iustis est præparatum. *innocens manibus*, per innocentem, inculpabilem, per manus, actiones, per cor, cogitatiónes intelligit.

Qui non accepit in uano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.
Hęc est generatio quęrentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.
Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.
Tollite portas principes uestras, & eleuamini portæ ęternales, & introibit Rex gloriæ.
Quis est iste Rex gloriæ Dominus fortis, & potens, Dominus potens in pręlio.
Tollite portas principes uestras, & eleuamini portę ęternales, & introibit Rex gloriæ.
Quis est iste Rex gloriæ, Dominus uirtutum ipsè est Rex gloriæ.

Eccl. 1.

THEODORETI. Decet huiusmodi hominẽ, qui Dei montẽ cõscensurus est, res oẽs fluxas, & caducas post habere, neque ullo ad eas desiderio angi, Res aũt uanas intellexit, quas & ecclesiastes. cum dixit. Vanitas uanitatum & omnia uanitas. & quoniã fraus ac periurium, auaritiæ cõiũcta sunt, ideo dixit, *& non iurauit in dolo proximo suo*. post hæc huiusmodi rectè factorũ fructum ostendit. *Hic accipiet benedictionem*. Recto sanè iudicio misericordiã cũ benedictione coniunxit. nam quæ iudicantur esse remunerationes, sola ex diuina benignitate impendũtur. nã quotquot sunt hominum iustitiæ, si cũ Donis à Deo nobis collatis comparẽtur, nil propemodum sunt. quid uero esse existimabuntur, si ad futuram beatitudinem, quæ supra humanę mentis captum eximiũ munus est, referantur? qualiscunque enim fuerit homo diuina eget misericordia.

DIDYMI. In uano animam accipit, quicunque cũ ratione & discernendi munere ualeat inter bonum, & malum discrimen ponere, neque ratione, neq; discretione in declinandis malis, & in sequẽdis bonis utitur. quẽadmodũ legẽ frustra illum accepisse dicimus, qui ab ipsa edoctus iusta facere, cõtraria uicissim & interdicta legis decretis complectitur. quare qui animæ iudiciũ in euitandis malis, & sequendis bonis, ut admonetur, studiosè sequitur, is non accepit in uano animam suam. Porrò is fortasse in uano accepit animam suam, qui cum animam ad omnem uirtutem, & scientiam aptam acceperit, ea non squitur, ad quę percipienda natus est. Quin potius fraude, ac anxietate mortalis uitæ, uoluptatibus, ac perturbationibus distrahitur. Qui uero secus affectus est, animam in uano nequaquam accepit. sed planè uanitas uanitatum multorum uita est. *Nec iurauit in dolo*, proximo sine dolo iurat, quicunque illud est, est, non, non obseruat, Qui & propterea pręmium, à Deo salutari suo benedictionem accipiet, quæ est super caput iusti. Hæc uero benedictio, non terrena, sed planè spiritalis est, cæterum unà cum huiusmodi benedictione misericordiam quoque accipiet, à Deo, misericordia, & gratia salutem donantè. iccirco beatus quoque futurus est, nam qui misericors, & mitis fuerit, misericordiam cõsequetur, Beati enim misericordes.

Prouer. 10.

Matth. 5.

ORIGENIS, *Hæc est generatio quęrentium eum*, Quoniam nec interrogatio illa, *Quis ascendet ad montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*, nec sequens responsio de uno aliquo facta est, sed de quolibet innocente manibus, & mundo corde, ideo consequenter affert, *Hæc est generatio quærentium eum*. idest, omnes hi, qui prædictis moribus & uirtutibus exculti sunt, generatio quærentium Dominum. quęrunt autem ut inueniant faciem Dei Iacob. quam contemplari cupiunt, ut ex huiusmodi contemplatione, ac illustratione splen-

splendidiores, & præstantiores facti dicant. signatum est super nos lumen uultus tui Domine, At nemo, qui faciem Dei quærit, hic uersando faciem Dei Iacob intueri poterit, non enim uidebit me homo (inquit) & uiuet. Hinc te migrare oportet, ut quærens faciem Dei Iacob, illam intuearis. Humana omnia, & terrena tibi abiicienda sunt, teque demum in Angelum, atque adeo in Deum mutari oportet. nam Saluator ait. Ne contemnatis unum ex pusillis istis, qui sunt in Ecclesia. Amē dico uobis, quod Angeli eorum semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Psal. 48. Exod. 33. Matth. 18.

THEODORETI. Qui (inquit) huiusmodi præscriptis uitam instituit, ipsum uirtutis authorem nerē intueri cupiunt; qui quōdam præstante in illum Iacob suo conspectu dignatus est: Hęc est generatio quærentium Dominum. At in undecimo psalmo, cum de alia generatione mentionem faceret, quæ omni nequitiæ genere coinquinata erat, supplex Deum exorabat, dicens: Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. sed hoc loco prædicens credentium generationem inquit. *Hæc est generatio quærentium Dominum.* nam post humanitatem Dei, & saluatoris nostri aduentum omnis terra & mare diuino præconio adhærens, patriis Diis abiectis, Deum Iacob studiosē quæsiuit. Atque hoc modo ubi salutem orbis terræ prædixisset, subinde eos, qui ad fidem accesserunt, ostendit, docetque Dominum Christum non solum deuicta morte à mortuis resurrexisse, uerum etiam in cœlos ascendisse. Et quoniam uigesimus primus psalmus de salutifera cruce uaticinia continebat, & saluandas forē gentes pariter prænunciabat, meritò hic quoque cum de gentibus mentionem fecisset, & earum cognitionem Dei prædixisset, Domini ascensum describit, nobis item Angelorum choros ostendit, hos quidem Christum Dominum præeuntes, illos uero cœlitus interrogantes, & scite auentes, quodnam esset spectaculum illud admirabile. Psal. 11.

DIDYMI. *Attollite portas.* Cum diuini Angeli ad cœlestes portas præcurrissent, acclamabant iis, qui excubabant ad portas, dicentes. *Attollite portas principes uestras,* quibus custodes adhibiti præestis, nam quemadmodum cum descendit, inclinauit cœlum, non aperuit, ita etiam ascendens non apertis, sed sublatis portis ingressus est. Deinde, quoniam huiusmodi portæ rationis portæ sunt, iis meritò Angeli dicunt. *Eleuamini portæ æternales.* sanè huiusmodi portæ non sunt temporariæ, siquidem corporeæ non sunt, sed æternæ, propterea quod materiæ nulli, aut corruptioni obnoxiæ sunt. Verum cum præcipiant, portas tolli, & eleuari, non honoratum quendam, aut gloria ornatum, sed Regem gloriæ ingressurum dicunt. Rex autē gloriæ Saluator dictus est, quod tanquàm Deus omnibus, qui sunt in gloria, imperet, atque etiam propterea quod ab omnibus gloriosus prædicatur, & uerum ac legitimū regnum habet, & quia gloriā dignis omnibus impertit, eiusdē quoq; dominus dictus est. iuxta illud, si enim cognouissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Verum quia non solus Deus uerbum ascendit, sed carnem quoque quam assumpserat intellectuali animæ coniunctam secum attulit, cœlestes potestates, ipsum qua si aduenam intuentes interrogauerunt, *Quis est iste Rex gloriæ?* nam mirabantur Regem gloriæ cernentes carne circundatum, quare qui præcurrerunt Angeli dicebant. *Dominus fortis, & potens,* palàm hoc clamantes, quem Regem omnium, ac uniuersorum Dominum fortē, & potētem cernitis, hic est, qui corpore cinctus, eos, qui cū nobis subiecti essent, tyrannidē in nos usurpāt, bello infestauit, qui Dominus potens in prælio uisus est, quod hostiles uires oēs superauit. Hunc ergo principes honorificē excipere, atq; obuiā procedere uolentes unà cum ipsis portis æternis, non tātū imperata facere cōtenti fuere, uerum ēt sublimioribus potestatibus, ac iis, quę portis ipsis cęlorum magis sublimiū præsidebant, quę audierāt, nūtiarūt. acclamātes illud. *Attollite portas principes uestras,* ac eisdem sciscitantibus, responsum & ipsæ, quod acceperant, reddiderunt. Dicētes *Dominus uirtutum ipse est Rex gloriæ.* Virtutū Dominum tanquā exercituū principem appellātes. 1. Cor. 2.

DIDYMI. Notādū est, quod, qui accuratē Hebræa legūt, affirmāt uocē Sabaoth in Hebræo positā, septuaginta interpretes in Græcam uertētes interdum Dominum uirtutum, interdum Dominum exercituum, aliàs quoque omnipotentem reddidisse, inquiunt ergò Dominum Sabaoth uocem, quæ hic posita est, & in uocem Dominū conuersam esse. Quod si Sabaoth, prò Saluatore ponitur, Dominus omnipotens uertitur. Nunc de Saluatore intelligitur. siquidē ipse est omnipotēs, nam omnia p ipsum facta sunt, & ipse est ante omnia. nam ipsius persona est, quæ apud Zachariam dicit. & scies quod Dominus omnipotens misit me ad te, omnipotens enim ab omnipotente missus, Filius est, qui à Patre mittitur. Apertissimē autē in Apocalipsi Ioannis Saluator omnipotens appellatur. nam inquit. Hæc dicit Dominus, testis fidelis, & uerax, qui erat, qui est, & qui uenturus est Dominus Deus omnipotens. Nam hæc absque dubio de filio dicta sunt. Zach. 6. Apo. 1.

THEODORETI. Non est quod qui cœlestium spirituū ignorationē audit, ulla admiratione

afficiatur. Siquidem neq; noscunt, neque prænoscunt omnia. sola est diuina natura hac prærogatiua insignis. Angeli uero, & Archangeli, & reliqui superiorum spirituum cœtus, tot sciunt, quot Eph.3. addiscunt, & propterea Diuinus Apostolus, cum de ipsis loqueretur ait. Vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, quod si per eos, qui in Ecclesia præstant, diuinam sapientiam didicere, absurdum non est, & indecorum cęlestes potestates ignorare, uidentes humanā naturā, & latentē in ea diuinitatem non intuentes. Quod siquis huic expositioni nolit acquiescere, solutionē quærat ab iis, quæ hoc psalmo interpretata sunt, nā superius colloquentium more orationem formauit dicens. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*, cum ita quæsiuisset, respondendo subiunxit, *innocens manibus, & purus corde*, & quæ sequuntur, huiusmodi figuram hoc loco etiam inesse dicit, neque existimes propterea quod ignorent, interrogando quærere, sed ut omnibus ascendentis maiestatem notam faciant, propterea respondentes inquiunt, ipsum esse Regem gloriæ, & talem, qui ueram gloriam, & perpetuum regnum habere ab omnibus existimetur. Vocant autem ipsum Dominum fortem, & bellipotentem, quoniam duram Diaboli tyrannidem euertit, & illi subditorum Dæmonum, fraudes, & machinationes destruxit. AEternas uerò portas reserari iubet, utpotè quæ nunquam antehàc aliàs patefactæ fuerint, nemo enim per illas transiuit. Verum Deus uerbum factus homo, cum primitias humanitatis assumpsisset, in cœlos sustulit, & in dextera maiestatis in excelsis collocauit, supra omnem principatum, & potestatem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Assumptus est profectò magnus Elias, sed non in cœlum uerum, tanquam in cœlum. Sic itaque post primam interrogationem, & responsionem hę rursus interrogant, illę respondent, & addiscunt Dominum uirtutum, esse regem gloriæ. Hoc est, qui Angelorum, Archangelorum, & totius naturæ inuisibilis, & genitæ creator est, & opifex.

ORIGENIS, EVSEBII, & THEODORETI. Nonnulli secundam interrogationem & responsionem non sublimioribus, sed iisdem potestatibus, quæ bis nominatæ sunt, fieri dicunt.

EVSEBII. Diapsalma, quod ante illud, *Attollite portas*, positum est, mutatio cantues esse uidetur. nam sensus idem est, cum uero dicat, *introibit*, ipsius ingressum insinuauit. Verum cum non solus in regnum suum ingressurus esset, sermo omnes portas aperiri iubet. propter eos, qui cum eo regni cœlorum hæreditatem adituri erant. Multas enim, & uarias portas ingressus regnum cœlorum aperuit, quoniam & multæ mansiones sunt apud Patrem. considera uero num hic illud impleatur, quod psalmus ait. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in Psal.46. uoce tubæ. Hic enim spiritus sanctus iubilationem tubæ uocibus exprimit, Nam in ascensu Filii Dei ad cœlos, Angelos eidem dispensationem erga homines ministrantes anteuertisse consentaneum est, ut cœlestes portas præparent, uocesque, & angelicas acclamationes in psalmo expressas ederent, quas quidem acclamationes, iubilationem, ac uocem tubæ, nominauit, dicens. Ascendit Deus in iubilatione, Dominus in uoce tubæ.

NICEPHORI. *Qui non accepit in uano*, Qui uitam suam terrenis rebus addictā non habuit non enim uiuit, qui in rebus uanis occupatur, *benedictionem* gratiā, uel aliquod diuinum donū, *Hæc est generatio*, qui ita uixerint, uirtutis legislatorem uidere cupiūt, cum uenerit in gloria sua, *Tollite portas*, Angeli, qui Christo ministrauerant, & cum eo ascenderant, his qui ingressum cœlorum custodiebant, hæc dicunt: Tollite portas uestras, quibus præestis, quas & æternas uocat, ut quæ nulli hominum unquam apertæ fuerint. *Tollite portas*, sermo est ad principes portarum cœli superioris, quod est supra firmamentum.

GREGORII NIC. *Qui non accepit in uano*, qui extra tenebras est, necesse est hunc in luce esse, & qui non est in morte, uiuere, & qui non accepit in uano animam suam, in uia ueritatis stare. Siquidem prouidentia, & scientia non deflectendi, uia quædam est certa ad rectum iter peragendum, *Qui non accepit in uano animam suam*, Qui ad uoluptates præsentes, & celebres Idolorum festiuitates animam suam non exercuit. *Et non iurauit in dolo proximo suo*, Noxa omnis malorum his duobus uersiculis continetur, namque ad impietatem non respicere, neque ad offensionem & damnum fratris uiri est à malitia & uitio abstinentis. Quod autem reliquum est, ad uirum pertinet ad uirtutem exercendam paratum. Quoniam uero dolus, & sacramenti uiolatio cum auaritia coniunguntur, meritò & hæc post illa damnat,

ORIGENIS. *Hæc est generatio quęrentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*, quoniā Angelorum est uidere faciem Dei, ueruntamen & homines eam quærunt uidere, quapropter & homines Angelorum notitiā inquirunt, quandoquidem & panem Angelorum manducare homines

mines

mines possunt. *Attollite portas*, Portas uirtutis intelligit, iuxta illud aperite mihi portas iustitiæ: quemadmodum uero aperiuntur portæ iustitiæ, sic temperantiæ, sic fortitudinis, sic charitatis, sic longanimitatis portæ reserantur, per quas Dei cognitio ingreditur. *Dominus fortis & potens.* Confidite (inquit Dominus) ego uici mundum; nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XXIIII.

Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubescam in seculum.



EVSEBII. Quoniam nec Psalmus, nec Canticum, nec quicquam huiusmodi hoc loco inscribitur, sed neque ullus proposita ad finem refert (sunt autem sermones per Spiritum Sanctum ipsi Prophetæ conscripti) iccircò penes reliquos interpretes, ipsi Dauid prænotatum est. meritò dicemus hoc loco doctrinam e ntineri, qua ex confessione quilibet erga Deum animam ægrotantem sanare oporteat, nam Dauid primus ea usus est.

THEODORETI. Psalmus hic formulam deprecationis habet, propterea nec Psalmi quidem nomen illi prænotatum est. sunt aliqui ex interpretibus qui seruitutem prædicere dixerunt. & Psalmum tanquam ab iis, qui in captiuitate detinerentur dictatum esse affirmarunt. Propter ea, quæ in fine commemorantur. *Libera (inquit) Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.* At ego hunc Psalmum compositum à Propheta reor, cum multos hostium insultus perferret, propterea de ueteribus, & recentibus peccatis mentionem facit. Seque ab iis eripi precatur doctrinam interim utilem, ac proficuam tradens. *Ad te Domine leuaui animam meam.*

NICEPHORI. Edidit hunc Psalmum Dauid, cum ab inimicis oppugnaretur, congruit autem omnibus inter calamitates atque angustias, & Dæmonum tentationes Deum inuocantibus.

ATHANASII. In proposito Psalmo quilibet eorum, qui uocati sunt, idest, quilibet eorum, qui coelecti sunt, ad spiritalem uitam se conformare, inducitur.

HESYCHII. Dauid manu fortem significat, manu fortis est unigenitus Dei Filius: significat etiam desideratum. quare & Chisto conueniet Psalmus, & dilectis seruis eius, ut ipsum canant.

Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam in seculum.
Neque irrideant me inimici mei, etenim uniuersi, qui sustinent te, non confundentur.
Confundantur iniqua agentes superuacuè.
Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me.
Deduc me in ueritate tua, & doce me, quod tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.
Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.
Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.
Secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam Domine.

ATHANASII. *Ad te Domine leuaui animam meam.* Quisque ab Idololatria nuper conuersus, hæc dicit.

ORIGENIS. Tempore martyrii conueniunt uerba hæc. *Deus meus in te confido non erubescam.* Oro te Domine Deus ne continenter inhonoratus degam, neque risus & letitia sim hostibus meis. Tollere .n. ad te animam meam propositi, & electionis meæ, liberari autem uirtutis est tuæ.

ATHANASII. *Neque irrideant me inimici mei.* Execrandi & impuri Dæmones, diabolus cum impiis hominibus. Hæc autem dicit cum fortè præuideat Christi, humanitatem postquam inimicorum risus cessauit, aut per inimicos Babylonios intellexit. *Etenim uniuersi, qui sustinent*

flinent te non confundentur. Ab iis, qui iam in te confisi sunt, & illustres redditi, persuasum est mihi, quod uotorum meorum compos ero. *Confundantur iniqua agentes superuacuè*. Illi planè, qui adhuc prauo Idolorum cultu detinentur.

ORIGENIS. Est quoque non superuacuè ἀνομῆσαι. Iuxta illud factus sum iis, qui si-
1.Cor.9. ne lege erant, tanquàm sine lege essem. huiusmodi ἀνομία non est superuacuè. Inquit autem, Conuerte Domine confusionē in eos qui in nos innocentes iniquitatem exercent, hoc enim innuit illud. *Confundantur iniqua agentes*.

THEODORETI. Circunquaque ab infinita hostium multitudine obsessus, offero tibi Domine animam meam, deque auxilio tuo totus pendeo, obsecro ne semper cum dedecore, ac turpitudine uiuam, & ludibrium, & lætitia sim hostibus meis. Iam idoneum pignus habeo, quod qui olim in te crediderunt, & auxilii tui fructum perceperunt, à tua prouidentia nunquàm desti tuti fuere. Atque illud interim scio, quod uitiis deditos soles confundere. *Iniqua agentes super uacuè*. Animaduertendum est, quod non dixit, iniquè agentes confusione repleti, quod non omnes æque peccant. sunt enim qui calamitate, aut necessitate aliqua peccant, sunt etiam qui imbecillitate naturæ collabuntur, sunt demum qui sceleribus, & flagitiis animum oblectantes, alia quoque perpetrare cogitant. *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Ego autem uias tuas imprimis cognoscere, & semitas ad te ducentes addiscere uehementer opto, ut semper sine errore uiam tuã certam, & ueram incedam. Illud quoque peto, ut ex ipso rerum successu te meum Saluatorem esse dignoscam, nam iugiter misericordiam tuam expecto. Nam illud *tota die*, prò semper posuit. innuens quod nulla ratione consilia modo hæc, modo illa, mutare intendit, sed *tota die* .i. semper in eadem sententia permanere.

EVSEBII. Loquitur hæc tanquàm in sublime euectus animam ad cœlestium contemplationem erexisset. & cùm præ effectu in Deum, & à rebus humanis, & fluxis auersione, & ad superna conuersione diuinis spiritibus affinem constituisset, mox ait, hæc Deus mi non mihi fidens feci, sed tua benignitate fretus multa in dicendo libertate utor. At sanè qui sensibilia omnia contemnit, & ad incorporeum, ac inuisibilem Deum, qui propria est illius possessio, animũ attollit, is eum inuocare audet. Ideo dicit, *Deus meus in te confido*: Quæ igitur à me expectari possunt, hæc sunt. Cæterum mihi orandum est, & tuum auxilium quo egeo maximè, implorandum est, quo minus aberrem à scopo, neque si tanquàm à uertice, & iugo ceciderim, planè collidar. Propterea peto & supplex oro, ne pudore suffundar, neque ludibrium inimicis meis. Quæ mihi euenient, si auxilium ipse dabis. Nam priora illa ad meam pertinent uoluntatem, meũ n. est animam meam ducere, ac ferre quocunque uelim, posteriora uero, quod est liberari, patrocinio & ope tua indigent.

DIDYMI. Qui in diuitiis, honoribus, ac rebus aliis omnibus præterquàm in Deo spem suam ponunt, confusionem ludibrium, & risum hostibus suis debebunt. mihi uero id non accidet, quoniam in te confido. Hoc uero de omnibus, quæ temporaria sunt, per synecdochen dicendum est. nam ego in te fidens, ne meuotis mei frustrari contingat, uehementer oro, atque id peto, ne risui sim, & ludibrio hostibus meis. Hostes sunt, Diabolus & malignæ potestates, atque homines à pietate alieni. Confido enim, hoc in uniuersum doctus, quod qui te sustinent omnes, non confundentur. Hæc fortasse ad sanctos uiros accommodari possunt, qui ante Christi aduentum illum, & descensum eius expectabant, nam ubi Christus aduenit, risus inimicorum, quem præ lętitia petulanter in eos, qui in Deum sperant, efferebant, finem accepit. *Iniqua agentes superuacuè*. Illud, *superuacuè*, stultè, & inaniter significat, cuiusmodi est illud in prouerbiis. Hæc est uia omnium agentium iniqua, quæ dedecus affert iniquè agentibus superuacuè. De iis loquitur, qui adhuc in impio idolorum cultu detinentur, nam qui ad bonum aliquem finem, ut legis obseruatores non respiciunt, iniquitates agunt.

EVSEBII. Non modo sustinere, sed in proposito permanere, nec mutari, aut à fide recedere oportet; inconstantes enim, & qui omni uento circumferuntur, confusionem aliquando sentient, non autem hi, qui dicere didicerunt, Expectans expectaui Dominum. Prò *iniqua agentes*, reliqui interpretes, & quinta editio, deficientes, interpretati sunt. Significantes hoc uerbo transgressores, & eos, qui in priori proposito non persistunt palàm confundendos. nam defectionis suæ fructum inanem nacti, non secus ac si frustra à Deo desciuissent, confundentur. *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Viæ Domini sunt eius prouidentiæ administrationes, quibus omnia re-
Rom.11. git, & gubernat. de quibus Apostolus ait. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Ita quoque semitæ eius esse possunt, singulæ ex omnibus administrationibus, in quibus pergens, atque perambulans tum cœlestia,

cœlestia, tum terrena admirabili prouidentia temperat. Semitas autem suas, & uias meditari potentibus ostendit. Iccirco iuxta Symmachum dictum est. Et uias tuas doce me, & dum me ista doces, statue me in ueritate tua, ne falsis opinionibus imbutus corruam, atque in rerum naturalium speculatione alia pro aliis admittam. Cuiusmodi acciderunt iis, qui te, Deus, præceptore non sunt instituti, sed terrenis, atque humanis cogitationibus omnia collimantes, à ueritate deciderunt. Ego uero cum à te edoctus sim, te non solum opificem ac Deum, uerum etiam Saluatorem meum esse, *te sustinui tota die*. uel iuxta Symmachum; te expecto tota die, hoc est tota uita mea, pro comperto habens, quod omnes, qui te expectant non confundentur.

ATHANASII. *Vias tuas Domine*. Per uias intelligit Euangelica dogmata.

ORIGENIS. Qui cupit noscere uias Domini, mitis fiat. Docebit enim (ait) mites uias suas. Mites sunt, qui indesinentem pugnam iracundiæ, & libidinis, & affectuum qui ab iis inferuntur, in anima cessare & quiescere faciunt. Illud autem: Demonstra mihi, & doce me, ad res ipsas refertur, uult enim dicere, constitue me in actionum tuarum fructu, & quiete: hoc est in propria tua me deducas, unde infert. *Deduc me in ueritate tua*.

NICEPHORI. *Ad te Domine leuaui*. Tibi suspendi, & dicaui animam meam. *Non confundar*, neque in præsenti, neque in futuro seculo. *Qui sustinent te*, idest qui te expectant; Sæpe enim sustinere, prò expectare positum est: Inquit autem, qui te adiutorem expectauerint, in te sperauerint, & te susceperint, *non confundentur*. *Qui iniqua agunt superuacuè*. stultè, & secus, ac decet, pugnât cum eis, qui nullam alteri iniuriam inferunt. *Vias tuas Domine*. In his duobus uersiculis eandem sententiam repetit, nam in utrisque mandata significauit, quę à Deo discere experientia precatur. *Deduc me in ueritatem tuam*. non actionem tuam, sed & dogmatum rectitudinem quærit: nam salus ex utrisque perficitur. *Tota die*, semper; *Quæ à seculo sunt*: Natura.n. misericors es, & miserator.

DIDYMI. *Vias Domini*, mandata eius dices. At *semitas* eius, quæ uiis continentur doce me (inquit) ut præcedentium metrita uestigia persequens citra errorem iter conficiam. quoniam uero ad perfectam salutem, non est satis uita illa, q uæ ad actiones pertinet, ducito me tanquàm doctor in ueritatem tuam, ut cum actrice illa, contemplationem quoque coniunctam sequar. Sed & alio modo licet hunc locum interpretari. Cum lex, & Prophetæ uiæ Domini *Bono capias.*
sunt, nec ullus alius eas capescere cupienti, quàm Dominus notas facere potest, ipse enim, cum notas nobis fecisset uias, & semitas suas loquendo patribus in Prophetis, postremis diebus loquutus est nobis in Filio. Tu ergo, qui Deus es, & Saluator meus, ducito me ad eũ, qui dicit. Ego *Hebr. 1.*
sum ueritas, & per ea, quæ me docuisti salutem largire. *Ioan. 14.*

CHRYSOSTOMI. *Dirige me in ueritate tua*. Viatores arctæ, & angustæ uię, qui se cum uitiis, concupiscentiis, & affectibus crucifigunt, qui uoluntates suas non faciunt, qui malignis suggestionibus resistunt, cantant, & dicunt. *Dirige me in ueritate tua, & doce me, quoniam tu es Deus salutis meæ*. In hac directione iste rogabat, non tortuosam, sed rectam uiam. Nam directio non curua est, sed recta, quæ lineas legis tenet, mentem dirigit in uia immaculata, præceptis obtemperat, iussa implet, idest, ad perfectionem dirigit. Propheta clamat, *dirige me*. Sed quia hæc directio ueritatem habet coniunctam, ideo à falsitate est separata. quæ est enim ueritas, quæ uita, nisi ille, qui ueniens pro nobis clamabat, & dicebat, Ego sum, uia, ueritas, & *Ioan. 14.*
uita? Vates ergo Christi Christum futurum prænuncians dicebat. *Dirige me in ueritate tua*. Vocem totius Ecclesię per orbem diffusę assumens dirigi quærebat. *Et doce me*. Doctrinam postulat. quid uero uult doceri, nisi id, quod nescit? Quid est, quod nescit? Perfectionem uirtutum, ut sciat, quod nescit. quid est quod nescit? quid. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientię Dei. Hoc est, quod uult scire, & clamat. *Quoniam tu es Deus salutaris meus*. Quid *Rom. 11.*
est *doce me*? instrue me, perfice me, ædifica me, quia à uulnere peccatorum saluasti me. Ideo ubi dixit, *Saluator meus*, ibi subiunxit, dicens. *Et te expectaui tota die*. Per diem expectant non in nocte. quæ est tota dies, nisi ubi lux est, & tenebræ non sunt? Tota dies ipse est Saluator mundi, in quo uenit princeps huius mundi, & in eo nihil inuenit iuris sui. ipse est, qui uenit in mundum, ipsum sustineamus, quandiu ueniat in nobis separans a delectationibus, purgans à cupiditatibus carnis. Sustineamus eum, quando ueniat, ut paratos nos inueniat. Sustinemus autem eum, quando impetus tentationum portamus, quando aduersas tempestates experimur, sed naufragium non facimus. Sustinemus eum, quando non deficimus, sed proficimus, quando non conturbamur, sed confirmamur. Quando exagitamur, sed non cadimus, tunc sustinemus, tunc toleramus, tunc clamamus, ad illum, qui fidelis est, qui supra quàm ferre possumus *Cor. 10.*

nos tentari non finet, qui etiam cum tentatione prouentum.

DIDYMI. *Reminiscere miserationum tuarum.* Proprium Dei est misereri, ut luminis,& ignis proprium est, lucere,ac illuminare, & scientiæ ad cognitionem adducere. quare Deus misericordiarum pater dictus est. Quod ergo sanctus dicere intendit, huiusmodi est. cum sis pater misericordiarum, quoniam & fons,& origo ipsarum es,reminiscere horum filiorum tuorum, nam licet aliquantum subiratus sis iis, qui deliquerunt, irã tamen, quæ tibi natura, non inest,sed utiliter ad auferendam malitiam nostram subest, compesce precor,& amoue illam ab eo,qui miserationum, quę tibi natura insunt, memoriam repetit. Nam & nos solemus, cum de rebus nostris quærimus, quæ iucunda sunt hominibus recensere. Recordare benignitatis tuæ, ac imitare te ipsum. Quemadmodum igitur miserationes uicissim Deo adsunt, ita quoque misericordię ipsius eidem natura præsentes à seculo sunt. unde & in seculum perdurant iuxta illud, quoniam in seculum misericordia eius. Et præterea Deus cuidam dicit. Misericordia sempiterna

Psal.111. misertus sum tui. *Delicta iuuentutis meæ.* Nemo prò præsentibus delictis,& iis, quæ adhuc

Psa.54. committit, pœnitentiam agit, aut confitetur, sed prò præteritis,& quæ non amplius fiunt. Hoc ergo hic quoque innuit,dicens. *Delicta iuuentutis meæ.* Quæ enim in iuuentute peccata sunt, & per errorem admissa, non amplius ab eo,qui à iuuentute excessit, committuntur. Fortasse uerò nomen iuuentutis non ætatem, sed inconstantiam, & morum instabilitatem significat. nam homo tandiu ignorat,& peccat, quandiù in huiusmodi statu permanet, donec Deus scientiam,

Prou.1. & intelligentiam donet. iuxta rationem illam, qua scriptura dicit: vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus. Cęterum cum orasset, ne delicta, & ignorantias iuuentutis eius meminisse uellet, confestim subiunxit illud. *Secundum misericordiam tuam memento mei.* Nam iuxta misericordiam recordatur Deus, cùm delictorum non reminiscitur.

EVSEBII. Non puto hæc ipsi Dauid tantum congruere, quãtum iis, qui priora delicta sua confiteri didicere. quoniam non reperimus ipsum Dauid in iuuentute sua, neque in puerili ætate peccauisse, nec quicquam per ignorantiam ab eo factum fuisse, num igitur dicendum, quod hoc Psalmo loquatur de doctrina, quæ diuinę cognitionis ignaris egrotantibus, & in ætatis flore iuuenilibus delictis, tanquã medicina à medico tradita est. ut ea docti, quæ per ignorantiam peccauere, faterentur, ea Deo reuelantes, & tanquàm uetera animæ suæ uulnera eidem denudarent, orantes, ut medelam, & curationem illius misericordia consequantur.

THEODORETI. *Reminiscere miserationum tuarum Domine.* Mansuetè (inquit) ac benignè semper homines tractas, nunc quoque, ut hanc tuam benignitatem experiar, oro, & tuæ lenitatis, non peccatorum meorum sis memor. Et mei recordatus ò Domine,misericordia tua erga me utaris,non ad iustitiam te uertas. Hoc.n. & superius precatus est. secundum magnam misericordiam tuam memor sis mei.

ATHANASII. *Delicta iuuentutis meæ.* Vecordiam intelligit, & insipientiam. Insipientia uero manifesta est Idololatriæ tempus. Delicta iuuẽtutis appellat, quæ populus in Aegypto fecit, siquidem ibi Idololatrię inseruierunt. Nunc autem delictorum illorum ne reminiscaris, sed humanitatis & benignitatis,quàm & tunc ostendisti,memor esto.

ORIGENIS. *Secundum misericordiam tuam memento mei.* Cum homines aliquarum rerum recordantur,in seipsis commouere solent pręcognitorum imagines: At Deus dum rationalis naturæ meminit, ipsa gignitur, huius enim dicitur meminisse, in quem uenit, uenit autem prius per rerum speculationem, postea uerò per sui ipsius cognitionem.

Propter bonitatem tuam Domine.

Bonus,& rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in uia.

Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites uias suas.

Vniuersæ uiæ Domini misericordia, & ueritas, requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.

Propter nomen tuum Domine, & propitiare peccato meo, multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuet ei in uia, quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram.

Fortitudo est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

DIDYMI. *Firmamentum.* Cum Deus misericors sit,& bonus, bonitatem habet ingenitã, cuius causa pœnitentis memor est. Et rectus est,uel quia non est natus ad peccandum,uel quod peccantes corripiendo dirigit. vnde, *& legem dabit delinquentibus in uia.* nam malè agentes legi subiicit, ut si lege à peccatis coerceantur, ad salutis semitas traducantur. *Diriget mansuetos in iudicio.*

iudicio. legem sanciens Deus, constantes, & mites in iudicio diriget. Huiusmodi autem sunt, qui duabus uiis propositis ducentem ad uitam, illi, quę ad perniciem trahit, anteponunt. Ipse aute Dominus postquàm mansuetos in iudicio direxerit, docebit quoque illos uias suas, uel eas quæ ad ipsum ducunt, per quas ipse incedit, nam qui à tergo Dominum sequitur, uias illius perdiscet.

EVSEBII. Bonus etiam (inquit) & rectus est Dominus, cum omnia benè, ac rectè disponat, uiam rectam diligat, prauaque in uiam rectam ducat. Propter hanc causam delinquentes non auersatur, neque contemnit ut in peccatis suis eos perire sinat, sed tanquàm benignus Saluator ægrotantium magis, quàm ualentium curam habet, hisque pœnitentiæ uias præscribit, atque eas leges proponit, quæ ad sanitatem illis conducere uideantur. Est enim quædam conuersionis, pœnitentiæ, ac confessionis uia, quæ peccantibus salutem ostendit, tanquàm altera ab ea, quæ pefectis tradita est, nam Deus legem sanciens aliam quidem peccantibus, alteram his qui conuertuntur, & aliam rursus in uirtute proficientibus, aliam perfectioribus, & prouectis commōstrat: propterea peccantibus uiam ostendit, mites uero causa illorum iudicata diriget in iudicio, & illos tanquàm præstantioribus prospiciens beatitudinibus, dignos reddet. Iuxta illud. Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Quos etiam docet uias suas, Aquila, & Symma *Matth.5.*
chus, uiam suam, dixerunt, nam per hanc uiam Saluator ipse perrexit, iuxta illud. Discite à me, *Matth.11.*
quod mitis sum, & humilis corde. Eos igitur per hanc ducens, dux illorum, & manuductor efficitur. Ideo tanquàm sapiens legislator aliam quidem peccantibus, aliam uitam mansuetis ostēdit. *Vniuersæ uiæ Domini misericordia*. Multæ sunt diuinę prouidentiæ uiæ, ueruntamen in iis omnibus misericordia Dei præcurrit. misericordiæ comes est ueritas, miseretur enim omnium, & nihil odit eorum, quæ fecit. nam si aliquid odisset, illud sanè non condidisset. Quærentibus *Sap.11.*
uero testamentum eius, & testimonia eius, & in horum peruestigationem incumbentibus, quæ sitorum ueritatem is impendit, qui dixit. Quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis. *Luc.11.*
Testamentum autem est in uniuersum omnis scriptura diuinitus inspirata, & hominibus tradita. *Testimonia* uero illius sunt, uel quæcunque de ipso per Prophetiam in diuinis literis conscripta sunt, uel quæ ab ipso per contestationem res diuinas edoctis nunciata fuere.

DIDYMI. Vniuersæ uiæ quæ ad Dominum ducunt, uel in quibus ipse prędicto modo ambulat, ueritate directæ, & cum bonitate pariter perac̄tæ, *misericordia sunt, & ueritas*. Opus est autem in primis ut misericordiam quispiam consequatur, quo eas ingredi possit, atque ita proficiscendo, ad ueritatem ipsam perueniet. Cæterum eius uiæ non considerantur ab omnibus, sed tantum ab *exquirentibus testamentum eius, & testimonia eius*, à quibus, qui abest, expers est bonitatis, & pulchritudinis uiarum Domini. Perquirendum igitur est testamentum, quod Deus patribus disposuit, cum de intellectuali Aegypto, hoc est, de [illegible] idolorum errore, illos eduxit. nam illud uetus exquirentes, & scrutantes, nouum quoque testamentum ingrediemur, quod IESVS tanquàm agnus sanguine proprio confirmauit. omne namque testamentum irritum est, nisi mors intercedat testatoris. Propterea dicit Apostolus, Testamentum enim in *Heb.9.*
mortuis confirmatum est. siquidem non ualet, uiuente eo, qui testatus est. Ideo cum IESVS testamentum suum obfirmare uellet, mortem subit, porrò in testamento, tum Dei testimonia, tum ii qui testati sunt, necnon sermones, quos ille inspirat, perquirendi sunt.

THEODORETI. *Propter bonitatem tuam Domine*, nullis pro meritis meis, sed propter benignitatem tuam, hanc misericordiam me consequuturum spero. nec indecenter his uerbis usus sum, quippe cum te non tam iustum, quam benignum Dominum esse norim. Quod nos passim diuina scriptura docet. Misericordiam (inquit) & iudicium cantabo tibi Domine. Et, *Psal.100.*
Misericors, & miserator DOMINUS iustus, & DEUS noster miseretur. Et, DEUS iudex iustus, *Psal.114.*
& potens, & patiens, & non irascitur per singulos dies. *Propter hoc legem dabit*. Hoc apertè *Psa.7.*
magis Symmachus explicauit, dicens. Propterea peccantibus uiam demonstrat. Siquidem bonitate sua utitur, non statim cum peccauerint homines puniens, sed & rectam ipsis uiam ostendit, & pœnitentię legem docet. quin etiam mansuetos, ac simplices rerum naturam dignoscere, atque omnia eius arcana discernere facit, nec simplicitas ignorantiæ comes addita, in errorē uiarum cum detrimento salutis inducat: Post hæc prædictarum uiarum uim, & naturam ostendit, dicens. *Vniuersæ uiæ Domini*. Nam sacrarum literarum cultores per ipsas exactè discunt, uniuersas DEI, & Saluatoris nostri administrationes, misericordia, & ueritate temperari, nam resipiscentibus, & pœnitentiam agentibus misericordiam, & ueniam delictorum concedit, strenuos autem uirtutis Athletas laudum præconiis extollit, & lata sententia ueritate coronat, de illis uero qui semper peccauerunt, & nunquā pœnitentiam egerunt, ex ueritatis præscripto supplicia sumet.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. Ego igitur te, ut peccatis meis propitius sis obsecro, non propterea quod quàm accuratam de illis pœnitentiam egerim, sed propter bonitatem tuam, qua benigni nomen habes, namque omnem meam spem in tuo nomine collocaui.

DIDYMI. *Propter nomen tuum Domine*, ego seruus tuus exquiram testamentum tuum, libertatem, uel hæreditatem abs tè mihi tanquàm in filium coaptato segregatam expectans, quin te obsecro propitiare peccato meo, non quod etiam perpetratur, sed quod fieri desiit, nam multum est, non magnitudine, sed comparatione ad eam, quæ mihi puritas adesse deberet. *Quis est homo, qui timet Dominum?* Rarum esse ostendit, & inuentu difficilem, hominem, qui Deum timeat. Huic uero Deum dicit, uiam statuisse, quàm elegit, uel ipse Dominus, uel qui timet eum.

ATHANASII. *Propter hoc legem dabit.* Peccantibus uiam salutis ostendet.

ORIGENIS. Iusto enim lex non est posita: Causa .n. est, quoniam & iustum illi adest, *Propter hoc legem dabit delinquentibus in uia*, hoc est à statu peccandi ad pietatem conuertet, & quod ad peccatores attinet, iustum inquit ostendet, quo ad alios autem bonitatem: quare infert: *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites uias suas.*

THEODORETI. *Quis est homo, qui timet Dominum?* Hortatur hic, & utilem admonitionem affert, & timentibus Deum omnis generis operam pollicetur, & quoniam plures sunt, ac diuersæ uiuendi rationes, solitariæ, communes, desertæ, urbanæ, priuatæ, & militares, Regales item & quæstuosæ, nauticæ, & rusticæ, aliæ multæ, & diuersæ, in singulis autem fieri potest, ut Deo placeamus, ideo Propheticus sermo (inquit,) *Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in uia, quam elegit.* Videlicet in eam uitæ rationem, quàm quisque elegit, utiles, & congruentes illi leges imponuntur. Simili ratione Ioannes Baptista sciscitantibus publicanis quid agendum esset, respondit. Nihil amplius quàm quod præceptum est uobis, faciatis. Milites monet, ut neminem perturbent, suis stipendiis, hoc est decreto uictu contenti sint. Neque minus Diuus Paulus, & seruis, & dominis, & filiis, & patribus, & uxoribus, & uiris, mutuas leges præscripsit, iis autem, qui eas seruauerint, prophetica lex eorum animos in bonis constituendos, & semini eorum benedictionem pollicetur. Quoniam uero expetendum maximè erat apud Iudæos filios procreare, ac hæredes relinquere, quin etiam id non solum ipsis Iudæis, sed reliquis hominibus, qui cõmunem uitam complectuntur optatissimum est, ideo ab huiusmodi desiderio homines auertit, eosque ad uirtutis actiones præsentibus fructibus inflammat. *Quoniam firmamentum est Dominus timentibus eum.* Hoc aperte magis Symmachus & Theodotio interpretati sunt. Mysterium Domini timentibus eum, & testamentum ipsius declarabit illis. Sed liceat Dominum ipsum per Isaiam dicentem audire. Mysteria mea mihi, & meis. Hæc uero non passim nec temerè omnibus, sed eum timentibus manifestat, & diuinorum eloquiorum propositum demonstrat, sed septuaginta dicunt. Firmamentum est Dominus timentibus illum.

Luc. 3.

Col. 3.

Isa. 24.

DIDYMI. *Anima eius in bonis demorabitur.* Anima pii, quę nondum supra bona constituta est, in illis immoratur, ea continenter agens, & ideo semen eius in uniuersam terram, non quàm pedibus calcat, sed mitium terram in hæreditatem accipiet.

ATHANASII. *Anima eius in bonis demorabitur.* Actiones illę, quæ ad intellectualẽ terrã hæreditandã cõciliatrices factę fuerint, semina terre, fiẽt bonorũ, uiris illis qui secũdũ Deũ renouabũtur. Huius (inquit) semẽ hæreditabit terrã, nã perueniet (ait) benedictio usq; ad posteros suos.

EVSEBII. Audiãt (inquit) quotquot Deum timent, quique per eam uiam, quàm elegerunt incedentes, expectant eum, quid eos manet, nunc quidem calamitatibus premitur, ut eum premi conuenit, qui pietatis certaminibus exercetur, cæterum adueniet tempus, quo anima illius in bonis demorabitur. sed in quibus aliis bonis, nisi in iis, de quibus dictum est. quę oculus non uidit, nec auris audiuit? Et reliqua. Tum igitur semen inde quasi iactum in terra quandiu in terra fuerit, multos hæreditate donabit, effectu pluribus salutis initium. Semen uero, quodnam aliud est, quàm doctrina, sermones, & scripta, uel uiri, qui secundum Deum, ab ipso geniti sunt & eruditi. Per quos etiam, postquàm illis requies in summis bonis tradita fuerit, innumerabiles uiri hereditatem propè Deum consequentur, cum & bonis seminibus orti, fructus diuinos habuerunt. *Firmamentum est Dominus.* Aquila, Arcanum Domini uertit. Symmachus colloquium Domini. Theodotio & quinta editio, secretum Domini. Eo enim beatitudinis peruenit qui Deum timet, ut diuino colloquio dignetur, Et illis Deus arcanum suum, & secretũ suum, atque item mysteria, quæ in testamento ipsius, hoc est in diuina scriptura continentur, nota reddat.

NICEPHORI.

NICEPHORI. *Propter hoc legem dabit*. Quoniam non ſolum rectus, uel iuſtus, ſed & bonus eſt, non ſtatim peccantes obſeruat, ſed hos in uia ſalutis diriget, & conſtituet, ut per eam, ſi uelint, incedant. *Diriges manſuetos*: Sed & manſuetos, & contendere neſcientes diriget, in diſcretione recti, ne ob eorũ ſimplicitatem decipiantur. *Vniuerſæ uiæ Domini*: Vias Domini appellat legis mãdata, quę Dominus hominũ miſertus ſtatuit. quę uera ẽt continẽt, utpotè, quæ à uero Deo ſunt condita. *Et propitiare*. Illud, *&*, uacat hoc loco, *legem ſtatuit ei*. Quoniã diuerſæ ſunt uię quæ ducunt ad ſalutem, uiæ inquã ſcilicet uitę diuerſæ, ac conuerſationes ſecundũ Deũ, quãcũq; ſibi uir Dei elegerit, in eam ſibi conſentaneã legẽ à Deo impoſitã inueniet. hoc eſt doctrinam, & regulas inſtituti ſibi à Deo datas habebit, *anima eius in bonis demorabitur*, ſoluta à corpore perpetuis bonis in tabernaculis Dei perfruetur. *Et ſemen eius*. Legitimi, & germani eius diſcipuli & & qui eandem habuerint morum, & ſpiritus rationem, cœleſtem chorum hęreditabunt. *Firmamentum*, robur, murus, *& teſtamentum eius*, lex (inquit) Domini, eis declarabit quid agendũ ſit.

Oculi mei ſemper ad dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.
Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus, & pauper ſum ego.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.
Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte uniuerſa delicta mea.
Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniuſto oderunt me.
Cuſtodi animam meam, & erue me, non erubeſcam, quoniam ſperaui in te,
Innocentes, & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te Domine.
Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.

THEODORETI. Oculos hoc quoq; loco mentis oculos intelligit, quos ſemper ad Dominũ ſe habere dicit. utpotè qui nouerit, eius ſe protectione paratas ſibi ab inimicis inſidias declinaturum. *Vnicus*, ſolus, reliqui interpretes expoſuere, Dicit aũt. Quoniã omni ope deſtitutus ſum, ſupplex oro, ut auxilium tuum conſequar. *Reſpice in me & miſerere mei*. Optimè hoc poſitũ eſt, intuere quæſo (ait) ſolitudinẽ meã, & inimicorũ obſidionẽ. nã cũ me deſtitutũ uideris, & obſeſſũ, ſanè miſereberis mei. nã multæ me afflictiones circundant. Cũ ergò huiuſmodi abiectionem, & inopiã meã peccatis meis compenſaueris, concede remiſsionẽ, & ueniam præſta, quod ſi tua dignus benignitate non uideor, cùm tot, ac tantis calamitatibus confligens, ſaltem cũ iniuſtas inimicorum inimicitias inſpexeris, me miſericordiæ tuę participẽ reddes. Ego .n. præteriens mandata tua, in te peccaui, at illi, cũ me arguere nequeant, iniuſtè bellũ mouent. *Cuſtodi animam meã*, nam ſi aliquas ex tuis legibus prætergreſſus ſum, non tamen à prouidentia tua me ſeiunxi, propterea, & ut ab hoſtibus eripiat, & ut conſeruet, obſecro. *Innocentes, & recti adhæſerunt mihi*. Et hoc propriũ uirtutis eſt improborum congreſſus odiſſe, cultores ęquitatis, & rectè uiuentes, & à malitia abhorrentes, domeſticos, & amicos habere: quod Propheta ſe obſeruaſſe dicit. ut ſe propterea Deũ colere declararet. *Libera Deus Iſrael*. Digna Rege precatio, nanq; in imperio conſtitutũ decet ſubditorũ rebus prouidere, ideo beatus Dauid, nõ tantũ pro ſe orat, ſed & pro ſibi cõmiſſi populi utilitate precatur. Poſſunt hęc uerba aliũ ſenſũ habere. Diſtributus fuerat Iſrael ſub Saul, ſub Mẽphiboſeth, ſub Abſalõ, & ſub Samee, ait igitur, ſi auxiliũ tuũ cõſequar, & inimicis meis prçualuero, ipſe quoque Iſrael inteſtino bello ablato pacem aſſequetur, & bonis omnibus perfruetur.

EVSEBII. *Reſpice in me*. Non propter rectè facta ſalutem mihi tanquã debitam, peto, noui .n. quod poſtquã oĩa, quæ à me fieri poſſunt præſtitero, tuo quoq; inſuper auxilio mihi opus forè, proinde reſpice in me, & miſerere mei. nã mihi ſpes reliqua eſt ad ſalutẽ, cũ nouerim hoc eſſe piorũ oĩum ſe ipſos in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtiis, in pſequutionibus affligere, ſed illorũ finẽ non ignorat. quare ut hunc conſequãtur Deũ ſuppliciter orãt dicẽtes, *De neceſſitatibus meis erue me*. vt uitę huius neceſsitates calamitates, & infortunia egredientes, dicere aliquando poſsint. Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Pſa.65.

DIDYMI. Vnicum ſe ipſum dicit, ſecundum eum, qui inquit. Ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Ideo pauper etiam ſum, nullum ab æmulis meis auxilium habens. 3.Reg.19. Animaduertendum autem eſt, quod unicus, ſolum ſignificat, quemadmodum, & unicum ſolem dices, quia ſolus eſt. Veruntamen non dices propterea unicum Filium, nam ubi unico Filius additur, uel ex patre, unicum dicitur, illud ſolum, quod ab ipſo natum eſt. Tribulationes uero cordis intelligere poteris controuerſas, & perturbatas cogitationes. *De neceſſitatibus meis erue me*. Ex circunſtantibus, qui neceſsitatem, ac uim quandam afferunt, ut me à propoſito, & inſtituto meo auertant. Eripe me, *Vide humilitatem meam*. Cum quiſpiam delictorum ſuorum ſenſum accipit, ſeq; propterea demittit, & amiſſa loquẽdi libertate, propter cõparandos ſibi pœnitentiæ fructus laborãs, dicere poſſet. *Vide humilitatẽ meã, & laborẽ meum, & dimitte uniuerſa delicta mea.*

Respice inimicos meos. Vbi quis à peccatis destiterit, quæ prius admittere solebat, tum peccatorum authores Dæmones inimicos habebit hunc quoque perditi homines insidiis appetentes odio iniquo persequentur. Iniquum odium est, quod in eos exercetur, qui nihil dignum odio committunt, cum alioqui mali iustè odio habentur. *Custodi animam meam*. ne iis, qui me iniquè oderunt, subiiciar, sed & illam eripito ab iis actionibus, in quibus illam capere possent. non oportet auté nos esse deiectos, & languidos, sed in misericordia Dei spem ponere, aliàs nos quo que oportet fructum aliquem bonorum operum afferre.

EVSEBII. Quæ ad me attinent, diligenter curo. quæ à te proficiscuntur, uehementer peto. Ego igitur castigo me ipsum, & eorum, quę prius admisi à me ipso pœnas exigo. neque in ęrumnis, & afflictionibus humiliter demitto. Tu uero Deus tanquàm certaminum munera tor, certamen, ac labores meos intuens, dà peccatorum ueniam, remitte delicta quæcunque admisi, quin etiam hostes meos intuitus, quotquot mihi dolos struunt, & quàm iniusto me odio persequuntur, uidens, fias animæ meę custos, & libera me ex insidiis inimicorum. Cum uerò tã grauia peccata patrauerim tantaq; , postulem, oro ne me confundi permittas. nam te spem meã constituens. compertum habeo atque adeo persuasus sum, quod spes non confundit. *Innocentes, & recti adhæserunt mihi*. Et hoc mihi præter cętera, quę rectè feci magni ponderis fuit, idque tibi Deo gratum esse noui, nam pluribus uitæ innocentis, tollerantiæ, pœnitentiæ, ac confessionis exemplar factus sum, quamobrem innocentes, & recti mihi adiuncti sunt, & non alia ratione eorum consuetudine me dignum putarunt, quàm quod constanter, & forti animo aduersa omnia tuli, teque spem meam omnibus in rebus constitui. Quibus omnibus subiungit. *Libera Deus Israel*. Aut ipse idem, qui confitetur, ob prædicta rectè facta se ipsum Israelem appellat, (hic. n. est, qui mysticè Israel est) aut qui edoctus est, non se ipsum solum custodire, neque sibi soli studere, seu pro se ipso tantum Deum orare, sed postquàm officia omnia præstitit, seq; & sua probè constituit, pro uniuerso Dei populo supplicatur. & orat, ut quemadmodum se cœlitus ex tribulationibus suis eripere dignatus es : ita uniuersum populum Dei, qui mysticè Israel appellatur, liberare dignetur, quoniam Deus ipse illum ex omnibus suis tribulationibus liberare potest.

DIDYMI. Innocentes uocat, uel expertes malitiæ, uel simpliciores. Rectos aũt, qui perfectam uirtutem exequuntur. Hi ergo (inquit) mutuo consensu mihi adhæserunt, quia te Domine sustinui. Sed fortè innocentes probos homines, rectos diuinos Angelos eidem adhærentes uocat, quod probum uirum Diuinæ potestates circunsistant.

NICEPHORI. *Quoniam unicus, & pauper*. Vnicus. i. solitarius, & propterea pauper, tan quàm omni humano auxilio spoliatus. *Vide inimicos meos*. Contritiones, & erumnas meas tàm corporis, quàm animi, considerans, & peccatorum meorum, quæ earum causæ sunt, ueniam con cedas: *innocentes, & recti*. Bonis, & iustis dedi ut mecum in amicitiam consentirent. *Israel ex omnibus*. Est autem uerè Israel, quicunque Deum per fidem uidet.

ORIGENIS. *Oculi semper ad Dominũ*. Qui omnia dicit, & agit, ut Deum cognoscat, is oculos animæ semper habet ad Dominum. *Quoniam unicus & pauper sum ego*. Qui spiritũ adoptionis non accepit, nequaquam sanctarũ potestatum & ipsius Christi frater efficitur: Dicatur autem unicus, & pauper, qui cognitionis diuitiis priuatus est. Arbitror autem Dauid, cum hæc
Psal. 50. canere moderatè instituisset, Deum illi incerta, & occulta sapientię suæ demonstrasse.

HESYCHII. Humanitatem confirmans tanquàm unigenitus orat, pauper autem, propterea quod non habet, ubi reclinet caput suum.

ORIGENIS. *Vide humilitatem meam & laborem meum*. Non omnis labor peccata eximit, sed ille qui propter Dominũ in agendo impenditur. Ait aũt; Acquiesce ò Domine, & satis tibi factum sit inflictis mihi tribulationibus, & accide ex pœna, quã propter delictorum multitudinem sustineo. Cæterum humiliatur qui loqui non audet ex consensu peccatorum & laborat propter pœnitentię fructus. *Custodi animam meam, & erue me*. Rectè duo petiit, & in captiuitate, ne à Babyloniis aliquid mali patiar, custodi me inquit, & etiam libera me.

PSALMVS XXV.

Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum.



HESYCHII. Quæ ad inscriptionem pertinent, differenter, & egregiè dicta sunt. Huius autem Psalmi argumentum in præcedenti allatum est. quod ex persona est eorum, qui ex se uirtuti student & dicunt. *Iudica me Domine, quoniam in innocentia ingressus sum.* Illud obseruandum est, uerbum *iudica* interdum accusandi, interdum uero dandi casu adiungi: Accusandi casum quærit, cum damnare, & sententiam in aliquem ferre significat, dandi uerò cum ius dicere, ac disceptare. Hic autem cum dandi casu iacet, prò eo, inter Babylonios, & me discepta, & discutias quod ego ab omni procul malitia absum, illi omni uitio coinquinati sunt.

ATHANASII. Introducitur persona eorum, qui crediderunt in Christum, cum interim negarent, & contra dicerent Iudæi, qui communi conspiratione conuenerunt aduersus Dominū Psa.2. & aduersum Christum eius.

EVSEBII. Siquis ad ipsum Dauid propositos sermones referat, propriè colloquium ab eo dè propria uita cū Deo haberi dixerit. Nā cū diuus Apostolus dicat. Primū oīum obsecrationes 1.Tim.2. fieri oportere, orationes, postulationes, gratiarū actiones, & ea in genera quattuor partitus sit, par est, ut nos qui sensum interpretamur, in ea, quæ in libro Psalmorū cōtinētur, quā accuratè incūbamus. nā ex illis alii sunt, qui obsecrationes habent, alii orationes, quidā postulationes, & quidā in omnibus gratiarū actiones. Quod uero sit inter ea discrimen, ex uniuerso Psalmorū libro prædictorū proprietates colliguntur. Obsecrationes eas esse, quæ exhortationes, & supplicationes continent, in quibus confessiones quoq; collocātur. Cuiusmodi est uigesimusquartus Psalmus. qui non Canticū, non Psalmus, non Hymnus, seu aliquid eius generis, sed simpliciter ipsi Dauid inscriptus est. Orationes uero sunt, quęcunq; orationū inscriptionē habent, huiusmodi sunt sextusdecimus, octogesimusquintus, octogesimusnonus, centesimusprimus, & centesimusquadragesimus primus. Gratiarū actiones sunt hi, qui similiter atque cētesimussecundus sese habēt. Vbi dicitur. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci oēs retributiones eius. Postulationē uero cōtinet is, quē prę manibus habemus: in quo scriptū est. *Iudica me Dñe, qm̄ ego in innocentia mea ingressus sum: &: In Domino sperans non infirmabor.* Dices ergò, propterea quod Dauid ita cęperit, uiros pios, & Dei amicos inter cætera eorū rectè facta conspicuis quibusdā, ac eximiis uirtutibus claruisse, in quibus eorū quilibet illustris & celebris habitus est. ut (exempli gratia) in castitate, Ioseph: in malorum tolerantia, Iob. Solomonē in sapientia, atq; prudentia. Abraham per fidem iustificatus est. atq; alius demum aliis studiis præstans uirtuti suæ testimoniū fecit, his igitur similis beatus Dauid cum selectam uirtutem possideret, mansuetudine decoratus est. Quia Saul sæuientem & creduliter persequentem, & mala innumerabilia in se machinantem mansuetè, ac patienter sustinuit. Quoniam ergò præcipua quædam uirtus extitit ipsius Dauid, mansuetudinis inquā humilitatis, ac tollerantiæ, hæc omnia simul collecta, innocentię nomine appellauit. & ut qui præcipuè in hac parte se optimè gessisset, in petitione, quam ad Deum habuit. Iudica me (inquit) *Domine; quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.*

THEODORETI. Hunc quoq; Psalmū beatus Dauid ad se ipsum dixisse mihi uidetur. Arbitror ēt hunc ipsum ante superiorem editum fuisse. cum ibi dicat, propitiare peccato meo, multum est. hic uero proprias uirtutes percurrat. Vnde reor illum his uerbis usū, cū Saul ipsum persequeretur, & ipse pulsus apud alienigenas uersari cogeretur. quos impietati, superstitioni, & cuilibet iniquitati addictas cum cerneret, cætus illorum, & epulas, quas dæmonibus consacrabant, detestabatur.

Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum. & in Domino sperans non infirmabor. Proba me Domine & tenta me, ure renes meos, & cor meum.

THEODORETI. Cum aūt uita (inquit) integer, & sceleris purus fuerim, cumq; nil mali in Saul machinatus sim utcūque acerbè exagitatus, & malè exceptus essem, Te Domine supplex oro,

ut causæ meæ iudex esse uelis, te siquidem Deum esse noui, & spes meas in tua prouidentia collocaui. Confidoq; in hostium manus me nunquam uenturum. *Proba me.* Hinc patet hunc Psalmum peccato esse antiquiorem, nam hic tanquàm simplex, & innocens, & peccati immunis offerri sibi periculosa cupit certamina. Renes autem, & cor (ut sæpe diximus,) cogitationes appellat.

Didymi. Nemo, qui peccat, iudicari de iis, quæ gessit, desiderat, præsertim ab eo, qui occulta uidet. Qui uero in innocentia, & simplicitate ingressus est, hoc est, profectò, Deum iudicem fortiri optat. nouit enim se mercedem uel hęreditatem propterea percepturum. *Et in Domino sperans, non infirmabor.* Amplectens quam erga Dominum spem habeo, ab ea corroboratus non infirmabor. In nonnullis etiam exemplaribus legitur, Non commouebor. qua lectione hoc ostenditur, spes mea in Deum sedem mihi stabilem, & immotam præstat, sperans in

1. Cor. 10. Domino non commouebor. *Proba me Domine.* Quoniam non qui se ipsum commendat, sed quem Dominus commẽdat probatus, cum Dauid testatus sit se in innocentia ingressum minimè infirmatum fuisse, probari se à Deo per certamina petit, ut cum iustus appatuerit, habeat probationem. Tentabitur autem, ut cum tollerantiæ specimen dederit, commendationem referat. *Vre renes meos, & cor meum.* Iam dictum est prius, renes ad cor habere quandam rationem. Per laboriosa ergo certamina, & renes & cor suum probari postulat, ut tanquàm aurum probatus, à Deo suscipiatur.

Evsebii. Quoniam de se ipso deq; innocentia sua, & egregia simplicitate gloriari uehementer uisus fuerat, corripit se, & necessariò sequentia subiungit. *Et in Domino sperans, non infirmabor.* Necessariò igitur se diuinæ spei affixum esse dixit, seque ipsum accusat, ut qui concuti, euerti, ac infirmari possit, cum alioqui spe in Deum fretus nihil mali sit perpessurus: quoniã spes Apostolo teste, non confundit.

Athanasii. *Quoniam in innocentia mea.* Innocentiam dicit nom communicare cum perfidia, & desidia Iudæorum. Inducit enim Psalmus personam eorum, qui in Christum credituri sunt, & cum insanientibus in eum non se coniunxerunt. *Et in Domino sperans non infirmabor.* Qui sibi ipsi, aut alteri cuipiam confidit, infirmari potest, qui uero in Deo sperat, non commouebitur. *Proba me.* Inquire animi mei profunda, & me inuenies in te solo confidere, quod quidem me tibi gratum facit, ut qui tuam diligam ueritatem. *Vre renes meos*; quasi dicat succende & examina intimas animi mei cogitationes, & perscrutare, an ita me habeo, ut dico. Porrò alia est hic succensio Domini, quàm Propheta hic optat ab ea, quæ fit ab ardentibus maligni sagittis: nam Dominus deteriora consumit, & renes & corda expurgat, malignus autem libidines & affectus excitat, propterea ignis, qui in rubo erat, non exarsit; qui uerò in iudicibus est ex ramno comburere dicitur.

Origenis. *Et complacui in ueritate tua.* Si Christus Deus noster ueritas est, quoniam dixit, Ego sum ueritas, In ueritate autem placuit Deo Dauid, in Deo igitur Deo placuit Dauid propter hoc dixit, studui placere in ueritate tua. i. tibi. nam per circunscriptionem ipsum Deum appellauit Dei ueritatem. siquidem misericordia Dei secundum ueritatem, & non secundum fucũ ut Deo placeamus efficit: Est autem uox ista sapientis, & speculantis ueritatem, post hęc placiditatis species percurrit.

Athanasii. *Non sedi cum consilio uanitatis.* Iniquorum gentis Iudęorum principũ concilium apertè damnat in eo, qui corda nouit, & scrutatur.

Origenis. Ista Philippis & hæreticis dicenda sunt; omnia uero hæc posuit, cum uoluerit ostẽdere, se in Idolorum celebritatibus nunquàm communicasse, neque illustria & magna quoque impiorum amasse, & neque ipsum Babyloniorum diuitias perculisse, sed inter ipsorum consuetudinem illi pietatem, & humilitatem affuisse. Et per hoc concilium uanitatis, seniores, pro iniqua agentes, peccatores iniquos, laicos intellexit. *Et audiam uocem laudis tuæ.* Intelligit ea, quę in templo Hierosolymis agebantur. non. n. alibi erat audire.

Athanasii. *Domine dilexi decorem.* Domus decor sunt decentes in Ecclesia in Dei cultu perseuerantes.

Origenis. *Dilexi decorem.* Animam affectibus incontaminatam seruaui.

Evsebii. Neque mundum, nec quicquam in mundo, nec ullum uisibile, aut temporarium, sed te solum, & tua dilexi. *Ne simul perdas cum impijs.* Simile hoc illi est. Nec simul perdas iustum cum impio, & erit iustus, sicut impius. liberari autem se petit ab impendenti Iudæorum supplicio.

Gen. 18.

Origenis. Tanquàm iustus etiam possit unà cum impiis perdi, hæc inquit, sue boni

cum malis, aut mali cum bonis cohabitant, aut in terrę motu hæc conueniunt. Ne des mihi partem cum impiis, ne cum illis pariter perdar. *In quorum manibus iniquitates*, idest qui prompti & parati sunt nocendum.

Athanasii. *Dextera eorum repleta est muneribus*. Pro munerum corruptione, hoc dictum est, muneribus .n. quod iustum est præuertunt.

Origenis. Quoniam iniquitatem operati sunt, ideo dexteram eorum muneribus impleuerunt, iustitiam.n. donis produnt, nos autem non sic agimus; quare infert. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.*

Quoniam misericordia tua ant oculos meos est, & complacui in ueritate tua.
Non sedi cum consilio uanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo.
Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.
Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.
Vt audiam uocem laudis tuæ, & enarrem omnia mirabilia tua.
Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.
Ne simul perdas cum impijs animam meam, dextera eorum repleta est muneribus.
Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me Domine & miserere mei.
Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine.

Theodoreti. Vt probatus sim, tanquàm aurum igni examinatum precor, quoniam tuæ misericordiæ confido, & inde opem expecto, hac enim suffultus sum. *Et complacui*. Enumerat hic placabilitatis species, ita enim (inquit) cultui tuo deditus sum, & illi studui, ut cum apud impios, & iniquos esse cogerer, illorum conuenticula, & noxias consuetudines effugi. Significat autem his uerbis se apud alienigenas uersatum fuisse, cum quibus propter fugam habitare coactus est, cum alioquin nec impietatis aut iniquitatis eorum particeps esse, nec commertium cum illis habere uoluerit. *Lauabo inter innocentes*. Ab horum superstitioso cultu ualde abhorreo, attamen altare tuum Domine intueri, tuasq; diuinas cantilenas percipere, atq; miraculorum tuorum magnificentiam alios docere opto. Illud uerò, *Lauabo inter innocentes*, non dissimile est Matth.27. à Pilati facto, qui cum Iudęorum homicidii particeps esse nollet, manus lauit, quo facto ostendit se illius cædis immunem. Dauid ergò tanquã innocens, & nihil commune cũ illis habens, confidens ait, lauabo ẽt manus. *Domine dilexi decorem domus tuæ*, pro *decore* adytum, pro *uiris sanguinum*, uiris homicidis, Symmachus posuit. Quã celerrimè (inquit) ab istorum consuetudine libera me Domine, me inquam, domũ tuam gratia splendidam ingredi cupientem. nè cũ impiis hominibus, & homicidis, qui muneribus corrumpuntur, qui iudicia peruertunt, & iustitiã produnt, pariter intercam. atq; his uerbis eosdẽ iterum significauit. *Tabernaculum* uerò domum uocauit, nondum.n. sacrũ templum cõstructũ fuerat; quamobrẽ subiunxit, *& locum habitationis gloriæ tuæ*, tantisper aũt dũ uersarer cum illis, fidei simplicitate usus sum, & ab omni malitia me seiunxi, cumq; in pietatis integritate pedes firmauerim, securus, & firmus constiti, oro aũt, & efflagito, ut usque in finem huiusmodi statũ seruem, quod fiet, si ab eorũ consuetudine liber ero. *In Ecclesiis benedicam te Domine.* Iã liquet Dauid in se ipsum hunc Psalmum dixisse, pollicetur autem in omnibus totius orbis Ecclesiis per Psalmorum decantationẽ laudaturũ, & benedicturum se Dominum, utpotè qui propheticis oculis totius mundi conuersionem præuiderit. Cæterum Prophetia hęc finem suum est consequuta, siquidem terra, mariq; piorum hominum linguis, magnus Dauid Deum beneficii authorem decantat.

Didymi. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est*. Nunquàm ea quæ narraui tã laboriosa expetiissem, nisi misericordiam tuam mihi ad ea perferenda adiumento futuram constituissem. *Et complacui in ueritate tua*. Perspecta mihi misericordia tua, cum sit coram oculis meis, mihi auxilio est, ut in ueritate tua complaceam. Efficit.n. misericordia Dei, ut uerè, & non simulatè Deo placeamus.

Eusebii. *Proba me Domine*, non ut qui arroganter, & superbè se efferat, hęc uerba protulit, sed tanquã qui precibus agat, contendatq;, ut si purgatione opus esset, à Deo per adustionem purgaretur. Hortatur ergò ut probetur, ac experimentum sumatur de illa uirtute, qua ipse superius tam laudabiliter uixisse ostensus est, dum non sibi confideret, sed misericordia Dei fretus esset. ait ergo sic. Te semper Deus, tuáque misericordiã habens præ oculis, omnẽ uitã meam, & uniuersas actiones meas temperabã, ut in ueritate tua tibi placere possem. Non enim dissimulatione, sed ueritate uitam meam institui, & inter homines uersatus sum, soli Deo placere satagens. *Non sedi cum consilio uanitatis*. Sicubi ergo improbi homines conuenerunt, nec de bonis rebus consilium inierunt, sed de inanibus, ac inutilibus consuluerunt, hoc (inquit) euitabam,

quo minus in illorum uanitate inhærerē & implicarer. Simili ratione quotquot præter diuinam legem aliquid moliri audebam, eos præcipuē declinaui, ut uiam illorum in errorem abducentem identidem euitarem, ac si aliquos congregatos non in uanitate, & iniquis operibus conspirantes, sed in peruersis ac impiis doctrinis in Ecclesia sibi applaudentes uidissem, hos pre omnibus, quos ante dixi, odio dignos existimabam. Cumque agmen aliud à prædictis esse scirem, impiorum scilicet, qui Deũ non agnoscentes in Idolorum cultu ac errore continenter uersantur, recedebam ab eis, ut ne cum illis quidem consedere, uel modicum commorari uellem, ne aliqua mihi inde oriretur impietatis participatio. Ideo dico. *Et cum impijs non sedebo.*

DIDYMI. *Lauabo inter innocentes manus meas.* Animę actrices facultates, manus per figuram nuncupatas inter innocentes lauat, qui nihil agit perperam, sed quod æquum, & iustum est, tantum operatur. Fortasse uero & qui turpibus, & nefariis actionibus, & sceleribus illas fœdauerit, lauat, & abstergit cum rectē factis pro aqua utitur. *Et circundabo altare tuum Domine.* Qui sceleribus prædictis immunis est, & manus inter innocentes absterſit, tanquàm purus, & innocens sacerdos, spiritale Domini altare circundabit, altare inquàm ad quod spiritales hostias facit ascendere, cum candidas preces, & opera legis offert. *Vt audiam uocem laudis tuæ.* Vt uocem Angelorum, animarum, ac iustorum spirituum te collaudantium audirem, circumsteti altare tuum, ideo scilicet, expurgatus sum, & laui inter innocentes manus meas, & prędicta omnia rectē peregi, ut enarrarem uniuersa mirabilia tua, quæ prodigiosē, & admirabiliter facis.

DIDYMI. *Dilexi decorem domus tuæ.* Qui ex tota anima Dominum diligit, is planē omnia, quæ Dei sunt, quorum unum est decor domus eius diligit. Decor uero domus Dei dogmatum ueritas est, & regularum Ecclesiæ, quæ tanquàm domus consideratur, dispositio. Dicit prę terea se gloriæ domus Dei habitationem diligere, hanc fortasse dices tabernaculum testimonii, quod in deserto Moses extruxit, quod Symbolum fęlicitatis fuit. Quàm uero Solomon post reuersionem in Hierusalē, ædificauit, domus est, cuius decorem diligit qui perfectionis typum gerit. Orat aũt ne tanquã impius malē tractetur, ne anima ipsius pariter cũ illis pessumeat, nã quicunq; piũ animũ gerit, hoc minimē experietur. Orat demũ ne sicarius fiat, ne cum uiris sanguinũ uita sua perdatur. Iniquitas.n.& omnis in uniuersum nequitia in eorum actionibus posita est.

EVSEBII. *Et circundabo altare tuum Domine.* Circunstans altare tuum hymnos pro sacrificio emittebam. atq; adeo uocem meã extollebam, ut quotquot propius accederent, eã te Deũ laudantē, & enarrantem mirabilia tua audirent. in hymnis.n.quos in laudem tuã modulabar, admiranda illa gesta, quæ progenitoribus nostris ostendisti concludebã, nec solũ altare tuũ Domine circundabã, uerũ ēt uniuersam domũ tuã dilexi, & eius decorē antē alia, qui cũ in dogmatibus piis, & sermonibus ueritatis, tũ in cæteris eiusdē generis lectionibus diuinitus inspiratis perspicitur. Cæterum decor domus Dei, tum eorum ornatus qui simul conueniunt, tũ uita immaculata, & honestas populi atq; consensus sese congregantium esse potest. sed cum terra, & solũ ipsum propter præstantem amorem erga Deum, piis ac religiosis animis diligatur, & diuersum sit à decore domus Dei nobis exposito, ideo subiungit. *Et locum habitationis gloriæ tuæ. Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Quoniam uerò qua mensura alios mensi fuerimus, remetietur &

Matth.7. nobis, ideò innocentiam, hoc est iniuriarũ obliuionem, & clementiam in eos, qui in se peccauerunt, frequenter ostendit. ut & ipse pariter peccatorum suorum impunitatem acciperet. & cum hæc simpliciter orasset, sancto & Prophetico spiritu afflatus dicit. *Pes meus stetit in directo.* Propheticē.n.dicit, quamquàm usu ueniat interdum cum pedes sui fluctuent, cõcutiantur, ac moueantur, non tamen cadent. Stabit.n.erectus ipse in Ecclesiis Deo benedicturus cum iam antea in cunctis Dei Ecclesiis, sui memoriam propagauerit, siquidem in hunc usque diē in omnibus Christi Ecclesiis Dauid ipse Domino benedicit.

DIDYMI. Illud, *Redime me, & miserere mei.* Sic intelligitur. licet supradictorum egregiorum facinorum conscius sibi esse dixerit, ueritas tamen in hoc, propterea se minimē iustificatum esse, cum sæpe in occulto delicta lateant, redimi se, ac misericordiam sibi præstari rogat.

CHRYSOSTOMI. Filii lucis in libertatem uocati, qui sedebant in tenebris & in umbra mortis, illuminati sunt redempti sanguine precioso. Obliti non sunt quę, & quanta passus est illē, qui splendor uenit, cunctos obligatos inuenit, & illaqueatos, cęcos, uulneratos, debiles, claudos, reos. Sed quia non uenerat ut iudicaret mundum, sed ut saluum faceret, & seruos à seruitu-

Ioan.12. te liberauit, & illaqueatos soluit, uulneratos sanauit, debiles confirmauit, claudos rectos fecit, reos indulgentia munerauit. nam unde erat, quod modo cantabat ex ore nostro Propheta dicens.

Redime

Redime me, & miserere mei, pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine. Vox est capitis in se membrorum personam portantis, quæ membra nos sumus, dicente Apostolo, *Rom. 12.* Vnum corpus sumus in Christo IESV. Redemptio autem hæc non est pecuniæ sed gratiæ, non corporis, sed animæ, eatenus redemptio est animæ, ut quemadmodum qui à barbaris captiui ducuntur, ita ducuntur à Diabolo capti. ille captiuus dicitur, qui non suæ potestatis, sed alienæ ditionis efficitur, qui suggestionibus eius subditus est. Captiui tales sibi liberi esse uidentur, quia nulli imperio humano subditi sunt, & tamen serui sunt. quia omnis, qui facit peccatum seruus est peccati. Exclamandum igitur est cum Propheta, ut liberemur non merito nostro, sed mi- *Ioan. 8.* sericordia Dei: nisi nostri misereatur, cõsistere nõ possumus. Ergò redimet nos misericors Deus, separet nos ab affectibus, à desideriis, & cupiditatibus inimici, ut accepta libertate pes noster nõ claudicet, sed rectus sit. Quid est.n. claudũ pedẽ habere, nisi miserũ offendere? de quibus dicit Propheta. Errauerunt claudicauerũt à semitis suis, claudicat qui sic Deo credit, ut offendatur quoties *Psal. 72.* malorũ prosperitatẽ, impiorũ incolumitatẽ, paganorũ diuitias, gentium potentiã cernit. Et dicit non sano pede.i.non sana fide, effusi sunt paulò minus gressus mei, quia in peccatoribus pacẽ peccatorum celaui. uidens quia non est declinatio morti eorũ, & firmamentũ in plaga eorũ, in laboribus hominũ non sunt, & cũ hominibus nõ flagellabuntur. ideo tenuit eos superbia in finẽ, operti sunt iniquitate, & impietate sua, prodiit, quasi ex adipe iniquitas sua, trãsierũt in dispositiones cordis. nõ secus ac si diceret. Quare uię impiorũ prosperãtur? iccirco claudicat pes eius, cũ ea sẽtit, & cõmouetur, quia mali ad tẽpus ad tẽtationẽ bonorũ dimittũtur, in ęternũ uerò damnabuntur.

NICEPHORI. Quæras de me Domine, quomodo in innocentia mea conuersatus sum in iis, quę ad inimicos pertinent, & sperans in Domino ab hac sententia non decidam. *Quoniam misericordia tua,* inquit, quõ semp. ante oculos habeo misericordiã tuã, & nihil aliud est, in quo cõfidã. *Et placui.* Et quõ per infallibiles sermones tuos non per me, quæ tibi placita sunt feci: in lege .n. tua pollicitus es eorũ te miserturũ esse, qui tibi placerent. *Lauabo inter innocentes,* Cũ conscientiæ puritatẽ contestari uellent antiqui, corã multitudine manus lauabãt, ut se innoxios alicuius sceleris ostenderent. inquit ergo Dauid, *Lauabo inter innocentes manus meas,* contestaturus.s. me immunẽ esse culpæ eorũ, quę dixi. *Vt audiam uocem laudis.* Adeo ut uocẽ canentiũ audiã, & letantiũ de præstita à te nobis pace, legendo nimirũ legẽ tuã, & cæteros Moysi libros, qui iubente sic lege frequenti populo legebantur, enarrẽ miranda illa, quę fecisti olim, & nuper in me ostẽdisti. *Dilexi Domine,* atq; idẽ uidere illũ cupio. Decorẽ aũt domus ordinẽ illũ admirabilẽ Mosaici tabernaculi appellat. *Cum impijs,* eos.s. cũ quibus uersatus est, alienigenas.s. *In quorum manibus.* Quibus semper in promptu, atque in manibus est iniquitas. *Pes meus stetit in directo.* Pes meus stabilitus est in rectitudine, hoc est itinera uitæ meæ, atque instituta omni prorsus obliquitate carente.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS XXVI.

Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?



THANASII. Instructionem aduersus hostes continet Psalmus hic, quorum causa secundorum bonorum postulationem iam factã à Deo consequutus erat, partim post confessionẽ, partim priusquam ungeretur. Innuit autem quod cum diuino spiritu prænouisset, se in Regem unctum uariis tentationibus appetitum iri, fortitudine lumbos præcinctus, ad pericula propulsanda scitè admodum præmunitur. Vigesimussextus, septimus, octauus, & nonus Psalmi idem habent argumentum: Siquidem subiecto in Assyrios eodem ex persona beati Ezechiæ dicuntur. Prædicente Dauid, & ad hoc argumẽtũ reuocãte Propheta illius personã, ita ut eadẽ uerba prædicet, & affectus ostendat, cęterũ imitationẽ, & differentiã quãdã habent hi Psalmi: Nã uigesimussextus, & uigesimusseptimus, uictoriæ carmina sunt tantũ pro deletis Assyriis. At uigesimusoctauus,

& uigesimusnonus de incolumitate, & sanitate Ezechiæ restituta mentionem faciunt.

HESYCHII. Nomen Dauid multa significat, etenim fortem manu, dilectum, solum, & abiectionem significat. Postremum hoc significatum ad rem pertinet, ita ut Psalmus ad eos dicatur, qui ante baptismum abiecti, hoc est Cathæcumeni erant.

EVSEBII. Et hoc quoque Psalmo Propheticus spiritus docet, qua ratione Deo agendæ gratiæ sint, ab eo, qui se illi adhæserit, item quæ ab ipso petenda sint. Continet autem oratio gratiarum actionem, quare nec Psalmus, nec Canticum, neque aliud id genus, sed simplici inscriptione prænotatur.

Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?
Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo?
Dum appropinquarent aduersum me nocentes, ut edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum.
Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.
Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ.
Vt uideam iucunditatem Domini, & uisitem templum eius.

DIDYMI, & THEODORETI. Præscriptionem Psalmi in quibusdam exemplaribus
huiusmodi inueni, Psalmus ipsi Dauid antequàm ungeretur. sed eam in exaplo non inuenies,
hinc nonnulli reiiciendi omnes inscriptiones tanquàm non ueras occasionem cæpere. inquiunt
.n. qui fieri potest, ut Dauid, qui necdum unctus, neque gratiam Sancti Spiritus adeptus erat,
Psalmos Prophetica scientia refertos conscriberet? tum præsertim, cum esset adolescens, atque
oues curaret, nec regni administrationem gereret, neque adhuc persequutionem ab ullo patere-
1.Reg.16. tur. Atque eos considerare oportet, Dauid (ut Regum historia docet) bis atque etiam ter un-
2.Reg. 2. ctum fuisse, primum quidem in Bethleem à Samuele Propheta, secundò uerò post interitum
2.Reg. 5. Saul in Hebron à tribu Iudæ, postremò ab omnibus tribubus post mortem Memphiboseth.
Sic enim loquitur de secunda unctione. Consuluit Dominum Dauid dicens. Num ascendam
in unam de ciuitatibus Iudæ? Et ait Dominus ad eum. Ascende. Dixitque Dauid, quò ascendã?
2.Reg.2. Et respondit ei, in Hebron: Deinde percurrens historicus quomodo ascenderit, subiungit, ue
2.Reg.5. neruntque uiri Iudæ, & unxerunt ibi Dauid. De tertia rursus (ita inquit,) & uenerunt uniuer
sæ tribus ad Dauid in Hebron, & paulopost: Et percussit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron
coràm Domino, unxeruntq; Dauid in regem supra omnem Israel, itaque manifestũ est hunc Psal
mum cecinisse, priusquam secundo ungeretur, & rerum administrationem palàm susciperet, &
cũ à Saul persequente fugeret, his uerbis usus est, quãdo ad Abimelech sacerdotem accessit, &
cum in Dei tabernaculo orasset, cumque benedictionis panibus acceptis, hostium manus effugie
bat. Quod sanè in hoc Psalmo narrat. *Quoniam (inquit) abscondit me in tabernaculo suo in die ma
lorum.* Tunc autem Doim Idumæus, qui regias illic mulas pascebat. Saul ipsi Dauid fugam in
dicauit. Ideo & in Psalmo dicit. *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* sed hoc apertè ma-
gis interpretatio ipsa ostendet. Dicit ergo cum abs te lumen acceperim, & arcana luce tua illu-
stratus sim, omnes pariter inimicos meos despiciam.

ATHANASII. *Dominus illuminatio mea.* Principes tenebrarũ despicit, qui in Domini luce cõfidit, *Dñs protector uitæ meæ.* Quis adeo insidiarũ potẽs erit, ut potẽs Deus est ad auxiliũ ferẽdũ?

EVSEBII. Qui offusam nocte, ac tenebris habet animam, non uidens quo feratur, & quo modo impingat, innumerabilia mala pertimescet, ut qui planè obcæcatus, & in profunda malitię caligine depressus sit. hinc oĩa metuit, & suspicatur, & confessionẽ in Deũ abnegat. Qui uerò animę oculos Domini claritate illuminatos habet, primum sanè omniũ sui propugnatorẽ, & seruatorẽ quantus quantus est considerat. Deinde opere ipso experitur, quod tanquã herus, & Dominus omnium scutum sibi, & insuperabilis armatura, & protector factus est, intrepidus redditur, & uti, qui animæ oculos illuminatos habet impauidus, hostes suos oẽs, siue hi sint homines Deũ nescientes, siue inuisibiles, & malignæ potestates tanto seruatore, & adiutore destitutas cernit, & perinde quasi collapsas intuetur, ideò insidias illorum omnes irridet suo fretus propugnatore. Quare (inquit) nisi tantus mihi auxiliator præstò esset, qui & animam meã illuminaret, & uitam meã tutaretur, meritò extimuissem principes, & potestates, & mundi rectores tenebrarũ harũ, & spiritalia nequitię, & homines, qui ab iis immittũtur, insurguntq; aduersus athletas Dei. Nã huiusmodi terrores satis ad animũ minimè illuminatũ perturbãdũ fuissẽt. Sed quia uniuersorũ Dominus, Dei filius est illuminatio, atq; idẽ Saluator meus est, meritò possum dicere. *Quem timebo?* neminẽ .n. tantorũ inimicorũ auersabor, neque illorũ quẽquã protectore uitæ meæ confisus, pertimescã.

obseruabis

obseruabis iterum hoc loco, nomen illud, Saluator nomen Saluatoris nostri IESV Christi in Hebraico characteribus Hebraicis contineri. Deinde cum hæc dicit, monet quo nam Saluatore suo fretus inimicorum insidias eluserit. *Dum appropinquarent super me nocentes.* Hi enim tanquàm agrestes feræ me adorti sunt, quærentes me deglutire, ac carnes meas deuorare, ideo à Symmacho dictum est, Dum appropriant super me malefici, ut comedant carnes meas. Veruntamen qui hæc contra me cogitauerunt, iamque ad carnes meas propius accesserant, nescio quo modo quæ in me struere mala cogitauerant, iisdem ipsi affecti sint. *ipsi enim (inquit) infirmati sunt, & ceciderunt*, cum nihil ego in eos mali machinatus sum. sed lux mea, & salus mea aduersus illos pugnaret, eosque ineffabili, ac diuina potentia prosterneret, ita ut ego nullo accepto detrimento, ex eorum insidiis eriperer, & illi pariter infirmati à malitia sua utilitatem perciperent, hoc ipsum interim comparantes, ne dum in me desæuirent, malitia eorum aliquod acciperet incrementum.

DIDYMI. *Dominus illuminatio mea. Salus* nostra Deus est, quia nos à peccatis, & à morte liberat, *illuminatio*, quia dum radios lucis suæ immittit, malitiæ, ac ignorantiæ caliginem soluit. nam qui iis donis auctus, atque ita illuminatus est à Domino, quem timebit? nullus sanè huiusmodi præsidiis, ac tutela communito obesse poterit. *Dominus protector uitæ meæ*, Nam cũ Dominus uita sua pro uita nostra prælium ineat, à quo trepidabit? illud, *à quo*, significat contemptum eius, qui in eum, quem Deus protegendum sumpsit, & custodiendum insurgit. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos?

ORIGENIS. *Dum appropinquant super me nocentes ut edant carnes meas*, Si nos Christi carnem comedimus (inquit enim. qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem) & carnes nostras Dęmones comedunt, Nunquid & Christi carnes Dæmones manducant, uirtutes quæ sunt in nobis, & ueras doctrinas labefactare studentes? nam & edere pro interimere ponitur. si inquit audieritis me bona terræ comedetis. si uero nolueritis, & non audietis me, gladius uos comedet os enim Domini hæc dicit. hic enim illud κατέδεται pro interimere, & perdere positũ est. gladius enim non est aptus natus ad comedendum; aut carnes nostras Dæmones comedere dicuntur, ut per carnes intelligamus ea, quæ à carne pullulant: manifesta autem sunt opera carnis, ut inquit Apostolus, adulteria, fornicationes, idololatriæ, & reliqua. Isa.1.

CYRILLI. Nobis quidem nihil nocuere, ipsi autem quæ mala inferre sperabant, ea perpessi sunt. initia psalmi, pro uictoria dixit, Hos autem duos uersiculos tanquàm narrando affert, nè uero temerè gratias agere uideretur, causam apposuit gratiarum actionis, & dixit. quando in me adeo efferi, & concitati quidam hostes insurrexerunt, ut me & carnes meas deuorare uiderentur, tunc apertissimè Dei auxilium, præstò fuit cadentibus quidem illis, nobis autem uincentibus. Porrò Dauid semel atque iterum quæsitus insidiis effugit, Saul uero pœnas alienigenis dedit ultore Deo.

THEODORETI. *Dum appropinquant super me*, sic tua ope fretus, nunquàm spe mea frustratus sum, quin potius cum hostes more agrestium ferarum persequentes me præuenissent, nil mihi propterea detrimẽti intulere, ipsi tamẽ prorsus interiere. quod plerunq; accidisse historia docet. Nam semel atque iterum à Saul inuestigatus laqueos illius effugit, quin & persequutorem ipsum, si uoluisset, interficere potuisset. At ipse Dauid suum in sapientiam studium, & ardorem declarauit, ille uero apud alienigenas malitiæ suæ pœnas dedit. Quæ igitur dicta sunt, uaticinia sunt futurorum, *si consistant aduersum me castra*, cum uerò (inquit) de auxilio tuo huiusmodi experimentum fecerim, licet bis, aut ter totidem hostes me aggredi conarentur, intrepidus tamen tanta spe munitus, contra tot pericula consisterem. 1.Reg.25. & 26.

CHRYSOSTOMI. Propheta sanctissimus in cuius animo, & corde sedem fecerat Deus uociferabatur, & clamabat dicens. *Dominus illuminatio mea*, ò magnum seruum, qui sciebat quo modo illuminabatur, unde illuminabatur, qualis erat, qui illuminabat, uidebat lucem, non istam, quæ ad uesperam tendit, sed illam lucem, quam oculus non uidet, Mentes hac luce illuminatæ, non ruunt in peccata, non offendunt in uitiis. Dicebat enim Dominus. Ambulate dum lucem habetis in uobis. *Quem timebo?* Veniant caligines suggestionum, Dominus illuminatio mea est, uenire possunt, proficere non possunt, cor nostrum impugnando, non tamen uincendo, Veniat cæcitas cupiditatum, Dominus illuminatio mea est. Fortitudo igitur nostra ipse est, qui se dat nobis, & nos ipsos damus illi. currite ad medicum dum potestis, ne cum uelitis non possitis. Ioan.12.

DIDYMI. *Si consistant aduersum me castra*, possunt hæc tum de uisibilibus hostibus, tum de inuisibilium inimicorum phalange intelligi. nam si exurgat (inquit) aduersum me prælium, intrepido, & immoto corde, in hoc ego sperabo, me propugnatorem Deum habiturum confidens.

dens. *Vnam petii à Domino hanc requiram*. Quod petit, ac requirit est habitare in domo Domini, hoc est Ecclesia, omnibus diebus uitæ suæ, idest uitæ illuminatæ, quæ ad Ecclesiam pertinet meditando habitare. Potest etiam illud, *unam pety*, hoc modo intelligi. Donec uitam duco in terris, licet plurima mihi bona petam, hanc tamen petitionem præter cæteras plurimi facio, ut scilicet inhabitē in domo Domini. Singulariter aūt non collectim bona oīa acquiri possunt. uel fortasse, ubi unam petii, dicit, egregiam, uel magnam subaudiendum est. *Vt uideam iucunditatem Domini*. Quoniam superius decorem domus Domini se dilexisse dixit, Dominum intueri cupiens, orat ut sibi liceat domum illius ingredi, ut in ea existens accuratè perspiciat, & ingressus uisitet, hoc est circumspiciat templum eius, neque ab ipso discedat. hoc fortasse dicit cupiens Samuelem imitari. Videt autem iucunditatem, uel uoluptatem Domini, qui minora Ecclesiæ dogmata edoctus est, ubi uero mētem ad Trinitatis arcana intenderit, tum templum eius circumspicit.

THEODORETI. Ego (inquit) qui tam ingenti beneficio cumulatus sum, non diuitias à meo benefactore, non potentiam quæro, nec Regnum, aut gloriam postulo, sed ut continenter in templo eius consedeam, & eā quæ illic est, diuinam pulchritudinem, quasi per specimen intuear. & omnia, quæ ex legis præscripto sunt facienda considerem, nam de prouentu, ac utilitate satis mihi experientia constat, quippe qui salutem, quæ illinc oritur, iam degustauerim, & persequentium manus effugerim. Hęc etiam magnus Dauid postulauit, & à munificentissimo datore accepit. nam & arcam Dei restituit, & tabernaculum aliud admirabilius fixit. & uarios canentium psalmos ordines instituit, quæ omnia ex libro paralipomenon percipi exquisitè possunt, illud uerò, *unam petij*, prò, Gratiam unam dixit. 1. Par. 16.

ORIGENIS. *Si consistant aduersum me castra*, qui in uirtutibus, & actione uersatus est, bellum gerat cum alienigenis, At speculator ueris dogmatibus utens omnem altitudinem de Dei cognitione elatam imminuit, *Non timebit cor meum*, idest princeps animi pars: Fortasse autem infirmata caro non timebit, quoniam eius sapientia inimica est Deo, legi Dei non subiecta. *Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ*, pia beatæ Ezechiæ anima. Ostendit autem quod propterea plus Deo gratias egit, quod à templo, & religione non decidit, talis enim erat ipsi sermo moltorum, deinceps ille qui ad sanitatem pertinebat. Rom. 8.

APOLLINARII. Dei dilectionem per templi desiderium ostendit, non enim acquiescit desiderium in diuinis locis spectandis, sed quemadmodum si quis uestimentum, aut librum rei desideratę uiderit, per hæc ad illius memoriam excitatur, sic, & qui Dei studiosus & cultor est, & per domum, & per uasa Deo dicata, ad ipsum euolat.

EVSEBII. Pulchritudo Domini, & decor, & iucunditas in domo Dei, idest in Ecclesia spectatur per sacras, & diuinitus inspiratas doctrinas, in quibus uera sermonis pulchritudo, & legitimus decor inest, quo & ipse Deus oblectatur, & in illo uersatur. Quod si decorem interpreteris uitam cum uirtute coniunctam, ac omnem laudabilem uiuendi rationem eorum, qui pietatem egregiè colunt, non errabis.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltauit me, & nunc ecce exaltauit caput meum, super inimicos meos

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam laudis, & uociferationis, cantabo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine uocem meam, qua clamaui, miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Dominum quæram, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine exquiram.

Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto ne repellas me, neque despicias me Deus Saluator meus.

Quoniam Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

EVSEBII. Hæc omnia Saluator meus mihi præstitit, cum appropiarent super me nocētes, ut ederent carnes meas, etenim infirmati ipsi sunt, & ceciderunt, ego uero sub eius dextera occultatus sum in tabernaculo habitans cū uitam ducerem in solitudine, ac desertis locis, nec haberem Dei domum, aut templum, quo mihi uti liceret. quin protexit me in die malorum, idest quo tempore persequutionibus, & tentationibus agitarer, nec id alibi, quàm in abscondito tabernaculi sui. Hoc uero quod dictum est perpendes ex illis, quæ à Mosē de tabernaculō, deque adytis, tabernaculi omnibus inaccessis, descripta sunt: quæ Sancta sanctorum appellabant. Hæc enim abscondita tabernaculi fuere. sic ergo tentationum tempore Dominus, & Saluator meus protexit me,

me,ac in penitiſsimis tabernaculi ſui locis abſcondit. Deinde oſtendit protectionem non in loco aliquo factam fuiſse,ſed in animo rectè conſtituto,& ſanctificato,& à multitudinis ſocietate ſeiuncto. Atque hæc mihi(inquit)acciderunt,cum adeſſet malorum dies.iuxta id quod alibi dicitur. Vade populus meus,intra in cubicula tua,claude hoſtium tuum,abſcondere modicum, ad momentum,donec pertranſeat indignatio Domini,Atqui non perpetuò me occultari,& i abſcō dito tabernaculi ſui latitare uoluit,ſed cum me aliis quoque utilem cenſuiſſet poſt exactum malorum diem, *in petra exaltauit me*, petra autem (ait Apoſtolus)erat Chriſtus.) Nam in uerbo 1.Cor.10. eius,ac ſapientia,& ſalutari uirtute exaltauit me,qui olim abſconderat in tabernaculo ſuo,& in abſcondito tabernaculi ſui,in die malorum protexit.Abigens enim à me mala,& tempus quo me hoſtes affligerent,& inimici agitarent, in tranquillum portum me deduxit,& eum,qui olim latebat,in lucem euectum in altum extulit, & ſublimem conſtituit.ut eundem ſuper firmam, & tutiſsimam eius petram nixum, & fundatum omnes cernerent, & glorioſum prædicarent.

O R I G E N I S. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo.* Tabernaculum Chriſtum uocat, Pſal.18. in quo Deus habitauit.In Sole enim (ait)poſuit tabernaculum ſuum. Sol autem iuſtitiæ.Domi- Sap.5. nus eſt,etenim de templo, inquit,hoc enim ait tabernaculum habuit protectionem, & auxilium. quoniam in Dei tabernaculum profectus eſt,& panes benedictionis accepit,& manus hoſtium effugit. quando regiarum mularum paſtor Doec ipſius fugam Saul manifeſtauit.

D I D Y M I. Iam ſæpe cum domus,& tabernaculi pariter mentio facta eſt, differentiam eorum attulimus.nam tabernaculum proficientium incrementum, Domum uero perfectorum ſtatum ſignificare diximus. quandiu ergo cuipiam malorum dies adhuc obſiſtit,in domo Dei eſſe non poteſt,ſed in umbra occultatur à Domino,propterea quod eius qui à malitia eximitur, obtegat incrementum,non enim qui adhuc in pœnitentia abſoluenda uerſatur,ad perfectionem pertingere poteſt.At malorum nomen hoc quoque loco infortunia,& ærumnas ſignificare poteſt.*protexit me in abſcondito tabernaculi ſui*, Abſconditum tabernaculi eius,de doctrina dictum, eſt,iuxta quam proficimus, in qua nonnulla manifeſta ſunt,nonnulla uero recondita,& myſteriorum tecta uelamine. quandiu ergo aliquis proficit, hunc Deus non ſuperficie tenus,ſed in abſcondito tabernaculi ſui protegit. Addidit uero illud,*ſui*,quoniam non omne tabernaculum,ideſt non omnis profectus,nec omne incrementum fit ex præſcripto Dei, *In petra exaltauit me*, poſt profectum, ac incrementum, cum ego firmiſsimum, ac ſolidiſsimum perfectionis ſermonem, qui per petram figuratur, attigiſſem, Dominus exaltauit me. Aptè uero hæc mutuò coniunxit, incrementum,*& abſcondit*,perfectionem, *& exaltauit*. Potes autem tabernaculum intelligere inſtitutionem factam per legem,& prophetas,in cuius abſcondito,hoc eſt in myſtica intelligentia Deus eum,qui eruditur, abſcondit in ſpirituali illum petra exaltās,quæ petra Chriſtus eſt. *& nunc exaltauit caput meum*, & nunc.ubi incrementum perfectum eſt, atque ubi ad ueritatis metam peruentum eſt. Exaltat caput uel meum uel Chriſtum principem, qui dux meus contra aduerſarios meos factus eſt,ut eos pedibus meis ſubiectos haberem. *Circuiui, & immolaui*, Reſpondet hoc ſuperioribus dictis. *Abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum*, tum enim, Hebr.3. & quod propoſitum eſt parta uictoria tabernaculum eius perluſtrans hoſtiam uociferationis immolabit.eſt autem uociferari hoſtibus in conflictu cadentibus acriter, & collectim acclamare. num qui Deo ſuffragante uictor euaſit,meritò prò parta uictoria gratias agens in tabernaculo, hoc eſt in progreſſu hoſtiam offert. *Cantabo & pſallam Domino*. Non modo quæ ad ueritatem attinent,contemplabor,uerum etiam uirtutis actionibus, & officiis inſiſtam.(primum uerbo, *cantabo*,ſecundum per illud *pſallam* oſtenditur) utraque Deo accepta peragens.

T H E O D O R E T I. *Et nunc exaltauit caput*.hic & temporis mutatio eſt, quod Aquila animaduertit.nam prò,*Exaltauit caput meum*,Exaltabitur caput meum poſuit, ſignificat enim ſe regnaturum, & inimicis ſuperiorem forè,atque eos,à quibus nunc circumuallatur,paulo poſt circumuallaturum.is autem non legales hoſtias in tabernaculo,ſed hoſtiam laudis offeret, quam in omnibus orbis terrarum Eccleſiis per credentes in Deum nocte, diuque profert. Nonnulla exemplaria hoſtiam laudis,& hoſtiam uociferationis habent, quod idipſum eſt:nam lętantium,& Luc.5. Deum laudantium uox eſt.ſiquidem uociferatio eſt uox militaris uictorum in eos,qui ſuccumbunt, inquit enim. Triſtatur aliquis ueſtrum,oret. AEquo animo eſt, pſallat *cantabo & pſallam Domino*. Hinc etiam patet ſuperius immutatum tempus eſſe, nam ſe omnibus hymnum canturum pollicetur.

E V S E B I I. *Et nunc exultauit caput meum*,Diligenter conſiderato, qua ratione ab Apoſtolo illud dictum ſit.Donec Hodie cognominatur.ita enim noſces,& hoc loco per illud *nunc* Heb.3.

tempus continuum significari. Nam homo Dei, qui de hostibus triumphum egerit, semper hostium capite sublimior est,& excelsior.ita David ipse usque ad hoc tempus in universo terrarum orbe cunctis gentibus celebris decantatus extollitur,& exaltatur,cuius caput super inuisibiles potestates, quæ illi quondam molestæ fuerant, re uera exaltatum est.Cœterum homo Dei sic sublimis,sic exaltatus non torpet,non languet,non se ocio,& inertiæ dedit,sed studio, ac diligentia maiori Deum colit, ideo subiungit *circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam uociferationis.* Hæc sanè hostia est, quæ per uocem,ac diuinum sermonem,perque laudes, & gratiarum actiones offertur,in præcedenti quidem psalmo, qui in Diuinis instituitur,edoctus est in futurū
Psal. 25. dicere,lauabo inter innocentes manus meas,& circundabo altare tuum Domine.Hic uero tanquam is,qui iam profecisset,& petitorum compos factus esset,promisionis effectum infert,dicens,*Circuiui,& immolaui in tabernaculo eius hostiam uociferationis.* Et superius quidem dictum est.Vt audiam uocem laudis, hic uero,*cantabo & psallam Domino.*

ORIGENIS. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam laudis.* Si qui circuit, immolat,immolatio uero est spiritus contritus,qui conterit animam suam,circulum eam facit, qui ab
Psal. 50. angulari figura corruptibili procul abest, & insipientiam eius, quam Solomon in angulis sedere dicit, & illud,descendens uero ignis super Filios Iob tetigit quatuor angulos domus.

ATHANASII. *Cantabo & psalmum dicam Domino,* Hic apertè ter sanctam Trinitatem prædicat.

HESYCHII. *Exaudi Domine uocem meam,* Gratias tibi ago de præteritis, oro autem pro sequentibus.illud uerò, *cantabo, & psalmum dicam Domino,* cum præpositis coniungitur. *Miserere mei, & exaudi me,* primum dixit, *miserere:* deinde, *exaudi,* non enim debitor est Deus nos exaudire,quoniā nec nos audimus ipsum,dū iniq; agimus: propterea primum posuit,miserere, ut exaudire consentiens excipiat nos:misericordiam uerò uocat, non iniustam quidem,sed iustam & æquam magis, nemo enim exaudiri petit nisi cui Deus miseretur, *Tibi dixit cor meum,* Cor meum,dicit,non labia mea.non enim labiis tenus hæc dixi,sed & imò corde protuli: huiusmodi enim uocem Deus exaudit.

ORIGENIS. *Faciem tuam Domine requiram,* per quā se ipsum quispiam deprimit, ostendit se quærere Dei faciem,quam semper intueri Angeli dicuntur. *Quoniam Pater meus & mater mea me dereliquerunt.* Beatus est qui à diabolo derelinquitur,& coniuge eius malitia,ex qua filios iniquitatis parit,quemadmodum Paulus per Euangelium Galatas genuit,sic & malos per malitiam diabolus generat: in hac(inquit)ingruente in me calamitate, & ingressu inimicorum neque pater, neque mater mihi præsto fuit, sed tu prò omnibus mihi auxiliator fuisti.

DIDYMI. *Exaudi Domine uocem meam,* cum Propheta hæc proferēs nosset Deum iustorum preces exaudire,magno animi ardore,ac sanctis uiris consentaneo clamans rogat ut exaudiatur. *Miserere mei, & exaudi me,* Si merita,& dignitatem expenderis Domine, neminem sanè mortalium exaudies, nam quis est,qui tam ingentem clamorem emittat,qui ad te peruenire possit? Ad tuam igitur clementiam oculos uertens miserere mei,nam si ad eam respexeris, profectò exaudies me. Hęc.n. utraque,scilicet,ut misericordiam acciperet,& exaudiretur non primis labiis,sed ex intimo corde precatus est, *Exquisiuit te facies mea.* Atq; hoc ipsum tibi dixit cor meū cum facies cordis mei non aliud sit,quam mens,exquiret te.postquam uero quæsiero optata cō sequar,faciem ad faciem tibi apponens abolito eo,quod nunc per speculum in ænigmate cernitur. *Faciem tuam Domine requiram,* cum diligenter interioris hominis faciem considerarem,cognoui sanè illam, ad imaginem,& similitudinem tuam formatam esse, unde aueo faciem tuam cernere,ita enim fiet, ut & maiori lumine illustrer, & tum quærere eam possim,cum tu mihi eam ostenderis, nam nisi id fiat,oculos in ipsam iniicere non potero.propterea clamo, *Ne auertas faciem tuam à me.*

EVSEBII. Pro eo. *Tibi dixit cor meum,* Exquisiuit te facies mea. Symmachus apertè magis protulit, *Tibi loquutum est cor meum,quæsiuit te facies mea.* nam facies animæ accōmodatam
Exod. 33. sibi,& consentaneam uisionem optauit. Quam & Moses olim consequi precabatur,dicens. Ecce inueni gratiam in conspectu tuo ostende mihi te ipsum. ut apertè uideam te,ut reuelata facie gloriam Domini intueretur,iccirco ait, *uultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me.* Absolutissimus enim, & ex legibus à Deo præscriptis postremus quique progressus is esse potest,qui ad faciem Dei perducit,quo & eidem assistemus,& Diuinitatis eius claritate fruemur. post hæc cum sciret Deum sæpe humeros suos ostendentem auertere sese ab illis, qui fa-
Exod. 33. ciem eius, non quærunt,& eo digni non sunt,quemadmodum etiam Mosi dixit.Videbis posteriora mea,faciem autem meam non uidebis. Veritus Propheta (ut uidimus)ne id sibi contin-

geret

geret,supplex orat,& precatur dicens,*Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo,* Ne Domine, propterea quod hæc ausus sum,auerseris à seruo tuo, non enim par est homun cionem carne indutum tanta orare, propterea Mosi dixisti . Nemo uidebit faciem meam, & uiuet.siquidem imbecilla est ad contuendam faciem tuam uita mortalis. quare potius mihi adiutor sis ad postulata consequenda, neque me uituperes, prò quo Symmachus,proiicias me, Aquila dimittas me,uerterunt,mox infert *neque derelinquas me Deus salutaris meus*,nam te opē ferente,dexteramque porrigente,in spem uenio me cunctis bonis potitum iri,nullus enim alius mihi adiutor est, siquidem nemo est,qui in periculis ac necessitatibus præsto esse hominibus magis, nec gratior. occurrere genitoribus consueuerit, at ipsi derelinquerunt me, propterea quod ab illis omnibus abscesserim, & tibi Deo uni adhæserim, unde & beneficium hoc prædico,quod cum essem ab omnibus destitutus,abs te susceptus sim.

THEODORETI. *Exaudi Domine*.Misericordiam sanè implorat,uerum non alienam à iustitia,sed æquabilem,& rectam ualdè. *Tibi dixit cor meum.* Non enim fallacibus uerbis usus sum,sed opus absolui mente cum uerbis consentiente,ac sanè,quæ iam præstiti, ea non satis esse arbitror,uerum & hæc in posterum absoluam.*Faciem tuam requiram*,ne igitur me ardentem desiderio repellas,neque me uotis meis frustratum dimittas. Hoc autem,*Ne auertas faciem tuam*, dixit sumpta similitudine ab iratis, qui auertunt humeros, & declinare solent,ab iis,qui ad eos accedunt. *Ne proijcias*, Verbum illud ἀποσκορακίσῃς quod proiicere dixerat.septuaginta interpretes à literis, quas seculares appellant,formasse uisi sunt.nam illud, Ad coruos,contumelia quędam fuit,quam à fabula quadam ueteres deriuarunt. *Quoniam Pater meus*, Nam persequente Saul,ipse longè à genitoribus suis degere coactus est.satis uerò(inquit) prò omnibus mihi es Domine.

Legem pone mihi Domine in uia tua, & dirige me in semita recta propter inimicos meos,

Ne tradideris me in animas tribulantium me,quoniam insurrexerunt in me testes iniqui,& mentita est iniquitas sibi.

Credo uidere bona Domini in terra uiuentium,

Sustine Dominum,& uiriliter age,& confortetur cor tuum,& sustine Dominum.

THEODORETI. Pro. *Legem pone mihi*. Aquila,& Theodotio,illumina,dixerunt, Symmachus autem.ostende mihi uiam tuam,Quoniam(inquit)procul à cognatis meis abesse cogor, tu mihi esto,& legislator, & dux atque ostende mihi semitam ad te ducentem.*propter inimicos meos*, Verba hæc ab humili mente proficiscuntur.ita enim dicit. ego quidem salute indignus sum,cœterum cum iniuria nulla hostes meos affecerim,immeritò tamen expellar:tu ergò innocuum nocentibus ne tradas.*Quoniam insurrexerunt testes iniqui*, Hoc Aquila clarè magis interpretatus est, steterunt contra me testes falsi,& apparuit iustitia.ipsi enim(ait) calumniis contra me egerunt,ego uero te opitulante nullum sum passus detrimentum,sed potius in eos retorqueri mala uidi,& iacula,quæ in me coniecere.Hoc enim à communi consuetudine desumptum est, nam de insidiatoribus dicere consueuimus iis,qui lædere nequeunt,se ipsum offendit, non me. sic etiam beatus Dauid,ait, *mentita est iniquitas sibi*,illud autem,*Credo uidere bona Domini in terra uiuentium*, dicit;quia non modo in uita hac hostibus meis superior ero,sed etiam optatis bonis in alia fruar,deinde cunctos admonet,dicens.*Expecta Dominum*,& quomodo id fieri potest? *Viriliter age*.Mens(inquit)uirilitate armata,et per hanc ingruentium calamitatum uictrix,corroboratur,& uincit,& diuinas promissiones expectat,quarum fit hæres corporis etiam opera concurrente.Terram uiuentium uocat futuram uitam,tanquam mortis expertem,& ab interitu, & mœrore solutam.

DIDYMI. Legem mihi statuas, ut huiusmodi abs te lege accepta per illam incedam, Ioan.4. qui dixit,ego sum uia,*& dirige me in semita recta.*:& minimè obliqua,idque ob imminentes hostes,qui huic semitæ hęrentibus impedimenta multa posuere.Præterea cum uirtus media inter nimium,& parum posita sit, & mediocritatem seruet, dirige me,in finem usque illius perducens *propter inimicos meos*,qui studio uehementi malitiæ incumbunt.& extra uirtutis fores constituti,eos decipiunt,qui mediocritatis,& excessus discrimen ignorant.At si semitam rectam ueræ doctrinæ uiam interpreteris,animaduertes,quod nisi Deum ducem adhibueris,in fraudem illorum incidemus,qui prætèrita falsa ueritatis dogmata astruentes principes sunt seculi huius, & hi sunt inimici illi,quorum causa oramus in semitam rectam dirigi,ne in eorum errores declinemus.

EVSEBII. Cum sæpe diuus Apostolus de se ipso docuisset, nihilo se magis Apostolis inferiorem esse. subiunxit.non quod iam acceperim, aut perfectus sim,sequor autem,si quo 1.Cor.11.

modo

ipſum ad bonorum uiſionem conſcendere poteris. *Viriliter age, & confortetur cor tuum*, & ſuſtine Dominum. *Viriliter age*, hoc eſt uirilitatem aſſume, non ſecundum corporis robur, ſed confirmato corde tuo, nam ſic prædictis modis omnibus Dominum expectabis.

EVSEBII. Conſidera num uerba illa, *bona Domini*, ad priorem petitionem Propheta referat. Nam cum de facie mentionem ſuperius feciſſet, inquiens, *Faciem tuam Domine requiram, Non auertas faciem tuam à me*, ideo ex Aquilæ ſententia dictum eſt, *credo uidere bono Domini*, & ſecundum Symmachum, credidi uidere bonitatem Domini. Atqui facies Domini, & bona Domini, non terrenis locis alicubi uidentur, ſed in terra uiuentium, quam Saluator pol- *Matth. 5.*
licitus eſt (inquiens) Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram.

NICEPHORI. Hunc pſalmum conſcripſit ante ſecundam unctionem cum Saul adhuc eum perſequeretur, cum & panes ſanctos abſtulit. Ter autem unctum fuiſſe legimus ad regnũ beatum Dauid. primo à Samuele in Bethleem, deinde à tribu Iuda poſt mortem Saul, in Hebrõ. & tertio ab omnibus tribubus, poſt mortẽ Memphiboſeth. *Dũ appropinquarent*, cũ in me irruerẽt ſanguinis mei ſitientes hoſtes nõ potuerunt nocere, ſed à concepta ſpe deciderunt, *in hoc ego ſperabo*, in hoc ſcilicet corde meo, quod amplius non timet ob fiduciã, quam in diuino poſuit auxilio. *Vnam petij*, unam ſcilicet petitionem à Domino, poſtquam liberatus ſum, petii, & hanc repetam, *ut contempler delectationem Domini*, ut propter decorem domus eius, ad diuinam pulchritudinem mentem euehens, oblecter, & ut perſpiciam, nunquid forte aliquod officium, aut eorum aliquid, quæ ad diuinum cultum debentur, omiſſum, aut neglectum ſit. *in tabernaculo ſuo*, Tabernaculum diuina protectio, quæ abſcondita eſt, & hoſpitio ſuſcipit, & ſuſceptum ſeruat, *in petra exaltauit me*. Sine timore, ad ſecurum conſtituit. *& nunc ecce exaltauit*, De futuris tanquàm de præteritis uaticinatur, & utitur omnibus præteritis pro futuris. Illud uero, *exaltauit caput meum*, id dicit, etiam ſuperiorem omnibus inimicis me fecit. *Hoſtiam laudis*, per hoſtiam ſacrificium intelligit in gratiarum actionem oblatum, & carmen propter uictoriam. eſt autem uociferatio bellica uox in fuſos & fugatos hoſtes, *Exaudi uocem*, ideſt unam illam petitionem, de qua ſuperius dictum eſt. *exquiſiuit te facies mea*, circumloquendo ſe ipſum intelligit, ac ſi diceret ego ipſe exquiſiui te. *Et non declines in ira*, Ne in ira ſecedas à me, *ne repellas me*. ἀποσκορακίσῃς Hoc ex duplici uocabuli ratione ſumi poteſt, uel ex prouerbio, ad coruos, uel ex tranſlatione ſcoriæ. Eſt aut ſcoria metallorum fax; quæ proiicitur. *Quoniam Pater meus*, & ipſo quoquè parentum ſolatio penitus deſtituor, omnes enim Saul formidant, *propter inimicos meos*, ſi propter probitatem meam hoc non uis facere, ſaltem propter inimicorum iniuriam non tradas me in eorum poteſtatem, cum autem dicit, *in animas tribulantium*, circũloquẽdo intelligit, in ipſos tribulantes me milites. *Mentita eſt iniquitas*, iniqui teſtes pp iniquũ teſtimoniũ ſibi noxam parauere cum iram tuã hæreditauerint. *Credo uidere bona Domini*: plena ſpe in Dei iuſtitiam feror, quod adhuc in mundo uiuens, bona à Deo referam, uel in regione uiuentium propria Domini bona accipiam. *ſuſtine Dominum*, Hæc uerba, & quæ ſequuntur, Propheta ad ſe ipſum dirigit, ueluti temperans ſeſe, ac ſibi ipſi animũ faciens.

PSALMVS. XXVII.

Ad te Domine clamabo Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à mè, & assimilabor descendentibus in lacum

Exaudi Domine uocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem, ne perdás me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.



THANASII. Ex persona credentium in Christum canit hunc psalmum, Dei curam & prouidentiam sui implorat, continet etiam Iudæorum contumaciæ detestationem, seq; à pessima illorum societate liberari postulat.

THEODORETI. Cum fugeret Dauid à facie Saul. cumque ab iis, qui pro amicis habebantur, insidias pateretur, præsentem psalmũ dictauit. tentabant enim & explorabant Dauid, ut cum ipsi Saul latitatem indicarent, inter quos erat Doim, erant Tiphæi, erant & alii multi. cœterum psalmus cõuenire potest omnibus, qui in huiusmodi calamitates inciderint. nam quilibet exemplo beati Dauid, mala æquo animo ferre potest, & Deum precari, & eius auxilium implorare?

ORIGENIS. Siquis terrena petit à Deo, uox eius tenuis est, & exilis. quod si cœlestia postulet, clamor est, & uociferatio. Vnde frequenter in scripturis sancti ad Deum clamasse dicuntur, clamat autem aliquis ingrediens in cubiculum suum, & clauso ostio ad Deum preces emittit; *Ne sileas à mè*, Scriptum est Deum Mosi, Aaron, & IESV Naue loquutum esse, hi enim digni fuerunt, quibus Deus loqueretur, per Prophetas quoque loquutus est, quandiu populus Dei stetit. Quæ autem Deus loquitur, ne putes exterius sonare, nam sanctæ illæ cogitationes, quæ cor nostrum subeunt, uerba sunt, ac uoces, quibus loquitur nobis Deus. sic illud, intellige. Loquutus est illi Deus. quod autem hoc ita se habeat, scriptura testatur, Beatus uir, cuius est auxilium à te Domine, ascensiones in corde suo disposuit. Habemus autem & alium auditum, ac diuinum sensum, iuxta Solomonem, quo uerbum Dei audimus, eidem admixtum, atque coniunctum. itaque *Deus meus* (inquit) *ne sileas à me, & assimilabor descendentibus in lacum*; Lacus mentis ignorantia est, in quam ille incidit, cui Dei sapientia tacet, nec dicit: ecce adsum. Animæ uero lacus est uitium. Porrò neminem sanctorum lacum fodisse nouimus, quod si uiris sanctis interdũ opus aqua fuerit, puteum foderunt, & Solomon è puteis bibere iubet. Deus uero per Prophetam iis, qui de lacu bibũt minatur dicens. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non possunt, foderunt sibi lacus contritos. *Et assimilabor descendentibus in lacum.* Verum ut sciamus, quinam in lacum descendant, sacræ literæ diuinas res, calidas, quæ uero materia aliqua, aut peccato infectæ sunt, frigidas appellant, ibi hominum hostis draco inhabitat, qui frigidus nuncupatus est, nullum enim terrestium animalium perinde frigidum est, atque Draco. omne uero peccatum frigidum est, Diuina autem, ut decet, feruida sunt, ait enim. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, & ignem ueni mittere in terram. & illud. spiritu ferruentes. Quomodo autem peccatores sint propè lacum audi. in exodo scriptum est. interfecit Deus omnem primogenitum AEgypti, à primogenito Pharaonis, qui in eius solio sedebat, usque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in lacu. Qui ergo in lacum descendunt, sunt peccatores, & captiui. Atqui benignus Deus hos etiam uocat, atque illis prædicat libertatem, spiritus enim Domini super me (inquit) eo quod unxit me, euangelizare pauperibus, misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cœcis uisum,

Matth.6. Eccl.18. Iere.2. Psal.103. Luc.12. Rom.12. Exod.12. Isa.61. Luc.4.

EVSEBII. Non obliti eorum, quæ superius à nobis dicta sunt de iis psalmis, qui absque ulla additione, uel Dauidis, uel Dauidi inscripti sunt, addemus ad ea traditionem, quæ ad nos peruenit, Aiunt Hebræi in psalmis ita prænotatis, oportere ad superiores recurrere, & considerare qualis fuerit psalmus qui in principio sequentibus omnino inscriptione carentibus, uel ipsi Dauid inscriptis præcessit & cum inde inscriptionem noueris, sensum eorum qui deinceps coniuncti sunt, eidem aptandum esse. etenim igitur à uigesimosecundo, usque ad præsentem psalmum

num eadem inscriptio posita est, consequens est, ut secundum Hebraicam traditionem, omnes, qui deinceps sequuti sunt, psalmos esse opinemur, ut hac eadem ratione, præsentem quoq; censeamus psalmum esse, ac supplicationem, & postulationem continere, nam hoc procedendo declarat, dicens. *Exaudi domine uocem orationis meæ, dum oro ad te*, sed quem sensum habeat deprecationis sermo, consideremus. clamare se ad Dominum dicit, & ipsum tanquam sui ipsius Deum inuocare, ita enim propè dicit. Tu, qui Deus meus uocari dignatus es, iuxta promissionem sanctis uiris factam, cum dixisti, & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus, suscipe deprecationem meam, ne sileas à me, ne quando taceas à me, & similis fiam descendentibus in lacum. Hæc autem in angustiis positus dixit, ne fortè post uitæ huius solutionem, similis fiat iis, qui in lacum mortis descendunt, nam licet in superiori psalmo dixerit, credo uidere bona Domini in terra uiuentium: tamen ob humanæ carnis, qua circumindutus erat, imbecillitatem, ac propter inconstantiam mortalis uitæ, timebat, & sollicitus erat. sic & Apostolus angebatur, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. lacum solet scriptura animarum domicilium apud inferos nominare. Quod ipse Dauid non multo post in uigesimo nono psalmo ostendit. dicens Deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Ecce quomodo infernum, & lacum eodem in loco his uerbis coniunxerit. in præsenti sanè psalmo peccatorum remissionem à Deo petit, clamans, ne similis fiat descendentibus in lacum. in psalmo autem uigesimo nono, docet precationem suam sibi uoto stetisse, dicens. Domine clamaui ad te, & sanasti me, saluasti me, à descendentibus in lacum. Aptissimè autem inferum animarum domicilium lacus nominatur. Nam quemadmodum lacus superas, & ab alto defluentes in ipsum aquas suscipit, eodem modo lacus mortis, qui infernus appellatur, animas, quæ à mortalium uita supernè in ipsum feruntur, accipiens, & aptissimè lacus est dictus. orat ergo ne in huiusmodi lacum abripiatur, quod mihi (inquit) continget, si cœteris hominibus, qui à te non audiuntur, similis fiam, non audiri enim eos abs te inditium est, te illos auersatum esse, Symmachus prò, *Ne sileas à me*, dixit, ne silueris à me, ne si procul à me absis, similis fiam descendentibus in lacum.

Ier. 7. & Cor. 2. & Heb. 8.
1. Cor. 6.
Psal. 29.

DIDYMI. Lacus etiam significat locum ubi capite damnati asseruantur.

ORIGENIS. *Exaudi uocem deprecationis meæ, dum oro ad te*. Differunt inter se (ut reor) oratio & deprecatio, Atque etiam Apostolus ipse plura simul nomina hoc discrimine posuisse mihi uidetur dicens. Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. obsecratione (ut puto) orationem, oratione postulationem, omnibus uero gratiarum actionem potiorem constituens. Demum mihi uideor posse dicere obsecrationem indigentis esse, & & eorum, quibus aliqua desunt, cum uero intellecta iam dignitate Dei, aliquid à Deo peto, tum oro. At cum iam me ipsum in amicitiam illius benè prorsus insinuauero, tum Deo gratias ago.

1. Tim. 2.

DIDYMI. Cum igitur ego multarum rerum indigens agnoscam, has abs te præstari posse, ad te clamans peto, ut dum oro ad te obsecrationis meę uocem exaudias. nec ullum alium præter te obsecro, siquidem nullus alius est, qui, quæ mihi sunt opus, implere, aut præstare potest.

THEODORETI. *Clamabo*, non de uoce intelligas, sed de propensa animi uoluntate, deq; intentis, & accuratis precibus. Hoc aũt, *Ne sileas à me*, translatum est ab iis, qui auersati respondere nolunt. propterea dicit, si tacueris a mè, tuaq; ope me destitueris, mortem statim obibo. mortem enim lacum uocauit, siquidem lacus, ut sepulchrum foditur. *Exaudi Domine uocem deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus ad templum sanctum tuũ*, Nondũ extructũ tẽplũ erat, sed tabernaculũ tẽplũ uocat, in quo orabãt. procul quidẽ quo ad corpus ptinet propè uerò quatenus illuc mente accedebat. sic & beatus Dauid, cum Babilone procarcetur, expositas ad Hierusalem fenestras aperiebat. non quod illic conclusum, & circumscriptum Deum existimaret, sed quod memor esset illic Deum apparuisse. *Ne simul trahas cum peccatoribus*, Beatus Dauid orat, ut nihil sibi sit cum insidiatoribus cõmune, siquidem eos, qui alia dicunt, alia cogitant, execrabiles, ac detestandos esse prædicat, quare petit, ut ipsi præmia suis studiis digna recipiant.

Dan. 6.

ORIGENIS. *Dum extollo manus meas*, sœpe de manuum eleuatione uerba fecimus, Moses manus extulit, & Israel uictor euasit: cum uero manus deposuit, præualuit Amalech. & leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. & illud eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum, quare mihi uideor posse dicere manus nostras pietatis actiones esse, si thesaurum in cœlis cõgregemus, sublatas ad Deum manus habebimus, & hostem superabimus. nã si manus nostræ demissæ fuerint, uinci nos necesse est. cum igitur ad Deum eleuauero manus meas, & p ma-

Exod. 17.
1. Tim. 2.
Psal. 140.

nus animæ ad ipsum sublatus fuero, Amalech à me uincitur, & nihili reputatur, itaque eleuare manus oportet ad templum sanctum Dei. Porrò templum Dei, gloria eius est.

ALIBI. Si templum est, qui Deum habet, Deus uero erat in Christo mundum sibi concilians, sanctum igitur templum Christus est, ad quem quis animam tollit per uirtutes: oportet igitur manus in altum tollere, nec quicquam infirmum agere, sed quod ad Dei cultum, & pietatem intendat, hoc est enim. *Ad templum sanctum tuum.*

DIDYMI. Templum Dei cœlestis chorus esse potest, & potestates illæ, quæ in eo, quantū Ioan. 14. ab illis percipi potest Dei præsentiam intelligunt. & præterea Filius Dei, qui dicit, Pater meus in me manens ipse facit opera. Tabernaculum quoque templum fortasse appellat, in quo corpore quidem procul, mente uerò propè erat, dum preces effunderet orabat.

ORIGENIS. *Ne simul trabas cum peccatoribus uitam meam.* Si in nobis hoc utrunq; positum, cur Deo optimo causam tribuit? an interdum Deus, cum illis simul trahit, trahit eum, quem saluare potest, itaque Saluator publicanorum amicus, & peccator dictus est, cum alioquin nihil ab illis detrimenti caperet. Hunc igitur habitum, ut induat exposcit, uide melius fortasse uero magnos peccatores euitat, quales inducit loquentes ea, quæ non sentiunt. Nam licet Saluator meretricem dimiserit, non tamen illa pacifica loquebatur, & contraria cogitabat.

ATHANASII. Peccatores Iudæorum gentem dicit, iuxta illud, quod ab IESV dictum est Ioan. 8. illis. Nisi credideritis quod ego sum, in peccatis uestris moriemini, idem ipsi præterea sunt operarii iniquitatis, quoniam innocentem, & iustum, quem lex interficere prohibebat, occiderunt.

DIDYMI. Petit etiam ut accepta iustitia, in ipsa confirmetur, ne cum illis simul pereat, qui ab ipsa exciderunt.

ATHANASII. Hoc dicit, quoniam Saluatorem magistrum, & bonum appellantes nefaria contra ipsum moliebantur.

NICEPHORI. Et hunc quoque psalmum composuit Propheta, cum persequeretur eum Saul, *Ne sileas à me*, ne obaudias me, per translationem dictum: solent enim, qui obaudiunt tacere, & nihil respondere petētibus, *descendentibus in lacum*, Si obaudieris me statim similis ero ipsis mortuis, idest statim mortuus, *Ad templum sanctum tuum*, cœlum dicit, *Ne simul trabas*, noli ob meam conuersationem cum peccatoribus, me pariter ad luendas pœnas cum illis trahere.

Da illis Domine secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum.
Secundum opera manuum eorum da illis, redde retributionem eorum ipsis.
Quoniā non intellexerunt opera DOMINI, & in opera manuum eius destrues illos, et non ædificabis eos.
Benedictus DOMINUS, quoniam exaudiuit uocem deprecationis meæ.
Dominus adiutor meus, & protector meus, in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.

THEODORETI. Nemo putet uirū iustum inimicis suis mala precari, nam quæ dicta sunt non ad imprecationem, sed ad iustam sententiam pertinent. Redde (inquit) retributionem eorū Psa. 7. ipsi, in suas proprias (ait) insidias cadant, quas contra se inuicem struunt. Hoc quoque in septimo psalmo dixit. Conuertetur dolor eius in caput eius: & in uerticem ipsius iniquitas eius descēdet: Deinde causam supplicii docet. *Quoniam non intellexerunt*, Hæc autem (inquit) fecerunt, quoniā neque uerbum, neq; opus diuinum discere uoluerant *propterea destrues illos, & non ædificabis eos*, utilis enim est malis fabris, malè materiatę domus dissolutio, & hic quoque liquet ea, quæ paulo ante allata sunt prophetæ more dicta fuisse, siquidem non imprecatur, sed uaticinatur, nō enim ait, destrue, sed destrues, & non ædificabis.

ORIGENIS. *Da illis Domine*, Postulat per disciplinam illos affligi, quo peccare desistant, opera uero occulta dicit, nam mala in cordibus loquebantur.

DIDYMI. Oportet enim bona, & mala cognoscere, & illa quidem eligere, hæc euitare, qui uero libidines appetit, supplicio plectendus est, ut resipiscat.

ATHANASII. *Non intellexerunt opera Domini*, hoc est propriam salutem consequi neglexerunt.

DIDYMI. Opera eorum, sunt quæ mente, & affectu animi patrantur, opera uero manuum quæ ex animi decreto re ipsa præstantur, & iuxta sententiam sibi succedunt, Cœterum ex operibus DOMINI quędam uisibilia sunt, quædam inuisibilia, hæc cum minimè intelligerent, se ipsos suppliciis subdidere.

ORIGENIS. Culpa non uacat qui DOMINI opera non considerat, opus enim manuum eius annunciat firmamentum, docet enim, ut quadam rationis comparatione ipsum opificem consi Psal. 18. deremus.

EVSEBII. Opera DOMINI intelliges, omnia quæ ex nihilo facta sunt, opera uero manuum

nuum eius, quæ prouidentiam declarant, nam uiribus prouidentiæ suæ quasi manibus omnia gubernat. *Benedictus Deus, quoniam exaudiuit uocem.* Iuxta promissa, adhuc te loquente dicam ecce adsum. Deus illum quasi præsens adesset, ipsum exaudiuit, & per spiritum propheticum notam quandam illius animo impressit, qua petitionem suam exauditam fuisse, certior factus est, seque à lacu ne in illum raperetur, ereptum, ideo preces in gratiarum actiones uertit, nam se acceptum beneficium cognoscere profitetur, dicens. benedictus Dominus.

DIDYMI. Cum Dei opem consequutus esset, turpem nullam cogitationem, aut impiam opinionem concepit, adiuuatur enim quicunque, ea eligit, & fugit, quæ eum eligere, & fugere decet.

THEODORETI. *Benedictus Dominus,* post hæc diuino inditio monitus, & à longè diuinum auxilium conspicatus, ad hymnos cantandos linguam mouet, dicens, *Benedictus Dominus,* & ostendens causam celeris auxilii subiunxit. *in ipso sperauit cor meum, & auditus sum.* Nam spes, quam in eo posui, huiusmodi mihi præsidium conciliauit, quapropter ab ærumna solutus, quam propter exilium pertuli, quasi reuiuiscens florui, ac hilaritatem, & bonam corporis habitudinem præ gaudio recepi.

NICEPHORI. *Redde retributionem,* redde illis debitam ultionem, ut hac ratione mali in meliorem frugem uertantur, *quoniam non intellexerunt opera Domini,* Quoniam hactenus dispẽsationes Dei non intellexerunt, quod scilicet Deus prauos sustinet, tempora illis subministrans ad conuersionem, *Et destrues illos,* Vaticinatur propheta inimicorum suorum perditionem, quæ huiusmodi erit, ut ubi semel in preceps ceciderint, resurgere amplius, & se erigere non possint.

ORIGENIS. *Quoniam non intellexerunt opera Domini,* Noluerunt (inquit) considerare, quod à te instituar, & quod ualetudo mihi ad utilitatem animæ non ad iram cessit. nec intelligere uoluerunt, quod qui mihi uictoriã gratificatus est, is non acerba ira in me usus est, sed moderatè ad meliorem frugem me reuocauit. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius,* Fortasse opera Domini intellectualia intelliges, opera autem manuum eius sensibilia arbitror, Nonne (inquit) manus mea fecit hæc omnia? an fortè opera Domini uirtutes, opera uerò manuum eius rerum factarum cogitationes. *destrues illos, & ædificabis.* Destruit Dominus malos habitus, nec permittit ædificantibus ut ipsos instaurent.

Et refloruit caro mea, & ex uoluntate mea confitebor ei.
Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationum Christi sui est.
Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos usq; in æternum.

THEODORETI. *Et ex uoluntate mea,* hoc est non inuitus sed spontè mea ipsi hymnum affero, sic & aliàs dixit. Voluntariè sacrificabo tibi. & iterum, uoluntaria oris mei beneplacita fac Domine. *Dominus fortitudo.* Decanto autem ipsum, & prædico tanquam bonum Dominum, qui & Regi, & populo copiosè fortitudinem, & robur, & salutẽ subministrat. Christum. n. se ipsum ut Regem nuncupat, quod nomen erat, & Regum, & prophetarum, & sacerdotum commune. *Saluum fac populum tuum,* Hanc ergò (inquit) beneuolentiã, & salutem cũ populo tuo communica, dirigens, regens, & imperium in hostes illi tradens. Ecce dignas Regis pro populo precantis uoces. est uero quod mireris, quod modo agit magnus Dauid, Nam eum ipsum Saul fugeret (siquidem serui Dauid cum Saul conspirauerunt) supplex intercedit pro ipsis, nam futuram eorum conuersionem prospiciebat, neque iniuriarum memoriam ullam eorum iniustitiæ rationẽ habebat, sed tantum futuræ seruitutis. Psal. 50. Psal. 118.

ATHANASII. *Et refloruit caro mea,* Hoc loco palàm resurrectionem prædicit, refloret caro nostra, cum spem resurrectionis accipimus, cœterum non, caro, sed cor alii uerterunt.

ORIGENIS. Quæ nam caro refloruit præter ea. de qua dictum est. Videbit omnis caro salutare Dei? Vel sic. cum per fugam à turpibus factis exemptus essem, uigui sanè (inquit) & refloruì recepta præ lætitia prospera ualetudine. Luc. 3.


DIDYMI. Posset etiam his uerbis significari ob auxilium à Deo præstitum, præ cordis lætitia carnem quoque refloruisse. uel ob spem resurrectionis, iuxta illud. & ossa uestra tanquam herba uirescent, nam corpus nostrum ratione resurrectionis nunc seminis similitudinẽ habet, iuxta illud. seminatum in corruptione, surget in incorruptione, nam exemplo huiusmodi ipse quoque Paulus usus est. *Et ex uoluntate mea confitebor ei.* id est lubens. Hoc enim dictum est ad distinctionem legalis cultus, qui pœnarum metu fieri solebat, non enim propter hominum uerecundiam à peccatis abstinuit, sed odio, ac detestatione peccati. At si confiteri, gratiarum actionem significat, 1. Cor. 15.

PSALMVS IPSI DAVID.

IN CONSVMMATIONE TABERNACVLI.

PSALMVS. XXVIII.

Afferte Domino Filij Dei afferte Domino filios arietum.



THANASII. Canitur præsens psalmus ciecto Israelis populo, gentibus eius uice accitis. Hocautem & inscriptio ipsa demonstrat, quæ dicit *In exitu tabernaculi*, nam exitum illorum nobis apertè significat.

THEODORETI. Hanc inscriptionem in germana quæ exaplos dicitur editione non inueni, sed in nonnullis exemplaribus: Hinc aliqui scriptores adducti beatum Dauid præsentem psalmum edidisse opinati sunt, cum arcam reduceret, uerum siquis aduerterit ex uerbis psalmi huius, nullam sententiam huiusmodi elici posse uidebit, nā psalmus alia prædicit; quocirca duplicem habet prophetiam, alterām Ezechię Regi accommodatam, alteram uero communi omnium Regi congruentē. qui sublato Idolorū errore diuinæ cognitionis radiis orbē illustrauit. Ego sanè uaticiniū ad Ezechiā pertinens breuiter expediam. prophetiā uero nostrā, utpotè: quæ ad nos magis spectet, pluribus absoluā. Cū illustris Ezechias Assyrios debellasset, cumq; uictoriæ magnitudine exultaret, edixit ut populus hostis, canticis, & gloriæ Deo gratias ageret, & in aula sancta solitū ipsius cultū celebraret, nā tēplum erat multitudini inaccessum, & uetitum, solis tantū sacerdotibus illuc aditus patebat. post hæc harum rerū causam reddidit, ostēdens plagam, quæ Assyrios afflixerat, à Deo immissā fuisse uociferationis, item ac clamoris mētionē facit, eleganti figura hostiū numerū, aquarū multitudinē uocās. postea cedros eosdē appellat, hinc altitudinē. & frequētiā eorū innuens, & has quidē cōtritas esse asserit, populū uero dilectū filio unicornis comparat, cū unū tātū Deū colat. & propterea innumerabiles hostium insultātiū copias profligauerit, præterea inquit eos more ignis combussisse, ac dissipasse, & phalangē à Deo destitutam concussisse, & exercitū eius pro pugnatoribus spoliasse, qui pp certantium multitudinē nemori comparatur. Nobis aūt qui ceruorū formidinē conceperamus animum reddidit, & pro fuga fecit, ut pedem listeremus. quocirca decet, ut omnes simul ad sacram ædem accurramus, & pro gratiarum actione Deo laudes hymnorum afferamus, nam cū nos ab iis malis eripuisset, faciet ut ædificia, quæ in suburbiis ab hostibus uastata, & ueluti alluuie quadā deleta sunt, iterū instauremus, & reparemus, & incolamus nā facilè ad uota cuncta succedent, cum Regē habeamus sempiternū, qui & uictoriæ nostræ authot, & pacis conciliator fuit. Hactenus ergò præsentem psalmū beato Ezechiæ conuenire interpretatio nostra declarauit. quoniā uero noui testamenti figura uetus est, reliquū est, ut umbræ corpus applicemus, & similitudinem inueniamus. illic Rex pius, hic Christus pietatis magister, illic populus ei obediens, hic populus ab eo seruatus, illic Assyriorum & bellum, & cœdes, hic Demonum impetus, & euersio. Iubet ergo spiritus sancti gratia, ut sacri Apostoli salutē gentibus prędicent, & credentes Deo afferant Filios enim Dei uocat Apostolos, tanquam Christi fratres nominatos. Dicite. n. (inquit) fratribus meis, qd̄ pręcedā uos i Galileā. Filios uero arietū eos, qui ex gentibus fideles extitere, nuncupat. utpotè qui à patribus ratione carentibus progeniti sunt.

2. Para. 32.

Matth. 27.

BASILII. Vigesimus octauus psalmus commune habet, quod in omni inscriptione poni solet, psalmus enim (inquit) ipsi Dauid, habet etiā quid separatū & proprium, Additum est enim, *Exitus tabernaculi*. Quid autem hoc est? consideremus nos, & quid exitus, quid tabernaculum sit, ut in psalmi sententiam penetrare possimus. quantū ergo ad historiam spectat uideri potest sacerdotibus, ac leuitis officii sui desertoribus hoc præceptum dari ut meminerint eorum, quæ ab ipsis ad diuinū cultū præstari debent. Egredientibus enim, ac exeuntibus è tabernaculo, uerba psalmi proponunt, quæ ipsos parare oporteat, & quæ habere, ut in posterum parati, & instructi accedant, filios scilicet arietum, gloriam, & honorem, gloriam nomini eius. & quod nusquā alibi diuinum cultum exercere, quam in atrio Domini, & in loco sanctificationis conueniat, Cæterum menti nostræ in sublimiū rerum speculatione uersari, & quę legem nobis per eximiam, & diuinæ scripturę conuenientem sententiam appropriat, illa succurrunt. Neque arietem marem

ſtra coràm hominibus, ut glorificent Patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Tertio loco qui præ manibus pſalmus eſt, æquè cum nonageſimoquinto præcipit, ut gloriam Domino, & nomini eius afferamus, gloriam namque rectis de religione opinionibus eidem afferimus, ſed & honorem illi exhibemus, cum paremus præcepto diceuti. *Matth. 5.* Honora Dominum ex iuſtis laboribus tuis, & primitias illi offer ex fructibus iuſtitiæ. *Prouer. 3.* Atqui nomini eius gloriam comparamus, cum opera noſtra coràm hominibus illuxerint, ut ipſi ea uidentes glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Sed qua ratione illius nomen apud gentes glorificitur, ſermo quoque quo Prpheta in Iudæorum gentem inuehitur, oſtendit, dicens. Non eſt uoluntas mea in uobis dicit Dominus omnipotens. *Malach. 1.* nec hoſtias ſuſcipiam de manibus ueſtris, nam à Solis ortu uſque ad occaſum glorificatum eſt nomen meum inter gentes: uos autem inquinatis illud. Ad hæc omnia, qui filii Dei, ac filii arietum dicti ſunt iubentur adorare Dominum in atrio ſancto eius. non enim uult nos extra atrium, ac priuatim in ſeceſſu illum adorare, ſed accurrere in Eccleſiam eius. Prò *in atrio ſancto eius*. Aquila, in decoro ſanctificato, Symmachus in decore ſancto, uerterunt. Vult.n. ſermo nos omnes cum ornatu decenti, & iuſtitia, Deo dilecta ſanctificatione item, atque decore adorationem perſoluere.

DIDYMI. Angelis, uel iis, qui ſpiritum adoptionis filiorum Dei accepere mandat, ut ad tabernaculum afferant ea, quæ ad ſacrificium peragendum requirunent, inter ea autem, quæ afferuntur, filii arietum numerantur. qui priuſquam ratione aliqua ueritatem perſpicerent, uitam piè ſibi agendam induxerunt. quare etiam præeſſe poſſunt. Filii autem arietum, qui imitatione in traducenda uita ab illis profecti ſunt. Gloriam uero afferunt, qui rectè de Trinitate ſentiunt. honorem, qui præcepta obſeruant, nam ſi legis tranſgreſſores ob tranſgreſſionem Deum dehoneſtare dicuntur, conſequens eſt, ut legis obſeruatores Deum honorent. In atrio uero ſancto eius adorat, qui iuxta Eccleſiæ dogmata, & regulas Deum colit.

ATHANASII. Filios Dei ſanctos Apoſtolos uocat, illos enim docuit dicere. Pater noſter, qui es in cœlis, per filios arietum, eorum qui ex Iudæorum gente uocati ſunt, fidem in Domino ſignificat. *Matth. 6.* Gloriam uero Domino, quilibet rectè factis inſiſtens affert, iuxta quod dictum eſt, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum. Ruſus honorem affert, qui *Matth. 5.* bona opera exequitur, iuxta illud honora Dominum ex iuſtis laboribus tuis. *Adorare Dominum in atrio ſancto eius*, palàm edicit, non oportere nos extra Eccleſiam adorare.

BASILII. *Afferte Domino filij Dei.* In multis exemplaribus uerba hæc adiecta inuenimus. Quoniam uerò non cuiuſuis donum Domino Deo gratum eſt, ſed eius, qui cum puritate cordis offert. (Non enim mundæ ſunt (inquit) preces à mercede ſcorti. Et ruſus Ieremias. Nunquid preces (ait) & carnes ſanctæ auferent iniquitates tuas? aut his purus eris?) Ideo Pſalmus primum nos filios Dei fieri monet, deinde ad munera Deo offerenda accedere. Munera autem non quælibet, ſed quæ ipſe præcepit, primum dic, Pater. deinde pete quæ ſequuntur. Probate ex quali uitæ genere accedas, an dignus ſis Deum ſanctum Patrem tuum nominare. Patet nobis ad ſanctum per ſanctificationem familiaritas, & acceſſus, ſi uis ſemper filius ſancti eſſe, ſanctificatio te in filium adoptet. Afferte igitur Domino, non quælibet, nec ex quibuslibet orti, ſed filii Dei magna requiſiturus magnos elegit oblatores. Quo minus enim cogitationes tuas ad humum proſternat, nec tanquàm arietem brutum quadrupes & balatum edens animal te reddat, quæras qua ratione ex huiuſmodi oblatione Deum placare confidas. Afferte (inquit) Domino Filii Dei; non enim opus eſt filio ut filium offerat: quod ſi magnum quid eſt filius, magnum quid & filii affectione, & paterna præſtantia dignum eſſe decet, quod offertur. Filios itaque (inquit) arietum afferte, quo & ipſi qui à uobis offeruntur ab eo, quod arietum filii ſunt, in id, quod filii Dei fiant, permutentur. Aries animal eſt anteſignanum præcedens oues ad pabuli paſcua, & aquarum refectiones, & ad ſtabula, & caulas reducens: huiuſmodi ſunt aliqui ouilis Chriſti præfecti præeuntes ad florida, & odorata ſpiritalis doctrinæ pabula, & aqua uiua ſubminiſtrante ſpiritu rigantes, & exaltantes, & ad fructus edendos enutrientes, ducentes quoque ad requiem, & ab inſidiantium metu ad ſecuritatem. Horum igitur filios à filiis Dei Domino afferri uult ſermo. Si uerò arietes ſunt, qui aliis præeunt, filii ſanè horum fuerint, qui ad uirtutis uitam per bonorum operum ſtudiũ ex præfectorum doctrina efformati ſunt. *Afferte igitur Domino filij Dei, afferte filios arietum.* Didiciſti ad quem dicit. didiciſti à quibus. *Afferte Domino* (inquit) *gloriam & honorem.* quomodo nos terra, & cinis gloriam magno Deo, quomodo & honorem afferimus? Gloriam ſanè afferimus per bona opera, cum hominibus illuxerint opera ueſtra, quibus perſpectis glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. Sed & temperantia, & ſanctificatione illa, *Matth. 5.* quæ ad pietatis cultores pertinet, Deum glorificare poſſumus etiam Paulo teſte, inquit

enim,

2.Cor.9. enim, glorificate Deum in membris uestris. Hanc quoque gloriam Dominus ab iis exigit, qui *Prouer.3.* credunt in eum, & quos adoptionis munere insigniuit. Filius enim (ait) glorificat Patrem. & *Malach.1.* si Pater sum ego, ubi est honor meus? Honorem uerò Deo affert, qui iuxta prouerbium Dei colit ex iustis operibus suis, & primitias ipsi offert à fructibus iustitiæ suæ. Honorem affert & gloriam Deo, quicunque rectè ac fœliciter Theologiam tractat, ut non cadat à recta Patris notione, & unigeniti deitate, & Spiritu Sancti maiestate. Auget gloriam, qui reddere potest rationes, quibus cuncta creata sunt, & secundum quas continentur, prouidentia ipsius usque ad minima permeante, & secundum quas post istam gubernationem sub iudicium producentur. Qui perspicua, distincta & pura potest ratione, tum ipse per se singula contemplari, tum postquàm ipse contemplatus fuerit, aliis quoque bonitatis Dei, ac iusti iudicii eius mysteria declarare, & qui demum huiuscemodi contemplatione dignam uitam ducit, hic est, qui Domino gloriam, & honorem affert. Talis enim uiri lux coràm hominibus lucet, dum sermone, & opere, Pater qui in cœlis est, glorificatur. Non item uerò Domino gloriam, & honorem affert, qui humanæ gloriæ admiratione ducitur, qui argentum colit, qui uoluptates sequitur, & qui aliena à ueritate dogmata sectatur: nam quemadmodum per rectè facta gloriam Domino afferimus, ita per turpia con- *Rom.2.* trarium agimus: Nam qui dicit peccantibus? Nomen meum per uos blasphematur inter gen- *Ibidem.* tes. Et rursus Apostolus: Per transgressionem legis Deum inhonoras: nam contumelia est legum latori legum contemptus, & dum domus malè gubernatur, in qua est indignatio, & clamor, contumelia, & risus, libido, & profusio, immunditia, & petulantia, ignominia & dedecus eorum, quæ fiunt, ad Dominum ipsius redit: consequens est ut nos intelligamus, quod quemadmodū in bonis Deus, ita in malis operibus glorificatur inimicus: Cū.n.ablatis membris Christi fecero ipsa membra meretricis, transtuli gloriam à Seruatore ad perditorem meum: Et qui non credit, transmutat gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, & uolucrum, *Rom.1.* & quadrupedum, ac reptilium in terra: Et qui colit, ac ueneratur creaturam præter conditorem, non Deo, sed creaturis gloriam dat. Quare qui creaturam aliquid esse dicit, deinde adorat, is noscat portionem suam cum qua ordinabitur. Timeamus igitur ne gloriam, & exultationem diabolo per peccatum ferentes unà cum ipso æternæ confusioni tradamur. Quod enim peccatum nostrum gloria fit eius, qui in nobis id operatur, similitudine quadam considerato: Cum exercitus duo manus conferunt, ac confligunt, ubi hoc agmen uincit, imperator ipsius gloriam refert, ubi contrarium, uires sumit, ad illius ducem iterum gloria redit. Sic in bonis tuis operibus Dominus est, qui glorificatur, in contrariis aduersarius, & ne mihi longius de hostibus cogites, neque procul exercituum duces respicias, sed te ipsum inspice, & omnem similitudinis ueritatem comperies. Cum enim ratio aduersus affectum decertauerit, si per contentionem, & studium superauerit, uictoriæ insignia de affectu referet, ubi uero demolita mens uoluptati succubuerit, serua, & captiua peccatorum facta, hosti gaudium, elationis, & fastus occasionem præbet. *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* Post oblatum fructum eorum quæ requiruntur, necessaria est adoratio: Adoratio autem non extra Ecclesiam, sed quæ in ipso atrio Dei perficitur. Ne mihi (inquit) propria atria, & conuenticula excogitetis: Vnum est atrium sanctum Dei: Erat antea atrium Iudæorum Synagoga: Verum postquàm in Christum peccarunt, facta est ip- *Matth.28.* sorum aula desolata. Quapropter etiam Dominus dicens alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, gentes ad salutem præordinatas proprium ouile præter id, quod est Iudæorum, se habere ostendit. Non igitur extra hoc atrium Deum adorare decet, sed intra ipsum, ut nequis foris existens ab externis rebus trahatur, & id amittat, ut sit in atrio Domini. Sunt profectò plures in habitu quidem adorationis, qui non sunt in atrio, quoniam mens eorum circumfertur, & animus curis inanibus distrahitur. Potest quoque atrium intelligi pro cœlesti uita: Quapropter qui hic in domo Dei complantati sunt, in Ecclesia scilicet Dei uiuentis illic in atrio Dei nostri florebunt. Qui uero Deum facit uentrem, aut gloriam, aut argentum, aut aliud quod magis honorat, neque adorat Dominum; neque in atrio sancto est, etiam si dignus sensibilibus conuentibus uideatur.

THEODORETI. Vos (inquit) quibus prædicandi munus demandatum est, quique Dei filii uocati estis, omni alacritate diuinum præconium ad omnes partes uniuersi perferatis, & eos, qui absque ratione educati sunt, rationis alimento nutrite, & hos primum Deo afferatis: postea per eos cultum & hymnos adhibete in sacris ædibus beneficii authorem celebrantes. Hæc illis si- *Ioan.10.* milia sunt, quæ sacris Apostolis à Saluatore dicta sunt: Euntes docete omnes gentes baptizantes illas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: nam Psalmus post ea, quæ numerata sunt, de sacris aquis mentionem facit.

NICEPHORI.

NICEPHORI. Iuxta hiſtoriam hic pſalmus præceptum quoddam continet ad ſacerdotes & leuitas de egreſſu tabernaculi, quid ſcilicet illinc egreſſi ſequenti die facere deberent: Afferte nimirum filios arietum, maſculos nuper natos, & gloriam, laudationes, & pſalmos, & honorem per regulam, & religionem, atque hoc in aula templi, & non in alio loco. At iuxta ſenſum anagogicum egreſſus è tabernaculo exitus ab hac uita intelligi poteſt: ad quem admonet nos hoc loco Propheta quid facere debeamus ut nos præparemus. *Afferte Domino.* ſtudium & feſtinationem quandam habet hic ſermo: inquit enim: ò Filii Dei, ſcilicet Apoſtoli, afferte Domino, afferte Domino filios arietum, qui abſque ratione uiuunt, ſcilicet gentes: *Gloriam & honorem,* Gloria nominis Chriſti ſunt laudabiles actiones noſtræ. *In atrio ſancto eius,* Aulam, uel atrium uocat unam Eccleſiam, uel fidem piorum.

ORIGENIS. *Afferte Domino Filij Dei.* Paulus ſanctus Filius Dei per Euangelium factus eſt. Genuit autem Filios, & hos Deo attulit. Filios uocat de quibus ingens Dei cura eſt, & egregiè ſalutem ſunt ſortiti, quibus Deus tanquam filiis pepercit.

ATHANASII. *Filios arietum,* Vocatos ad Chriſti fidem ex Iudæorum populo, uel fideles ex gentibus tanquàm ex irrationalibus ortos parentibus filios arietum uocat, *Afferte gloriam,* Gloriam affert Domino, qui benè agit, iuxta illud. Vt uideant bona opera ueſtra, & glorificent patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis: honorem uero affert, qui rectis actionibus ſtudet, iu- Matth.5. xta illud: Honora Deum ex iuſtis laboribus tuis.

ORIGENIS. Honor eſt religioſa Dei commẽdatio cum gratiarum actione: Gloriam uerò afferunt, qui quod decet, de Trinitate ſentiunt: honorem uero quicunque mandata Dei ſeruant. Qui neque dolore neque neceſſitate pauperum miſeretur. & in hoc Deo fœneratur: Nam honor in huiuſmodi propriè cenſetur, ut illud. Viduas honora, quæ uerè uiduæ ſunt, & illud. Honora patrem, & matrem. 1.Tim.5.

ATHANASII. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius,* iubet apertè extra Eccleſiam non debere cultum Deo exhiberi: & hoc propter cœtus eorum, qui aliter ſentiunt.

Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.
Vox Domini in fortitudine, uox Domini in magnificentia.

THEODORETI. Vocem de cœlo apud Iordanem demiſſam prædicit: Hic eſt filius meus Matth.13. dilectus, in quo mihi benè complacui ipſum audite. Porrò tonitruum ipſam uocem appellauit, tanquàm orbem uniuerſum per ſacra Euangelia ſonitu magno concutientem. Simili ratione filios tonitrui Apoſtolorum collegium nominauit ob admirabilem, atque diuinum Theologiæ ſermonem. *Super aquas multas,* Non enim Iordanis ſolus eius gratiam ſenſit, Verum in omni fonte, & mari baptiſmatis myſterium perficitur, diuina inuocatione aquarum natura ſanctificante. Hinc Apoſtolis traditam poteſtatem prædicit. *Vox Domini in fortitudine,* Similia his actorum hiſtoria docet: ibi enim diſcimus, quemadmodum cum Dominus Chriſtus cœlos aſcenſurus eſſet, ſanctis diſcipulis ſuis mandauerit dicens. Expectate in ciuitate iſta donec induamini Luc.24. uirtutem ex alto: & poſt decem dies in ſolemnitate pentecoſtes, Facta eſt de cœlo uox tanquam Act.2. aduenientis ſpiritus uehementis, & repleuit domum, ubi erant ſedentes, & apparuerunt illis linguæ tanquàm ignis diſpertitæ, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Cœterum per uocem intelligit Spiritus ſancti gratiam, quæ fortitudine, & uirtute imbuit Apoſtolos, & cum timidi, ac deiecti eſſent, hilares, & magni animi reddidit: oſtendit demum quid egerint hac uoce confirmati.

ATHANASII. Per aquas intelligit multitudinem eorum, qui per eas ſaluati ſunt.

BASILII. Frequenter uocis nomen uſurpatum reperitur, quare ut quæ ſit Domini uox nobis innoteſcat, opus eſt, ut quæ de uoce in ſacris literis allata ſunt, pro uiribus colligamus ut in oraculo ad Abraham: & ſtatim uox facta eſt, non hæres hic tuus erit: & de Moſe: & omnis Gen.15. populus uidebat uocem, & faces. Et apud Iſaiam: Vox dicentis clama. Vox igitur apud nos aut Exod.20. aer eſt pulſus, aut ſpecies quædam circa aerem, in quem qui uocem emittit, impreſſionem face- Iſa.40. re intendit. Quid ergo eſt uox Domini? plaga ne circa aerem, an pulſus aer ad aures uſque perueniens eius ad quem uox emittitur? an horum neutrum? Atqui alterius generis uox eſt, dum præcipua pars hominum, quos Deus uocem ſuam audire uult, à Deo informata imaginatur, ut hæc imaginatio ſimilis ſit illi, quæ in ſomnis fieri ſolet. quemadmodum in ſpectris per ſomnia, nullam uerborum ac ſonorum memoriam accipimus, quæ ab aeris impulſione oriatur, quando quidem non per aures illapſas uoces ſuſcipiamus, ſed ipſo corde noſtro impreſſionem ſentientes, ſic huiuſmodi oportet uocem cenſere, quæ à Deo prophetis imprimitur, & ingeneratur.

Vox

Vox Domini super aquas, Quantum pertinet, ad ea, quæ sensibus percipiuntur: Cum nubes ubi aqua plenæ fuerint, sonitum & strepitum mutuo collisæ emittunt, Vox (inquit) Domini super aquas. Sed & sicubi (ait) strepitus aquarum, quæ in obnitentem rem aliquam alliduntur, fieri contingat, & si mare uentis agitatum æstuat, & sonitum uiolentum hæc inanimata edant, uocem à Domino habent, quasi sermo indicet tantum non opificem suum annunciantem creaturam clamare. Et si tonitru e nubibus erumpat, non aliud. quid putare oportet, quàm quod Deus gloriæ intonuit, & quod Dominus est, qui fluxam & humentem naturam per se ipsum continet. *Dominus super aquas multas.* Didicimus in mundi generatione aquam supra cælos, aquam rursus abyssi, aquam demum aliam congregationem maris. Quis ergo est qui has contiuet? nec finit ipsa naturali momento ac impetu deorsum ferri, nisi Dominus, qui super
Matth.17. omnes conscendit? qui etiam aquarum habet imperium. Fortasse uerò magis mysticè uox Domini est super aquas, quando baptizato I E S V Facta est ex supernis uox. Hic est filius meus dilectus: Tunc enim Dominus erat super aquas multas sanctificans aquas per baptisma, Deus uerò gloriæ ac maiestatis magna testimonii sui uoce supernè intonuit. Sed & super eos, qui baptizantur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vox igitur Domini super aquas multas. Porrò conflatur tonitru cum halitus siccus & uehemens in concauis nubium conclusus præ impetu per nubium caua obuoluitur, & exitum quærit: nam nimia densitate coactæ nubes retinentes asperum illum ex uento impellente sonitum efficiunt. Vbi uerò tanquam ampullæ inflatæ uento resistere, & continere amplius nequeunt, disruptæ ac uentum expirantes eos qui in tonitribus fiunt, sonitus edunt. Quod etiam fulgur efficere solet. Dominus ergo est, qui & super aquas existens in liquida aeris natura, tam uehementes sonitus efficiens magnos tonitrui strepitus mouet. Poteris quoque secundum Ecclesiasticam rationem tonitru nominare traditionem illam, quæ post baptisma ex magna Euangelii uoce in animis eorum, qui iam perficiuntur fieri solet. Quod enim tonitru sit Euangelium discipuli ostendunt filii tonitrui
Marc.3. ex quadam similitudine à Domino nuncupati. Quapropter non in quo uis huiusmodi tonitrui uox est, sed siquis rotæ nomine dignus fuerit: Vox enim (ait) tonitrui tui in rota: siquis ad exteriora tanquàm rota expansus modica sui parte terram attingens, & omnino
Psal.76. eiusmodi, de qua loquutus est Ezechiel: Et uidi, & ecce rota una super terram hærens ex quatuor animalibus, & aspectus rotarum earum quasi uisio maris *Deus* igitur, *maiestatis intonuit*
Ezech.1. *super aquas multas* Aquæ sunt sancti, quia flumina fluent ex uentre ipsorum: hoc est doctrina spiritalis animas audientium irrigans: super huiusmodi aquas est Dominus. Memineris quoque historiæ, quæ de Elia narratur, quando conclusum fuit cælum annis tribus, & mensibus sex: quan-
3.Reg.18. & 19. do in serenitate super uerticem Carmeli audiuit uocem aquarum multarum: deinde consequutum est, ut & tonitru fieret ex nubibus & deflueret aqua. *Dominus igitur super aquas multas.*

E V S E B I I. Cæterum aliquis altius repetens, & colligens in uniuersum quæcunque de
3.Reg.18. aquis in ueteri scriptura dicta sunt & quòd Elias in Carmeli uertice audiuit uocem aquarum mul
Gen.1. tarum. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas: Et, producant aquæ reptilia animalium uiuentium: atque in diluuio cum omnia periissent, quomodo Noë & qui cum eo erant seruati sint. Et quæ in Aegypto in mari rubro, ac Iordane gesta sunt ut sicco pede transirent, Dei uoces super aquas uidebit. *Vox Domini in uirtute.* Nam qui omnia potest in eo, qui se corroborat Christo, is audit præcepta Domini, & facit ea; Non.n. in anima, imbecilla, ac dissoluta, sed in forti & uehementi ad bonũ agendum uox Domini reperitur *Vox Domini in magnificentia,* Non modo (inquit) per ea, quæ à nobis de, aquis dicta sunt, uox Domini ostenditur, sed etiam per fortitudinem, ac magnificentiam eius quam uel oculis intueri possunt, qui mundum uniuersum simul, & partes eius singulatim, & inenarrabilem magnitudinem & pulchritudinem ineffabilem, & multiplicem sapientiam, quæ in ipsis cernitur, considerare, ac perpendere uoluerint: quæ omnia uirtutem ac fortitudinem uniuersorum conditoris ostendunt. propterea sermones prophetici Theologiam à magno illius opificio hauserunt: Iccirco dictus est apud Ieremiam; Dominus, qui terram fecit in fortitudine sua & reliqua.

N I C E P H O R I. *Vox Domini super aquas.* prophetia hæc est de uoce, quæ in Iordane supernè demissa est, quando Christus Baptizabatur, quam & tonitru appellauit, & quia de cælo unde ueniunt tonitrua delata est: & quia magna fuit, & audibilis. Deum autem gloriæ prò glorioso dixit. Dominus super aquas: Christus in Iordane, & per ipsum omnium aquarum natura sanctificata. *Vox Domini in fortitudine* Vox Domini est Euangelium, & omne Dei præceptum. qui Dominus fortes, & magnificos sanctos facit.

D I D Y M I. Atqui expeditus hoc aliquis explicabit, qui Ioannem baptizantem dixerit

uocem

uocem Domini super aquas esse.

BASILII. Quemadmodum in rotam, & in orbem uox fit, sic in ueritate uox Domini conflatur, & consistit. nam qui omnia in christo se confirmante potest, is & audit, & facit quæ Dominus pręcipit. Vox igitur Domini non in debili ac soluta anima, sed in ea est, quæ uiriliter, & constanter bonum agit. *Vox Domini in magnificentia*. Magnificentia uirtus est decenter magna faciens: qui ergo magnarum rerum actiones præstat, is magnificus appellatur. Quum ergò anima à graui carnis seruitio libera fuerit, & conuenientem sibi amplitudinem, & dignitatem ex eorum, quæ illi adsunt, perceptione à Deo acceperit, in ea fit uox Domini. Qui ergo magnificè de Deo sentiunt & cogitant, atque sublimes rerum creatarum rationes contemplantur, & aliquatenus prouidentiæ Dei bonitati studere possunt, nec pecuniæ parcunt, sed in fratribus à necessitatibus subleuandis munifici sunt, & liberales, hi sunt illi magnifici, in quibus est uox Domini. Re uera enim magnificus corporea cuncta contemnit, & nihil habet inuisibiliũ collatione. Magnificum nulla affliget calamitas, neque affectio ulla prorsus ipsum conturbabit: neque homunculorum malorum, & abiectorum peccata permouebunt, neque carnis immunditia ipsum deprimet (nanque humiles & turpes affectus ad eum accedere non possunt,) neque ob mentis altitudinem aspicere queunt. Dicitur præterea Dei magnificentia quædam, ut ibi. quoniã eleuata est magnificentia tua super cœlos. (Psal. 58.) Qui ergo præclara, & magnifica de Deo sentiunt, & glorificant ipsum, hi magnificentiam ipsius extollunt.

ORIGENIS. *Vox Domini super aquas*. Vox Domini simpliciter super aquas: ipse autem Dominus super aquas multas: Nunc autem per aquas rationales naturæ significantur. (Gen. 1.) Fiat (inquit) firmamentum in medio aquarum, & separentur. & reliqua ut Basilius.

Vox Domini confringentis Cedros, & confringet Dominus Cedros Libani.

Et comminuet eos tanquàm uitulum Libani, & dilectus tanquàm filius unicornium.

THEODORETI. Verba hæc Idolorum euersionem significant. Quoniam Idolorum delubra iam alta erant, & nullum cultoribus eorum fructum afferebant, ideo illa Cedris Libani comparauit: Sũnt enim cedri proceræ sed infructuosæ arbores, & nihil edunt, quod faciat ad uescendum. Libanum uerò frequenter Hierusalem uocat. Aperi enim (ait) Libane portas eius, (Zach. 10.) & deuoret ignis cedros tuos. Vitulus autem Libani ille est, qui in Oreb ab illis fabricatus est. (Exod. 23.) Fecerunt enim uitulum (inquit) in Oreb, adorauerunt sculptile. (Psal. 150.) Sed legislator ille Moses uitulum illum fregit, & comminuit. Inquit ergò omnia terrarum orbis Idola, tanquàm uitulus ille conterenda esse, & comminuenda. Populus uerò, qui Deo crediderit, & ab errore illo liberatus fuerit, & propterea dilectus appellatus, inuictus & inexpugnabilis erit, utpotè solutus à cultu multorum Deorum unicam diuinitatem honorans.

ATHANASII. Cedros hic dicit aduersarias potestates: Cedros uero Libani, sublimes Iudaici populi homines, quod Israel sæpe Libanus in scriptura nominetur.

BASILII. Cedrus interdum tanquàm res durabilis, & putredinis expers, odorata, & tegmen præbere apta in scripturis commendatur: Interdum uero tanquam infructuosa, & ęgrè flexilis damnatur, ut etiam impii similitudinem referat. Vidi enim (inquit) impium super exaltatum super cedros Libani: (Psa. 36.) In qua significatione hic quoque accepta est. quemadmodum .n. in magnifica anima fit uox, sic eos, qui temerè inflantur, qui se ipsos extollunt in his, quæ in hoc mundo sublimia iudicantur, diuitiis, aut gloria, aut dignitate, & principatu uel etiam corporis forma, & uiribus, confringere dicitur. *Et confringet Dominus Cedros Libani*. Qui res alienas inuadunt, & inde iactantiam sibi comparant, hi sunt cedri Libani. Nam quemadmodum cedri ipsæ cum altæ sint, propterea quod supra montes natæ sunt, accedente quoque montis celsitudine conspicuæ magis fiunt: Ita qui interituris mundi rebus innituntur, cedri quidem sunt propter superbiam & mentis elationẽ. Libani uerò cedri appellantur, propterea quod aliena celsitudine exultant, & à terra, terrenisque ueluti à Libani uertice ad fastum extolluntur. Non omnes autem cedros confringit Dominus, sed cedros Libani. Nam cum omnis Idololatriæ locus sit Libanus, quotquot animę in Dei cognitionem insurgunt, hę cedri Libani appellantur, & dignæ sunt, ut conterantur: Sunt enim quædam cedri Dei, quas arbustiuæ uites ab Aegyptia uitæ translatæ operiunt, ut in Psalmis didicimus. Operuit montes umbra ipsius, & arbusta eius (Psal. 79.) cedros Dei. quoniam uerò ad reliquas christi notiones, uitis quoque nomen accedit (ego .n. sum uitis ait, uos uerò palmites,) cedri Dei sunt, qui hactenus infructuosi, ad ignem potius apti fuerunt, mox ubi christi tegumentum subierunt, & ipsum quasi induerunt, eius gratia uitæ suæ sterilitatem obtegerunt. cedros igitur Dei uites arbustiuę fructuosæ circumplicatę adseruant:

seruant: At cedros Libani confringit Dominus.

NICEPHORI. *Confringentis Cedros.* Per cedros dæmonas, & eorum sacrificia intelligit: Mentionem autem fecit de Libano, quoniam in eo monte Idolis sacrificabatur. Et *Comminuet eas.* Intelligo totum Libanum quemadmodum Moses totum uitulum. *Et dilectus ut filius unicornium.* Et christus nulli erit subiectus, sed inuictus & insuperabilis.

ATHANASII. Vitulus altare significat. Dilectus chorus Apostolorum filius unicorniũ. Vnicornes.n.Sancti Prophetæ,& Patriarchæ quorum filii Apostoli fuerunt, eo quod cornu, & fortitudinem in solo Deo habuerint.

CHRYSOSTOMI. Quoniam cedri Libani sunt excelsiores, ideo illis Assyrios comparauit, & induxit, quod ea Dominus sola uoce contriuit. *Et comminuet eas tanquam uitulum Libani.* Viui radices ita uocat, quas ita plantatores uocare solent: nam μοσχεύειν dicunt, stolones facere, & nouellas plantas inserere: Postquam igitur cedros Libani Apostolos nuncupauit, & dixit, quod eas Dominus contriuit, cum modum facilitatis morum uellet significare, induxit, quod sic eos contriuit ut uiui radices modo terræ iniectæ. Sic igitur contra hostes se ostendit, circa nos ipsos uero aliquatenus ita.

ORIGENIS. Vitulus Libani malignus est coram Dominum omnipotentem ceruicem attolens, & excutiens Euangelicum iugum, conatus Deum esse.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, uox Domini concutientis desertum, & concutiet Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam.

THEODORETI. Cum sacrorum Apostolorum chorus Spiritus Sancti gratiam accepis-
set, illuminabatur quidem, sed non comburebatur. At in futura uita gemina uis ignis disperti-
ta, altera uirtutis athletas illuminabit, altera peccatis obnoxios comburet, propterea de hac di-
cetur, quod ignis uocanda sit, & obscuritas propter impiorum pœnas, quoniam inde aberit uis
illa ignis, quæ lucem impertit. *Vox Domini concutientis desertum.* Symmachus non concutien
tis, sed, parturientis, dixit. Eodem quoque modo Aquila parturientis, interpretatus est. Ve-
Isa.35. rum & de hoc deserto Isaias loquitur: Lætare (inquit) desertum sitiens, exultet desertum, & flo
rescat ut lilium. Deserti nomine gentes insinuat tanquàm à Deo destitutas, quas tamen diuinus
Isaias futurum ut florescant, prædicit. Verum beatus Dauid has parturituras, & parituras dicit.
Isa.54. Huiusmodi est illud, quod alibi apud Isaiam reperitur. Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, &
clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis, quàm eius, quæ habet uirum. Hoc deser
tum Dominus concutiens, (significat.n.concussio aduentum Dei) facit ut salutem pariat, iuxta
Isa.26. uaticinium quod ait. Ob timorem tuum Domine in utero concepimus, & parturiuimus, & pe-
perimus spiritum salutis tuæ, quem fecisti super terram: Propterea & Cades ipsum nominat, hoc
est, sanctum: Hoc.n.Cades sonat.

ATHANASII. Promissionem illam significat, quam sanctus promisit dicens per
Isa.43. medium ignis, ignis non comburet te. Hoc enim dicit illud. *Intercidentis flammam
ignis.*

BASILII. Intercisa quidem ac dissecta ignis flamma fuit, ut trium puerorum habet hi-
storia in Babylone, quando ad quadraginta, & amplius cubitos fornax diffusa est, & circunstan-
tes oẽs combussit. Dissecta aũt Dei præcepto spritũ in se suscepit, & iucundissimã respirationẽ
Dan.3. & refrigerium tanquã sub arborũ umbra pueris placidè agentibus exhibuit. Facta est.n.(ait) tan
quã spiritus roris sibilans. Et profectò multo mirabilius est ignis naturã dissectã esse, quã mare
rubrũ in partes diductũ fuisse. Attamen uox Domini continuã & unitã ignis naturã discidit, & li
cet ignis humana industria indiuiduus esse uideatur, Dei tamen præcepto dissecatur & disparatur.
Ego uerò arbitror ignẽ diaboli, & angelis eius in suppliciũ præparatũ uoce Domini discindi. Vt
quoniã duæ sunt in igne facultates, urẽs.s.& illuminãs, acris quidẽ, & puniẽs uis ignis permaneat
apud eos, qui digni sunt ut exurantur. Lucida uero ac illuminans cedat ad lætificandas beatorũ
animas: ut supplicii quidem ac uindictæ ignis obscurus sit, præmii uero ac requietis lucidus &
ustionis expers. *Vox Domini concutientis desertum.* Ad utilitatem deserti concussio est à Domi
no ut solitudine permutata in frequentiam, & habitationem transeat, & deposito sterilitatis op-
probrio fœcunditatis laudem acquirat. Quia multi filii desertæ magis, quàm eius, quæ habet ui
rum. *Et concutiet Dominus desertum Cades.* Non.n.omnem solitudinem concutit Dominus, sed
Isa.54. Cades, hoc est sanctificationem. Cades.n.sanctificationem dicit.

DIDYMI.

DIDYMI. Ioannes profecto est uox Domini intercidentis flammam ignis, qui duram & austeram uitam elegit, quique huius uitæ uoluptatum incendium supergressus est.

ATHANASII. *Concutientis*, hoc est dictum, prò, cum fragore sonitum dantis, ut illud ingrediente IESV commota est uniuersa ciuitas. Desertum uero Ecclesiam gentium, quæ olim Dei cognitione destituta fuit. Et eadem sanctam uocat. Nam Ecclesia Christi sancta censetur. *Matth. 21.*

EVSEBII. Verè.n.terræ orbis uniuersus cum antea Dei cognitione ac pietate desertus esset, præconio Euangelico concussus est ita, ut à uitiis ad uirtutem, & ab ignorantia ad diuinam cognitionem perductus sit, factus igitur ex deserto orbis habitabilis.

THEODORETI. *Vox Domini præparantis ceruos.* Natura ceruis insitum est, ut reptilia cuncta despiciat. Hanc quoque sacris Apostolis Dominus facultatem dedit: inquit.n. Dedi uobis potestatem conculcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra oēm potentiā inimici, & nihil uobis nocebit. *Luc. 10.* Quo sermone confirmati insidiatores orbis dæmonas exegerunt, atque idolorū imbecillitatē notā reddiderunt. Et hoc Propheta nunc prædicit. *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Nā hoc est inauditū ut per ceruos multitudinem omnis generis ferarū cornu peteret, & insanientem philosophorum sapientiam per simplices ac integros homines redargueret, & diaboli tyrannidē per piscatores euerteret. Nā syluā eorum lucos uocauit, tanquàm prorsus steriles: huiusmodi.n.sunt syluæ, quas boni agricolæ excidere solent: & aperta terra, quæ sub ipsis est, fructuosas plantas conserere, & semina mittere esculenta. Quod fecerunt orbis agricolæ, cum Idolorum lucos altis radicibus infixos extirpassent, tenues Ecclesias fundauere. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Scilicet ab hac inaudita magnificentia in hymnorum modulationem excitatis.

BASILII. Consequentia præcedentibus exponere oportet, etiam de præparatione, & absoluta compositione, quā uox Domini operatur. Huiusmodi temperaturā ceruus sortitus est, ut omne reptilium nocumentū superet: quin & esus uiperæ illi confert ad expurgandum corpus, quod tradunt huiusmodi rerum obseruatores. Omnia uero quæ uirus eiiciunt, ad malignarum & aduersariarum potestatum similitudinem asciscuntur: cum Dominus dicat. Dedi uobis potestatem conculcandi serpentes, & scorpiones, & omnem uirtutem inimici: *Luc. 10.* cumq; rursus Psalmus dicat super aspidem, & basiliscum ambulabis, *Psal. 90.* necesse est, ut cum cerui nomen in scripturis audimus ad potiorem similitudinem orationem trahamus: montes.n.(ait) alti ceruis. *Psal. 103* Et: Desiderat ceruus ad fontes aquarum, *Psal. 41.* quandoquidem iustus omnis in altis uersatur, cumque mentem habet ad præmium supernæ uocationis & ad potabiles, dulcesque fontes decurrit, prima diuinæ scientiæ principia inquirens. Trahit enim ceruus oris sui respiratione reptilia uirus emittentia, quæ in latibulis delitescunt, & ea ui spiritus ex antris educit. Quemadmodum igitur sanctus Aquila dicitur propter uolatus sublimitatem, & quod longius à terra sublatus sit, utque etiam ouis dicitur propter mansuetudinem, & dandi ea, quæ habet largitatem: Et aries ob principatum, & columba ob innocentiam, sic & ceruus appellatur ob repugnantiam, & inimicitias, quas habet cum malis. Quapropter etiam Solomon dicit. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus tecum uersetur, *Prou. 5.* docens nos prędictos ceruos aptos esse ad theologicam doctrinam. *Vox Domini præparans ceruos.* Vbi igitur uiderimus hominem Dei perfectum, absolutum, ex ipsius conuersatione utilitatem quæramus: nam ubi ceruus adest, omne reptilium detrimentum abest. Non.n. ferunt odorem animalium quæ uirus emittunt, quando etiam ad cornuum ipsius suffitū discedunt.

DIDYMI. Prædicta Domini uox animas, quæ per allegoriam cerui dicuntur, præparat, hę autem corporis facta spiritu mortificant, & ad imitationē Dei spiritu serpentē impium per labia occidunt. Hæc eadem uox Domini syluas, uel condensa reuelabit, ut latitātes in eis belluæ manifestentur, & detegantur, ut eas cerui interficiant. Condensus autem locus est infructuosis arboribus consitus, attamen reuelatur, cum steriles arbores à uerbi securi exciduntur, & in ignē proiiciuntur. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Cum ea, quæ profectui hominum obesse, & tenebras solent offundere, sublata fuerint, tum quilibet (ait) expulso colendorum Deorum errore in uisibili templo Dei gloriam dicet.

EVSEBII. Cum ceruos (inquit) Dominus præparasset, (animal est solitarium, anguicida, cornigerum, & ex lege mundum) eos in desertum supradictum immisit, quod perlustrantes serpentes, qui in eo erant, pedibus suis contriuere, & lætales solitudinis feras procul abegerunt, quibus expulsis condensa reuelata sunt.

ATHANASII. Cerui sancti Apostoli sunt. *Præparantis*, pro, ordinantis dictū est: nam cū Christus sanctos Apostolos ordinasset, ac eos præparasset, à se dimisit, Iuxta illud. Euntes docete *Luc. 10.*

omnes gentes: Condensam uero Ecclesiam dixit, quod infructuosarum arborum olim mater esset.

B A S I L I I. *Et reuelabit condensa.* Primum Domini uox ceruos perficit, mox reuelat condensa, hoc est syluosa, & agrestia, ac infructuosa materia densa, & repleta loca, ad quæ uenenosa præcipuę accurrunt. Quando igitur Dei perfectione absolutus est ceruus, qui huic similis est iustus, reuelat condensa, ut nudi & parati tradantur, qui uitam nostram labefactant: Et quoniam omne lignum non ferens bonum fructum securi abscinditur, & in ignem mittitur, *Matth. 3.* necessario syluæ condensæ expurgantur, ipsæ nimirum syluosæ animæ, in quibus tanquàm reprilia quædam uenenosa uariæ peccatorum affectiones latitant. Et hoc fit de uerbo omni ancipiti gladio acutiori. Quandoquidem uerò multi homines rerum mundanarum curis onerati animam suam tanquàm terram spinas ferentem habeat, & non sinunt ipsam ad producendum uerbi fructum enutriri, *reuelat Dominus condensa*, hoc est turpes, nocentes, & inhonestas huius uitæ curas, quę spinæ dicuntur: Reuelat autem ut bona, & mala purè ac sincerè discernere possimus, ne peruersa de rebus iudicia præ ruditate faciamus. Nam multi cum bona laboriosa senserint, ea mala esse cogitant: contra uerò mala propter uoluptatem, quæ in ipsis adest, tanquàm bona prosequuntur, & ingens est circa res huiusmodi hominum deceptio. Bonorũ igitur sunt ligna fructifera, & cedri omnes, quæ ad Dei laudem assumuntur. Malorum uerò naturã habent syluę condensæ, quas ne fallantur qui se fructum aliquem utilem in ipsis inuenturos sperant, reuelat, & detegit Dei uox. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Audiant hæc Psalmi urba qui prolixitati sermonum se dedunt. Quid ait Psalmus? Cum es in templo Dei non maledictionem, non uanitatem, non turpe aliquid proferas, sed in templo ipsius quisque gloriam dicat. Astant.n. qui uerba describunt sancti Angeli: Adest Dominus ingredientium affectus inspiciens: Oratio singulorum manifesta est, quis ex affectu, quis scitè cœlestia inquirit, quis defunctoriè summis labiis loquitur, cor uero eius longè abest à Deo. Et si orat, bonam ualetudinem, aut uires corporis, aut diuitias, & humanam gloriam petit. Oportet autem nihil horum petere, ut Psalmus docet, sed in templo ipsius quisque dicit gloriam. Cœli enarrant gloriam Dei: Angelorum opus *Psa. 18.* est glorificare Deum. Omni cœlestium exercitui unum hoc opus propositum est, gloriam tribuere conditori. Vniuersa creatura tum silens, tum loquens, & supermundana, & terrena glorificat conditorem. Homines autem miserabiles relictis domibus & ad templum concurrentes tanquã sibi ipsis opem laturi, aures non adhibent sermonibus Dei, nec eorum naturæ sensum accipiunt: non dolent si à peccato præoccupati fuerint, nec tristantur peccata in memoriam reuocantes: non formidant iudicium, sed ridentes, & dexteras mutuò dantes domum orationis domum loquacitatis faciunt, non parentes psalmo testanti, ac dicenti, quod in templo Dei omnes dicent gloriam. Tu uerò tantum abest, ut gloriam Deo dicas, quod alteri quoque ne dicat impedimento es. illum ad te conuertens, & tuæ turbationis sonitu doctrinam spiritus excedis: caue ne cum discesseris, pro mercede glorificationis, quàm accipere debebas, unà cum iis, qui Dei nomen blasphemant, condemneris. Psalmum habes: Prophetiam habes: Euangelica præcepta, Apostolorum prædicationes: Lingua psallat, mens dictorum sententiam perquirat, quo & spiritu, *1. Cor. 14.* & mente psallas: Non enim gloria opus habet Deus, sed uult te dignum esse, ut glorificeris. Quapropter quod seminat homo, hoc etiam & metet: semina glorificationes, & coronas metes honorem, ac laudes in regno cœlorum: Hæc non temerè digrediens dixi, quod scilicet quisque in templo eius gloriam dicet, propter eos, qui in templo Dei garruli, & loquaces uerba effutiunt, & inutiliter templum ingrediuntur: Atque utinam inutiliter, & non cum suo magno malo.

N I C E P H O R I. *Vox Domini intercidentis.* Et tribus pueris in fornace, & martyribus multis comburentem ignis actionem intercidit, & in iudicio quoque intercidet, ac diuidit Deus flammam ignis & splendida, ac lucida ignis potentia iustis inseruiet, comburens uerò & adustiua in pœnas peccatoribus tribuetur. *Vox Domini concutientis.* Commouentis gentes ad Dei cognitionem: *Et concutiet Dominus.* Non desertum omne, sed desertum Cades, hoc est desertum Sanctum, & segregatum, & dignum Deo, atque ei destinatum. *Pręparans ceruos.* Calcantes *Luc. 10.* Apostolos super serpentes in prædicationis cursu in fortitudine spiritus perfecto. *Et reuelabit syluas.* Et syluestres gentium animas repurgabit. *Et in templo eius.* Et in templo eius fidelis omnis hymnum cantabit.

O R I G E N I S. *Intercidentis flammam ignis.* Vox Domini extinguet ardentes maligni salutes. Vox ista est spiritalis doctrina, quæ ad sapientem uitæ institutionem credentes *Luc. 3.* in Christum aduocat. *Desertum Cades.* Ego uox clamantis in deserto, parate uiã Domini.

Desertum

Desertum est anima rationalis Deo priuata.

Dominus diluuium inhabitare facit, & sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus uirtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

THEODORETI. Siquidem abreptam & uastatam à torrente iniquitatis terram instaurabit, & nouum ędificium efficiet. Propterea & beatus Paulus exclamat. Si quis in Christo 2.Cor.5. noua creatura. Cæterum (inquit) cum hoc præstiterit, nullum amplius impietati locum relinquet, uerum in æternum regnabit. *Dominus fortitudinem populo suo dabit.* His autem & impiorum euersionem prædicit, & martyrum triumphantium uictoriam, nec non pacem Ecclesiis mox inhibitam uaticinatur. Dabit autem fortitudinem belli tempore, & benedicet populo suo in pace.

ATHANASII. Diluuium uocat credentium multitudinem, iuxta illud dictum. Omnis terra impleta est cognitione Dei, sicut aqua multa maris omnia operientis: *Et sedebit Dominus rex in æternum.* Isa.2. Simile est illi, quod dictum est, quod se illi omne genu inflectet. Phil.2. *Dominus uirtutem populo suo dabit.* Non dissimile ab eo, omnia possum in eo, qui me confortat Christus. Phil.4. *Pacem populo suo dabit.* Respondet hoc illi. Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Ioan.14.

BASILII. Diluuium est aquæ omnia dissipantis inundatio, & quod omnia prius coinquinata abstergat. Baptismatis ergò gratiam diluuium nominat, quoniam aqua à peccatis mundata, & à ueteri homine expurgata redditur apta in posterum, ut Dei sit habitaculum in spiritu. Concinunt cum his ea, quæ in trigesimoprimo Psalmo dicta sunt: Nam ubi dixit. Psal.31. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi, & pro hac orabit ad te omnis sanctus, induxit. Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt: non enim appropinquant ad eum peccata, qui per aquam, & spiritum delictorum remissionis baptisma recepit. *Et sedebit Dominus rex in æternum.* Cum Deus insideat animæ à diluuio abstersæ eum tanquàm thronum sibi facit. *Dominus fortitudinem populo suo dabit. Dominus benedicet populo suo in pace.* Quod robur auferet Dominus à peccatoribus, id iustis dabit: Nam omni habenti dabitur. Math.13. Qui uerò ad bona opera robustus est factus, dignus est, ut à Deo benedicatur. Videtur autem perfectissima benedictio esse pax, quæ stabilitas, & quies est præcipuæ partis animæ, ut pacificus homo ex sedatis, & compositis moribus uelut propriis suis notis cognoscatur.

DIDYMI. *Et sedebit Dominus Rex.* Cum sedere Deus dicitur, sessio illius constans & immutabilis esse perhibetur. Discriminat autem illam ab iis, qui propterea quod mutantur, intereunt, dicens, Tu sedes in sempiternum, at nos peribimus in æuum. Hinc igitur regni eius fortitudo declaratur.

EVSEBII. Accuratissimè autem dictum est. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Non enim amplius Iudæi, neque populus circuncisus tantum, sed quicunque ex omnibus gentibus cõuersi fuerint, hoc præstabunt. Interim Dominus uirtutem populo suo dabit, & benedicet populo suo in pace.

NICEPHORI. *Dominus diluuium inhabitare facit.* Demersam in errore gentium congregationem, habitabilem reddet spiritalibus donis: *Et sedebit Dominus.* sedebit positum est, prò, manebit, propter religionis stabilitatem.

ATHANASII. Desolatam ab Assyriis terram iterum reformabit, & habitare faciet.

PSALMVS CANTICI IN DEDICATIONE DOMVS DAVID.

PSALMVS XXIX.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.
Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.
Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.
Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius.



ATHANASII. Canit hunc Psalmum postquàm à peccato liberatus est, tanquàm anima eius, quæ olim erat domus Spiritus Sancti per pœnitentiam innouata esset. Psallit autem pro huiusmodi liberatione gratias agens, & orat se tutum in posterum conseruari; atque alios quoque instruit, si quid unquam huiusmodi aliquid acciderit, ad Deum quamprimum suas preces intendere.

BASILII. Psalterium, quod organum est rationibus musicis ad hymnos Dei nostri cōtinendos coaptatum figuratè est structura corporis nostri. Psalmus autem ad actiones refertur, quæ per corpus in Dei gloriam exhibentur: Quod fit, cum per uerbum compositi nihil absonum in motibus nostris efficimus. Canticum uero siue Odę sunt, quæcunque nuda speculatione ac Theologia continentur. Quare Psalmus est musicus sermo, quando aptè & harmonicis rationibus ad instrumentum pulsatur. Odę uero iucunda & suauis uox est, quæ cum harmonia citra organi pulsum perficitur. Hoc ergo loco, quia PSALMVS CANTICI. Prænotatum est, putamus uerba hæc innuere actionem speculationi consequentem. Hic uero Psalmus cantici iuxta inscriptionem sermones quosdam continet innouationis domus. Quod uero ad corporeum sensum spectat, Videtur sermo hic temporibus Solomonis, percelebri illo templo extructo ad Psalterium decantatus esse. Verum secundum spiritalem intelligentiam Dei uerbi incarnationem significare uidetur; quin & nouæ domus, & mirandum in modum ipsi constructæ ædificationem. Multa enim hoc in Psalmo ex persona Domini prolata inuenimus. An fortasse per domum intelligere licebit Ecclesiam à Christo ędificatam? Quemadmodum & Paulus in Epistola ad Timotheum scribit. Vt scias quomodo oporteat in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiuentis. Ecclesiæ autem innouationem intelligere oportet mentis renouationem per spiritum Dei factam singulis, qui corpus Ecclesię Christi perficiunt: Est.n. diuina, & musica armonia, non quę aures quibusdam numerorum rationibus demulceat, sed quæ rationes habeat sedentes, & mitigantes malignos spiritus, qui animis tentationibus obnoxiis negotium facescunt.

DIDYMI. Verus Dauid, qui ex semine Dauid secundum carnem factus est, ædificans
1.Reg.2. Ecclesiam, cuius fundamentum iecit in proprio sanguine dicens. Domum meam fundabo:
Hanc dedicare proposuit principium eius inhabitationis gentibus tradens: propter quod Psalmus cantici cum gratiarum actione pulsatur. Verum cum Dauid sensibilem domum con-
1. Par.29. struere instituisset, audiuit: Non ædificabis domum meam, eò quod uir bellator sis à iu-
2.Reg.7. uentute tua: Sed qui ex lumbis tuis prodiit, ædificabit mihi domum. cæterum quæ ad extruendam domum pertinebant, materias prouidit; & oraculo credens ab ædificanda domo abstinuit. Quemadmodum igitur (inquit) materiem præparauit, sic eum Psalmum fecisset, eundem quoque tanquàm rem maximè necessariam dereliquit, docuitque quemadmodum extructo ac dedicato templo, à cantoribus, & psallentibus ad hoc ascitis cum gratiarum actione canendum esset.

EVSEBII. Diceret hoc loco aliquis nullum de domus, aut templi constructione sermonē haberi, nec quicquam ad templi dedicationem aptari posse: Quare fortasse cum inscriptio sit canticum prò dedicatione domus, domū animā suam significari innuit, in qua Spiritus Sanctus tanquā in tēplo quodā habitans destitutā ad tēpus dereliquerit abscedēs ob crimē in Vriā, & concubitū cū uxore illius patratū, cuius causa cū capitalis criminis reus esset, ad mortem usque deuenit. tū uero potētia & in lacum, & in infernū abreptus est, atq; in interitū planè descendit, ut propte-

rea

rea se luctui traderet, & saccum pro regio uestitu indueret. Vbi uero pro patratis à se criminibus pœnis sumptis consentaneam præ se tulit pœnitentiam, & diu noctes & dies confessionibus immoratus est, atque item promissionem accepit per Christum, qui ex semine eius oriturus erat, & ad inferos usque descensurus, culpam sibi remissum iri, meritò squallore omni, ac delictorum confessione depositis, gratiarum actiones Deo emittit, dicens. Domine eduxisti ab inferno animam meã: saluasti me a descendẽtibus in lacũ: & cum luctũ sibi in gaudiũ conuersum significaret, ait. Conuertisti planctũ meum in gaudiũ mihi: conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Cum ergo ostenderimus domũ Dauid animam significare, considera proposita uerba, quàm concinnè domus istius dedicationi conueniant.

THEODORETI. Nec beatus Dauid sanctã domũ erexit, nec proposita Psalmi uerba ei quadrãt, qui domũ construxit. Domus igitur dedicationẽ humanæ naturæ instaurationẽ appellat, quã cũ pro nobis mortẽ subiisset, & mortẽ destruxisset, & spẽ resurgendi dedisset, Dominus Christus perfecit. Dictus aũt hic Psalmus est pro beato Ezechia: nã post Assyriorũ cędẽ, ac morbi liberationẽ, maximã (ut dicebat) celebritatẽ instituit, Deo gratias agens tũ propter sanitatẽ recuperatã, tũ propter tẽplũ ab hostili incendio liberatũ. Quoniã uerò quæ in ea celebritate fiebant dedicationis festo similia erant, meritò factũ est, ut Psalmus huiusmodi inscriptione prænotaretur. Animaduertendũ est aũt id per figurã quandã Ezechię conuenire, at re ipsa humanæ naturæ aptandũ esse. Nã cũ ipse magna superbia elatus ingentẽ arrogantiã concepisset, (ut docet historia Paralip.) mortis sententiã accepit, sed diuina gratia uitæ prorogationẽ consequutus est. Eodẽ modo cũ primus ille parens Deũ se forẽ crederet, & in creatorẽ suum inueheretur, morti quidem damnatus est, sed diuina benignitate resurrectionem consequutus est. Paral.32.

ORIGENIS. Quod ex Christi persona Psalmus dicatur, ex eo manifestum est, quod ait: *Eduxisti ab inferno animam meam.* Aedificat autem Domum uita recta, innouat autem cognitio Dei.

NICEPHORI. Per hyperbaton dictum est. *Psalmus Cantici Dauid.* Cęterum domus renouatio animę beati Dauid ad Prophetandũ renouationẽ significat, quæ Prophetici charismatis habitaculum facta erat, quando. s. post adulterii, & cædis crimina peracta pœnitentia dignus effectus est rursus, cui à Domino Prophetiæ donum restitueretur. Potest etiam domus renouatio innuere fideliũ Ecclesiam propter renouationem illã, quæ fit per baptismatis regenerationem.

GREGORII Theologi. Domus quandam renouationem nominat Diuus Dauid, qualis nos sumus, qui digni facti sumus ut templa Dei simus, quemadmodum ait Apostolus. An nescitis quod Dei templum estis, & spiritus eius in uobis habitat? 1.Cor.3.

HESYCHII. Dedicationem intelligit, qua Dominus credentes instaurauit cum à mortuis resurrexit, cuius domus nos sumus, iuxta illud, Inhabitabo in ipsis, & inambulabo: quos & in eius regnum inducet. 6.Cor.6.

ORIGENIS. *Exaltabo te Domine.* Hæc quoque de sancto quolibet afferri possunt: quod sanctus omnis quo tempore in peccato erat, in inferno esse dici poterat, atque illinc eductus à Deo per uerbũ eius, quod sequutus est, perfectus euasit. neq; n. põt ipsum Dominũ exaltare, qui non ab ipso Domino suscipiatur: Siquidẽ cũ exaltati à terra fuerimus in altũ euecti à Christi cruce dicentis: Cum exaltatus fuero oĩa trahã ad me, tũ exaltabimus Dominum qui Patrẽ exaltat, & opinionẽ de illo quatenus in se est credentibus in Deũ altissimũ ingerit. Docet ẽt quosdã humanarũ animarũ inuisibiles hostes esse, qui salutẽ à Deo traditã illis inuideant, & illis insidias, & dolos moliãtur. Deinde obseruare monet, nũ quis error, lapsus, aut casus fiat, quorũ siquid acciderit, hostes protinus illos circũstare, & quasi calamitate illarũ lętos irridere. Quod si eas paulũ diuinis pro gressibus illustratas uiderint, grauiter tristari. Deo itaq; gratias agit, qđ nõ permiserit inimicos in eius calamitate diutius exultare, sed ipsũ sanatũ ab interitu subleuatũ. Is uero Dominũ exaltat, qui sublimiter ac diuinè de ipso cõmentatur, & consentaneam Deo doctrinam sectatur. & quicunque animam suam omnibus uirtutibus colit, ac prudenter, & sapienter uitam ducit, illam exaltat, ut Deum pariter in ipsa inhabitantem exaltet. *Quoniam suscepisti me.* Quod est in altum euexisti. Ioan.4.

A quilla uertit, reseruasti me: atque hoc modo sensus est manifestus, quod scilicet omnes, qui à Domino suscipiuntur, à malitia preseruantur. Hæc sanè ex iusti persona dicuntur. Quod si per sonæ Christi attribuantur, considera num hoc modo decenter interpreteris. Credentes sunt corpus Christi, & membra de membro, si autem membrum aliquod patitur, uniuersa simul membra patiuntur, & si membrum aliquod glorificetur, uniuersa membra simul glorificantur. Huiusmodi uero Christi corpus ita patitur, ut indigeat sanitate: proinde nihil absurdum sequitur si in tribulatione nostra ad Deum dicamus: *Deus meus clamaui ad te* 1.Cor.9.

& sanasti me. nā nostra tāquā propria delicta cōfitetur,qđ ēt fecit in uigesimoprimo Psalmo di-
cēs. Lōgè à salute mea,uerba delictorū meorū. Et in sexagesimooctauo. Domine tu scis insipiē-
tiā meā, & delicta mea à te nō sunt abscōdita. sanè ex Christi persona uterq; Psalmus dictatus ē.

BASILII. *Exaltabo te.* Quomodo qui in altis habitat, ab iis qui humiles regiones co-
lunt, exaltatur? si enim Deus summa cœli tenet, tu uero in terris infernè manes, quonam modo
Deū exaltaueris? Quid uult ergo ista Prophetæ promissio? An exaltari Deus dicitur ab iis, qui
magna, & Deo conuenientia commeditantur, & qui ad Dei gloriam uitam instituunt? Quicunq;
igitur cū scientia ad beatitudinē festinat, is Deū exaltat. At qui contraria sectantur, quantū (ne-
fas est dicere) in se est, Deū deprimunt. Præterea Deo solemus oēm nostris rebus aptā conditio
nē attribuere. Quapropter dormitantibus nobis, & segniter agentibus dormire Deus dicitur, nos
utiq; indignos iudicans, ut uigilantia sua custodiat. Postquā uero aliquādo detrimentum ex som
no accipientes dixerimus: Exurge, quare obdormis Domine? Tū sanè non dormitabit, neq; dor
Psal.43. miet qui custodit Israel. Sed & alii quidem oculos à Deo uelut auertunt propter turpes eorum
actiones, quæ Deo indignæ sunt, qui demum peracta pœnitentia dicunt, Quare faciem tuam
auertis? Et præter hos alii sunt qui reiecta Dei memoria, & tanquàm sui ipsorum obliuionem
sibi inducentes dicunt, Quare obliuisceris inopiæ nostræ? & demum quæ secundū humanos af-
fectus de Deo dicuntur, ea homines operantur, talem sibi ipsis Deum facientes, qualem unusquis
que se ipsum facit. *Exaltabo igitur te Domine, quoniam suscepisti me, & non lætificasti inimicos*
meos super me. Cum nihil abiectum, nihil terrenum in uita mea abs te acceperim, & unde mi-
hi te exaltandi facultas suberit? Quoniam tu anteuertens me suscepisti. Aptè dixit, *Suscepi-*
sti, prò exaltasti, hoc est superiorem iis, qui contra me insurgunt, effecisti. tanquàm si quis
puerum natandi ignarum eminentiorem aqua subiectis manibus teneret. Qui igitur Dei
ope superna respicit à delictis recedens, hic præ animi gratitudine per bona opera se Deum
exaltaturum pollicetur. Aut tanquàm siquis luctatorem aliquem debilem ab imminente rui-
na suffultum liberet, & collucttatore superiorem faciat, huic quidem uictoriæ occasionem præ
bet, illi uerò aufert lætitiam, quam ob casum alterius acciperet. Minimè autem quæ san-
ctis ad eorum probationem tribulationes immittuntur, lætitiam inuisibilibus hostibus nostris
pariunt, sed cum afflicti desperamus, & cogitationes nostræ in angustias coguntur, & præ tri-
bulationum multitudine animum despondemus, tum hostes lætantur, tum plaudunt, ac exul-
tant. Considera quæ ipsi Iob accidere: amiserat bona omnia, liberis priuatus erat, caro eius
sanie, & uermibus scaturiebat: Hæc nondum lætitiam aduersario pepererunt. Quod si ærum-
nis emollitus iuxta uxoris consilium Deo maledixisset, tunc sanè super eum lætificati inimici
eius fuissent. Et super Paulo esuriente, & sitiente, nudo, colaphis cęso, laboribus fatigato,
nunquàm sedem firmam habente non lætabatur hostis, sed contra potius conterebatur, dum
ita ipsum certamina tolerantem uideret, ut etiam per contemptum eius inclamaret, quis nos
Rom.8. separabit à charitate Christi? *Domine Deus meus clamaui ad te.* Beatus qui plagam suā penitius
Psa.6. cognoscit, ut ad medicum possit accedere, ac dicere; Sana me Domine quia conturbata sunt
ossa mea. Et ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia ego peccaui tibi.
His tamen gratiarum actio est pro adhibita ipsi medella, & sanatione. *Domine enim (inquit)*
Deus meus. Non omnium Deus est Deus, sed eorum, qui ipsi coniuncti sunt per dilectionem.
Deus enim Abraham est, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Si uerò omnium Deus esset, non hoc
Ioan.20. apud illos tanquā præcipuum quid testatus esset. Et rursus. Iacob auxiliatus est tibi Deus. Et Tho
mas post compertam certitudinem resurrectionis amplectens Dominū, Dominus meus (inquit)
& Deus meus. Vox.n. ista index affectus est, Domine Deus meus, & conditioni ac ordini Pro
phetico consentanea. *Clamaui ad te, & sanasti me.* Inter uocem meam & gratiā tuā nihil in-
teriectum est: nam simul ac indolui, & clamaui, medella accessit tua. Adhuc enim loquente te,
Isa.58. dicam. Ecce adsum. Magna sanè petentem clamare eum oportet, qui dum clamat statim
accipit sanationem. *Domine eduxisti ex inferno animam meam.* De hac sanatione gratias agit
Deo is, qui ex infirmitate descendit in infernum, ex inferno autem educitur uirtute illius,
qui pro nobis mortis imperium destruxit. *Saluasti me à descendentibus in lacum.* Sæ-
pe nomine lacus parata ad captiuorum custodiam loca, & subterraneæ suffossiones uocan-
Exod.12. tur: ita enim in Exodo dictum est, A primogenito Pharaonis usque ad primogenitum an-
Gen.37. cillæ in lacu. Sed Ieremiam coniecerunt in lacum, & Fratres Ioseph præ inuidia ipsum
in lacum aqua carentem concluserunt. Quælibet ergo actio nostra aut nos peccati o-
nere deprimens ad inferna deducit, aut alas nobis uirtutis addens ad Deum ad summa
nos leuat. Saluasti ergo me prius in peccato existentem eximendo me ab iis, qui in tene-

brosum,

brosum,& algentem locum descendunt. Hoc igitur est, quod dixit: *Suscepisti me*, Hoc est, sursum à lapsu & casu corruentē euexisti, ut ablata fuerit occasio inimicis meis lætandi super me. Quod igitur alibi dixit, qui perfecit pedes meos tanquam cerui, & super excelsa statuens me, reditum ad alta, liberationem, & susceptionem à lacu nominat. Psal.17.

Eusebii. Hæc Propheta Dauid, psalmo, qui præ manibus est, dicit: sed in uigesimo septimo ait, Ad te Domine clamabo Deus meus, ne sileas à me, nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum: Atque ibi sanè hæc orauit. Hic uerò gratias agit, ut qui antea in la Psal.27. cum descenderit, & ciderit, ab ipso eductus incolumis & sospes euaserit, neque sibi perinde acciderit ac illis, qui in lacum descendunt, sed inde non amplius egrediuntur. Atqui non peccare in primis beatum est, sed cum imbecilla & infirma sit natura hominum, secundum pulcherrimum esse dices, si peccaueris reformari, ac post huiusmodi ægritudinem reparari, & naturæ sanitatem recipere.

Didymi. Saluum se factum esse dicit uel adiutore Deo, quo minus in interitum abiret, uel cum obiisset ab interitu reducente. Hæc uerò per dispensationem, & tanquam ex persona Christi dici possunt, qui uenit ut animam suam poneret, & eam prò nobis traderet, quique Dei, Ioan.10. & Patris uoluntate à mortuis resurrexit, ad quem quatenus homò dicit, Non dereliquisti animam meam in inferno, qui lacus appellatur, cum fiducia dico, saluasti me à descendentibus in lacum. Psal.15.

Nicephori. *Exaltabo te*, Exaltabo, quoniā me de peccati uoragine extraxisti, & manus supponens ut filii tui portas aperuisti. *Descendentibus in lacum*, per lacum ineuitabile periculum intelligit. *Et confitemini memoriæ*, & gratias agite illius memoriæ, quod sanctus meminerit nostri, quorum antea ob delicta fuerat oblitus.

Theodoreti. *Exaltabo te Domine*, Cum enim Dominus primitias nostras suscepisset, naturā uniuersam per eas dignam fecit, nec permisit, ut inimicis & infensis Dæmonibus ludibrio esset. *Domine Deus meus*, Hoc humana ostēdente natura audimus: illud uerò, *Clamaui ad te, & sanasti me*, Ezechiæ planè, & expeditè congruit: non sic autem ad humanam naturam accommodatur, quoniam nec ipsa Deum precata est, nec ab interitu se liberari postulauit. Cæterum lamentis & ululatibus utebatur, cum mortem cerneret, & resurrectionem neutiquam expectaret. pro precibus autem hoc in loco lachrymas posuit, & fletus, quos ægrotantes & animam trahentes emittebant, atque inexplicabilem Dei benignitatem ostendit, qui minimè uocatus, sed mœrorem, & luctum, & querimonias tantum cerneas miseratus est, mortem euertit: Nam hoc loco mortem quoque lacum nominauit. *Psallite Domino sancti eius*, Non ab re sanctis hymnos & gratiarum actiones ascripsit: nam cum omnibus resurrectionis munus elargitus sit, cum tamen non omnes eo munere digni sint congruè uiros hoc beneficio dignos ad hymnos & laudes decantandas consecrauit.

Basilii. Non continuo siquis ore tenus uerba psalmi huius proferet Deo psallet, sed qui corde puro psalmorum cantica emittunt, & omnes sancti eius Deo per iustitiam appropinquantes, hi psallere Deo possunt, spiritales hymnos aptè consequentes. Qui uerò scortationibus inseruiunt, & qui in furtis uersantur, quique dolum, ac mendacium in cordibus celant, psallere se putant, re uera non psallunt, liquidò in uerba hæc sanctos ad psallendum aduocant: Nón potest arbor mala fructus bonos facere, neque cor prauum uerba uitæ emittere: Facite igitur arborem bonam, & fructus ipsius bonos, purgate corda, ut fructum feratis in spiritu, & sancti effecti Domino prudenter psallere possitis, *Et confitemini memoriæ eius*, Non dixit confitemini sanctitati eius, sed memoriæ sanctitatis eius, hoc est gratias agite: nam confessio hic pro gratiarū actione sumitur. Gratias ergò agite, quod estis in memoria sanctitatis eius, qui prius, quoniam in malitia demersi eratis, & carnis sordibus inquinati, in obliuionem uenistis sanctitatis, conditoris uestri, ergò pro remissione peccatorum confitemini de iis, quæ antea perperam egistis.

Origenis. Quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, non quilibet, sed sancti eius Eccl.15. psallere Deo iubentur, qui sanè tum spiritu, tum etiam mente psallere possunt. cur autem propheta non contentus fuit dicere, *Psallite Domino sancti*, sed addidit eius, non secus ac si reperiantur sancti aliqui, qui eius sancti non sint. Dicimus ergò quēadmodum sine adiectione aliqua solus bonus Deus est, ita absque omni additamento sanctus solus Dominus intelligitur, quemadmodum in cantico Deuteronomii reperimus. & sicuti cum additione reperitur seruus bonus, iuxta illud serue bone, & fidelis, & homo bonus, ut ibi, bonus homo de bono thesauro cordis, & reliqua: sic sancti Domini dicuntur. 1. Cor.14. Cantic. Deut.

Euse-

EVSEBII. Hortatur sanctorum cœtum ut ob perfectam à se pœnitentiam sibi gratuletur,& confiteantur,hoc est gratias agant memoriæ sanctitatis eius:uidelicet memoriam excitans non oblitus bonorum, quæ à Dei benignitate in homines profecta sunt. Cœterum in primis gratias agere decet memores diuinæ benignitatis, quæ adeo ingens est,ut nihil unquam aduersi hominibus uelit accidere. Quod siquis interdum propter flagitia plectendus est, ipse quidem iræ indignationem sibi parat,cum Dei uoluntas alioquin sit,ut nemini unquam

Ezech.33. mortem afferat, sed uitam donet: iccirco alibi dicitur. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat: ita hoc in loco dictum est.

Quoniam ira in indignatione eius,& uita in uoluntate eius.
Ad uesperum demorabitur fletus,& ad matutinum lætitia.
Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.
Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem.
Auertisti faciem tuam à me,& factus sum conturbatus

Rom.2. EVSEBII. Porrò præter propositum & uoluntatem eius indignatio & ira ab eo sumitur: quod sanè Apostolus ostendit, dicens: An diuitias bonitatis eius, tolerantiæ ac lenitatis contemnis,ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? secundum autem duritiam tuam,& impenitẽs cor tuum thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet,unicuique iuxta opera sua.

THEODORETI. *Quoniam ira in indignatione*, Porrò quam optimam aliam diuisionem fecit,nam iram ad indignationem retulit. iram siquidem supplicium intelligit, uitam uerò attribuit uoluntati: nam uitam non supplicium quærit: At nos mala nobis ipsis aduocamus: Deus enim (inquit)mortem non fecit:nec delectatur interitu uiuentium,creauit enim ut essent omnia & ut omnes orbis gentes seruarentur. Audiuimus ipsum per Prophetam Ezechielem dicentem:

Ezech.18. Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur,& uiuat. *Ad uesperum demorabitur fletus.* Accidit hoc tum Ezechiæ, tum nostræ salutis tempore: nam cum Assyrii comminationibus terrentes uniuersam ciuitatem ad luctum commouissent, nocte cæsi sunt, & quos lachrymari compulerant, hos mane lętitia impleuerunt. Ac Diuus Isaias, cum Ezechiæ mortis sententiam uesperè denunciasset, sub aurora rursus lætum uitæ nuncium attulit. idem in salute nostra factum est: nam cum sacri Apostoli, & qui cum eis crediderunt, crucem Do-

Ioan.20. mini in uespere lugerent; diluculo mulieres uenerunt, resurrectionis gaudium afferentes.

DIDYMI. Quibus dies occidit,quam uera lux parit, in uespera lugent, cum principium noctis attigerint. quibus uerò Sol iustitiæ oritur, lætantur. occidit autem priori populo,& luxerũt, ortus est gentibus,& exultarunt.

BASILII. *Quoniam ira in indignatione*, Primum quod triste ac molestum est intulit, iram Dei nimirum in indignatione,postea lætum & iucundum attulit, uitam scilicet in uoluntate eius. Videtur autem hic idem repetere his,qui ad euidentiam eorum, quæ significantur,pertingere non possunt: cum propheta dicit, iram esse in indignatione eius perinde ac idem sit ira,& indignatio.sed plurimum est discrimen. indignatio enim est iudicium hæc uel illa molesta & tristia meritò inferendi. Ira uero labor iam ipse,ac supplicium à iusto iudice secundum iniquitatis mensuram illatum. Verum quod dico magis ab exemplo manifestum fiet. Medicus ubi inflammatum membrum, ac sanie plenum signauerit, sectionem patienti necessariam esse decernit: Hoc indignationem uocat scriptura. Vbi uero remedium adhibendum indicauit, actio sequitur ad opus ducens probata,& ferrum secans,& dolorem inducens ei, qui secatur. Hoc ira Dei uocatum est. progredere. Itaque ad propositum,& sensus consecutionem inuenies, quoniam ira in indignatione eius est pœna secundum iustum iudicium Dei: Vita autem in uoluntate ipsius. quid dices? quid, id quod Deus uult? hoc est scilicet,ut omnes uitæ eius participes simus. calamitates autem & ęrumnæ non ex uoluntate ipsius,sed ex peccatorum meritò inducuntur. Vitam igitur cuique Deus propria uoluntate largitur,iram uerò quisque sibi accumulat in die iræ, ac

Rom.2. reuelatione iusti iudicii. Consuetum autem est scripturæ tristia letis præponere, quia tristibus

Cant. Mos. ablatis iucundior est uoluptas. Ego (inquit) occidam & uiuere faciam, sequitur beneficium post

Deut.32. supplicium. Percutiam,& ego sanabo: ipse enim dolorem inducit,& rursus restituit, percussit,&

Iob.5. manus ipsius sanabunt: præcedunt afflictiones, quò nobis sint firmiora beneficia, cum diligentius datorum custodiam nobiscũ dicemus. *Ad uesperam demorabitur fletus*; Memento temporis quo Dominus passus est & sensum horum inuenies. Ad uesperam enim mortuus est,& per huni

sit fletus in discipulis domini, cum uiderunt ipsum cruci affixum: manè uero sequutũ est gaudiũ nam post resurrectionem cum gaudio accurrebant bonum illud uisionis domini nuncium mutuò sibi afferentes. Nisi fortè uespera seculum istud uelis intelligere, in quo qui heri fleuerant, matutino tempore aduenientem consolationem reperient, Beati enim, qui lugent quoniam ipsi consolationem inuenient. Beati plorantes, quoniam ipsi ridebunt. qui ergo dies huius seculi iam ad finem properantis, & ad occasum suum uergentis, in suis peccatis deplorandis transegerint, hi uero illo mane surgente gaudebunt. qui enim seminant in lachrymis, in exultatione metent: nimirum in fututo seculo. Matth. 5. Psal. 125.

ATHANASII. *Ad uesperam demorabitur fletus*, His uerbis significatur pœnitentiæ fructus, Nullus enim est tam ingens peccatorum cumulus, quem non celeriter pœnitentia in exultationem conuertat. *Ego autem dixi in abundantia mea*, causam sui lapsus exponit: quoniam enim (ait) in prosperitate elatus superbii, propterea conturbatus sum. hoc uero non te compellente, sed tantum faciem tuam auertente mihi accidit, quoniam ergò nisi tuæ fortitudini innitamur, ne consistere quidem possumus, fac obsecro ut ex uoluntate tua decor animæ meæ rursus illucescat.

THEODORETI. Hoc & Adam sperauit, cum in paradiso uitam degeret, & Ezechias cum Assyriũ superauit: & hoc ipsum paralipom. liber manifestè docet, dicens. exaltatũ est cor Ezechiæ regis, *Dominus in uoluntate tua*, parimodo & Ezechiæ, & uniuersæ humanæ naturæ hæc congruunt: nam ille ob uirtutem diuinum auxilium consequutus est, & Assyrios supperauit: cumq; iterum diuina gratia destitutus esset, incidit in morbum, & necessarium finem suscepit. Adam uerò in paradiso pulchritudine uirtutis ornatus morte superior erat, cum uero propter transgressionem diuino fauore destitutus esset, deuictus ęrumnas pertulit, & in calamitates multas incidit. sed hoc apertè admodum posuit Symmachus. domine in bona uoluntate tua primo parenti meo fortitudinem posuisti, ut sit manifestum humanæ naturæ personam ad Christum dominum hæc loqui, utpotè ad eum, qui magnum uitæ munus ei largitus sit. 2. Par. 3.

BASILII. *Ego autem dixi in abundantia*. Quemadmodum ciuitatis abundantia est uenaliũ in foro copia, & quemadmodum regionem uberem esse dicimus, quæ fructibus abundat, sic animæ quoque abundantia quædam est, quæ omnis generis bonis operibus referta est, quam primum diligenter cultum esse oportet, & largis diuinarum aquarum imbribus lætam, quo fructus ferat trigesies, & sexagesies, & centies, & benedictionem assequatur dicentem. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. qui ergo suam sentit constantiam, confidenter dicet, & affirmabit, se non passurum esse, ut ab aduersario euertatur, tanquam ager plenus, quem benedixerit dominus. Matth. 13. Deut. 28.

DIDYMI. Abundantiam interpretaberis uberes spiritales fructus, cum sementis IESV, atque alii uirtutis fœtus multiplicantur. In hac igitur abundantia cum fuero propter easdem diuitias stabilis, ac immotus persistens dicam: *Non mouebor in æternum*. Potest præterea ita distingui. dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum: nam rebus acclamo, si contingat ut prædicta abundantia fruar, inconcussus ero, nec à quouis mihi aduersante deiiciar.

ORIGENIS. Siue Christus, siue iustus quispiam hæc proferat. ego autem dixi, & postea distinctionẽ hic factam sequatur. in abundantia mea non mouebar in æternum. Aptè quadrat ut humanitas Saluatoris (ut sæpe ostendimus) dicat se in abundantia positam non moueri, Symmachus, in quiete mea, uertit, ubi tranquillitas, & securitas animę perfectæ significatur, qua, qui utitur, nulla ratione perturbari potest.

EVSEBII. Iudicium dei iustum esse prædicat, cum fateatur unde sibi casus acciderit; Nã illum, qui in statu est apud deum, meminisse oportet sermonis dicentis. qui existimat se stare, uideat ne cadat; denique pro huiusmodi statu gratias agat, qui uero non rectè ratiocinatus est præter uirtutem suam, optimo, & pulcherrimo sese in loco consistere arbitratur, se ipsum immutabilẽ, ac inconcussum ostendit. *Domine in uoluntate tua, præstitisti decori meo uirtutem*. Quoniã quæ dicta sunt, non recta ratione reputauerat, statum suum ac rectitudinem, nec non inhærentem sibi pulchritudinem nouit non ab ipso ortum habuisse, neque à suis meritis profecta, propterea fatendo hæc ab operibus propriæ imbecillitatis capiens experimentum, sic ait. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, Tu nihil amplius egisti, neque abiiciens, neque iniiciens quicquam, sed hoc propter iactantiam meam solum, tuoque auxilio destitutum reliquisti, & auertisti faciem tuam: ego autem statim deprehensus & turbatione plenus peccatis inimicis meis succubui. 1. Cor. 10.

NICEPHORI. *Quoniam ira in indignatione*, Aptè autem ac pulchrè punitionem excan-

descen-

descentiæ attexuit, uiuificationē uero uoluntati & naturæ. *Ad uesperum demorabitur fletus*, idest habitabit. sensus est, quod pœnitentia de peccatis celerem secum ueniam adducit, *Ego autem dixi in excessu meo*, in prosperitate mea non putaui me iterum agitari, & à stabilitate dimoueri. *In uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem*, Falsa fuit existimatio mea, siquidem cum uoluisti, claritati meæ uirtutem dedisti, idest, magno robore me illustrem reddidisti. quando uero propter existimationem meam auertisti protectionem tuam à me, statim in turbulentiam, & calamitates uersus sum.

DIDYMI. *Præstitisti decori meo uirtutem*, Corporis decor mutua & recta membrorum constitutione constare dignoscitur: Animæ pulchritudo in harmonia, & consensu omnium uirtutum, & ipsarum actione consistit, uel ex animæ facultatibus aptè inter se conuenientibus constat. Hunc igitur decorem meum tu Domine uoluntate tua præstitisti: nam & tuam & cœlestis Patris uoluntatem faciens decorem abs te suscepi: Nam quisquis conformis imagini Filii Dei efficitur, uoluntati diuinæ coniunctus decorem cœlitus accipit.

BASILII. *Domine in uoluntate tua*, Qui in expendenda uirtutum ratione uersati sunt, earum alias in speculationibus, alias extra speculationes esse dixerunt. Verbi gratia prudentiam quidem ex speculationibus constare in ordine ad bonum, & ad malum, temperantiam uero ex loco de eligendis, & fugiendis; iustitiam ex loco de distribuendis, & non distribuendis: Fortitudinem ex loco de timendis, & non timendis: pulchritudinem autem & robur uirtutes esse sine speculatione, consequentes ad eas, quæ ex speculationibus constant. perfectionem autem eorū, quæ ex speculatricibus uirtutibus subministrantur robur esse existimauerunt. Veruntamen ut & pulchritudo animę accedat, & perficiens uirtus, ac facultas eorum, quæ decent diuina nobis opus est gratia. quemadmodum igitur supra dixit, quod uita est in uoluntate ipsius: sic nunc Deum gratiarum actione extollit dicens. *In uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem*, ac potentiam. Pulcher equidem eram secundum naturam, debilis autem factus sum, propterea quod ex insidiis serpentis per peccatum emortuus factus sum: Ad eam igitur pulchritudinem, quam à prima mei constitutione tuo munere accepi, facultatem quoque addidisti, qua quæ decent omnia facere possem. Pulchra quidem est anima omnis, quæ in quodam quasi commensu propriarum facultatum conspicitur. Pulchritudo autem uera, & amabilissima, quæ soli illi conspicua est, qui mentem purgatam habet, circa diuinam, & beatam naturam uersatur, cuius splendores, & gratias qui exquisitè intuetur, aliquid ab ea tanquam è tinctura quadam sumit, & imbuitur florido quodam splendore aspectum colorans. Vnde etiam Moses gloria fulgentem fa-
Exod. 34 ciem habuit, dum ex Dei conuersatione illius pulchritudinis particeps heret: qui ergò uirtutem suam percipit, huiusmodi uocem gratiarum actricem emittit. *Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem*, quemadmodum uerò speculatrices uirtutes non speculatrices illæ consequuntur, pulchritudo nimirum, & robur, sic è uitiis nonnulla sunt, quæ à speculatione absunt, deformitas scilicet, & imbecillitas: Quid enim deformius, quid turpius anima perturbationibus agitata? Inspice mihi iratum hominem, & eam asperitatem & feritatem, quæ in illo est. inspice dolentem, ac tristem, & abiectionem & quasi collapsum animæ illius. At libidinibus, & uentri deditum, & timore perculsum, quis aspicere sustineat, cum ad extrema usque corporis interna animi deformitas & perturbatio perueniat? Quemadmodum etiam pulchritudinis animæ uestigia & notæ in sancti uiri compositione apparent. prouidendum itaque nobis est de pulchritudine, ut uerbum Dei sponsus nos suscipiens dicat: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. At illud: *Auertisti faciem tuam à me*, Quandiu (inquit) radii prospectus tui illustrarunt me, in stabili statu, & imperturbato degebam: postquam uerò auertisti faciem tuam omne morborum genus, & turbæ omnes animam meam inuaserunt: Auertere autem faciem suam dicitur Deus quando in tribulatione nos tentationibus expositos dimittit, ut decertantis constantia, & robur probetur. Si ergo pax, quæ omnem mentis intelligentiam superat, custodierit corda nostra, tum omnes animi ægritudines & perturbationes effugere poterimus. cum ergo Dei uoluntati auersio opponatur, pulchritudinem uero & decori, & uirtuti turbatio, certè sequetur, ut perturbatio, turpitudo ac debilitas animi ex alienatione à Deo proficiscantur. Precemur itaq; semper ut facies Domini nobis illucescat, ut in statu simus sanctis decoro, quie-
Psal. 118. ti ac mites, & omni modo imperturbati, & prompti ad benè agendum. Paratus enim sum (inquit) & non sum turbatus.

ORIGENIS. *Domine in uoluntate tua*, Et Christi, iusti cuiuslibet gratias agentis apta uox est. Nam præter prædictum diuinitatis decorem potentiæ, ac uirtutis illius humanitas Christi particeps facta est. omnes item sancti uoluntate Dei, & prædicto ipsius beneplacito confor-

tes

tes facti sunt. si uero (ut Aquila scripsit) in monte meo, legamus: Ecclesia ipsa intelligenda est, quæ altissima, & sublimis est. Huic uero monti pater iuxta beneplacitum suum firmum imperium tradidit. ipsa enim cunctis Ecclesiis terræ ditione sua præsidet, & una cum Christo regnat. si uero protopatri, iuxta Symmachum dicamus: quisnam alius Christi, uel iusti protopater dici potest, præter Abraham, cuius progenitis, quibus per ipsum, ac omnibus gentibus benedictũ est, impletis diuinis promissionibus, imperium astruere possimus? Non est autem absurdum, si quo tempore Christus passus est, ipse dixerit, *Auertisti faciem tuam à me*, cum in Euangeliis clamet: Deus Deus meus, cur me dereliquisti. & rursus, Anima mea turbata est. Gen. 15. & 18. Matth. 28.

ALBINI. Quemadmodum ex dicta Dei indignatione ira procedit, sic & ex uoluntate ipsius uita generatur, & si uita cognitionem significat, ego enim (ait Christus) uita sum, ira ignorantiam manifestat: atqui uitæ contraria mors est, ira igitur mortem significat, illam scilicet, quæ ex cognitionis priuatione prouenit. Rectè igitur dictum est: uitam & mors in manu linguæ. Ioan 11. 1. Prou. 18

Auertisti faciem tuam, quam semper Angeli intuentur.

Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit ueritatem tuam?

Audiuit Dominus, & misertus est mei, factus est adiutor meus

Conuertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus in æternum confitebor tibi.

THEODORETI. His quoque uerbis usus est Ezechias, quod docet Regum quartus, & diuini Isaiæ uaticinium, atque itidem natura humana licet non omnis exclamauerit, uerum per sanctos his utens uocibus. quoniam æquum est te opificem celebrare, & gratis sermonibus gratias agere, hoc proprium uiuentium est. Nam si in puluerem, ac cinerem redacti fuerint, & humanum instrumentum deposuerint, nulla ratione fieri potest, ut beneficia tua commemorent, *Audiuit Dominus & misertus est mei.* Et iam cum Ezechias sacco indutus esset, Deum aduersus Assyrios precatus est, Humana etiam natura lugubres habitus induta est. At his quoque temporibus cum nonnulli insipientes mortuos lugeant, & in sacro sordidi sedeant, prophetæ uerba audire nolunt, quæ apertè clamant, *Conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia, & conuertisti luctum meum in gaudium mihi*, Nam quemadmodum Ezechias ubi quindecim annorum uitæ prorogationis promissionem habuisset, ingenti lætitia affectus est: ita non decet conceptam resurgendi spe defunctos lugere, quin cum gaudio resurrectionem conuenit expectare, Hoc autem. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*, ita Symmachus interpretatus est, ut cantet te gloria, & non conticescat. Hoc est, propter hoc beneficium te continenter laudare decet, & eis, qui huiusmodi gloriam consequuti sunt, te laudare, & nunquam conticere conuenit. Compunctio enim silentium inducit. Septuaginta uero prò gloria, compunctionem posuere: Porrò Ezechias gloriæ uoluptatem percepit, afflictis, & prostratis tot millibus à Deo, & recurrente sole. At nos ampliorem lætitię causam habemus tantam Dei in nos dilectionem experti, Ita enim (inquit) Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat uitam ęternam. *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Non in præsenti tantum, sed in futura uita post resurrectionem hymnos tibi semper afferam, eximia, & inenarrabilia dona tua commemorans. 4. Reg. 19. Ioan. 3.

BASILII. *Ad te Domine clamabo*, Sæpe dictum est de clamore ad Dominum, quod solius eius est, qui magna, & cœlestia cupit, clamare: quod si quis exigua, & terrena petit, à Deo parua, & depressa uoce utitur, quæ non tollitur in altum, nec ad Deum peruenit.

ATHANASII. Precor (inquit) educi de lacu, quoniam puluis non confitebitur tibi, quod si in corruptionem descendam, neque mihi, neque aliis ulla erit utilitas: & ego uita priuabor à te, & alii salutem non habebunt à me. Verum si audieris uocem meam, tum dolorem meum in gaudium uertes, tum me lętitia indues: nam communis in hoc erit utilitas: siquidem pristinam gloriam meam recuperabo, & propterea nullo angore conscientiæ confectus ad te loquar. Hoc enim significat illud, Non compungar.

BASILII. Quid ego clamaui? quid à te domino meo petii? quæ mihi (inquit) utilitas delitiarum carnis, & plenitudinis sanguinis, cum tradendus sim quarum hactenus nondum in omnibus debitam corporis corruptionem. Sed castigo, & in seruitutem redigo corpus meum, ne propter corporis ualentem habitudinem, & sanguinis feruorem carnis obęsitas occasionẽ mihi prębeat ad peccandum. Ne uero obsequaris carnis tuæ somnis, baleis, & mollibus stratis,

semper

semper intonet in auribus tuis nox hæc. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid ornas, quid foues, quid amplecteris paulò post flacescendum? Quid infarcis. & carne obducis te ipsum? An ignoras, quod quanto carnem tuam pinguiorem reddis, tanto grauiorem animæ tuæ carcerem construis. *Nunquid confitebitur tibi puluis,* Quomodo aut puluerulentus, & carneus homo confitebitur tibi Deus? Quomodo & ueritatem annunciabit, qui nullis unquam disciplinis institutus est, & in tanto carnis aceruo mentem suam depressam tenet? ob id igitur eliquo, & absumo carnes meas, & non parco sanguini, qui in carnem cogi solet, ut nullum sit mihi ad confessionem, aut ueritatis intelligentiam impedimentum. Precemur ergo, & clamemus etiam nos uoce spiritali magna petentes, non carni dediti (qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt) ut & nos exaudiat Deus, & misereatur infirmitati nostræ, & diuinum auxilium percipientes dicamus. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi,* Non accedit autem cuilibet animæ gaudium à Deo, sed siquis defleat peccatum suum uehementi luctu & assiduis lachrymis, ac perinde ac si ipse mortuus esset se lugeat: Huiusmodi luctus planè uertetur in gaudium.

Luc.7. Quod autem flere commendabile sit, ostendunt pueri in foro desidentes, ac dicentes: Lamentati sumus, & non planxistis, cantauimus uobis tibiis, & non saltastis: Est autem tibia musicum instrumentum, quo spiritu aspirantes ad melodiam utimur. Quapropter arbitror sanctum omnem Prophetam per figuram tibiam nominari. Sancti enim Prophetæ per sermones suos ad concinnam sanctæ prophetiæ actionem, quæ saltatio dicitur, exhortantur: sed & lamentantur nobis Prophetę ad planctum nos prouocantes, quo ex propheticis sermonibus ad peccatorum nostrorum cognitionem progressi interitum nostrum deploremus, in laboribus, & erumnis carnem nostrã castigãtes Huic itaq; homini lugubris uestis conciditur, qua se ob peccati sui luctũ conuestierat. induitur autem letitiæ tunica, & pallium salutis illustria illa, & nuptialia indumenta, quæ qui habet, à sponso non eiicitur. *Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.* Coadiutor pœnitentiæ saccus est, & humilitatis symbolum: olim enim patres in sacco, & cinere sedentes pœnitentiã agebãt. Quandoquidẽ uero Apostolus reuelata facie iuxta eandẽ similitudinẽ à gloria in gloriam trãnsformatur, Gratiam ipsi à Domino datam peculiariter gloriam appellat. *Vt cantet tibi gloria mea,* Gloria iusti est spiritus in ipso. Qui igitur canit, spiritu dicat. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Non amplius committam (inquit) ut compungar, ac perfodiatur cor meum in recordatione peccati mei.

ORIGENIS. *Audiuit Dominus, & misertus est mei,* postquam docuit, quænam illa fuerint, quæ ad Deum clamauit, statim expertus Dei susceptionem, excitans, & compellens nos ad similia petenda: *Audiuit* (inquit) *Dominus & misertus est mei, Dominus auxiliator factus est mihi,* plurimum nobis Saluator contulit, qui dedit animam suam redemptionem prò multis, nam patris beneplacitum fuit, ut innocentis sanguinis eius effusione mundi peccatum tolleretur, ut quilibet ab inani protopatris uitæ traductione sanguine ipsius solueretur. Quoniam uero aliqui eorum pro quibus mortuus est, obstinati in nequitia & impietate permanent, descensus eius in corruptionem, & effusio sanguinis frustra facta esse uidetur. corruptionẽ uero carnis, naturam carnis, quam induit, uel mortem, quam oppetiit, appellat. *Nunquid confitebitur tibi puluis?* Qui ab actione pereuntium rerum, & à terrenarum cogitatione puluis factus est, nec confitebitur Deo, nec ueritatem illius annunciabit, cum & moribus, & cogitatione aberret.

EVSEBII. Secundum Symmachum sic. Cum malis premerer dicebam, Ad te Domine clamabo, teque Dominum meum supplex interpello, quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis aut annunciabit ueritatem tuam? Hæc & his similia humiliter exposcebam, è profundissimo lacu magnis clamoribus sublatis: ac te Deum tanquàm præceptorem meum percontabar, ut scirem quænam utilitas, quod lucrum uel mihi, uel aliis proueniret ex sanguine meo, uel nunquid amplior hominibus ex meo ad cor-

1.Ioan.1. ruptionẽ descensu utilitas accessura esset, nam in alterius sanguine magnus, & pretiosus mundo uniuerso prouentus redundabit, postquã agnus tuus, qui tollit peccata mundi tanquã ouis ad occisionem uenerit, & quasi agnus coram tondente se obmutuerit. Huius enim sanguine redemptio, & libertas à malis omnibus iis, qui saluandi sunt, est comparata. Quin etiam descensus illius, usque ad eos qui interierunt, plærisque salutis causa erit. etenim puluis, & cinis multa hominum, qui iampridẽ carnei, & lutæi sepulchro conditi sunt, confitebitur tibi & meliori conditione mutati annunciabunt ueritatem tuam. Nunquidnam ex sanguine meo huiusmodi in orbem bonum manabit? uel utilitatem aliquis percipiet, cum mortuus fuero? uel nunqid puluis ex puluere sumptus, ac homo factus, ex terreno, in spiritalem mutatus, enuncia-

ciabit ueritatem tuam? sed enim nihil à me huiusmodi proficiscetur. quapropter supplex oro ne similis fiam descendentibus in lacum, Hęc autem me orantem ait Dominus, qui non procul abest ab iis qui purè, ac fideliter eũ inuocant, audiuit, de quo dictũ est, propè est, Dominus, omnibus inuocantibus eum in ueritate. *Psal. 144.* & audiens misertus est mei & miserationis eius effectũ indicauit, siquidẽ adiutor meus factus est. Hæc cum nobis quasi loquutus esset, & nos quæ illi acciderãt, docuisset, rursus ad Deũ gratiarũ actiones conuertit, & beneficia in se collata pcurrit. Tu enim Deus misertus es mei, & factus adiutor meus, atq; ita lachrymas meas ueteres, lamentationes, & luctũ in risũ, gaudiũ, & exultationẽ cõuertisti: & fecundã lugentiũ, & mœrentiũ beatitudinem uerã demõstrasti, iuxta illud: Beati qui plorãt, quoniã ridebũt, &: Beati, qui lugẽt, quoniã *Matth. 5.* ipsi consolabuntur. Signa uerò luctus mei. i. saccũ, in quo mœrẽs inuolucbar, detraxisti, & cingulo lætitiæ præcinxisti me, atq; hæc oĩa in me cõtulisti, ne puluis & cinis, qui tibi nõ cõfitetur, pinnerẽ. *Sed ut cantet tibi gloria mea*, Nã in descensu meo in interitum, nulla mihi, nec reliquis utilitas proueniret: Etenim ego quoque uita, quæ abs te oritur, priuatus essem, & alii per me salutem minimè comparassent. At cum tu dolorem meum in gaudium conuerteris, & saccum meũ conscindis, & me lætitia circundas, non contemnenda salus orbi parata est: Nam recepta pristina gloria mea, per eam tibi psallam, idque agam non sordida conscientia, sed animo hilati, & mũdo præstabo, propterea inquit. Vt cantet tibi gloria mea & non compungar. itaque omne ęuum perdurabo, & in æternum confitebor tibi immortalium tuorum in me beneficiorum memor.

DIDYMI. *Dominus factus est adiutor meus*, Animaduertendum est, quod illud, factus, non semper substantiæ effectionẽ, sed interdum etiam habitum ad aliquid significat. Si ergò de Saluatore huiusmodi uox afferatur habitum ad aliquid, non substantiam aliquam fieri significat. *Conuertisti planctum meum*. Vox hæc, planctus, innuit doloris sensum, quemadmodum etiam actus ipse manuum pectus percutientium ostendit. Qui ergo delictorum suorum sensum accipit, & per spiritalium manuum actiones sensum suum excitat, à luctu semotus, qui spiritus fructus est, recipit illud. *Conuertisti*, significat mutationem in gaudium à ploratu, & mœrore factam. illud uero, *non compungar*, perinde est, ac si dixisset, me non pœnitebit. At gloriam cantans illius, qui hæc Deo dicit, recta uitæ institutio, & sincera cognitio existimatur. *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi*, idest in omni rerum successu non solum animo, uerum etiam in laboribus tibi Domine gratias agam.

ORIGENIS. Cõsiderandũ est, quid dicat is, quem Dominus exaudit, & quid oret ille cuius Dominus miseretur. illud. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descẽdo in corruptionem*, uidetur mihi innuere uocem Domini interrogantis eos, quos post acceptam cognitionẽ iuuari decuisset, nec utilitatẽ ullã pceperũt, & qui cõfiteri debuissent, nec confessi sunt, sed insanierũt, oratq; in Christo illis prouẽtũ, qui precioso ipsius sanguine empti sunt, & quorũ causa descẽdit in corruptionẽ, ut puluis esse, & pperã uiuere desinerent, utq; maxima uitæ conuersione & ueritatẽ susciperent, & susceptam aliis prædicarent. cumq; sic precatus esset, exauditus, & uoti cõpos factus est, ideo inquit. *Audiuit Dominus, & misertus est mei*. cũ. n. nos auxilium pcipimus, & cõfitemur, & ueritatem Dei annunciamus, Christus exauditũ se à Patre, atq; illũ sui misertũ esse fatetur, qui luctũ, & planctum eius prò nobis in gaudium conuertit, ut non sacco amplius in precando pro nobis, sed conciso sacco lætitia conuestiatur, & gaudio oppletus, & sua gloria recepta dicat. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*, Vbi compungi, prò, tristitia confici, posuit, atque ita ob æternũ eorum, qui saluantur, salutem dicat, *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

NICEPHORI. *Quæ utilitas in sanguine meo?* Caro nihil aliud est, quam sanguis à natura concretus. quęnam (inquit) utilitas est in carne mea ita aucta, atque ornata; si ad putredinem & interitum moriens deueniam? *Præcinxisti me lætitia*, hoc est induisti lætitiam. *gloria mea*. per circumscriptionẽ dixit. prò, ego glorificatus auxilio tuo. illud uerò *non compungar*, prò non cõticebo positum est: solent enim qui anguntur, & dolent, tacere.

CHRYSOSTOMI. Celebritas confessionis ex continenti oratione perficitur, quia præceptum est, ut semper oremus. Oratio ergo continua, & instans prædicatio, necesse est ut habeat mentis uigilantiam, ut agnoscat quis oret, quid oret, ad quem oret: Nam fictile illud uas thesauro Dominico plenum, quod de bono thesauro cordis sui proferat bona, sicut modo cantauimus uniti charitate, dixit. *Deus Deus meus, in æternum confitebor tibi*. cum serui nominant heros suos, non contumaces, nec superbos, sed obedientes, & subditos se illis agnoscunt esse debere: Ergo Dominus iste, qui nos pretio emit, qui & nobis æternitatẽ donauit, Dominus est, qui nobis tantũ gratię munus impartitus ẽ, tãtã misericordiam, & inenarrabilẽ, tãtã fortitudinẽ sine lassitudine: iste ergo Dominus bonorũ seruorũ, & Deus totius creaturæ, cõfessionem quærit à nobis, non ut

ignarus, sed ut nobis ipsis manifestaret: Quid .n. illi occultũ, cui patet oẽ secretũ? Nullus dubitet de bono Domino, & clementi, qui confitentes amplectitur, & non punit, ut terrenus Iudex, qui non torquet, qui non eculeo imponit quasi ignarus, ut ueritatem extorqueat. sed ille dicit: Confitemini illi qui omnia nouit, antequam fiant, cui nihil est occultum, qui cordis inspector est. Cõfiteamur illi, quæ in factis, quæ in cogitationibus, quæ in actis commisimus. Quare nos confiteri cogit nolens aliquem à sua miseratione cadere: misericordia, qua Deus est, & clementia, qua pius est, & bonitate, qua creator est. Confiteamur illi multiplicem confessionem: prima tamen omitti non debet, assumentes illam publicani uocem, qui pectus suum tondebat, & non gloriabatur ut Pharisæus, ideo quia humilis erat, iustificari meruit, cum Pharisæus quasi de suis meritis iactabundus damnatus descẽdit. si bene uiuimus, Domino nihil præstamus, quia bonorum nostrorum non eget: si malè, nobis aduersamur, nihil Deo nocentes. Humiles igitur & demissa ceruice confiteamur illi, qui totum nouit. clamemus ergò cum isto humili, qui reatum suum non tacebat, sed deiectis oculis peccatum suum semper agnoscebat, & iniustitiam suam non celabat. quid ergo dicebat? propitius esto mihi peccatori: Nunquid singula facinora sua Deo tanquàm nescienti recensebat? An poterat quæ ab ortu flagitia commiserat, memoria tenere Publicanus omnium malorum reus? sed summatim, & collectim clamauit, & dixit, quia nihil boni in me habeo, qud de me dicam, sed totum malum in me sentio, confitebor tibi Deo bono, qui non punis confitentes, sed liberas ad te confugientes, propitius esto mihi peccatori. Nullus desperet de malis suis, nullus præsumat de meritis suis. Agnoscite Fratres, quæ sit in humilitate gratia, qualis in superbia imminens ruina. Quod fecit caput fideli, hoc facite omnes in fide credentes, ut iure, ac legitimè dicamus: *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi*. Non temporariè, sed in æternum, quænam est æterna confessio, nisi uox illa Angelica. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus. sine intermissione proficite, ut accipiatis non prò meritis gratuitam, sed gratiam coronam.

Non negat auricularem confessionem. Luc. 18.

BASILII. *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* hoc est gratias agam. Quoniam .n. mihi ueniam ex pœnitentia dedisti, & in gloriam omni peccatorum turpitudine, & confessione ablata reduxisti, propterea in omne æuum confitebor tibi, quod enim tantum esse poterit temporis interuallum, quod tantorum beneficiorum obliuionem animæ meæ inducere queat?

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID PRO EXTASI.

PSALMVS. XXX.

In te Domine speraui non confundar in æternum, in iustitia tua libera me; & eripe me.
Inclina ad me aurem tuam: Accelera ut eruas me.
Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut saluum me facias.
Quoniam fortitudo mea, & refugium meũ es tu, & propter nomen tuum deduces me, et enutries me.
Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus Domine.
In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus ueritatis.
Odisti uanitates obseruantes superuacuè.
Ego autem in Domino speraui: exultabo, & lætabor in misericordia tua.



THANASII. Propositum psalmum canit, tanquàm si adhuc in pœnitentia agenda uersaretur, de peccato ab eo se liberari postulãs: qui nimo ut iã exauditus gratias agit. Attamẽ quę illi dũ pœnitẽtiã ageret, euenere, pcurrit. illud uero, prò Extasi, nihil aliud nobis, quã ipsum peccatũ significat, quo animus à piis cogitationibus quasi alienatus est, ita ut amplius se assumptũ iri desperaret, & apertè diceret. *Ego dixi in excessu meo proiectus sum à facie oculorum tuorum.*

EVSEBII. Neq; in Hebreorũ scriptis, neq; apud reliquos interpretes ascriptio illa, Prò extasi, cõtinetur. Nũ uero propterea, qđ in psalmo inserũtur uerba illa: *Ego dixi i excessu meo*, Hoc aliquis apposuit,

eo

eò referēs quo tēpore in extasi cōstitutus: dixit: *proiectus sum à facie oculorū tuorū*, IN FINEM, uerò inscribitur, uel propterea quod in fine psalmi exhortationem affert maximè necessariam dicens. *Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam ueritatem requiret Dominus*, & ad ea auditores mittit: Vel quia nonnulla de passione Saluatoris uaticinatur, quę in seculi consummatione uentura erant. Verum quia psalmus in fine describit spem bonam, quę ipsi Dauid in pósterum ingerenda erat, meritò in finem titulus transmittit. Totus uerò psalmus supplicationes Prophetæ continet, qui se totum Deo addixerat, & exhortationem ne ab ea spe cadat.

THEODORETI. Titulū psalmi huius neque apud Hebræos, neque apud interpretes alios inueni: sed in nonnullis exemplaribus repertum est: Cœterum uidetur mihi latenter peccatum in Vriam commissum significare. dicit enim in hoc psalmo. *Ego dixi in excessu mentis meæ proiectus sum à facie oculorū tuorū*, Hoc est, ubi deliqui tuo auxilio me destitutū putaui. Veruntamē uidetur mihi psalmus is à beato Dauid tunc temporis dictus, cum persequutiones a filio Absalon pateretur, quod apertè magis uerborum interpretatio declarabit.

NICEPHORI. Extasis psalmus dictus est, quia commutationem illā cōmemorat, quā passus est beatus Dauid post adulterium Bersabeę, & cędē Vriæ. Extasim. n. rectitudinis transgressionem interpretamur. compositus est autem eo tempore, quo Absalon Filius eum persequebatur.

HESYCHII. Dauid hunc psalmum dictauit in eos, qui perfectè à peccato exeuntes ad Dominum conuertuntur.

Eadem est horum quatuor psalmorum interpretatio, & idem argumentū, Porrò antiquiores psalmis sunt inscriptiones: & se ipsum continere aliquis non poterit, si uanas inscribentium rationes cogitauerit. primū. n. psalmus uigesimus sextus inscriptus est, psalmus Dauid antequā ungeretur. sed quis sanę mentis existimauerit, Dauid ante unctionē psalmos edidisse? Primū enim ętas non ferebat fidem neque firmitatem ad psalmorum compositionem. Quod si quis solertiam puero adhuc tribuat, quomodo absq; gratia spiritus scribere poterat? Etenim si ante accessum gratię scripsit, superuacaneum erat gratiæ munus, superfluum Samuelis iter, superflua quoq; gratia ipsa futura erit. sed quid sibi uoluerint, qui psalmis inscriptiones apposuere, ne ego quidem scio, sed nec ipsos inscribentes scire opinor. Psalmus item uigesimus septimus inscriptus est, psalmus ipsi Dauid. & hoc quoque non est ignorantiæ immune. Dicunt enim quando psalmi inscribuntur, ipsius Dauid, ab ipso psalmum dicit, quando uero, ipsi Dauid, ab alio ad ipsum dici. tamen non addunt in pręnotatione, quis dixerit ad Dauid, nimirum quia non habent, neque. n. nouimus aliquem, qui huiusmodi unctionē acceperit pręter Dauid solū. prophetię. n. dono & alii insigniti fuere, sed qui cum prophetia carminum quoque melodiam coniunctam habuerit, nullus alius dignus est factus. cantores uerò psalmorum à sacra scriptura nominati non composuerunt ipsi psalmos, sed uoce tantū cum organis eos cecinere, & psalmos editos ab ipso Dauid canēdos accepere. Porrò uigesimus octauus inscriptus est, in exitu tabernaculi. innuit (arbitror) inscriptio, qđ psalmus dictus fuerit, circa exitum celebritatis et festi scęnopegię. idest tabernaculorum, septem siquidē diebus celebrabant festū illud: & significat quod de exitu illius cęlebritatis dictus est psalmus. sed quàm quæso uerba psalmi cū titulo consequutionē habent? non enim ullam tabernaculi, aut scęnopegiæ mentionem facit. præsertim cum primum tabernaculum fecerunt, non erat tēplū, neq; ciuitas ipsorum, sed ubiq; psalmus de uictoria contra hostes, hosque grauissimos meminit, grauiores Assyrios non habuerunt, ex quo ciuitatem cœperunt. Rursus uigesimus nonus psalmus sic inscribitur. psalmus cantici in dedicatione domus Dauid. ex qua inscriptione significat, quod quemadmodum templum ædificandum futurum est ut dedicetur, ita psalmo præposuit, quæ dedicationi conueniunt, quòd uero uerba ad argumentum non respondeant, & mediocriter intelligens cognoscit. Quid enim congruit cum dedicatione templi, si dixeris. *Concidisti saccum meum, & præcinxisti me lętitia*: uel. *Quoniam Dominus eduxit de inferno animam meam*, Cœterum benè constat, quemadmodum dictum est, quod Beato Ezechiæ conueniunt, quæ à beato Dauid afferuntur, ea enim est prophetiæ gratia, ut longè antea, quam ueniant, res præuideat, & eas homines doceat, quod humanas res non despiciat Deus, & quod maximè deceat eos, qui salutem consequuntur, omnino & semper gratias agere Saluatori.

THEODORETI. *In te Domine speraui*, propter peccatum (inquit) rubore suffundor, cœterum obsecro ne diutius insideat, propter eam, quàm in te spem collocaui, neque peccatum meū respicias, sed iniquitatem eorum, qui me persequuntur: nam ęquo huiusmodi examine usus me ab imminentibus calamitatibus liberabis, & cum supplicationem meam audieris, celerem quoq; mihi opem afferes.

DIDYMI. Qui beatum finem sanctis repositum consequi sperat, nouit se in omne seculum, non confusum iri, cum huiusmodi expectationem in Domino collocauerit. *In iustitia tua libera me.* Quæ non alia est, quàm unigeniti filii tui. & ex circunstantibus, & opprimere uolentibus eripe me. Quoniam uerò clamor noster ad celsitudinem tuam accedere non potest, *Inclina ad me aurem tuam*, idque per descensum tuum: Nam si hoc affuerit, & precationem meam susceperis, me tandem aliquando liberare decernes.

NICEPHORI. Licet auxilio tuo indignus sim, ob tuam tamen iustitiam, qua iniquos omnes, & parricidas condemnas, libera me. *Accelera ut eruas me*, Festina ut me redimas. *Deduces me, & enutries.* Deduces me ad locum uitæ, & enutries me in angustia & inopia rerum necessariarum.

EVSEBII. Quamuis Iudæorum gentis Rex esset Dauid, & copia rerum afflueret, & multas de hostibus uictorias reportasset: nihil tamen ex his rebus ad seruitutem conducere, præter spem in Deo sitam persuasit. Propterea rogabat ne ab ea excideret, atque adeo nos quoque docere uoluit, ut eodem studio quæ ipse agebat, & nos sectaremur, meditaremur, ac loqueremur. illud autem, *in iustitia tua*, Symmachus in misericordia tua uertit.

THEODORETI. *Esto mihi in Deum protectorem*, Hæc eadem & in decimo septimo psalmo dixit, omnis generis Dei prouidentiam, & misericordiam ostendens: illud uerò, *Firmamentum meum.* Symmachus, & Aquila, petra mea, interpretati sunt. Decebat enim Propheticum sermonem euangelico conuenire, qui prudentem uirum illum ostendit, qui supra petram
Matth. 7. tram domum ædificauit, quam nec uentorum, nec imbrium, nec fluminum impetus ob firmitatem demoliri potuit. Ad illud *Enutries me*, Symmachus, curabis me, uertit. quasi dicat, me omni auxilio dignum facies propter nomen tuum, in quo solo spes mea omnis reposita est. per omnia autem uerba, quæ hactenus à nobis exposita sunt, animi eius modestiam edocemur, siquidem non petiit, ut uirtute propria, sed propter nomen Dei, & iustitiam, seu misericordiam eius diuinum auxilium consequeretur, & quoniam in ipso spes suas collocauit.

CHRYSOSTOMI. *In te Domine speraui*, Et hinc patet Israelitas utilitatē à calamitatibus accepisse namque dum dicitur, *In te Domine in reliquum sperabo*, indicatū est, quod prius Deum contempserit, uerum ab erumnis, & calamitatibus edoctus, & institutus est, non in alium, quàm in eius seruatorem, spes suas collocare. & propterea induxit. *Non confundar in æternum*, prò eo, nunquàm derelinquar. Nam cum tu uias meas dirigas iustus sum, & dignus ut tuam benignitatem consequar propterea infert.

CYRILLI. *In iustitia tua.* idest in Christo, qui factus est nobis iustitia, sanctitas & redem-
Ioan. 15. ptio. inquit enim, sine me nihil potestis facere, scilicet bonum.

ORIGENIS. Non in iustitia tantum liberat nos Deus, sed in charitate, in fortitudine, in temperantia: nunc autem iustitiam posuit, quippe quæ omnes uirtutes amplectitur. An forte, per iustitiam Christum intelligit, qui factus est nobis à Deo iustitia, & sapientia, & sanctificatio, & redemptio, secundum Apostolum.

DIDYMI. Atque illud. *Esto mihi in Deum protectorem*, habitudinem protegentis ac eum, qui protegitur, significat, petit ad hæc, ut illi Deus domus fiat, ad quam confugiens seruetur, ut eadem tanquàm arce munitissima, & inexpugnabili circumuallatus seruetur incolumis. Hoc enim (inquit) sæpius, expertus sum te fortitudinem, ac refugium meum esse, propterea quod nomen tuum mihi familiare factum est, Nam homo, uel seruus tuus appellor, licet indignus, qui uoti compos fiam; sed propter nomen tuum me in salutem deduces, & cœlesti pane tuo enutries.

EVSEBII. Hæc & in psalmo decimo septimo dixit, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus; & sperabo in eum, & quæ sequun-
Psa. 17. tur, ex iis, quæ olim, expertus sum, mihi persuasi, de laqueo, quē mihi hostes tenderunt, me abs te ereptum iri. Nam quandiù in hac uita mortali degam, tandiù me uexatum iri certus sum, meque usque ad ultimum spiritum in angustiis ob insidias inimicorum futurum. Verum cum in te spes meas collocauerim, in æternum me nunquàm confusum iri confido. Deum ueritatis pulchrè & opportunè in supradictis nominauit. nemo enim qui in te sperat, & credit, promissionibus tuis fallitur.

THEODORETI. *Educes me de laqueo.* His uerbis consilium Achitophelis ostendit, quod aduersus ipsum dedit, cum moneret Absalon, ut superius iam dictum est. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, cum in multas sæpe calamitates, & erumnas incidissem, ab iis omnibus ope tua suffultus, & præsidio tuo munitus demum liberatus fui, propterea pro-

tectioni,

tectioni, & tutelæ tuæ animam meam commendo: nam hoc loco etiam manus, prò auxilio posuit.

D I D Y M I. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum,* In hoc boni omnes incumbunt, ut non corpus tantum, sed animum, mentem, & cogitationem ab hostium uulneribus tutentur, quoniam ergò aduersus impostores, ac fraudibus præpotentes bellum ab ipso geritur, qui non ferire, sed animam uulnerare statuunt, in manus Dei, quæ illũ protegere possunt, spiritum suum asseruandum tradit. sed & Saluator ipse cum traiectis manibus, ac pedibus in ligno penderet, Propheticis his uerbis usus est: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. [Luc. 23.] Porrò Dei manus non alias, quàm occultas prouidentiæ suæ facultates interpretari oportet. Animaduertendum etiam est, spiritũ hominis in scriptura multis modis accipi: Nam cum dicat, Virginem curare debere, ut sit spiritu, & corpore, spiritum cogitationem intelligit. [1. Cor. 7.] & apud Iacobum. quemadmodum corpus sine spiritu mortuum est, cum hoc dicit, animam intelligit. [Luc. 2.] Vbi autem dicitur: quis hominum nouit, quæ sunt hominum nisi spiritus hominis, qui in ipso est: non alius innuitur spiritus, [1. Cor. 2.] quàm qui animæ coniunctus est: cum alius ab ea sit, qui conscientia nuncupatur: Nam qui hominis cogitationes intelligit, ab anima seiunctus est: nam anima homo est, cogitationes uero minimè homo sunt. Cum ergo tripliciter spiritum dici ostensum sit, perpende diligenter, quonam modo accipiendum sit illud. *In manus tua Domine commendo spiritum meum.* Sanè (ut reor) tribus prædictis modis accipi potest. in hostium (inquit) iam potestate positum, & captiuum factum me ò Domine redemisti, qui & Deus ueritatis es, & eius, quæ in singulis eorum est, qui ueritatis unigeniti tui particeps fiunt.

A T H A N A S I I. *Commendo spiritum meum.* Nam qui animæ eius insidias collocarunt, spiritum comprehenderunt: in quo? in peccato. *Redemisti me Do nine Deus ueritatis.* Tanquàm iam exauditus hæc profert.

E V S E B I I. Cum sis Deus ueritatis, meritò amatoribus ueritatis oblectaris, & eorum statum approbas. ideo dictum est, ueritatem requirit Dominus: sectantes autem uanitates tan- [Psal. 30.] quàm mendacio innixos, meritò auersaris, ac inuisos habes: Vanitas enim mendacio plena est. inde hortando aliàs dicit. Filii hominum usquequo graui corde? ut qui diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Ego autem omni uanitate posthabita, in te solum Dominum meum speraui: Quare mihi persuasi me ipsum tibi asseruandum non temerè tradidisse, [Psa. 2.] siquidem spei in te positę gaudium firmum est, & stabilis exultatio.

A T H A N A S I I. *Odisti obseruantes uanitates.* Vanitates appellat huius uitæ distractiones, quas qui operatur, in uanum laborat. *Exultabo & letabor,* Dolorem & reliquas animi ægritudines conculcans.

D I D Y M I. *Odisti obseruantes uanitates superuacuè,* Quisquis in uniuersum uanitates obseruat, superuacuè id facit, uel quod inconstans, uel quod uanitas ipsa inaniter, & superfluè fiat. Atque cum hæc Deo inuisa sit, inuisos quoque se obseruantes facit.

T H E O D O R E T I. *Odisti omnes,* illi ergò (inquit) in te non sunt confessi, sed uanas cogitationes suas adamarunt: Tu uero huiusmodi homines penitus auersari consueuisti. *Ego autem in Domino speraui,* Etenim calamitatibus oppressus, & auxilium tuum implorans idque assequens, benignitati tuæ tantorum beneficiorum causam acceptam fero.

N I C E P H O R I. *In manus tuas,* in curam & protectionem animam meam coniicio. *Redemisti me Domine,* sæpenumero me à periculis liberauit uerè Deus. *Odisti obseruantes,* Auersti te ab iis, qui inania consilia sectantur, idque inaniter.

O R I G E N I S. Domus refugii est Dei cognitio.

C H R Y S O S T O M I. *Et in domum refugij.* Cum maius exemplum non habet, minus affert: non enim æquè seruat domus confugientem, ac Deus: nihilominus inferius exemplum ponit, ut ostendat Deum quocunque uoluerit exemplo, & seruat. illud uero, *fortitudo mea,* pro robore, & uiribus ut non euertatur, positum est.

O R I G E N I S. *Deduces me, & enutries me,* Deducit quidem perfectam fidem, perque honestas actiones: nutrit autem per eius cognitionem. *Spiritum meum,* Spiritus mentem significat. Nàm quę Deo adhæret mens, ea unus spiritus fit. *Odisti omnes obseruantes,* ir peccatores in hac præsenti uita solum sperant: hæc autem secundum Solomonem uanitas est uanitatum: lanè qui huiusmodi uitam obseruat, uanitates inaniter obseruat. Porrò illud superuacuè, sequitur, ad illud, obseruantes uanitatem. & significat nihil utilitatis afferre ob curam, quam ponunt in malo agendo, propterea quod eos Deus odit, & punit, nec permittit eos ad finem studiorum suorum peruenire.

CYRILLI. Propterea nos liberasti, quoniã illos odisti, qui studiosè ac dedita opera turpia quæque agunt, & malum tanquam aliquid ex necessariis obseruant, obseruant inquam & studiũ ponunt, non autem correptim illud agunt.

CHRYSOSTOMI. Per uanitatẽ intelligit Babyloniorũ diuitias, Idola, uitę hilaritatẽ, qui bus Babylonii, tanquam firmis, & non prætereuntibus bonis detinebantur.

Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam

Nec conclusisti me in manibus inimicorum: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor, turbatus est in ira oculus meus anima mea, et uenter meus.

Quoniam defecit in dolore uita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate fortitudo mea, & ossa mea conturbata sunt.

Supra omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & uicinis meis ualdè, & timor notis meis

Qui uidebant me foras, fugerunt à me obliuioni datus sum, tanquàm mortuus à corde.

Factus sum tanquàm uas perditum, quoniam audiui uituperationem multorum commorantium in circuitu,

Dum conuenirent simul aduersum me accipere animam meam consilium inierunt.

THEODORETI. Porrò cum semper huiusmodi cogitationes mente uolutauerim, minimè sum spe mea frustratus: nam cũ plerunq; in hostium insidias, atq; agmina incidissem, cumq; ferè inter iacta retia uersarer, uenatores euasi: hoc enim dicit illud. *Nec conclusisti me in manibus inimici.* Cæterum historia quoque docet frequenter ipsum à Saul deprehensum, & in speluncã etiam inclusum, illius manus euitasse & insania simulata Gethęos euasisse.

DIDYMI. *Quoniam respexisti humilitatem meam.* Humilitas interdum animi æquabilitatẽ, quæ superbiæ contraria est, significat, quam ταπεινοφροσύνην appellare solent: interdum uerò afflictionem ab hostibus illatam, præstat autem Deum utranque humilitatem intueri. sed quod sequitur, facit, ut humilitatem pro afflictione sumamus: infert enim: *Saluasti de necessitatibus animam meam*, ubi circunstantes clades, & infortunia, necessitates appellauit: à quibus anima eius exempta in manibus eam affligentis inimici minimè concluditur. si uero locus spatiosus tanquam platea, & uia lata, quæ est uoluptatis appetentia, dicatur, gratias illi agit, qui sibi stabilitatem, & bene tutam sibi stationem exhibuit in hac uita, quò minus huc, & illuc ab afflictionum fluctibus agitaretur. quod enim dicit huiusmodi est. cum uitam in terris ducerem, ubi ob insidentes uoluptates uiuere periculosum est, stationem animæ mihi tribuisti, quò minus sic ab affectibus agitarer. quod si locum spatiosum in laudem, & bonam partem accipias,
2.Cor.4. gratias, & beneficia ipsum confiteri dices, quod afflictus non angustiatur, quasi ita dicat, dilatatus ob misericordiam, qua me ab aduersis eripuisti, dicam: *statuisti in loco spatioso pedes meos.*

EVSEBII. Iã humilitatẽ meã olim respexisti, cumque anima mea in multas sæpe necessitates incidisset, quas illi hostes imponebant, neque ego quicquam aliud agerem, quam deprimere, & in te precando affligere me, tu ipse propugnator, & protector meus, non me præteriens, sed probata humilitate mea, *Saluasti de necessitatibus animam meam. Nec conclusisti me in manibus inimici*, quin me laqueis irretitum, mirando quodam modo extractum abire liberum permisisti pedesque meos in latitudine, ac spatioso loco statuisti, & me dimissum quoquo uellem ire permisisti.

NICEPHORI. *Quoniam respexisti humilitatem.* Humilitatem intelligit depressionem, atque afflictionem, *Saluasti de necessitatibus animam meam.* de infortuniis, & periculis: *Posuisti in loco spatioso*, Hoc est in ampla libertate pedes meos, hoc est me constituisti liberum ab angustia circundantium me inimicorum.

THEODORETI. *Miserere mei.* Symmachus ita dixit, ob excandescentiã oculus meus turbatus est, cum enim te irritauerim continenter cogor propter peccatum meum lachrymari: atque etiam anima mea tempestate agitata, & tumultu impleta est; Venter autem hoc in loco penu cogitationum dicitur: nam cogitationes non uenter huiusmodi turbas sensere. *Defecit in dolore*, omnem (inquit) uitam meam in doloribus, & lachrymis consumpsi.
2.Reg.17. Porrò inopia, & rerum necessariarum penuria corpus meum aridum reddiderunt. Huius autem inopiæ meminit historia. Sobi Osephæi Filius, Naas Ammanites & Berzelai Galaadites attulerunt triticum & ordeum, & farinam, & fabam, & lentes, & alia quædam ipsi Dauid, & populo, quoniam nunciarunt populum fame tabescere, & siti in solitudine dissolui. *Super omnes inimicos meos*, Lætantur (inquit) hostes mei, ego autem risus illis sum, & finitimis ludibrio, & notis suspectus, quod magis apertè docens, subiungit. obliuioni

datus

datus sum. Despexerunt me (inquit) omnes instar uasis perditi, & mortui sepulchrum incolentis. Hæc aũt non suspitione, aut coniectura dico, sed propriis auribus conuicia, & contumelias audiui. Significat autem Semei execrationes, & maledicta. Illi ergò in unum coacti mortem mihi parant. Ego uero te gubernatorem meum noui: hoc enim dixit. In manibus tuis sortes meæ.

EVSEBII. Supplex oro, ac uehementer peto, ut mei miserearis: nam tribulor: prò quo Aquila dixit: Angustiæ mihi sunt, uel in angusto uersor: nam propter te, & promissiones tuas arctam, & angustam uiam ingredior. Quin & oculus animę meæ, ratio scilicet, & mens in me turbata est in furore. prò quo Aquila uertit. Aruit excandescentia oculus meus. Symmachus uero excandescentia turbatus est oculus meus. Inquit enim, dum iram conciperem, mihimet indignationem excitarem, & adniterer ea perficere, quæ ira, & indignatio suadebant, tum confusio, turbatio, & mæror animi rationem occuparunt: Et anima mea, & uenter meus etiam turbatus est, atque confusus, quo tempore indignatione æstuabam. Quemadmodum enim similitudine quadam mens animæ oculus dicitur, sic uenter pro ea parte intelligi potest, in qua memoria est collocata, in qua tanquàm utero ac uentre omnem sermonum cibum reponere solemus: quare dictum est alibi: Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me sunt, nomini *Psal. 102.* sancto eius: Et Saluator ait: quicunque biberit ex aqua, quàm ego dabo illi: flumina è uentre *Ioan. 7.* eius fluent aquę uiuentis, salientis in uitam æternam. Cæterum hi quoque uim memorandi, & rationem ipsam animi ducem Saluator appellauit. Itaq; ait: cum oculos animi, & uentrem turbatos haberem, curæ, ac medicinæ me ipsum dedi, cum uitam meam dolori, ac gemitibus & paupertati quasi circulis quibusdam sanandum addixissem. *Infirmata est in paupertate uita mea, & ossa mea conturbata sunt.* Hæc apertè magis explicuit Symmachus. Ob afflictionem meam, fortitudo mea, & ossa mea emarcuerunt: nam me usque adeò conficiebant, & affligebant, ut præ nimia impressione fortitudo mea omnis debilitaretur, & deficeret, & ipsa animæ meæ ossa, & uires, quibus olim pręstabam, contabuerint. uel iuxta Aquilam. Ossa mea aruerunt. Hæc autem ad monumentum eorum faciunt, qui delictorum suorum ueniam consequi optant.

DIDYMI. Aut etiam sic. Non omnis pauper infirmus & imbecillis est: nam multi pauperes robusti sunt: neque cui deficiunt uires, ille continuò pauper est. Cæterum quoniam in rebus spiritalibus fortitudo ac diuitię idem sunt, ideo qui in bonis operibus diues est, fortitudine præstat: Hoc est ergo quod dicit. quoniam inops fui: hoc est diuitem auersatus sum (diuinus est is) & fortitudo mea infirmata est. Fortitudinem hoc loco prò eo posuit, qui huiusmodi habitum habet: non enim infirmatur fortitudo, sed qui eam habet: quemadmodum neque scientiam ignorare, sed eum dicimus ignorare, qui eam natus est habere. His affine est, & consonum illud, quod de Christo à Paulo dictum est: & iustitia Dei efficiamur in ipso: nam & hic *1. Cor. 5.* iustitiam habentes, iustitiam nuncupauit.

EVSEBII. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Possunt hęc ad Saluatorē nostrum referri tempore, quò patiebatur: nam benè congruit, ut ab ipso dicantur, quando illū inimici suspensum uidentes irridebant: Et (ut in Euangeliis scriptum est) conuiciabantur, & noti eius discipuli, & amici præ timore illo derelicto abierunt: Quando & princeps discipulorum *Math. 26.* eius tertium ipsum abnegauit. Tum uero obliuioni datus est, tanquàm mortuus à corde, atque etiam tanquàm uas perditum reputatus est. Ueruntamen hæc ipsa, quæ ad eum referuntur, qui hoc Psalmo confitetur, grauissimam eius afflictionem declarant. Ita enim se ipsum macerauit, ut uita ipsius in dolore, & anni in gemitibus deficerent: fortitudo eius in paupertate infirmaretur, & ossa animæ illius turbarentur: in quibus etiam irridebatur ab inimicis, perinde ac si se ipsum frustra affligeret: Non solum enim apud inimicos opprobrium factus est, uerumetiā apud uicinos eius, & præsertim, qui illum propter uicinitatem nouerant: nam hi cum illum mœrentem, ac se cruciantem, & castigantem cernerent, irridebant, & conuitia iactabant in eum: Contubernales uerò amici, & affines, eundem tanquàm insanum, ac de statu mentis deiectum pertimescebant, ut ab ipso de eius salute prorsus desperantes recederent, & refugerent, eumque tanquàm mortuum obliuioni mandarent. & ipsum tanquàm uas perditum reputarent: Hæc omnia sibi accidisse dicebat, dum in confessione, ac pœnitentia se ipsum affligeret. Ego uero (inquit) non temerè sic uitam meam traducebam, sed simul ac uituperationem multorum commorantium in circuitu audiui, qui tunc in unum coacti tollere animam meam cogitabant, tunc cœpi ita agere. Cum enim peccatum admisissem, occulti ac inuisibiles hostes inter se conspirarunt, ut raperent animam meam. Quare cum illorum insidias intellexissem, tam uehementi

me pœnitentiæ addixi, ut tentarem si quo modo Deus hac tam magna depressione mei misereretur, meq; eriperet ab insidiis inimicorum.

DIDYMI. Et aliter. Inimici, qui uoluptatis potius quàm Dei amatores sunt, non solum non erubescunt, nec pudore ob ea, quæ perperàm fecere, afficiuntur, sed potius contra ipsi sibi placent, se ostentant, & uenditant, ut illis aptè conueniat, quod dicitur, (Phil. 3.) Quorum gloria in confusione eorum: gloriantur enim in his, quæ illi probro esse deberent: Erubescite ergò, & pudeat uos gloriationis uestræ, ac dedecoris uestri, quod Deus auersatur. Quare isti resurgent in dedecus, & ignominiam sempiternam. Porrò qui in prædicta paupertate se consistitutum sentit, uituperatione se dignum fatetur: Ideo dicit. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Atque etiam super eos omnes, qui me habitatione contingunt, hoc est, eadem mecum sentientes, qui animaduertentes ex quibus diuitiis in quā paupertatem incidissem, ueriti & ipsi ne & in eundem statum deiicerentur, conditionem meam declinare, ac effugere quàm celerrime studuerunt. Cumque olim uas pretiosum, ac Domino utile essem, usque adeo inutilis factus sum, ut periisse existimari possim. *Quoniam audiui uituperationem multorum commorantium in circuitu.* Hæc præceptor dicere potuisset, cum dedecori à discipulis haberetur, qui circumstare illum quidem discendi gratia uidebantur, cum alioquin nihil minus, quàm præcepta illius sequerentur, propterea quod in illis minimè habitaret: Potest etiam sic accipi. *Quoniam audiui uituperationem*, qua plerique me circunstantium afficiunt, quod ipsi in doctrina mea non permaneant, sed in ea tanquàm peregrini commorentur. Propter hanc causam uas perditum factus sum. Affine huic illud est. (2. Cor. 11.) Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror?

NICEPHORI. *Turbatus est in ira oculus meus.* In ira tua nimirum turbatus est oculus meus, corporis quidem ob assiduas lachrymas, animę uero ex doloris confusione. *anima mea, & uenter meus.* Anima ob summam mœstitiam & tædium, uenter uerò inediam: Sed uentrem potius intelligere oportet illam animæ partem, in qua rationalis cibus reconditur. *Quoniam defecit in dolore.* A communi sensu sumenda sunt uerba illa. Miserere mei Domine, hoc est dies uitæ meæ defecerunt. *Infirmata est in paupertate uita mea.* Paupertatem hoc loco dicit animæ contritionem, uel egestatem, uel indigentiam rerum necessariarum: *Et ossa mea conturbata sunt.* Mota sunt à fortitudine, & soliditate illa, quàm habebant, non ualentia amplius ut antea me sustinere. Fortitudo etiam prò uirilitate animæ accipitur, iuxta quod per paupertatem hic eam intelliges, quàm quis patitur, cum derelinquitur à Deo. Et per ossa, solidas atque constantes cogitationes. *Supra omnes*, idest in omnes inimicos. *Et uicinis meis.* A communi, factus opprobrium: *Et timor notis meis*, Verentur autem ne ob familiaritatem atque amicitiam, qua mecū coniuncti sunt, aliquod periculum subeant. *Obliuioni datus sum, tanquàm mortuus à corde.* A corde (inquit) amicorum meorum obliuioni datus sum: hoc est mei obliti sunt, ueluti hominis iam mortui. *Quoniam audiui uituperationem.* Hoc in loco etiam à communi sensu sumendum est uerbum, *Miserere.* Quoniam propriis auribus (inquit) uituperari me à multis audiui.

ATHANASII. *Quoniam audiui uituperationem.* Inimici me (inquit) maledictis obruebant, noti mei timuerunt me, & qui me uidebant squallidum, & ob nimiam pœnitentiæ austeritatem immutatum, saccum indutum, & cinere conspersum, dies noctesq; lugentem, longè abeuntes fugerunt à me: Vnde & illis fugientibus obliuioni datus sum tanquàm mortuus, confracto, ac perdito uasi similis uisus sum. Vituperationem insidias uocat: Innuit autem hostes illi undiq; insidias instruxisse.

Ego autem in te Domine speraui, dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis sortes meæ.
Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.
Ostende faciem tuam super seruum tuum: saluum me fac in misericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.
Erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.
Quę loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia, & in contemptu.
Quam magna multitudo bonitatis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.
Perfecisti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum.

THEODORETI. *In manibus tuis sortes meæ.* Velut reliqui. In manibus tuis tempora mea. Videlicet, ut lubet cuilibet lætitiam, & mœrorem tribuis: Tempora enim, & sortes appellat rerum uicissitudines, diuitias, & paupertatem, seruitutem, & principatum, pacem & bellum, & similiter.

EVSEBII. Hæc cū hostes contra me consulerent, in te spem meam posui, teq; solum mihi adiutorem esse dicebam: Ipse enim es Deus meus, *In manibus tuis sortes meæ*. Prò quo Hebraica habent: tempora mea in manibus tuis custodiuntur: nam licet hostes mei, tanquàm suam occasionem nacti, nunc cōtra me agant, nihilominus tempora mea in manibus tuis seruantur, in quibus, & hæreditatem quoq; meam asseruari penes te scio: quamobrem iure oro, obsecroq; ab inimicis meis, & à persequentibus liberari.

DIDYMI. *In manibus tuis sortes meæ*. Manus uocat uirtutes asseruantes, & custodientes, in quibus reposita esse dicit omnia, quæ illi secundum diuinum iudicium obuenere, uel ut paterentur, uel ut eriperetur ab illis: non enim casu (inquit) & temerè illa accidere opinor. Sunt uerò qui dictionem sic explicēt. Potestates traditæ uel principibus, uel magistris, uel excellentia, & dignitate aliqua præditis uiris, sortes illorum appellantur. Hæ igitur in manibus Dei sunt. Quemadmodum enim ipse constituit, ita etiam transfert Reges: Et quamquā nonnulli propter hanc præsentem dignitatem meam mihi se callidè submittant, non tamen illam euertere, aut labefactare poterunt, cum omnia mea in manibus tuis posita sunt.

ATHANASII. Quamuis hostes insidiantes rapere animam meam consulant, meæ tamen sortes in manibus tuis asseruantur, quas mihi in tempore trades, quoniam in te speraui. Quare postulo ut in præsenti quoq; ab hostibus eripiar. Hic autem mihi solus salutis modus est, si mihi faciem ostenderis.

EVSEBII. Quemadmodum oriente sole tenebræ soluuntur, occidente uero, ac se sub terris condente, nox occupat omnia, quo tempore ex speluncis suis agrestes prodeunt feræ, & flagitiosi homines e latibulis suis exeunt, ita cum Deus aliquem auersatur, hostes animæ insurgunt, & eam inuadunt: At ubi ille suæ diuinitatis lucem, quam scriptura faciem nuncupare solet, illustrauerit, omnes deterriti terga uertunt quotquot opera tenebris digna faciunt: quicquid autem Dei contrarium est, interit. Quare qui supra confessus est, nunc orat, dicens, *Illustra faciē tuam super seruum tuum*: Et rursus non meritò eorum, quæ feci, sed propter misericordiam tuā saluari precor: Et quoniam in te speraui, teq; inuocaui, ne confundar. Nam impios, qui in te Deum non credunt, confusio decet. Ideo inquit. *Erubescant impij, & confundantur*. Vel ex Aquila, & Symmacho, Sileant in inferno: Nunc enim multa effutire audent, sed ubi in locum eorum flagitiis dignum deuenerint, tum magniloquentiæ, ac iactantiæ finem imponent, & labia, quæ modo multa superbè contra iustum loquuntur, obmutescent. & contemptus omnis in iustū uirum habitus uindicabitur. *Quoniam magna multitudo bonitatis tuæ Domine*. Hæc (inquit) oraui, ut scilicet illucesceret facies tua super seruum tuum, & tua misericordia seruarer, ne confunderer, quoniam inuocaui te, planè compertum habens ingentem, ineffabilem, & magnis diuitiis refertam esse bonitatem tuam. Vnde & apud Apostolum dictum est. An diuitias bonitatis eius, & patientiam longanimitatis contemnis? Atqui modo non omnibus bonitatem tuam perspectam facis, sed illam reponis, teque timentibus repositam custodis: nam illam ad hoc parasti, ut eam in te sperantibus conferres: Siquidem, & eandem, opportunè coram filiis hominum, & palàm exhibebis, ut quo tempore bonorum præmia iustis impenders, bonitatem tuam omnes intueantur. In hac uerò uita cum superueniunt tentationes addictas tibi animas protectione tua dignatus abscondis, nec permittis eas ab iis perturbari, qui tum factis, tum uerbis eas oppugnare nituntur. Rom. 2.

DIDYMI. Non omnino bonitatem suam Deus abscondit timentibus se (nam modo magnam partem illius intuentur; Sed copiam, & multitudinem, & affluentiam abscondit, ne aliqua in parte lædantur: quare aptè dixit, *timentibus te*. His enim illam asseruat mox manifestaturus, cum perfecta charitate concepta timorem foras emiserint. Ea uerò, quæ abscondisti timentibus te, iam facto & re ipsa illis aperuisti, qui spem timore maiorem habent. *In conspectu filiorum hominum*.

NICEPHORI. *Dixi, tu es Deus meus*. Qui mihi s. robur, & uirtutem præstas. Ita enim sibi uult hoc in loco dictio illa, *Deus*. Verum tu ut lubet, (inquit) omnia, quæ ad me pertinent dispensato. *In manibus tuis sortes meæ*. Mortis nimirum; & uitæ meæ. *Quæ loquuntur aduersus iustum*. Iustum se ipsum appellat, eò quod hostes suos nunquam affecerit iniuria. Iniquitatem uerò intelligit eorum consilium, quo filium aduersus patrem irritabant. *In superbia*, hoc addit, quia iactitabat Achitophel nocte illa se impetum facturos, & intercepturos Dauid, ut habetur libro Regum. *In despectione*. Similiter quia opprobrio, & contumelia ipsum afficerat. *Quam abscondisti*. Quam ad tempus seruis tuis asseruas, ut illorum patientiam exerceas. *Perfecisti*

cisti eis, qui sperant in te. Impleuisti, & manifestam fecisti iis, qui sperant in te. siquidem notum eis facere uoluisti coràm multis, ut discant quod tuos protegis.

THEODORETI. *Eripe me*. Ostendit liberationis modum. *Ostende faciem tuam*. Nã ubi facies tua illuxerit, continuò tristia quæq; soluentur. *Domine non confundar*. Et hinc addiscimus multum esse discriminis inter peccatum, & impietatem, propterea & magnus Dauid postulat se quidem ab ignominia quam ob peccatum concepit liberari, impios uerò cum dedecore

2.Reg.17. morte affici. *Muta fiant labia dolosa*. Hoc loco Achitophelis mortem prædicit, qui cum ipsius Dauid amicus, & consiliarius esset, ueterem aperuit fraudem, & linguam contra eum, à quo nunquàm læsus fuerat, insidiosè mouit. Superbiam uerò, & contemptum aptè nominauit consilium illud, quoniam filium in cædem patris concitauit. *Quàm magna multitudo bonitatis tuæ Domine*. Rursus Hæc particula, *quàm*. Non comparando, sed amplificando posita est. Propterea Symmachus, & Aquila sic interpretati sunt. Quàm ingens est bonitas tua, quàm abscõdisti repositam timentibus te. Dictio autem hunc sensum habet. Domine (inquit) mercedem, ac præmia te timentibus abscondis, quæ cum multa sint & magna, & admirabilia, sudoribus, & laboribus comparanda proponis: Veruntamen nudis quoque præmia ueniunt, quod eos ad pugnam audaciores athletas facias. Hoc enim intulit, dicens. *Perfecisti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum*. Deinde prouidentiam quàm de illis habet, singulatim perstringit.

ORIGENIS. *In manibus tuis sortes meæ*. Sortes iustorum hominum sunt subministratę à sanctis Angelis diuinarum rerum obseruationes. *Et ex persequentibus me*. Fugite (inquit

1.Cor.6. Paulus) fornicationem: Quod si fornicatio persequitur, & adulterium, persequi dices, & auaritiam, & furorem, & iram.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ in perturbatione hominum.
Proteges eos in tabernaculo à contradictione linguarum.
Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam in ciuitate munita.
Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum.
Ideo exaudisti uocem orationis meæ dum clamarem ad te.
Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam ueritates exquirit Dominus, & tribuet abundanter facientibus superbiam.

THEODORETI. *Abscondes eos*. Satis est manifestatio tua, (hanc enim faciem uocat) ad eos ab omni perturbatione, & omni humana tempestate liberandos. & in mediis fluctibus captos, tanquàm tabernaculo quodam tectos abscondere. Hanc itidem prouidentiam ipse quoque dum Saul effugeret, expertus est: Nam cum in mediis periculis conclusus esset, salutem ac-

4.Reg.6. cepit. Sic & magnus Elisæus Syrios, qui eum circundederunt, offusa oculis eorum caligine, declinauit. Plura quoque eius generis in scriptura licet inuenire.

ATHANASII. Facies tua (inquit) tegumentum erit sperantibus in te, & tanquàm in tabernaculo proteges eos, ut neque uerborum conuiciis lædi, neque factorum insultibus capi queant.

DIDYMI. *In abscondito faciei tuæ*. Absconditam Dei faciẽ dices quod assequi cognitione non ualemus, quod tum manifestum fiet, cum sicuti est, intuebimur. Huic abscondito opponitur illud, quod à Paulo dicitur. Quod notum est Dei hoc est opificium, & prouidentia, ma-

Rom.1. nifestum est hominibus: Nam deinceps subiungitur: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Fortasse uerò & Saluator, cum sit facies Dei, omne illud, quod est propè diuinitatem, reconditum habet,

Ioan.1. Quod uerò prouidentia, & dispensatione assumpsi, manifestum tenet. Cum igitur uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, abscondimur in abscondito faciei eius, ipsam intuentes, quãdo uidebimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratia, & ueritate. Considera num manifesta diuinæ prouidentiæ opera facies ipsius nominare possimus: per ea siquidem Deum imaginamur. Absconditum uerò ipsius arcana uerba, per quæ fiunt omnia quæ in rerum natura producuntur, quæ in fine rerum intelligemus. Perturbationes uerò sunt homines, qui humana dogmata suscitant, qui instabiles homines perturbant: Sed ab huiusmodi turbatione Deus in se sperantes eripit, & in abscondito faciei suæ omnibus supradictis modis abscondit. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum*. Qui in uia Dei proficit, Deo protegente se opus habet, ut falsos sermones, quos linguas nominauit, declinare ualeat. At illi qui perfectus est, & ueritatem ipsam intelligit, & ab omni progressu abest, dictum est illud.

ud. Vox omnis, quę aduerſus te in iudicium conſurget, abs te ſuperabitur.

ORIGENIS. Quemadmodum facies Dei abſcondit animam in agendo ab hominum perturbatione quietem ab affectibus impertiens, ſic tabernaculum mentem per agnitionem ueritatis ſeruat à contrariis ſermonibus, & dogmatibus falſis. *Locus deprauatus eſt.*

NICEPHORI. *Abſcondes eos.* Vel qui ſperant in te, in abſcondito loco, ſcilicet faciei tuæ, uel, in te, per circunloquutionem loquens, & non inuenient ipſum inimici eius. *A perturbatione hominum.* In tempore perturbationis, uel contentionis. *A contradictione linguarum.* Hoc eſt à contradictione populi, per linguam enim ipſos loquentes, & per contradictionem ſubditorum inhobedientiam intelligit, proteges ipſos tanquàm in tentorio.

EVSEBII. *Benedictus Deus.* Cum Deum his uerbis per confeſsionem interpellaſſet optimo fine orationem concludit benedicens Deo, quod miſericordiam ſuam effecerit in ciuitate munita. Quod Symmachus ita interpretatus eſt. Benedictus Dominus, qui oſtendit miſericordiam ſuam mihi tanquàm in ciuitate munita. Per me namq; (ait) Deus glorificatus eſt. Quoniam ſeruauit me ab oppugnantibus, & animam meam tanquàm muro munitam tutatus eſt. Talis ipſe mihi Deus factus es, cum ego in exceſſu, qui mihi accidit, depreſſus iacerem, in quo turbatus eſt in furore oculus meus, & uenter meus. Cæterum non ſum confractus, ſed me ipſum humiliabam tanquàm propter peccatum meum ab oculis tuis proiectus eſſem. Sed tu iuxta promiſsionem dicentem: quotieſcunque ingemuerit peccator, ſaluus fiet, *Luc. 15.* ſeruum tuum minimè proieciſti, & hæc dicentem exaudiſti, & propterea miram mihi oſtendiſti miſericordiam tuam in ciuitate munita.

ATHANASII. *Benedictus Dominus.* Per me (inquit) Deus glorificetur, quoniam obſidentibus me hoſtibus innumerabilibus, & tanquàm magnam urbem animam meam expugnare tentantibus, qui mei cuſtos eſt Deus, uallo quodam me circundans admirabilē eius in me miſericordiam oſtendit.

DIDYMI. Non tam admiranda eſt miſericordia Dei in ciuitatibus immunitis, & mœnibus ſpoliatis, quàm in munitis, & propugnaculis, muriſque præcinctis, cum qui ex grauiori afflictione erepti ſunt, Deum benedictum eſſe multo magis fateantur, ac prædicent. *Ego autem dixi in exceſſu meo.* Extaſis hoc in loco non mentis alienationem, ſed admirationem cum ſtupore ſignificat. Quod autem dicit, huiuſmodi eſt. In exceſſu, hoc eſt ſtupore affectus dixi. *Proiectus ſum à facie oculorū tuorū.* Hoc eſt ab inſpectionis, & gubernationis tuæ potentia procul me abeſſe exiſtimaui: Et quoniam ſic affectus oraui, ne proiectus manerem, ſed facies oculorum tuorum mihi illuceſceret, ideo dum ad te clamarem exaudiſti uocem orationis meæ.

ORIGENIS. *In ciuitate munita.* Anima ab affectibus libera ciuitas eſt communita, cuius murum deiicientes hoſtes unà cum Berſabee impetum fecerunt in Dauid. Quare orat in quinquageſimo Pſalmo, ut ædificentur muri Hieruſalem.

THEODORETI. *Benedictus Deus.* Hoc Symmachus ita uertit. Benedictus Dominus, qui mihi miſericordiam ſuam illuſtrauit tanquàm in ciuitate munita. Ita enim (inquit) me benignitate ſua circundauit, & communiuit, quemadmodum ciues cum ab hoſtium telis, & inſultibus ualido aggere obſeſſam urbem circumuallare ſolent. Ego uero (ait) exiſtimabam, cum in peccatum incidiſſem longè abeſſe à prouidentia tua, uerum quę tua benignitas eſt, humiles ſermones meos audiens precantem me, ac ſupplicantem minimè deſpexiſti. Exceſſum uero peccatum meritò nominauit: Nam dum uirtutis uiam incederet, deſtitit quidem ab illa, & aberrauit, peccauit autem, & in crudeles latrones incidit. Et hoc ipſum Dauid præſtantiam declarat: Siquidem non conſueuerat peccare. Sed cum aliquantum à ſuo inſtituto aberraſſet, lapſum illum paſſus eſt. Hinc ſermonem in exhortationem uertit, ex rebus, quæ illi euenerunt diuinam prouidentiam & benignitatem oſtendens. *Diligite Dominum.* Decet (inquit) uos omnes quotquot uiam Dei ingreſsi eſtis, ut uniuerſorum opificem, & moderatorem ex animo diligatis, is enim ueritate tanquàm regula quadam utitur, & nimium ſuperbientes, & ſe efferentes ſuppliciis plectit. Non enim ſimpliciter dixit, *facientibus ſuperbiam*, ſed *abundanter facientibus ſuperbiam*: Satis eſt hoc ad diuinam bonitatem indicandam: nam eos ſuſtinet, qui utcunque faſtu & ſuperbia quadam efferuntur. At nimium ſuperbientes, effetacoſque, & inſatiabiles merita pœna proſequitur. Hæc igitur uos, qui præſen-

tes

tis uitæ pelagus nauigatis, cognoſcentes armate animas ueſtras fortitudine gubernatoris nutibus obtemperantes: Illuc enim deferemini, quo ille dirigit. Cæterum & nobis quoq; huiuſmodi admonitio conuenit, qui per ſpem conſolationem habemus.

NICEPHORI. *Quoniam mirificauit miſericordiam.* Illuſtrem & miram fecit in me miſericordiam ſuam, ita ut ciuitas benè munita appellari poſſim. *In exceſſu.* Extaſim tranſgreſſionem, & à recta uia mandatorum Dei auerſionem intelligit. *Propterea exaudi uocem.* Ob pœnitentiam, & contritionem meam exaudiſti me clamantem ad te, propterea quod me ob peccatum ab illuſtratione tuæ inſpectionis proiectum putabam. *Quoniam ueritates requirit.* Veras ſcilicet dilectiones, atque ex corde. *Et tribuet:* Nam cum iis, qui ſimpliciter efferuntur, Deus longanimis eſt.

EVSEBII. *Diligite Dominum.* Ob ea, quibus auctus eſt, beneficia, cum non ipſe ſolus ſalutem conſequi, ſed eandem ſibi cum multis communem eſſe optaret, omnes ingenti uoce hortatur, ut Deum diligant, & nihil aliud agant, quàm ut ſe totos in Dei amorem profundant, idq; non fucatè, aut fictè, ſed uerè purè, & ex animo faciant. ideo infert, *Quoniam ueritates exquirit Dominus.* Oportet autem (inquit) uos quotquot Deo dicati eſtis, perſuaſos eſſe iuſti iudicii Dei tempus aliquando forè, in quo prçmia eorum, quæ in uita committunt, qui Deũ non nouerunt, nec modeſtè, ſed arroganter, & inſolenter ſe gerunt, retribuet, quos non oportet ut illi permiteſcant qui finem eorum intuentur, quin potius decet uiriliter agere, & cogitationes illas confirmare, quæ mentis conſtantiam, & firmitatem pariunt. & ſpem in Domino collocare.

DIDYMI. *Quoniam ueritates exquirit Dominus.* quanuis una ſit ueritas, quæ dicit
Ioan.14. Ego ſum ueritas: multę ſunt tamen ueritates illis, qui huius unius participes ſunt: Nam quælibet anima ueritatem habet in eam formam, quàm ex unigeniti ueritate ſuſcepit. quoniam ergo has omnes ueritates exquirit Dominus, uult, ut qui illas habent, honorentur. quiamobrem ſancti eius illum quærite, non alioqui ſine mercede morituri in ueritate, quàm habetis.

ORIGENIS. *Quoniam ueritates exquirit.* Veritates, pro uero poſuit. Verum autem os.i.mentem, implebit riſu .i. cognitione.

PSALMVS

PSALMVS IPSI DAVID INTELLIGENTIAE.

PSALMVS. XXXI.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.
Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in ore eius dolus.
Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.
Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in erumna mea dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abscondi.
Dixi, annunciabo aduersum me iniustitiam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.



THANASII. Aerumnas, & calamitates multas, quas in agenda pœnitentia tulit proponens Dauid, beatos illos appellat, qui per lauacrum regenerationis peccatorum ueniam consequuti sunt. Inscribitur uerò Psalmus INTELLIGENTIAE, propterea quod ea maximè indigent homines: nam affectibus plus æquo feruntur, equis & mulis, in quibus non est intellectus, similes fiunt.

DIDYMI. Ad intelligentiam hortatur, cum multa sint in Psalmo arcana, & occulta.

EVSEBII. Cum se ipsum Dauid ob patrata scelera grauiter afflixisset, ac in quibus ipse sibi obsequutus fuerat, anxius Dei iudiciū formidaret trigesimi psalmi uoces emisit: Deinde cum spiritu sancto, ac prophetica uirtute sciret propter aduētum & clementiam Saluatoris per lauacrum regenerationis omnibus quamlibet impiis, quālibet sceleratis remissionem peccatorum affuturam, beatos huiusmodi homines hoc Psalmo prædicat, qui prædictam remissionem consequentur.

THEODORETI. Eundem cum superiori sensum habet hic Psalmus: nam post peccatū in afflictionibus, & calamitatibus constitutus ipse Dauid hunc Psalmum edidit. Cæterum cum gratiam nouæ legis propheticis oculis præuidisset, & remissionem, quæ per sacrum baptisma credentibus erat suppeditanda, eos dicit beatos, ut qui sine labore peccatorum remissionem accepturi erant. & ita exordiens in hæc uerba prorumpit.

HESYCHII. Dauid etiam contemptionem sonat, & secundum hanc interpretatiō ad eos, qui peccauerunt, refertur, qui ad cor, & intellectum uenientes & resipiscentes conuertuntur.

DIDYMI. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Iniquitates, & peccata distingunt, aliqui, ut iniquitates dicant eorum esse, qui nullam habent legem: Peccata uerò, quæ legis transgressione committuntur. Beati ergò quorum remittuntur iniquitates, qui nuper ad diuinam legem accesserunt: Beati quoque quorum tecta sunt peccata, qui legi obtemperantes, quamprimum pœnitentiam agunt. atque in iniquitates remissio, in peccatis obtectio dicitur: Siquidem cum iniquitates extra legem fiunt, ueniam consequuntur, peccata uero non item omnibus dimittuntur, sed sola charitate obumbrantur. Charitas .n. operit multitudinem peccatorum. 1.Par. 4. Sunt nonnulli qui priorem partem uersiculi ad eos referunt, qui lauacrum in remissionem peccatorum acceperunt, posteriorem uero ad illos, qui peccata per pœnitentiam obtegerunt. Sunt etiam qui remissionem ad gentes quæ in Christum crediderunt, obtectionem uerò ad Iudæos qui Saluatori adhæserunt, referenda putent.

THEODORETI. Cum ergo in squallore, ac luctu ob peccatum penè totus in lachrymas abierim, & in multas inde miserias & ęrumnas inciderim, beatos ac fęlices illos prædico, qui citra laborem ueniā & Domini benignitatem consequuti sunt: Siquidem erga illos tali utitur benignitate, ut non modo remittat, uerum etiam obliteret peccata, ut ne peccati uestigia quidem ulla reliqua sint.

DIDYMI. Qui peccati expers est, non homo simpliciter, sed uir, propter excellentiam,

& præstantiam appellatur, ita Deus non imputat peccatum, uel dum illud aufert, uel cum planè admissum non fuerit: Hoc enim in primis Christo congruet iuxta dispensationem: dupliciter quoque est aliquem dolum non habere, uel quod abiecerit, uel quod nunquàm habere cæperit.

EVSEBII. *Beati, quorum re missæ sunt iniquitates.* Hæc in uniuersum de omnibus dicta sunt, qui meritò charitatis peccatorum remissionem accepturi sunt: Quæ uerò adiecta sunt, scilicet. *Beatus, cui non imputauit Dominus peccatum.* quomodo remittatur, ostendunt: Innuit enim fieri non posse, ut peccatum semel factum, non factum sit, sed ne Dominum quidem penes quem potestas est solo uerbo imputare, uel non imputare delinquenti quod peccatum est, id præstare posse, sed bene concedere, ut remissio fiat. Et quoniam quicunque ad donum per baptismum concessum accedunt, alacri erga Saluatorem confessione ac fide in Deum uniuersorum, ac per puram confessionem, ueniam consequuntur, aptissimè sermo apposuit illud. *Nec est in ore eius dolus*, uel, *in spiritu eius dolus*. Vtrumq; enim in lectione agnoscitur. Hic nanq; beatus est, qui spiritu puro, & corde ueraci confessionem facit, & uoces in lauacro regenerationis emittit. Si uero in ore aut in spiritu & anima eius dolus inueniatur, qui se ipsum abiecerit, quò minus peccatorum ueniam acciperet, adhuc mala sua grauiore sibi ira in die iræ collecta, cumulabit.

ORIGENIS. Remittuntur iniquitates per sanctum baptismum, occultantur peccata, per amaram peccati pœnitentiam.

EVSEBII. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Diapsalma. Illi quidem beati sunt, quos spiritu noscens beatos prædicaui. Ego uero clamoribus, ac confessionibus ad Deum insistens defessus sum, & silui. Prò quo Symmachus, absilui, Theodotio, laboraui, interpretati sunt. Prò eo uero, *dum clamarem.* Symmachus uertit, dum lugerem tota die. Inueterauerunt autem ossa illius graui afflictione contrita, quæ illum in confessione inuasit, in qua uirtutes & facultates animi, quę ossa nominantur, afflixit. Vnde secundum Aquilam dictū est. Quoniam obmutui, contrita sunt ossa mea in rugitu meo. Sed iuxta Symmachum. Quoniam absilui inueterauerunt ossa mea, dum lugerem tota die. Neque per mensem tantum, sed omnibus diebus ipsum afflixit, ac edomuit, purgans, & illustrans animam suam ab inhærenti peccato.

Credo alterius interpretatis esse uerba hæc.

NICEPHORI. *Beati quorum remissæ sunt.* Beatos illos dico, quibus absque ullo labore contigit propria peccata per lauacrum regenerationis abluere. *Nec est in ore eius dolus*, nec post baptismum mentitus est, aut uiolauit pacta, quæ habet cum Deo: Dolum enim hoc in loco pro mendacio accipimus. *Quoniam tacui.* Quoniam non statim a peccato illud inuulgaui, sed alterius reprehensionem expectaui, præ clamore & planctu debilitata est uirtus mea. *Quoniam die ac nocte.* Quia omnino grauiter in me ultio incubuit tua, & quoniam non illico me non pœnituit, *conuersus sum*, in miseriam.

DIDYMI. Vel sic. Luce tua illustratus in die uitam agebam semper in hymnis, & orationibus uersans, ubi uerò ab huiusmodi clamore desistens, per ignauiam silui, inueterauerunt fortia atque robusta dogmata mea, quæ ossa dicuntur. Indicant uero hæc loquentis mutationem, cum ossa illius, quæ uetera natura non erant inueterauerint.

THEODORETI. Cum graue illud scelus admisisset, non statim ad pœnitentiæ remedium accurrit, sed cæpit resipiscere, postquàm fuit à Propheta Nathan commonitus, & reprehẽsus. Hoc igitur hic exclamat, quod accepto uulnere, non statim medicum accersiui, nec uulnus ostendi, sed conticui quęrens illud occultare: Ideo ut Deus me exaudiret, inclamando, & peccatum accusando consensi.

ATHANASII. Tacui non ualens amplius uocem emittere: *dum clamarem.* Quid clamauit, nisi ueniam peccati postulans? *Grauata est super me.* Tu uerò cum bonus sis, ut me ad salutem reuocares, grauiter, & acerbè me tua disciplina erudisti.

DIDYMI. *Grauata est super me manus tua.* Sæpe dictum est Dei potentiam, qua plectimur manum illius in scripturis appellari. Hanc igitur Dies ac noctes, hoc est, assiduo iniectam sibi esse ob suam in deterius mutationem dicit. *Mea dum configitur spina.* Sollicitudines uitę, uoluptates, & illecebras huius seculi spinas Saluator interpretatus est. Cum igitur huiusmodi spina alicui infixa fuerit, is statim in ęrumnas, & miserias ob huiusmodi mutationem ac conuersionem prolapsus, cum natura non sit, miser efficitur. Dixit infelicem, & miserabilem significat: At spinam quidem non natura infigi ostendit, sed exterius ingredi. Ab hac ergo (ait) stimulatus in ęrumnam conuersus sum,

idque

idque pœnitentia, & animaduersione Domini erudiente. Quem enim diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem suscipit, porrò quæ Dauid propter peccatum mala tulerit, ex libris Regum didicimus, dum ob priorem illius iustitiam à Domino erudiretur, ut à peccato illo, & supplicio sibi peccati causa illato liberatus in pristinam sanitatem restitueretur. Prou.3.

THEODORETI. *Quoniam die ac nocte grauata est.* Cum autem corruptionibus, & supplicijs afflictus, & perculsus essem, in luctu, & mærore positus, obsecro, & supplicationes affero: Nam illud: *Grauata est super me manus tua.* Ex similitudine translatum est ab iis, qui mami uerberant, & uerberando diutius, & grauius perseuerant. *Conuersus sum in ærumna mea.* Non iniusta (inquit) correptio tua est, sed admodum iusta: quamuis acris & amara sit. Nam ærumnarum mearum causa, & origo nulla alia fit præter peccatum, quod cum suauitate tanquàm tiuam produxi, ab ea tamen semper pungor. Spinam enim peccatum nominaui, tanquàm germen inutile, & ad pungendum natum. *Delictum meum cognitum tibi feci.* Cū primum peccaui, tacui, uerum postea dies noctesq; me ipsum accusaui. ex accusatione autem magnos fructus percepi: nam peccatorum ueniam mihi elargitus es. Animaduertendum est, quod non dixit, Remisisti mihi peccatum, sed impietatem peccati: Hoc est, non me prò grauitate transgressionis supplicio affecisti: nam excessum peccati condonasti, uerum cum temperamento correctionis remedium attulisti. Nam dicenti Dauid: peccaui Domino, Respondit Natham: Et Dominus quoque abstulit peccatum tuum, non morieris. Illi enim comminatus fuerat se domum illius omni calamitatum genere impleturum: quod & modò ait: Debebas me ex lege morte mulctare, sed moderatè me tantum corripuisti. 2.Reg.12.

DIDYMI. *Delictum meum cognitum tibi feci.* Quatenus quis peccatum facere quærit, id ipsum tegit, ac celat; sed qui peccatum odio prosequitur, manifestum illud facit, ac prodit, & ei detegit confitendo, qui mederi possit: Nec solum peccatum detegit, sed affinem illi iniquitatem reuelat. Est enim iniquitas peccati species, nam quilibet iniquus peccat, cum non omnis, qui peccat iniquè agat. Hoc à simili ostendi potest per illud, quod dicitur. Omnis qui facit peccatum: & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Vt uerò quod expertus sum loquar, pro eo, quod admissam iniquitatem contra me prodidi, plusquàm petii, consequutus sum: non enim tantum eam, sed iniquitatem Deus condonauit. Porrò iniquitas cordis esse potest illa animi offensio, quæ ad prouidentiam Dei ex rerum (ut uidetur) inæqualitate pluribus adhæret. 1.Ioan.3.

EVSEBII. *Et tu remisisti impietatem cordis mei.* Aliqui non ita legunt, sed impietatem peccati mei tradiderunt, pro quo Symmachus accuratè magis interpretatus est, dicens: Vt ipse auferas iniquitatem meam: Hæc enim (ait) & illa feci, ut sic mihi orandum fuerit: non enim tanquàm iam remissionem consequutus hæc dixit, sed ut qui omnia faceret, ut eam consequeretur. Hanc Symmachi interpretationem ratio quoque consequitur: Nam si illos beatos prædicauit, quorum remissæ sunt iniquitates, quomodo ipse nondum remissionem consequutus hæc dicere potuisset? *Et tu remisisti impietatem peccati mei?* Quamobrem ex Symmachi sententia melius arbitror dictum esse. Vt ipse auferat iniquitatem peccati mei.

ATHANASII. *Delictum meum cognitum tibi feci.* Modum confessionis ostendit.

ORIGENIS. Iustus in principio sermonis accusator est sui.

NICEPHORI. Quanquàm spontè non sum detestatus peccatum meum, sed cum à Natham reprehensus fui, indicaui tamen statim delictum meum & non negaui. *Et tu remisisti.* Nullas ego sum ueritus à Deo latas leges de adulterio, & homicidio, sed tu hanc impietatem condonasti, nec me morte damnasti, sed ita instruxisti tanquàm si non nimis grauiter deliquissem. Prouer.18.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Verum in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me, exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in uia hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus.

In camo & freno maxillas eorum constringes, qui non approximant ad te.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

DIDYMI. *Pro hac orabit* Cum dixerit, *Tu remisisti impietatem cordis mei*, innuit impietatem, quæ corde committitur: nam etsi sancti ab iniquitate, quæ opere fit, puros se exhibeant, sæpe tamen cogitationes ex prædicta cordis impietate pollutas habent, qui tametsi non orent pro iniquitate, quam non habent, rogant tamen pro impietate ueniam sibi dari opportuno tempore postulantes. Opportunum uero tempus orandi pro prædicta remissione tunc est, cum quis à turpibus & sordibus actionibus se purgauerit, & quemadmodum qui uulneribus plenus est, ipsemet prò curatione medicum non accersit, ita nec prò puritate consequenda orat, qui turpibus actionibus insistit.

THEODORETI. Tempus opportunum uocat noui testamenti statum, in quo terra marique quotquot crediderunt, Dauidis his hymnis Deum laudant. Hæc igitur hoc loco uaticinatus inquit: Non ego solus te Domine prò hac impietate deprecabor, sed omnes, qui per orbem uniuersum diuinæ cognitionis participes fient, has prò me tibi preces afferent. Nos enim quodammodo ipsius Dauid uerba loquentes linguam eius assumere, ac Deum laudare uidemur.

ATHANASII. Quoniam mihi (inquit) omne peccatum condonasti ad te orabit omnis sanctus. Duo uero per hæc uerba significat: Vel omnibus pænitentiæ exemplar ero, uel figuratè ex persona ipsius David affirmat omnes gentes prò delicto eius suis temporibus confessum iri.

EVSEBII. *pro hac orabit*, Propterea sanctus omnis exemplo sumpto ex iis quæ mihi euenerunt, alacriter & fidenter ad te orabit, cum ad meæ similem orationem occasio illum adegerit. Cum uero is ad exemplum meum preces fuderit, tum illum exaudies, & orientem abs te salutem illi imperties ut nil prorsus lędatur, ut cunque inundantes aquę plurimæ in illum irrumpant. Nam uelut is qui domum suam super petram ædificauerit, ac spem in te suam magno Saluatore posuerit illæsus & stabilis consistet, nam tua custodia cōmunitum, nusquam attingere sed nec impius ad eum accedere poterunt. Atque hunc sensum Symmachi interpretatio attulit, quæ ait. prò hoc orabit omnis sanctus, prò id orabit omnis sanctus occasionem nactus ne alluentes aquæ multæ eidem appropinquent. Si uero iuxta septuaginta dicatur. *prò hac orabit omnis sanctus*. dicemus: prò hac remissione scilicet, quæ facta est mihi: Etenim ob tuam misericordiam & humanitatem mihi exhibitam, omnis sanctus bonam spem concipiet se abs te similia con sequuturum: si quando illi tanquam homini carne circunuestito eiusmodi lapsus accidat, ut tua confessione ac deprecatione indigeat.

NICEPHORI. *pro hac orabit*. pius quilibet Dei cultor ab hac impietate mihi remissa in stinctus non negliget, sed te hortabitur in tempore pœnitentiæ: Quoniam impium nulla contingit pœnitentia. Aut forte hoc dicit. Quod scilicet omnibus exemplum erit pœnitentię, aut demum prophetico afflatu inquit ab hominibus uenturis hunc psalmum decantandum fore, & quasi dicat, ut pro peccato suo confessio, & deprecatio habeatur.

DIDYMI. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum* Cum uenit spiritalium aquarum inundatio, dum quidam in eo fontem aquæ salientis in uitam ęternam continebit, tum aquis omnia peccata, & iniquitatem cordis, quæ in ipsis est abolentibus, impietas & iniquitas non appropinquabunt ei, qui prò ipsis precatus est.

THEODORETI. Hoc autem Symmachus sic interpretatus est. Prò hac orabit omnis sanctus, occasionem nactus ne aquæ multæ inundantes eidem appropinquent.

ATHANASII. Pænitentiam agentem tentationum multitudo non obruet.

THEODORETI. Qui sedulo ad te orauerit, quodlibet prouidentiæ tuæ genus assequetur, ut quāuis in uarias calamitates ipsum uelut aqua obruentes incidat, eas tamen enatet & tempestatibus quibusque fortior ostendatur.

NICEPHORI. *Veruntamen in diluuio* illud πλὴν quod Veruntamen, uertunt, prò & positum est. Inquit enim: & in inundatione aquarum multarum non approximabunt ad tentationes ita ut obruaris: Procul enim turbabunt, & terrebunt.

THEODORETI. *Tu es refugium meum* Cum illa prò peccato dixisset, supplex orat, ut à malis, quæ illi propter peccatum euenere, prorsus liberetur, atque ita orat, ut responsum à Deo consequatur.

DIDYMI. Qui hic loquitur à circunstante tribulatione non aliunde liberari se iudicat nisi ad Christum confugiat. *Exultatio mea*. Quemadmodum iustitia & sapientia ita innocentis

nocentis IESVS est exultatio. Ait ergo illi, tanquàm exultatio nostra eripe me à persequentibus me, (persequuntur enim me Dæmones exitiales, & homines flagitiosi) te enim liberante nihil patiar detrimenti.

THEODORETI. *Intellectum tibi dabo.* Te (inquit Dominus respondendo) qui à recta' declinasti, & errorē agnouisti, iterum in rectam reducam, & eius cognitionem & scientiam tibi dabo & in pristinam beneuolentiam recipiam, eandem tibi impertiens: hoc nanque dixit: *Firmabo super te oculos meos*, Ex translatione sumpta ab iis, qui erga aliquem benè affecti sunt, & in eum intueri continenter uolunt: Nam ut irati faciem auertere uidentur, ita beneuolentia faciem conuertendo declaratur, propterea & alibi Propheta dicit: Respice in me, & miserere mei, & rursus: Ne auertas faciem tuam à me. & ipse Deus per uatem Ieremiam dicit. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Psal. 24. Psa. 87. 1. Ier. 15. Isa. 58.

EVSEBII. *Intellectum tibi dabo,* Quod per prophetam dicitur, Adhuc te loquente dicam: Ecce adsum: Nunc Dauid à Deo audiuit, & in se perfectum sensit: quamobrem orantem illum, & supplicantem spiritus sanctus responso dignatur, iubetque bono animo esse. *Ego enim (inquit) intellectum tibi dabo, & instruam te.* prò quo Aquila uertit: Scientem te faciam, & illuminabo in uia hac, qua gradieris. Symmachus uerò, intelligentem te faciam, & illuminabo in uia hac qua gradieris. Pollicetur enim se ostensurum eum qui dicit. Ego sum uia? Fuit autem hoc uerbum Dei ad beatissimum, & felicissimum finem, Patrem scilicet eos adducens, qui in eo ambulant. prò; *Firmabo super te oculos meos*, Symmachus ait, consilium capiam de te ab oculo meo: Nam cum oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, iure tam ingenti fulgore præditum dignatur oculo suo, ut claritate, quæ à diuino oculo emicat, animo illuminatus uiam sibi promissam agnoscat. propterea oculi Dei non super omnes, sed super iustos tantum esse dicuntur, siquidem ab impiis oculos suos auertit. Isa. 58. Ioan 14. Psal. 33.

NICEPHORI. *Intellectum tibi dabo,* Verba hæc ex persona Dei proferenda sunt, ego te prudentem faciam, ut inimicorum superior euadas, & comes ero in hoc itinere quo ad bellum accingaris. *Nolite fieri sicut equus & mulus,* Sermo est ipsius Dauid. Hortatur enim, & admonet, ne uelimus amore mulierum furere uelut infrenes equi, nec ad uirtutem instructiores fieri, ut muli. *In camo & freno,* in eos inuehitur, & mala imprecatur, qui irrationalium huiusmodi animalium instar procul absunt à Deo. Vrgeas (inquit) domesque ac premas eorum hominum maxillas, qui per uirtutum semitas ad te propius non accedunt. *Lætamini in Domino:* non de uirtutibus uestris, quoniam infirmæ sunt, nisi à Deo fulciantur.

ATHANASII. *Intellectum tibi dabo,* Petenti liberationem ab inimicis respondet Deus promittens se illi in uia recta' ducem futurum. *Nolite fieri.* Hortatur peccantes ne se efferatis & belluinis moribus dedant. *In camo & freno,* sermo est ad Dominum, hoc autem ait: Nolentes pœnitere, ad te quasi freno aliquo conuertere.

THEODORETI. *Nolite fieri sicut equus & mulus,* Hinc Prophetæ sermo impios monet ne ferinam uitam ab omni prorsus ratione alienam imitentur iustos uerò, ut diuinum gaudium semper habeant. Ego quidem uos commonefacio, ne istorum feritatem æmulemini. quod si nō obtemperatis frenum, & camum illorum more accipietis. Porrò per hæc flagella ostendit, & ideo dicit. Multa flagella peccatoris.

DIDYMI. *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Ne quod cum ratione agitis abiicientes amissa ratione cadatis, & equis libidine furentibus, & obstinatis mulis similes efficiamini: intellectum enim non habentium talis impetus est. *In camo & freno,* Propheta Deum alloquitur dicens eos, qui equi propter libidinem, & muli propter duritiem oris facti sunt, in freno, hoc est, in sermone tuo, & camo, hoc est, conuenienti adhortatione cohibeto, *& maxillas eorum constringe*, domans, & trahens freno tuo, ut illos iugo tuo submittas. Alii sponte parentes, & animo libero, ac prōpto obedientes ad Deum accedunt, Alii, quales sunt quos diximus, tanquàm equus & mulus ratione abiecta prædicta domitoris necessitate, ad te ducentur. Hoc dicit. *Multa flagella peccatoris.*

THEODORETI. *Sperantes autem in Domino misericordia circundabit*, Omnes utcunque maximè uirtutis actionibus honestentur, diuina gratia egent. Vnde Diuus Apostolus clamat, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis: Donum enim Dei est. *Lætamini in Domino.* Nemo ergò propter rectè facta, & uirtutes suas lætetur, sed in Deo exultate, & inde uoluptatem capiat: quod Apostolicis uerbis congruit, qui gloriatur, in Domino glorietur: & qui stat, uideat ne cadat, propterea docet nos spiritu humilitatis erudire. Considerans (ait) te ipsum ne tenteris. 2. Cor. 1. 1. Cor. 10.

EVSEBII. Cum sermo responsum oranti præscripsisset, & prædicta prænunciasset, ad uniuersum hominum genus transit propter excellentem benignitatem uolens omnes saluos fieri. Sed & ipse Dauid peracta confessione sua, cum optimo responso, & promissione dignus factus fuisset, ingenti gaudio affectus, cæteris hominibus, quæ illis usui futura sunt, proponit. *Lætamini in Domino*. Quemadmodum sinistrum peccatorum agmen, quæ illi imminerent, admonuit, exemplum se præbens, qui à peccato conuertuntur, sic dextro iustorum ordini, quæ illi con ueniunt, prenunciat, hortans eos, ne ulla huiusmodi prosperitate lætentur, sed in Domino multum glorientur, in eoq; solo oblectentur, tantoque bono gaudeant, & exultent: Nam qui gloria tur, iuxta illud Apostoli, in Domino glorietur. Hoc ergò in loco aptè totius orationis conclusio obsignatur. *Et gloriamini in ipso omnes recti corde*. Non.n.in uobis ipsis multum afferri, sed in Domino ipso decet, qui uirtutis au&or nobis factus est.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS. XXXII.

Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.
Confitemini Domino in cythera in psalterio chordarum psallite ei.



NCERTI. Cantari præsentem Psalmum dicimus ex persona Dauid in honorem & gloriã Christi omnium nostrũ Saluatoris, qui et Dauid nominatur. quoniã ex sanguine Iesse & Dauid originẽ secũ dũ carnẽ duxit. Continet aũt propositi cantici uirtus primũ quidem prouocationem, & adhortationẽ quandã factã uiris sanctis, ut Deũ glorificẽt, & eidẽ gratias agãt, qui seruauit, & instaurauit oĩa in Christo, quę in cœlis, quęq; in terra sunt: qui nos oẽs à diaboli feritate, & Dæmonũ fraudibus subditos exenit. Post hæc inducitur sermo doctrina & mysteriis plenus, quo addiscimus, quã inuictã manũ Christus habeat, quã ascensur eius & imperiũ in oẽs & eximia gloria & amplitudo cœlestis sit omnipo tens: Ipsum.n.opificẽ & auctorẽ ostendit: *Nã uerbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum*. Præter hoc ostendit, quod oĩa prospicit, & oculus eius quęcũq; in terra sunt, oĩa intuetur: circunspicit aũt & lustrat cuiuslibet uestigia: *Nã de cœlo (inquit) respexit Dominus, uidit omnes filios hominum*. Infert deniq; conclusionẽ tanquã utilem, & rem maximẽ necessariã propositæ huic sacræ, ac mysteriorum plenæ doctrinæ: Declarat.n.quã detrita, & flaccescẽs spes ea sit, quæ in hominibus collocatur, ac neminẽ in terris tanti esse dicit, ut se ipsum seruari possit, nisi Deus opem tulerit, qui adeo se diligentes afficit, ut quæ ipsius sunt continuò meditentur, & diuinos eius nutus consequi compelluntur, & in eo prorsus confidere, & sine ulla hæsitatione cognoscere eum esse, qui à periculis tentationũ eripiat, ac in se sperantes facillimẽ seruet: exordiẽs igitur canticum ait. *Exultate iusti*.

Eph. 1.

NICEPHORI. Apud Hebręos hic Psalmus inscriptione caret, & uidetur mihi ea cõtinere, quę sub Ezechia euenerunt, atq; hortari probos, & sanctos uiros, ut Deum laudent, quod Assyrios inuisibili modo destruxit. Potest & nihilominus & nobis omnibus accommodari.

THEODORETI. Explanantes hunc Psalmum septuaginta interpretes, dixerunt non esse quærendam tituli eius explicationem, cum nihil illi prænotatum sit. Cæterum Psalmus de iis editus est, quæ de præstantissimo Ezechia prædicantur. Fingitur autem tanquàm de Ezechia ipso, qui parta insigni uictoria fusis fugatisq; Assyrüs populum ad hymnos decantandos, & gratiarum laudes referendas inflammet.

THEODORI Antioch. Docet nihil præsentibus qualibet eximiis fortunę bonis fidedũ esse, sed auxiliũ Dei cũctis rebus prestãtius habendũ: Hoc.n.in Psalmis precipuè diligẽter oportet animaduertere, quod ab argumẽtis ad cohortationẽ, quæ nos ad benè uiuendũ erudiat, conuertitur. Cohortationem autem uariam, & utilitatem auditoribus astruit. Vnde necesse est ad Psalmorum intelligẽtiam rectè assequendam primum argumenta considerare, postea uero ad le gentium prouentum cætera perpendere, quæ in argumentis afferendis usus est.

Evsebii. Apud Hebræos, & reliquos interpretes psalmus hic prænotatione caret: est autem præcedenti perquàm similis: nam cum in fine illius dixisset, Lætamini in Domino, & exultate iusti, ferè principium huius, quem interpretamur auspicatus est dicens. *Exultate iusti in Domino*, Videntur autem mihi quæ in hoc psalmo proferuntur, ad eorum personam referri, de quibus in præcedenti dictum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: ita enim illis, qui salutari gratia peccatorum remissionem acceperunt, illud acclamatur. *Lætamini iusti in Domino*: neque enim uos decet in uobis ipsis, aut in mundanis rebus, sed in Domino fidentes ac ipsum colentes & in ipso gloriantes exultare: Vos inquam beatos quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, par est enim (inquit) rectos omnes Deum laudare. At secundum Aquilam: Rectis speciosa fit laudatio: Nam cum speciosa non sit laus in ore peccatoris, meritò puros animo & purgatos labiis decet collaudatio Dei.

Hesychii. Nomen Dauid dilectum sonat: est igitur psalmus dilecto sanctorum doctorum choro scriptus, reliqua uero sæpius dicta sunt. caret autem inscriptione: hanc uero differentiam in huiusmodi psalmis intelligimus, quod quæ in Euangeliis in Iudæos accusationem post sunt ostendere, quoniam decreuerunt, ut qui Christum confiteretur, à synagoga expelleretur, ea omnia deleuerunt, quare si aliquam inscriptionem intellexissent huiusmodi mysterii aliquod inditium exhibere, eam non admiserunt, sed psalmum sine titulo editum dixerunt. Eccl. 15.

Basilii. *Exultate iusti.* Vox exultationis scripturæ consueta hilarem ualde, & alacrem quandam animi cōstitutionem significat prò iis rebus, quæ meritò esse bono animo faciunt. Exultate ergo iusti in Domino: non quando rectè res cadunt, nec quando corpore ualetis, nec quando agri prouentus uberes ferunt, sed quando habetis Dominum, qui & tali pulchritudine, & tali bonitate ac sapientia præditus est, satis esto uobis, in eo lætari & sanè uidetur hoc in loco Propheta prò iucunda, & grata re aliqua lætitia, & gaudio affectus prò ea exultare: quare iustos excitat ad huiusmodi dignationis sensum habendum: nimirum quod talis Domini serui esse digni habiti sunt, & ad exultandum propter ipsius seruitutem cum inenarrabili gaudio ac exultantia cordis tanquam salientis ob diuinam afflationem dilectionis boni, si aliquando lux cordi tuo illapsa subità Dei notionē induxit, & animā tuā illustrauit, ut & Deū dilexeris, & mundū, & quę mūdi sunt oīa neglexeris. ex obscura ac tenui illa similitudine uniuersam iustorum conditionem agnosce, qui æquabiliter & nunquā cessantes in Deo planè lętantur: Raro enim exultatio illa tibi solet accidere, idque fit propter Dei dispensationem, ut per exiguum gustum te ducat in recordationem eorum, quibus priuatus es. At uerò iusto & sancto uiro satis est diuina, & cœlestis lætitia: propterea quòd semel in eo habitat spiritus, primus autē spiritus fructus, est dilectio. Exultate ergo iusti in Domino. Iustorum locus, & regio quædam est Dominus, in qua qui est, eum lętari necesse est, & exultare. Est etiam quod iustus Domino locus sit, cum eum accipit in se ipsum. At peccator diabolo locum dat, cum non obtemperat dicenti, Nolite locum dare diabolo. & Ecclesiastes. si spiritus potestatem habentis ascenderit super te locum tuum ne dimiseris. in ipso itaque Domino manentes, & quantum uobis fieri potest admiranda eius opera considerantes, ita ex speculatione cordibus nostris lætitiam accumulemus. Eph. 4. Eccl. 10.

Origenis. Si Dominus est sapientia nostra, iusti uero in Domino exultant, continuo sequitur ut iusti in sapientia exultent.

Didymi. Qui uitam cum honestate coniunctam ducunt, & uirtutem colunt, iusti sunt, qui exultant in Domino. Recti uerò quos decet laudatio, qui falsæ opinionis obliquitatem fugiunt: his enim congruit, ut Deum iugiter laudent, siquidem non est speciosa laus in ore peccatoris. Eccl. 15.

Theodori Antiocheni. Iustos hoc in loco non à uitæ honestate, sed à Dei cognitione Iudæos appellat. Cœterum cum dixisset, *exultate*, meritò addidit, *in Domino*, siquidem in humanis uiles, & pauperes erant, & Assyriorum rapinæ expositi, qui multitudine opibus, & belli experientia præstabant, illorum in Domino exultationem prædicit, cuius ope non bello, non militum expeditione, sed sola Dei cœde sublatis, salutem miraculo adepti sunt.

Cyrilli. Apertè uideas non boues, aut uictimas in sacrificium a sanctis requiri, multoque minus thure, aut suffitu eos uti oportere, sed magis collaudationes quæri, & quod est christianæ institutionis Symbolum hostias incruentas offerri: nam sacrificia in sanguine facta tunc respuere uisus est, cum dixit: Non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos: Psal. 49.

cos: Ad carmina igitur, & cantica hortatur dicens. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua.

THEODORETI. *Exultate iusti*, Sæpe inuenies apud Aquilam, & Symmachum, prò, *Exultate*, dici, laudate. Eos enim, qui Deum cognouerunt, & ab Idolorum errore uindicati sunt, Deū continenter laudare decet, Post hæc qua ratione hymnos concinere oporteat, ostendit. omnia enim ex legis instituto perficiebantur: Nam citharis, tympanis, cymbalis, & aliis musicis instrumentis utebantur: ideo dixit. *Confitemini Domino in cithara, & in psalterio decem chordarum.*

BASILII. *Rectos decet collaudatio.* Quemadmodum distortis pedibus recti calcei non
conueniunt, sic praua chorda nō decet laudatio: propter hoc reor, cum in ore dæmonum sermo
de Saluatore non conueniat, aufert illis facultatē ut nec ipsum etiam manifestent. Increpat py-
Act.16. thonem Paulus ne ab impuro sanctus commendetur. Huiusmodi est illud: peccatori autem di-
Psal.49. xit Deus: quare enarras iustitias meas? studeamus ergo declinare obliquitates, & anfractus om-
nes, & mentem nostram ueluti regulam directam faciamus, & animæ iudicium, rectum efficia-
Isa.27. mus, ut postquàm directi erimus, nos deceat collaudatio Dei. Quemadmodum enim qui initio
peccatum ingessit, serpens obliquus dicitur: Et: Domini gladius in serpentem antiquum obli-
quum inducitur, quoniam sinus multos & ambages incedendo facit, etenim dum serpentis tra-
ctus contrahitur, multiplici lapsu & erratico in terra proreptat, dum aliò partes anteriores, aliò
sequentes obliquè feruntur, & rursus in contrarium cauda sinuatur: sic qui serpentem imitatur
obliquam, inæqualem, & contrarietatibus plenam uitam suam præfert. At qui ponè Deum am
bulat, rectas facit semitas, & rectos pedum suórum cursus. Rectus est enim Dominus Deus no
ster, & rectitudinem nouit facies eius: & si regulæ binæ apponantur altera alteri, rectitudo il-
larum planè conueniet. Quod si contortum lignum regulæ applicetur, nequaquam obli-
quo rectum aptari poterit. Quoniam ergò recta est Dei laudatio, rectum exigit cor, ut de-
1.Cor.12. center illi laudatio accommodetur. Quod si nemo dicere potest Dominum IESVM, nisi
Psal.50. in spiritu sancto: quomodo proferes laudem nisi habeas spiritum rectum in uisceribus tuis in-
nouatum?

THEODORI ANTIOCH. Mira orationis series, & præcipua sequentium causa: Nā postquàm lætitiam illis annunciasset, debuit deinceps ad hymnorum canticum, & gratiarum actiones pro iis, quæ gesta sunt, audientes hortari. Cum uero demum uellet ipsos cum timore ac ueneratione ad hoc laudum, & agendarum gratiarum officium præstandum instituere, ut cum decenti sinceritate ac puritate laudes & gratiarū actiones Deo mitterent, præfatus est rectos decere laudationem, ut audientes non omnium esse laudare Deum, sed illorum tantum, quibus & congruum est in præsentibus bonis Deum laudare: Postquam digni habiti sunt, ut ea consequerentur, secum ipsi statuerunt, ut ad decantandas Deo laudes magna cum ueneratione accederent.

DIDYMI. *Confitemini Domino*, Confessio hic gratiarum actionem significat, hanc ergo in cithara præstare oportet. Quod si cithara corpus esse intelligatur, intenti nerui sanè alii non sunt quam sensus nostri: Nam auditu & uisu diuina auditione tactis cælum, & quæ sub cælo sunt intuentibus ita ut opificem admirentur, aliis item sensibus laudabiliter utentibus numerosè ac concinnè huiusmodi cithara Deo confitebimur. Quod si citharam quispiam dicat animam ipsam, sanè uires eius, memoria, consensus, & dissensus atque aliæ facultates quasi chordæ cum ratione ab ipsa mente mirabilibus quibusdam modis pulsatæ, Deo confitebimur. Discrimē illud inter psalterium & citharam musici esse dicunt, quod cithara ab infernis partibus pulsata sonum edat. Psalterium à superius, præterquàm etiam quod rectissimum totum est, cum ergo ostensum sit animam citharam esse, spiritus hominis, qui in ipso est, qui fortè nil aliud est, quàm ipsa mens, psalterium est, quod nulli præterquàm Deo psallit: quando enim rectas cogitationes uersamur, & spiritu nostro spiritum sanctum assumimus, tunc sanè in decachordo psalterio psallimus. & fortè propterea quod denario chordarum numero constat, perfectio eius absoluitur. Huiusmodi enim numerum in scripturis passim decantatum inuenimus: & facto Mosi non plura, quàm decem generalia præcepta dedit Deus: & decimas offerre iubet Deus.

BASILII. *Confitemini Domino in cithara*, Primum autem in cithara Domino confiteri oportet, hoc est actiones corporis concinnè temperare, ut cum in corpore peccauerimus membra nostra inseruientia peccato ad iniquitatem exhibentes, eodem quoque instrumento ad peccatum propulsandum utentes corpore ipso confiteamur. Contumeliosus fuisti, benedicas: plus iusto accepisti, restituas: ebrietati te dedisti, abstineas & ieiunato: te extulisti, te deprimas: iniurię disti, consolare: occidisti: martyrio te exponas, aut paribus martyrio corporis cruciatibus te affligas:

ſligas: & tunc poſt confeſsionem dignus eris Deo pſallere cum pſalterio decem chordarum: prius enim oportet corporis actiones temperare, ut concinnè diuino uerbo abſoluantur; mox progredi ad intelligibilium, & ſpiritalium rerum ſpeculationem: Pſalterium enim fortaſſe mens ipſa eſt ſuperna quærens: propterea quod huiuſmodi organum ita conſtruitur, ut à ſuperiori parte perſonantem uim habeat, corporis itaque opera tanquàm ab inferioribus Deo confitentur: quæ uerò per mentem myſteria nunciãtur, occaſionem à ſummis partibus tanquàm ſpiritu inſonante ſumunt. Qui ergò ad omnia præcepta intuetur, & eorum uelut concentũ & commodulationem facit, is in pſalterio decem chordarum pſallit, propterea quod decem ſunt generalia præcepta ſecundum ueteris legis traditionem conſcripta.

EVSEBII. Qui intus & extra puros & immaculatos ſenſus cuſtodit, hic in decachordo pſalterio pſallit.

ORIGENIS. Cithara eſt actrix anima à Dei præceptis commota. Pſalterium eſt mens pura à diuina & ſpiritali cognitione acta. congruere etiam poſſunt nobis, quæ in antiqua muſica organa ſunt, ſi ſpiritaliter intelligantur. Cithara enim figura quadam corpus ipſum dicitur, pſalterium uero anima, quę muſica ratione quadam ſapienti aptantur, qui corporeis membris tanquàm chordis decenter utitur, & ſpiritus facultates optimè regit.

Cantate ei canticum nouum bene pſallite ei in uociferatione.

BASILII. *Cantate canticum nouum*, Hoc eſt non in uetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus Deum colite, qui non ſecundum corpus legem accipit, ſed ſpiritalem ipſius uirtutem cognoſcit, is nouum canticum canit. quare antiquatum & ſeneſcens teſtamentum tranſiit: recens uerò ac innouatum Dominicæ doctrinæ canticum nos excepit: quę ſanè doctrina iuuentutem noſtram uelut Aquilæ renouat, ubi deſtruxerimus externum hominem, & in dies renouati fuerimus. Cœterum & qui ſe ad ulteriora prouehit, ſemper ſe ipſo recentior euadit: quare qui ſe ipſo recentior fit, nouum canticum Deo canit. Duplici autem modo aliquid nouum dicitur, uel quod admirabile eſt, uel quod nuper in lucem editum eſt, ſiue igitur admirabilem modum, omnemq; naturam ſupergredientem Dominicæ incarnationis narras, recentius, ac peregrinum canticum canis, ſiue totius mundi pro peccato inueterati regenerationem, & inſtaurationẽ percurras, & reſurrectionis myſteria annunciaueris, hoc etiam modo nouum, ac recens canticum canis.

NICEPHORI. *Canticum nouum*, Poſtquàm nouis beneficiis obſtricti ſumus, nonos quoque gratiarum actionum cantus Deo afferamus. Iuxta Anagogen uero chriſtianorum cantus intelligit, quoſcunque ſcilicet fideles compoſuerunt, qui noui ſunt comparatione antiquorum legis mandatorum. *Benè pſallite.* Benè, non elato animo, ſed toto mentis affectu.

DIDYMI. Qui Deum ſedulò laudat, Deo quoque nouum canticum nouo teſtamento, & nouitate ſpiritus affine cantabit, ut non cithara ſolum, atque pſalterio, ſed uoce multo magis Deum ſibi propitium reddat. Vult ad hæc nos Deo pſallere cum laudabili uociferatione: Tunc benè pſallite (inquit) cum uictoria potiti aduerſus hoſtes perſtrepetis.

EVSEBII. Vetus canticum ueteri cithara, & pſalterio ueteri inanimis organis tanquàm per ſigna, & imagines à ueteri populo efficiebatur. At nouum canticum magnificentius & decentius per uiuam citharam & per pſalterium, quod Deo dicauimus emittitur. *Bene pſallite, in uociferatione.* Huiuſmodi uociferatio myſtica eſt, quare alibi dictum eſt; Beatus populus, qui ſcit iubilationem. quin pro bobus, & uitulis, & huiuſmodi ſacrificiis, quæ ſan- *Pſal.88.* guine perficiuntur hoſtiam iubilationis ſe obtuliſſe dicit, qui ait. Circuiui, & immolaui in taber- *Pſal.6.* naculo eius hoſtiam uociferationis.

BASILII. *Bene pſallite ei in iubilatione*, Audite præceptum: *Bene pſallite.* mente non elata, ſincero affectu in iubilo pſallite, tanquàm boni milites parta de hoſtibus uictoria, offerte hymnos uictoriæ authori. Confidite (inquit) ego uici mundum. quis enim hominum reluctari mali- *Ioan.16.* gno poteſt, niſi ad imperatoris protectionem confugiat? illinc à fide in eo habita tanquam à turre feriamus, ac telis petamus inimicum noſtrum. Benè igitur pſallite in uociferatione. Eſt autem uociferatio uox quædam inarticulata ubi conſtipatum in prælio agmen hoſtes premit, in conſonantia igitur & conſenſu ac dilectionis unione pſallite. Quid ergò pſallentes dicere oportet?

THEODORETI. Vociferatio eſt uictorum uox, quæ dum fugantur, & profligantur hoſtes à militibus emittitur. quadrant quoq; nobis quæ dicta ſunt, ſi ſpiritaliter intelligantur, & fieri poteſt, ut nos quoque nos ipſos ſonorum ac temperatum organum efficiamus, & per noſtro

rum

rum sensum tam externorum, quàm internorum organa Deum celebremus.
Quoniam rectum est uerbum Domini, & omnia opera eius in fide.
Diligit misericordiam, & iudicium Dominus, misericordia Domini plena est terra.

BASILII. Propterea rectos prius ad laudationem hortatus est, quoniam rectum est etiā quod glorificandum est, uerbum Domini, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat, rectus Ioan. 1. igitur Pater, rectus Filius, rectus Spiritus sanctus.

THEODORI. Quoniam necesse fuit tam insignibus factis consonum canticum esse, praecipit ut nouum canticum Deo cantetur, tanquàm in re mirabili & quae praeter opinionem hominum euenerit.

CYRILLI. *Quoniam (inquit) rectum est uerbum Domini, & omnia opera eius in fide.* Cum autem rectum Domini uerbum dicat, uideor mihi Euangelicorum oraculorum recordari, quae nihil obliquum, nihil obscurum, nihil sine fructu dictum, uel omnino literae umbra obtectum cōtineant, quae de lege, quàm Deus Mosē traduce promulgauit, minimè dici possunt. Nam longa circuitione, & difficili uerborum ambitu, uix tandem uerba Mosis intelliguntur. At uerbum Domini, idest, Euangelica doctrina recta est, & intellectu facilis, quae sanè ad omne uirtutis genus hortatur.

THEODORETI. Iustè (inquit) omnia temperat uniuersorum Dominus, & in fide proposuit nobis suorum operum contemplationem admonens nos ut credamus, non autem ut curiosè quaeramus quomodo facta sunt: Nam quae ab ipso facta sunt, absolutè & sine ulla haesitatione, ab omnibus recipienda esse iubet: De uitae uero institutione curam gerendam esse, & hanc misericordia & iudicio ornandam, *Diligit enim misericordiam, & iudicium Dominus. Misericordia Domini plena est terra,* Decet (inquit) creatorem imitari, quemadmodum enim cum benignitate regit, & oppressos iniuriis commiseratione prosequitur, ita nos decet iniustis quidem iudicium reddere, & iniuria lacessitis misericordiam impendere. Nam benignus Dominus in Assyrios iudicio usus est, nos uero benignitate, & misericordia sua dignos fecit. cum autem quae ad diuinam prouidentiam spectant, percurrisset, ad creationem se uertit, docetque quomodo cum omnia creâsset, omnia quoque prospicit, & curam de iis, tanquàm de propriis & non de alienis gerat.

DIDYMI. Verbum Domini, quod bonis cognitionem & scientiam donat, rectum est, nec quicquàm obliquitatis, aut fraudis habet: immò quae huic uerbo conueniunt opera, factores ipsius uerbi in fide exequuntur, & opera, quae uerbum Dei facit, in fide sunt, hoc est, firma & immutabilia: & uerbum, quo regit, & prospicit, rectum est, quod si quis uerbum rectum Deum uerbum ipsius dixerit, sumè cuncta, quae in hoc uerbo facit, in fide facta reperies. Nam opera IESV admiranda sunt secundum fidem illorum, prò quibus facta sunt: inquit enim: iuxta fidē Matth. 8. tuam fiat tibi.

HESYCHII. Misericordiam benignitatem uocat, quam iudicio propterea praeposuit, quod Deus primum benignè agit, mox iudicio utitur in eos, qui in peccatis obstinatè perseuerant.

THEODORETI. Cum ad hymnos decantandos, & gratias agendas prò uictoria hortatus esset, iustam fuisse uictoriam, & doni firmitatem ostendit, ut ex utrisque & gratiarum actionem, & decentem laudationem illi deberi conuinceret, cum ab iusto, quod illi praestitit auxilio, tū à comperto, quod illi impendit beneficio. Ne igitur temerè praestitū, aut sine iudicio allatum auxilium uideatur, utraque inesse illis dicit, quae à Deo facta sunt. Haec autem facit, non solum ut uaticinio ea praediceret, sed ut futura praedicendo alios doceret: inquit enim: Quoniam rectum est uerbum Domini, hoc est iustum eius praeceptum, iustum est decretum & rectitudine plenum. Hoc autem asserit, quoniam iustè nobis opem tulit. Mos autem est ei hoc facere, quoties de auxilio illi à Deo contra hostes allato mentionem facit, dum ostendere studet eū nec inani gratia hoc complecti, nec prae ira hostes ulcisci, sed iusto decreto in eos sententiam ferrè.

BASILII. *Et omnia opera eius in fide.* Quid est, quod dicit? opus coelum, opus terra, opus mare, aer, inanimata, animalia item ratione utentia, & ratione carentia; quomodo igitur in fide omnia? quae fides est in inanimis? quae fides in brutis? quae item fides in lapide? quae fides in cane? planè nec inanime, nec brutum est in fide: Enunciatio autem nihil excipit, sed omnia complexa est, dicens, omnia opera eius in fide. quid est, quod dixit? siue cęlum (inquit) inspexeris, siue ordinem, qui in coelo est, tam coelum, quam ordo ipse fidei dux est: nam opificem per se ipsum ostendit. siue etiam ornatum & constructionem eorum, quae in terra sunt consideraueris, rursus per

per ea tibi fides de Deo augetur: Non enim carneis oculis de Deo docti in ipsum credimus, sed uirtute mentis ex his, quæ uidemus, quæ non uidentur, conspicimus, omnia igitur opera eius in fide: Nam & si lapidem consideraueris, habet & ipse unde aliquam conditoris uirtutem indicet: siue formicam, siue culicem, siue apem: sæpe etiam in minutissimis quibusque rebus sapientia conditoris elucet: qui enim cœlum extendit, & immensas pelagorum magnitudines diffudit, is est, qui & tenuissimum apis aculeum tanquam tibiam excauauit, ut per ipsum uirus ef funderetur, omnia igitur opera eius in fide. Nulla tibi incredulitatis ingressio sit, nec dicas hoc ut contigit, fortuito factum e hoc absque ordinatione accidit, nihil inordinatum, nihil indefinitum, nihil temere factum est, nec quicquam rerum fortuitò fertur, aut mala fortuna, aut in auspicato tempore. Imperitorum hæ sunt uoces: Nonne duo passeres asse ueneunt, & unus ex ipsis non cadet absque Dei uoluntate? quot sunt capilli capitis, ne unius ex illis obliuio erit. Vide as diuinum oculum, quam nihil ex minutissimis rebus eius effugiat inspectionem. Matth. 10.

C Y R I L L I. *Omnia opera eius in fide.in fide.* Quoniam nos à morte & à peccato liberauit, & nos filios Dei fecit, & sanauit nos spiritu sancto, & à diaboli seruitia nos redemit. Credere etiã oportet, nos ipsius gratia dignatos. quod si quis illud, *in fide*, uoluerit de miraculis ab ipso editis interpretari, à uera sententia non aberrabit: Nam fidem a malè affectis requirens signa, & mira cula faciebat.

T H E O D O R E T I. Et omnia eius opera firma sunt, & immutabilia. Vtriusque autem uer bi huius consequutio ad præcedentia necessaria est: Decebat enim, ut qui ad agendas gratias excitatus fuerat, & uictoriam iustam, & donum firmum fuisse ostenderet, quorum si alterum non adesset imminuere gratiarum actionem posset: siue enim iniustum sit auxilium, inde indignum esset gratias agere, licet hoc ab accipientibus beneficium requireretur, siue celerem mutationem acciperet, item superfluum est in bonis minime permanentibus gratias agere. Et quoniam sententiam iustam ostendit, ne nos ad gratias agendas segniores facere uideretur, perinde ac si nihil donasset, sed debitum præstitisset, quæ deinceps sequuntur annectit. *Diligit misericordiam.*

N I C E P H O R I. *Quoniam rectum uerbum.* Verba Domini uera sunt, & opera, quæ Do minus facit, fidem præstant, & confirmant illius sermonem. *Diligit misericordiam*, Misericors .n. & iustus est, ut quod omne iudicium suum misericordia temperat, uel quod misericordiam effundit in præsenti seculo, iustitiam uero magis reseruat futuro: id demum, quia sese corrigentes misericordia persequitur, incorrigibilibus uero misericordiam claudit. *Misericordia Domini plena est terra,* omnium enim miseretur Deus, impiorum etiam: alioqui si misericordia non uteretur, quomodo sineret eos uiuere?

T H E O D O R E T I. *Diligit misericordiam & iudicium Dominus.* Operibus Dei & gratia inest, & iustitia: Nam prò, inesse, posuit, diligere, ex abundantia magna dicens non solum iis, quę modo facta sunt, hæc utraque adesse, uerum etiam illum magno affectu consueuisse illis talia præstare, quibus utraque hæc adesse contingat. Sed quonam modo & gratia, & iustitia adest? iustitiam quidem quoniam non iniuste opem tulit, & iustissimè delinquentes punit. Gratia uero dum iis, qui propria uirtute digni non sunt, beneficiis ornatis & auctis retributionem impertit: qui & benignitate sua quod æquum est exigens, supplicium sumit de peccatoribus. Deinceps cum incredibilem Dei humanitatem in homines uellet ostendere, atque hanc maiorem, & longè uberiorem iudicio declarare, hæc duo simul complexus est, ut quos ad hymnos, & gratiarũ actio nes Deo agendas inuitauerat, magis adhuc excitaret, simul uerò de more suo ad ampliorem laudandi rationem excurrens, ad ea, quæ magis communia sunt enarranda conuertitur, & inquit.

D I D Y M I. *Diligit misericordiam*, Vel Deus ipse pater, uel uerbum ipsius: iudicium quidem assumit, quoniam opus est à malorum iniuria, & contumelia uirtutem uindicare: Misericordiam autem diligit bonitate sua, dum partes eius, qui in iudicium adducitur, tuetur: Nam si omnia illa opera obseruarentur nullus esset, qui subsistere posset, iccirco ante iudicium misericordiam diligit: nam si secus fieret, uniuersa funditus perirent.

E V S E B I I. Vel ut quæ ad rerum cognitionem, & intelligentiam spectant, per fidem no bis subministrantur, quæ uero ad uitæ institutionem, & ad actiones pertinent, per misericordiam & iudicium exhibentur: Hæc enim uerbum Dei rectum diligit, ut qui nos ad iudicandum aptos, & honesti accuratum discretores efficiat: quare nihil nos inconsultò agere ullatenusque te merè nostris impulsibus ferri, sed iudicio de agendis consilium capere, & præcipuè ac præ omnibus

nibus clementes esse in delinquentes: & eos, qui misericordia indigent, lenitate ac humanitate complecti.

B a s i l i i. *Diligit misericordiam & iudicium.* Si per se ac seorsum Dei iudicium esset, ita ut ad unguem prò meritis operum nobis retribueret, quæuá quæso de nobis reliqua spes esset? quis ex cunctis hominibus seruaretur? Nunc uerò diligit misericordiam & iudicium: & misericordia tanquàm in assessoris locum sibi constituta, & regio iudicii throno præposita, ita [illegible] os Psa.129. ad iudicium adducit. si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit neque misericordia sine iudicio, neq; iudicium absque misericordia: Ante iudicium igitur misericordiam [illegible] git, post misericordiam ad iudicium progreditur, sed si te post peccatum inuenerit humilem, contritum, flagitia tua deplorantem, quæ latenter patrata sunt citra pudorem pu[illegible]can[illegible] & socium laboris ad remedia sumenda fratrem aduocantem, si te pen[illegible]s miserabilem [illegible], [illegible]o piosam tibi misericordiam suam suppeditabit: quod si cor impœniten[illegible], elatum, incredulum futuri seculi, impauidum iudicii fuerit, tunc super te iudicium d[illegible]get, quemadmodum enim diligens, & humanus medicus fomentis prius ac mollibus linimentis tumorem sedare t[illegible]tat, ubi uero inflationem uiderit nihil remittere, atque induratam m[illegible]lem reniti, abiecta mi[illegible]ricordia, & lenientibus remediis ad ferrum deinceps adhibendum ue[illegible]t. Di[illegible] ergo misericordiam Isa.28. in pœnitentibus, diligit iudicium in obstinatis. simile est quod & [illegible]as Deo dicit: quoniam misericordia tua in libra: etenim ille misericordiam cum iudici[illegible] produc[illegible], qui prò singulorum meritis numero, pondere ac mensura rependit, *Misericor[illegible]ia D[illegible] [illegible]ena est terra.* Misericordia hoc in loco seiungitur à iudicio: sola enim terra misericordi[illegible] Domini plena est, iudicio ad definitú tempus reseruato: Hic autem materia est absque iudici[illegible] non [illegible]im uenit ut iudicet, s[illegible] ut Ioan.3. saluet mundum: illic uerò non est iudicium sine misericordi[illegible] p[illegible]pterea quod fieri non po[illegible]est, ut homo omnino à sordibus purus inueniatur, ne infans qui [illegible] unius diei. Quapropter siquis in dies depascenté malitiá cernat, & infirmum hominum g[illegible]u[illegible] propter peccata non una morte, sed innumerabilibus dignum esse cognoscat, non poterit n[illegible]n adm[illegible]irari diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis ipsius: Dum tamen in terris u[illegible]rsamur mi[illegible]ericordia indigemus: Nam qui in cœlo sunt digni beatitudinis præd[illegible]ione habent[illegible]. An [illegible]ter[illegible] ob sententiam nobis Gen.3. propter transgressionem factam, terra dicemur? quod illud a [illegible]eo au[illegible]iuimus, terra es, & in terrá Col. 1. & Eph.2. reuerteris? qui pleni sumus Dei miseratione. cum enim pec[illegible] [illegible]o[illegible] ui essemus, misertus nostri Deus cum Christo nos conuiuificauit.

O r i g e n i s. *Diligit misericordiam, & iudicium,* prò eo, clemens est, & perspicax in iudicando.

T h e o d o r e t i. Tanta, & tam copiosa est benignitas Dei, ut non modo nos ex ea fructus quàm uberrimos percipimus, sed ea in uniuersam terram diffusa est. Aptè autem dixit. *Misericordia Domini plena est terra,* Nam ea, quæ ad alendam, & conseruandam ho[illegible]inum naturam pertinent, ex ipsa in nos omnia proficiscuntur: Nam quotquot uiuentes terram incolunt, Domini ubertatem ubique terrarum sua dona effundentis, experiuntur.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

B a s i l i i. Vbi sunt spiritus contemptores? ubi sunt qui eum ab opificis uirtute seiŋgút? ubi qui ipsum ne cum Patre & Filio copuletur, disiungunt? Audiant Psalmum dicentem. *Verbo Domini cęli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum.* Non enim uerbum communis ser Ioan.1. mo noster censendus est, qui nominibus & uerbis constat: neque spiritus uapor est, qui in aerem diffunditur, sed & uerbum, quod in principio erat apud Deum, sed & spiri[illegible] sanctus qui p[illegible]iè & genuinè hanc habuit appellationem. quemadmodú igitur uerbum opifex rerum firmauit, sic spiritus ex Deo, qui ex Patre, hoc est ex ore ipsius procedit, ne externum quippiam e[illegible]se, uel c[illegible]aturam iudices, sed uelut ex Deo superbiá habenté glorifices, uniuersas facultates in ipsum [illegible]ntulit: Omnis ergo uirtus supercęlestis spiritu firmata est, hoc est firmitatem, & constanti[illegible] [illegible]anctificatione & omni uirtute sanctis actionibus conuenienté auxili[illegible] spiritus c[illegible]nseq[illegible]. Hic igitur spiritus oris scriptus est. inueniemus quoq; alibi uerbum oris ipsius dictú, quo in[illegible]gitur seruator ipse, & sanctus ipsius spiritus ex Patre. Quéadmodú igitur ue[illegible]bú Domini est seru[illegible]tor & spiritus oris ipsius Spiritus sanctus uterq; aút cooperator est in creatione cœl[illegible]rum, ac uirtutum, quæ sunt in ipsis, propterea dictum est, Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum: Nihil.n. sanctificatur nisi spiritus præsens affuerit: Vt igitur An[illegible] essent, & in rerum naturam exirent, opifex uniuersorum creans uerbum produxit, at san[illegible]ifi[illegible]ationem ipsis contulit spiritus sanctus. Non enim infantes creati sunt Angeli, & inde paulatim exercitatio-

exercitatione perfecti ad suscipiendum spiritum digni facti sunt, sed in prima compage, ac ueluti substantiæ massa ipsorum sanctitatis primordia simul iacta habuerunt. Quapropter etiam ægrè ad malitiam transire possunt, sanctificationem quàm primum tanquàm tinctura quadam corroborati, & stabilitatem ad uirtutem ex dono sancti spiritus habentes.

APOLINARIS. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, In his uerbis ostenditur Theologia unius Dei Trinitatem complectens: Deinde sermo de Deo habetur quatenus est rerũ opifex, opificiũ uerò uerbi, & spiritus opus est. Cœterum liquet huiusmodi uoces humanas esse, ubi & os dicitur, à quo sermo, & spiritus est, sed aliò modo de Deo intelligũtur, scilicet quatenus simplex est, & penitus incorporeus. Hoc est uerbum existens apud Deum uerum, qui & idem spiritus est, qui quod sit Patris indicatio propterea uerbum nuncupatur. Porrò sermonis prolatio, tanquàm spiritus & flatus ex ore consideratur. Cum uero cœlos, ac uirtutes cœlorum dixit, non ita intellexit, ut cœlorum opificium uerbo, uirtutes uerò spiritui ascribat, (indiuisa enim sunt opera Trinitatis) sed hoc indifferenter loquitur: quemadmodum ibi: ingressus est Iacob in AEgyptũ, & Israel habitauit in terra: non enim seiungitur, ingressus quidem ut Iacob, habitatio uero ut alteri Israel, sed subiectione quadam idem significat: & hanc consuetudinem in pluribus scripturæ locis inueniemus.

THEODORETI. *Verbo Domini*, Nulla (inquit) difficultate, nulla temporis mora indiguit, qui omnia creauit: satis enim uerbum fuit ad omnia creanda. Dixit enim: Fiat firmamentum, & factum est: Dixit: Fiant luminaria in firmamento cœli, & factum est ita. Aspectus literę superficie tenus hunc sensum ostendit: siquidem hoc antiquis Iudæis congruit: Vera autem Theologia Deum uerbum ostendit cum sancto spiritu & cœlum, & cœlestes uirtutes effecisse: præuenit autem prophetia euangelicam doctrinam, & quemadmodum Diuus Ioãnes tonitrui filius docuit, quod in principio erat uerbum, & Deus erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, ita Beatus Dauid prædicat dicens: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum*, Cœterum non attribuit Deo uerbo cœlorum fabricationem; sancto uero spiritui uirtutum creationem: Verum & hæc & illa Deum uerbum, & spiritum sanctũ effecisse dicit. Virtutes uero cœlorum luminaria cœli esse nonnulli dixerunt: Alii uerò inuisibiles potestates: posterior interpretatio mihi uera magis uidetur: nam cum Deum opificem ostendisset, non de solo sensibili opificio mentionem fecit.

Gen. 1.

Ioan. 1.

DIDYMI. *Verbo Domini*. Ex hoc sermone homines pii colligunt spiritum sanctum etiam opificem rerum esse. Firmati autem sunt cœli, ut non facilè interire possint. Cœli quoque uocantur hi qui cœlestis imaginem ferunt: Firma enim eorum conflatio Domini uerbo constituitur: Virtus uero eorum est, secundum quam in spiritu sancto potentes sunt.

NICEPHORI. *Verbo Domini*: Verbo eiusdem cum Patre substantiæ, & similiter spiritu sancto, propter hoc enim dixit, *& spiritu oris eius*, fundati sunt, seu conditi, & cœli, & uirtutes, quæ in eis sunt, quæ quidem intellectuales sunt, & materia carentes. *Congregans quasi utrem aquas maris*. Subintelligenda est præpositio, in, sic enim (ait) clausis maris aquas in loca sua tanquàm in utrem. *Ponens in thesauris*, in finibus terræ aquarum multitudinem tanquàm in thesauris. seruans sic enim dicti sunt, uel quia latent ob densitatem, uel quia in usum tempore opportuno aperiuntur & clauduntur à Deo.

BASILII. *Congregans sicut utrem aquam maris*, Non dixit, sicut in utre, sed; sicut utrẽ congregans aquas maris, considera mihi utris naturam, quæ modo inflatur, ubi per inclusum spiritum corium distenditur, modo uero contrahitur, ubi exiuerit is, qui extendit. sic & mare quandoque æstuat, & intumescit uentis concitatum, & tumens, aliquando uero præ tranquillitate contractum deprimitur: tanquàm utrem igitur contrahit, & deprimit Dominus aquam maris. inuenimus uerò in nonnullis exemplaribus. *Congregans uelut in utre aquas maris*; Ad antiquam nos historiam sermone remittente, cum mare rubrum nemine ipso diuidente, neque continente in se ipsum uelut in utre illigatum contractum est, cum diuinum mandatum ipsum profundi, & dilatari non sineret.

DIDYMI. Quemadmodum aqua maris utre, aut alio uase contenta non effunditur, sic aqua maris copiosa termino quodã circuncluditur, nec statutos sibi terminos egredi permittitur: nisi enim præcepto Dei cohiberetur uniuersam terram obrueret. Considera uerò nunquid hoc etiã significetur, quod aduocans aquam maris eam super omnem terram per imbres effundit: præceptum eius aquam ueluti ex utre haustam in aërem extollit, ut concretis nebulis pluuia

in terras demittatur. per allegoriam autem hominum uita ob inconstantiam & amaros hominum mores mare frequenter dicta est. Hoc ergo mare cum instar procellę dissipatum esset, Saluator in unum coegit, dum maris aquas tanquàm in uase, hoc est corpore, quod assumpsit, aduocasset, ut quietum, & tranquillum fieret *Ponens in thesauris abyssos*, Ostendit eorum, quæ creata sunt nihil inordinatè ferri, sed uniuersa in Dei uoluntate tanquàm in thesauro contineri. Atqui uentos etiam è thesauris suis educere dicitur, non ut illi proprio impetu, sed conditoris uoluntate, nunc quidem conclusi, nunc uerò è carceribus emissi ferantur, sic itaque & aquarum copiam secundum propriam uoluntatem dispensat, imbres sustinens, aut demittens ut lubet, quod fecit per Heliam Prophetam. Abyssos uero quæ ob infinitam aquarum multitudinem ingentia detrimenta possent afferre, in thesauris conclusas continet, ut cum libuerit ipsas ad usum depromat, prò ut conducere mortalibus pro temporum ratione iudicauerit.

THEODORI. Cum terræ, cœlorumque & eorundē ornatus meminisset, aquarum quoque mentionem facit, ut nihil eorum, quæ communia sunt, omittat: *Dixit autem in utre*, ut facilitatem ac uirtutem Dei in agendo declararet.: quoniam tam facilè illi est multas maris aquas in unum colligere, quàm alii cuipiam aquam modicam in uase continere, quæ exteriori ambitu facilè cohereetur. & Abysso (inquit) tanquàm in thesauris obsignat, ne scaturientes terram obruant.

HESYCHII. Abyssos dicit aquarum multitudinem, quàm in abditis sub terram locis coniecit: ut etiam in hoc admirabilem eius sapientiam admiremur, siquidem super humentem naturam & fluxam, duram & aridam fundauit, iussitque ut à leuiore grauior portaretur.

BASILII. Consequens magis erat, & ad communem intelligentiam magis accommodatum si dixisset: ponens in abyssis thesauros: hoc est in recondito, & mysterio continens diuitias suas: Nunc autem uelut pecunias & opes quasdam diuinis thesauris dignas abyssos ipsas esse dicit. Nunquid ergò inenarrabiles de iudicio Dei, & incomprehensibiles humanis mentibus rationes abyssi dicuntur? Cum in sola Dei cognitione rationes, quibus singula gubernantur, positæ ac collocatæ sint? Nam quod iudicia de singulis abyssus nominentur, in
Psal. 35.
alio psalmo edocti sumus, in quo dicitur. iudicia tua abyssus multa. Si igitur sciscitaueris cur peccatoris uita protenditur, iusti dies incolatus sui quasi secantur; uir iniustus benè agit, iustus affligitur, cur infans priusquā adolescat, abripitur: Vnde bella, cur naufragia, terremotus, siccitates, pluuiæ. cur quæ homini lætalia sunt, creata sint: cur hic seruus, ille liber, hic diuitiis affluit, ille in paupertate degit. Multum uero inter delinquentes & innocuos est discrimen: Hæc enim lenoni uendita, necessitate ad peccatum urgetur, illa uero honestam heram sortita quàm primum in uirginitate connutrita est: cur hæc beneficio aucta, illa damnata est., & quæ sit in singulis à iudice retributio. Hæc omnia mente colligens considera quod abyssus multa sunt iudicia Dei, & in diuinis thesauris conclusa, ut non facilè sit cuique ea comprehendere. Atqui credenti promissio à Deo data est, quoniam dabo tibi thesauros inuisibiles. quando igitur digni facti erimus, ut facie ad faciem cognoscamus, Abyssos quoque in thesauris Dei uidebimus At uero si collegeris ea, quæ in scriptura de utribus dicta sunt, percipies magis Prophetæ sensum. qui igitur in dies renouantur, idque uera uite nouum capiunt uinum utres noui in Euangelio esse dicuntur: qui uero nondum deposuerunt ueterem hominem, ueteres utres sunt, quibus uini noui susceptio concredi non potest: Nemo enim mittit ui-
Matth. 9. Luc. 2. Marc. 5.
num nouum in utres ueteres, ne & uinum effundatur, & illi omnino pereant nulla amplius uenia digni iudicati si bonum, & nouum uinum effundant. Vinum enim nouum in nouos utres mittendum est: Nouum & spiritale uinum, & spiritu sancto feruens ipsum uidelicet nequaquàm ueterascentem ueritatis intellectum in nouum hominem mittere oportet, qui propterea quod mortificationem IESV semper in corpore circunfert, meritò nouus uter appellari potest.

CYRILLI. Sic aliàs de mari dixit. posui illi terminos, claustra, portasque illi circumponens: & illi dixi, hucusque progrediens, & non egredieris, sed in te ipso collidentur fluctus tui: Alibi autem nonnullis de senioribus per Ieremiam Prophetā dixit, me ergò non time-
Ier. 5.
bitis, & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum quod non præteribit, commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. quod uerò terram detexerit diuinus spiritus. Moses tanquā ex Dei persona

in

in principio manifestauit dicens,congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida. Abyssũ ergò quæ terram obruere posset diuina potentia complectens tanquàm in utre continet,nec loca illi constituta quasi retrahens illas egredi permittit.

THEODORETI. Siquidem naturam aquarum uniuersam tanquàm in penu quodam statutis locis conclusam continet,& cum libet in aerem sublimem extrahit, & tanquàm in utre in nubibus eam colligit. propterea dicit: Deducens nubes de finibus terræ: & alibi diuina scriptura dicit:euocans aquas maris,& effundens ipsam super faciem uniuersæ terræ. Psal. 134. Amos. 5.

THEODORI. *Ponens in thesauris*, ut dicas,tanquàm in thesauris:nam Hebraica loquutione usus est,quæ sine particula similitudinis,ut,loqui solet:cuiusmodi illud est:posuit arcum æreũ brachia mea:prò: ut arcum: Aptè uerò dixit:tanquàm in thesauris abyssos: quoniam quod in thesauris reconditur,tanquàm non inde auferendum,nec mutandũ certo loco reponi solet. Hoc de Deo dicere intendit,tu Abyssos maximas in unum cogens immutabiles & firmas tenes,nec eas ut aquæ solent ulterius progredi, nec terras obruere, uel super egredi permittis, non secus ac si aliquis grauissimam uellet materiam congerere, eam collectam propriis in locis collocaret. Psa. 17.

ORIGENIS. Rationes rerum in thesauris Dei sunt.

Timeat Dominum omnis terra,ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

BASILII. Quoniã timor Domini initium est sapientiæ,qui terrenis addicti sunt, ꝑ timorem erudiantur: Nam timor utpotè qui ad pietatem uelut manu ducat,necessariò est assumendus:sequens uerò dilectio ad scientiam ducit eos,qui timore illo compositi, & quasi ad concentum coaptati sunt. sermo igitur hic orbi uniuerso timorem edicit. Psa. 110.

CYRILLI. Quod non inanes, sed proficuos ualdè,immò necessarios ad salutem de diuina gloria,deque illius in omnibus excellentia sermones habuerit, præsentium uerborum uis & efficacia declarat. Consulit enim orbi uniuerso, qui cœlo tegitur,ut Dei timore quasi freno cohibeatur,& cogitationes suas præcipuè de uniuersorum rege Deo,maturo consilio de Deo moderetur,inquit enim. *Timeat Dominum omnis terra*.

EVSEBII. Cum Dei magnificentiam ostendisset,& tantum non oculis subiecisset,quàm magnus esset Dominus illorum opifex,hortatur omnes, ut eum timeant,nunciatque non amplius simulachris attendendum esse, nec oportere Dæmonas colere, sed tam mirabilium rerum conditorem uenerari.

THEODORETI. Cum de cœlis cœlorumq; uirtutibus,deque natura aquarum sermonẽ fecisset,terram & terræ incolas in mediũ adducit,docetque terrã,& terræ incolas esse inter opera Dei,& hortatur ut timeant,& contremiscant creatorem,& illius nutibus obtemperent. *Ab eo autem commoueantur*, Aquila dixit: Formidabunt:in futurum tempus orbis timorem transmittit: neque enim eo tempore, quo huiusmodi uerba proferebat, hunc timorem homines habebant, sed post humanitatem,& crucem,& resurrectionem Domini nostri IESV Christi.

NICEPHORI. *Commoueantur*, prę timore eius(inquit)tremant homines omnes: Docet uerò per hæc summam pietatis,& diuini cultus uenerationem.

EVSEBII. Symmachus,dixit,uenerentur. intelliges autem quomodo uniuersi orbis habitatores commouendi erant,si mentem ad prędicationem Euangelicam & salutarem doctrinã adhibueris. Per orbem uniuersum Ecclesiæ Deo passim dicatę sunt, & aures omnes diuino præconio completæ,omnes quoque homines in tanta uirtute commoti sunt, & conuersi à priorum Idolorum errore ad uerè pietatis agnitionem accessere.

BASILII. Commoueantur(inquit)omnes inhabitantes orbem. Hoc est motus omnis tum qui mente,tum qui corporis functione perficitur,secundum Dei uoluntatem perficiatur. sic.n. intelligo quod ait. *Commoueantur ab ipso*, V.g. neque oculus moueatur sine Deo,neque manus agitetur sine Deo:nec cor cogitet quæ Deo non placent,& demum à nullo aliò commoueantur, neque ipsos quicquam aliud moueat, quàm Dei timor.

CYRILLI. Commoueri hoc loco non corpoream motionem seu turbationem huiusmodi aliquam significare dicimus, siquidem hoc absonum est,& inconsideratum, sed consuetudinem potiuus diuinæ scripturæ,ac morem nobis consuetum in iis, quæ significationis expresſione fiunt: Vt cum Christus pullo insidens pueris ipsum collaudantibus Hierosylimas ascendit: Tum ingressus celebris illius expresſionem Euangelista interpretatus dixit, ipso ingrediente uniuersum ciuitatẽ fuisse cõmotam:hoc est cognouisse,nec ipsum quenquam latuisse,uerũ admirationẽ cunctis extitisse. ita ergo hic intelliges illud, *commoueantur*, ut significet omnes orbis incolas admirari, ac obstupescere,nec ullum omnino esse qui Dei gloriam,& præstantem Math. 21.

uirtutis,ac sublimitatis illi insitæ dignitatem ignoret.
Quoniam ipse dixit,& facta sunt,ipse mandauit,& creata sunt.
Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.
Consilium autem Domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione, et generationem.

CYRILLI. Inquit Deú solo uerbo omnia produxisse,& cœlos firmasse,& in illo constan
ti,ac pulcherrimo ordine continere,quęquè facta sunt,sancti spiritus efficacia constitisse,ut(quē-
admodum dixit) insitæ excellentiæ amplitudinē à diuina,& non narrabili natura discentes iner-
tiam omnino tanquàm rem perniciosam abiiciamus,nosque ad honestas actiones accingamus;
concepto autem in cordibus nostris Dei timore prò uiribus contendamus mentem nostram om
ni uirtute,ac iustitiæ præsertim gloria,& laude decorare.in primis uero operam demus ut eius fa
miliaritate uti posimus,Nam quod Dei timor diligentibus eum sit salutaris,sacræ literę testan-
tur,& docent. Etenim timor Domini(inquit)delectabit cor,& dabit lætitiam,& gaudium,& lon
Eccl.1. gitudinem dierum.

BASILII. *Quoniam ipse dixit & facta sunt,ipse mandauit,& creata sunt.* Ad duo pręcedētia
duo,quæ illis respōdeant,inducit:Dixerat.n.*timeat omnis terra,& commoueātur omnes inhabitan-*
Gen.1. *tes orbem*:nunc ait:*Ipse dixit,& facta sunt,ipse mandauit,& creata sunt*,Nā ex terreno corpore,
& corpus inhabitante anima compositus homo est, qui terra dicitur, quoniam ex terra for-
matus est, & inhabitans orbem anima est quæ in corpore uersatur. Terræ igitur aptè con-
gruit illud: *ipse dixit & facta sunt*, ita ut de figmento quidem nostro ex terra dixerit.*facta sunt*;
1.Cor.5. at de illa, quæ ad Dei imaginem creata est, illud creata sunt, Quoniam uero creatio sœpe de
Eph.4. mutatione in melius intelligitur, ut in eo, si quæ in Christo noua creatura: & in hoc & duos
crearet in unum nouum hominem,fortasse illud, *facta sunt*,de prima hominis in naturam produ
ctione,& illud,creata sunt,de secunda per gratiam Christi regeneratione dictum est,quantū ue-
rò à simplici uerbo mandatum Dei differt,tanta est creationis ad generationem differentia.

THEODORI.Compēdiosam,& necessariam timoris,ac commotionis causam adducit,nam
conueniens est,ut qui ab ipso facti sunt,suum timeant conditorem:Deinde cum causam reliquis
causis magis necessariam adduxisset,obiter opificium rerum omnium,& quæ ab ipso facta sunt,
& quæ facere potest,in medium affert,ut ostendat oportere horum omnium causa illum formi-
dare,atque pariter quæ præsenti psalmo conueniunt,edicit,ut quæ dicuntur, ex ipso rerum euen
tu fidem rebus astruant,ne uerba tantum esse uideantur.

DIDYMI. Quoniam ipso dicente facta sunt,& ipso mandante creata sunt,etiam ab ipso
commouebuntur:nam conditoris est ut in melius res mutet:Illud *facta sunt*, prouectionem in
rerum naturam ostendit,illud uero,*creata sunt*,rerum productarum ornatum significat: Si uerò
Deo dicente atque mandante omnia facta & creata sunt:cui dixit, uel cui mandauit nisi opifici
uerbo?Hic autem est Filius Dei.

THEODORETI. *Dominus dissipat consilia gentium*,quæ dicta sunt geminam habent in-
terpretationem,Non modo enim Assyriorum,& Sennacherib,& Rapsacis consilia dissipauit,&
proprii consilii uirtutem ac ueritatem ostendit, sed etiam gentium impetus per uniuersum or-
bem in Apostolos factos irritos fecit, & potentiæ suæ robur omnibus manifestauit:Nam Pro-
phetæ uerba hoc latenter innuunt:inquit enim.*Cogitationes cordis eius in generatione, & genera
tionem*. Duarum ætatum memoria docet,& illa,quæ tunc acciderunt,& illa,quæ post hæc fu-
tura sunt.

BASILII. *Dominus dissipat consilia gentium*,Expositio est præcedentis quomodo creaue-
rit Deus eos,qui in ipsum crediderūt,ex eo scilicet,quod dispersit stolida cōsilia gētiū,quę de Ido
lorum cultu,deq; omni superstitionis uanitate inierunt.*Et reprobata consilia principum*, Referri
hæc possunt ad tempus illud,quo Saluator passus est,quando qui regem gloriæ cruci affigere pu
tabant,ille crucis dispensatione humanum genus reparabat.Nam gentium consilium in resur-
rectione dissipabatur, Pilati scilicet,ac militum,& eorum qui patibulum illud præparabant. Re-
probat autem consilia principum, pontificum, ac scribarum & Regum populi, nam re-
surrectio omne illorum consilium dissoluit. At uero si relegeris per singulas historias ea, quæ
inter infideles gentes operatus est Deus, comperies etiam iuxta corporeum sensum hoc
psalmi dictum multum habere momenti. quando uero Ioram filius Achab regnauit in Israel,
tunc Rex Syriæ filius Ader multis uiribus & ualida manu exercitu collecto Samariam
4.Reg.6. obsederat, ut necessaria ipsis deficerent, & caput asini quinquaginta siclis argenti
eme-

emeretur, & quarta pars mensuræ cabi appellatæ stercoris columbini quinque siclis argenti: Tunc itaque ut promissio Elisæi impleretur, dissipata sunt consilia Syriæ, & relictis tentoriis suis, & omni supellectili fugerunt tanta opulentia in Samaria relicta, ut mensura similaginis siclo, & duæ mensuræ ordei uno siclo uenum proponerentur. sic ergo Dominus nouit dissipare consilia gentium. quomodo uerò reprobet consilia principum didicimus in Achitophel: quando uotum optauit Dauid dicens: Dissipa nunc consilium Achitophel. Cum ergò quempiam superbè comminantem, & territantem audieris, & quęq; supplicia illaturum iactantem, respice ad eum, qui dissipat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum.

THEODORI. Dissipat consilia eorum, hoc sinit ea propositum finem sortiri.

EVSEBII. Cum Propheticus spiritus ante uideret non defuturos qui in eos desęuirēt, qui à ueteri superstitione recedētes, & idolorū errorē auersi sunt, ad Dominū uniuersorū accurrerēt: necessariam iis adhibet hortationem, qui conditorē Dominum agnouerunt, ne gentium, quæ in infidelitate permanserunt, terrorē & intentatas minas pertimescant: Nam licet (inquit) nihil non malorum in uos machinabuntur, nullo tamen uos afficere detrimento poterunt. Nam sœpe author rerum Deus, & Dominus, ad quem confugitis, insidias quas gentes & infideles populi contra uos struunt, & nefaria consilia unico nutu dissipabit: quod si principes quoque & reges aduersus uos aliquando insurrexerint, horum pariter consilia infirmabit, sola uoluntas eius in æternum dominabitur. quin etiam cogitationes illius sapientiæ minimè nunquam improbabuntur, quemadmodum quæ homines cogitant, improbantur: Cæterum iudicia eius manent in generatione & generationem: Nam Deus cogitationes suas asseruat iis, qui se digni sunt: & quoniam per singulas generationes ac successiones hominum aliqui eo digni reperiuntur, meritò illis asseruans cogitationes suas eos in generatione, & generationem producit. & hæc quidem olim uaticinando prædixit: Nos autem rebus ipsis horum uerborum euentū experti sumus: nam quæ contra Ecclesiam eius moliti sunt, & quas persequutiones excitarunt, & quæ consilia contra nos cœperunt huius seculi principes, enarrare pro dignitate non possumus & quod ea Dei uirtute dissipata sunt, & quod non in nobis tantum, sed in omni generatione impleta sunt, quæ à temporibus quibus Saluator illuxit, ortum habuere.

DIDYMI. Dissipans consilia impiarum gentium, & perditas illarum patrios mores, & cœtus nequàm, excogitata quoque & inuenta contra ueritatem, hoc est cauillationes reprobabit reprobans sapientiam sapientum. quin & populorum, qui à circuncisione sunt, cogitationes, quas contra IESVM cogitauerunt, Dominus reprobabit: principum quoque consilia Herodis, & Pontii Pilati, inuisibilium item principum huius seculi, qui illos excitarunt, dissipabit.

NICEPHORI. *Dominus dissipat consilia*, Consilium est sententia, quæ recta esse existimatur. cogitatio uero est simplex consideratio.

THEODORI. *Reprobat cogitationes*, hoc est inanes eorum conatus reddit, eosque irritos & uanos ostendit. idem uero modis multis explicauit: Nam cum gentium, principum, & populorum mentionem fecerit, hoc uoluit significare, quanquàm multitudo magna sit consulentium, Deo tamen contraria uolente inefficax erit consultorum multitudo, licet principes aliquid cogitent, omne studium illis irritum, & inane cadit, iisdem nullam ex principatu subditæ multitudinis utilitatem capientibus.

HESYCHII. *Consilium Domini manet in æternum*, Quodnam est istud Dei consilium? nimirum ut opificem suum omnes agnoscant.

THEODORI. Non modo (inquit) aliorum consilia irrita declarare, sed suis quoque multam potest addere firmitatem, dixit autem, *cogitationes cordis*, terminū cuilibet adiudicatū, & propriam cuiuslibet sententiā intelligens, ut Domini mentem immutabilem esse concludat: & quemadmodum multis modis eadem superius significauit dicens consilia gentium, & cogitationes populorum, & consilia principum, ita etiam quæ ad Dominum spectant, uariis modis expressit: nam cum dixisset, *Consilium autem Domini*, & idem uellet uerborum uarietate magnificentius explicare, subintulit. Cogitationes cordis eius. Hæc uerò sic à Deo fieri, quasi per rerum, quas agimus collationem ostendit. quapropter, post uniuersalem enarrationem, & commune hymnorum canticum sermonem à narratione ad argumentum conuertit, & sic ait, *Cogitationes cordis eius a generatione in generationem.*

BASILII. *Consilium Domini manet in æternum*, Nonne cernis propemodum gentium

dogmata,& inanem hanc philosophiam,& quomodo homines tenues,& nimium subtiles & curiosi in dogmatibus astruendis, tum in rationibus speculabilium, tum in institutis agibilium, itemq; in causis naturalibus,& aliis dogmatum speculationibus,quæ omnia euersa sunt, & dissipata,& inania reddita. & sola Euangelica ueritas in omni republica uersatur. Multa enim sunt in cordibus hominum consilia: sed consilium Domini præpotens est. & quidem necessarium est, si modo stabile ac firmum Dei consilium in animis nostris manere debet,ut humanæ cogitationes in nobis prius dissipentur. quemadmodum enim siquis uelit in cera scribere, priores delet characteres,& quos uult, imprimit: sic oportet ut cor diuina oracula suscepturum, expolitum sit prius, & purum ab omnibus contrariis cogitationibus. *Cogitationes cordis eius in generatione & generationem*, quoniam uero duo sunt electi populi, & duo sunt ipsi exhibita testamenta, possunt ex eo, quod ait, *cogitationes cordis eius in generationem*, geminata uoce generationis, duæ quoque generationes intelligi, una est secundum quam uetus testamentum suscepimus, altera, quæ nouam & salutarem Christi doctrinam nobis largita est.

DIDYMI. *Consilium Domini manet in æternum*, Alibi etiam dicit: Dominus exercituum Isa.14. decreuit, & quis poterit infirmare? quemadmodum uerò scimus Prophetam de Deo quasi manus,oculos,& alia id genus membra habente humano more loqui consueuisse,ita etiam uim, & efficaciam illius(ut ita dicam)quæ consiliis, & cogitationibus agitatur, cor appellat. Huius igitur cogitationes cum firmæ,ac stabiles sint, à generatione in generationem perdurant: hoc est,per omnem generationis seriem eædem manent Dei cogitationes; uel fortasse cogitationes,quas indidit Iudæorum generationi, easdem fidelium generationi indidit:non enim in aliis uocatæ sunt gentes, sed in illis ipsis quas Iudæi umbra obtectas habuere.

Beata gens cuius est Dominus Deus eius,populus,quem elegit in hæreditatem sibi.
De cælo respexit Dominus,uidit omnes filios hominum.
De præparato habitaculo suo respexit super omnes,qui habitant terram.
Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

BASILII. *Beata gens.* Nemo beatum prædicat Iudæorum populum, sed populum ab omnibus populis optimis quibusque selectis electum. Nos enim sumus gens illa cuius Dominus Deus noster est:nos sumus etiam populus,quem elegit in hæreditatem sibi. Gens quidē propterea quod ex multis gentibus collecti sumus:populus uerò propterea quod reiecto populo acciti fuimus: & quoniā multi sunt uocati,pauci uerò electi,beatum prædicat non uocatum sed ele Matth.20. Rom.11. ctum: Beatus,quem elegit inquit. sed quænam est causa beatitudinis? Hęreditas expectata æternorum bonorum, Aut nunquid,quoniam secundum Apostolum,postquàm intrauerit plenitudo gentium,tunc omnis Israel saluabitur,primum beatum prædicat supplementum gentium, deinde Israelem,qui postea saluabitur? Saluatur autem non quilibet,sed reliquiæ tantum secundum electionem gratiæ,quapropter dicit. *populus,quem eligit in hæreditatem sibi.*

THEODORETI. *Beata gens*, Non qui diuitiis affluunt,sed suas in Deo spes collocantes, & eius auxilii compotes beatos prædicare oportet: Porrò Paulus electus est Dei hæreditas:sic nominatus erat olim Iudaicus populus:postea uerò ex gentibus electus, qui fidei illustratio- Psal.2. nem accepit. postula(inquit) à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam terminos terræ.

THEODORI. Quoniam igitur(sic ait)& aliorum consilia uana,& irrita declarauit, & suis multam constantiam præbet,beati nos,qui Domino adhæsimus, & beati nos quoquot ab ipso populus eius electi sumus,quoniam immutabilis quoque in nos Domini beneficentia est. Vides quomodo hæc consequuti sumus,dum hostium machinationes Deus in contrarium illis studiū conuertit. illud uerò, *In hęreditatem sibi.* prò in electam separationem,& arbitrium illi peculiare dixit:nam hæreditas testatoris sub hęredum potestate manet. posthæc ad eorum, quæ dicuntur, tanquàm explicationem,& confirmationem,narrat quæ facta sunt,& ait.

EVSEBII. Fuit olim Israel pars,& hæreditas Domini,sed postquàm repulit eum, ad gentes gratia transmigrauit.

NICEPHORI. *Beata gens*, Beata gens, quæ regitur & gubernatur à Deo suo. *De cęlo respexit*, per hæc omnia intuentem Dei uirtutem innuit. *De præparato habitaculo*, Hoc est, habili ac commodo,ut facilè illinc omnia prospiciat.

EVSEBII. *De cęlo respexit*, Vt cognoscamus quomodo extitit beata gens,& unde populus constitutus est, quem sibi in hæreditatem sumpsit, consequenter docet,quomodo cum omnes homines explorasset ex cunctis prędictum populū elegerit, Aquila. A sessione sedis eius,interpretatus

tatus est: Symmachus uerò. A firma ipsius domo respexit: Misit enim uerbum suum, & sanauit eos, [Psal. 106.] & eripuit eos de interitionibus eorum: quoniam & homines ratione dotauit: Brutis [Gen. 1.] autem communis prouidentia satis est. Profectò de homine solo per excellentiam dixit. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit ipsum: meritò igitur suæ imaginis curam habens, *de cœlo respexit, & uidit filios hominum*, quod ostendens præsens sermo dixit. *Quod finxit singillatim corda eorum.* Singillatim uerò dictum est, pro seorsum, & distinctè ab aliis animalibus: Et cum per, corda, cogitationes intellexisset, ostendit quod quilibet homo seorsum propriam mentem habet tanquàm penu conclusam ut nullus cogitationes alterius comprehendere queat. Nullus ergo hominum nouit quę hominum sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: Quare de solo Saluatore nostro [1. Cor. 2.] allatum est ad eius diuinitatis ostensionem nouit quod esset in homine: Et rursus: Sciens cogi- [Ioan. 2.] tationes eorum: hoc uerò & in præcedentibus declaratum est: nam post illud, *Qui finxit singil-* [Luc. 6.] *latim corda eorum.* Coniunxit illud, *Qui intelligit omnia corda eorum.* Solus enim ipse cognoscit, quo proposito opera hominum efficiantur, ut nullus alius scire possit, qua intentione, & quo impulsu quisque agat.

CYRILLI. *Prospexit de cœlo.* Hoc (arbitror) idem est, quod alibi per sanctum Prophé- [Cant. Zach.] tam nobis tanquàm per Christum ad iustificationem accitis, dictum est. Visitabit nos oriens ex alto. Audio quoque beatum Dauid psallentem, ac Deo Patri, qui in cœlis est, dicentem Vi- [Psal. 105.] sita nos in Salutari tuo. Salutare uerò Dei, & Patris, dicitur, & est re uera Filius. Sed misit nobis Deus, & Pater iustitiam, & salutare suum .i. Filium tanquàm lumen quoddam & iubar de cœlo: nam in ipso iustificati sumus, & diuinum & intellectuale lumen intuiti sumus. Proinde uerbi humanitas, Dei & Patris uisitatio, siue (ut hic appellatur) prospectus fuisse meritò cogitari potest.

THEODORETI. *Dominus de cœlo respexit.* Hæc quoque in tertiodecimo Psalmo dixit idem uaticinatus. Sed quoniam posuit illud, *Respexit*, ne quis suspicetur ipsum latere, quæ homines audacter & perperàm faciunt, opportunè subiunxit. *Qui fingit singillatim corda eorum.* Dixit.n. uniuersorum Deum respicere non tanquàm ignarum, & discendi cupidum, uerum tanquàm ius dicentem & iudicantem: qui.n. fieri potest, ut qui animam condidit, animę ignoret impulsus: Corda.n. pro ratione posuit.

THEODORI. Quoniam occulum Deo inspectricem, & cognitricem facultatem uocat, quæ tam in remunerandis bonis, quàm in puniendis malis adhibetur, meritò ad superiora apponendum est illud. *De cœlo respexit Dominus.* Vt scilicet quæ dicta sunt, melius declarentur: quasi dicat: O uos beatos, quibus contigit, ut ab ipso eligeremini, qui ecce opera hominum sine inquisitione non relinquit. *Vidit omnes filios hominum.* Idem repetit: Nam idem est, uidit, & respexit, id est, animum adhibuit & cognouit ea, quæ facta sunt.

BASILII. *De cœlo respexit Dominus*, Eos planè qui in propria dignitate manēt, & agunt quæ decent humanam naturam à supernis inspicit Deus: Eos uero qui ad extremum uitiorum delati sunt, aliter uisitat, per hoc, quod ipse descendit. Clamor (inquit) Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. descendam, & uidebo utrũ clamorem, qui uenit ad me opere compleuerint. Et rursus: descendit Dominus, ut uideret [Gen. 18.] ciuitatem, & turrim quàm ædificabant filii hominum. Hoc autem loco de cœlo respexit Deus, [Gen. 11.] uidit omnes filios hominum. Considera excelsum spectatorem, considera à supernis res hominum despicientem, quocunque tandem iueris, quicquid demum egeris, etiam si in tenebris, eti ã si in luce uerseris prospectantem habes oculum Dei ex præparato habitaculo suo. Non aperiũtur ualuæ, non contrahuntur uela, paratum est ad speculum Dei habitaculum, omnes filios hominum intuetur, ne unus quidem eius aspectum effugit: non tenebræ sunt, non parietes contegentes, nullum impedimentum oculis Dei obstat, quin tantum abest, ut ne singula inspiciat, ut etiam corda introspiciat, quę ipse finxit citra deterioris permixtionem. Simplex cor ipsum finxit hominum opifex Deus, quod secundum se ipsum imaginem seruat, nos uerò multis modis carni affecti, multiplex ac prauum illud efficimus diuina illius specie, ac simplicitate & uniformitate labefactata. Quare qui corda hominum finxit, omnia quoque opera nostra intelligit ac cogitationes, & in uniuersum omnem hominis impulsum, nam qui opera nostra intelligit, solus nouit quo affectu, quo fine, quo proposito ad agendum moucmur. utrum ut hominibus placeamus, an ut tradita nobis à Deo præcepta ut ministri obseruemus: Et propter hoc etiam de omni uerbo ocioso rationem reddimus, & usque ad poculum frigidæ aquæ mercedem non perdimus, propterea quod omnia opera nostra intelligit Dominus.

Cyrilli.

CYRILLI. Habitaculum præparatum diuina scriptura cœlum, uel cœli incolas sanctos
Angelos appellare consueuit: quo fit ut supernæ illæ naturæ (ut opinor) nullo labore ut homi-
nes fatigentur, sed sanctas potius esse & firmas cum Deus in illis conquiescat. Nos quoque
habitaculum Dei facti sumus: templum enim ipsius appellamur. Veruntamen ad eum non
promptè accedimus nisi gratia, & dono Dei iustificati: Vel labore, & sudore mentem pro-
priam purgantes, ita ut sancti effecti innocentissimum, & uerè sanctum domicilium ha-
beamus.

THEODORI. Illud. *De præparato habitaculo*. Symmachus apertè magis interpreta-
tur, A firma ipsius DOMO. ut inquisitionem, quæ à Deo fieret formidabilem ac tremendam
ostenderet, quod qui exquirit, stabilem ac firmam habeat potestatem: nam hoc innuit illud, *de
præparato habitaculo*, uel de domo: Siquidem naturæ illius & potestatis firmitatem declarat:
Iob.4. quemadmodum etiam apud Iob (inquit) Dimitte eos, qui habitant domos luteas, ex quo eodem
cœno & nos sumus, ubi ex habitatione inconstantiam, & imbecillitatem naturæ hominum indi-
cauit. Præparatum uerò firmum intellexit: nam quod omnino firmum ac durabile est, præpa-
ratum ac instructum est, nec aliquo indiget apparatu: quod uerò indiget, non firmum esse pōt:
quatenus illi aliqua structura & appositione opus est.

CYRILLI. Perpende quod ait. Oportere inspectionem de cœlis fieri non modo super
Israel ut quondam sapientissimo Internuncio Mose, sed super omnes filios hominum, qui orbem
habitant: Nam gentium multitudo ubique terrarum per Christum in primis omnium nostrū
Saluatorem ad salutem aduocata est: Siquidem in omnes gentes & nationes hominum Salua-
toris nostri Christi gratia permeauit.

DIDYMI. Terram incolunt non homines modo, sed inuisibiles spiritus, & alia morti ob-
noxia animalia. Ad omnes igitur, qui sunt super terram protenditur prouidentia Dei, qui de prę
dicto habitaculo suo ipsos respicit.

CYRILLI. *Qui intelligit omnia opera eorum*. Ergò IESVS Deus est, qui & nouit
Ioan.1. corda nostra, & finxit ea singillatim, & intelligit omnia opera eorum, qui sunt in terra, atque id
facit non testibus non internunciis ullis, sed tanquam inspector mentium, qui & corda ui-
deat, & occulta cognoscat. Lux enim cum ipso est, quemadmodum scriptum est: atque adeò
ipse lux est.

DIDYMI. Quoniam non modo quæ palam fiunt, uel quoquomodo fiunt, sed quo ani-
mo & proposito fiunt intelligit Dominus: non uidere, sed intelligere omnia opera illorum di-
citur.

ISIDORI. *Singillatim*. quoniam nullius opis indigens ipse fecit.

ORIGENIS. qui solus finxit, is solus cognouit. Quare pulchrè admodum solus Deus cor
dium agnitor dicitur, & scrutator.

ATHANASII. Solus (inquit) Deus nouit corda hominum. Quare & Saluator Iudæis
dicebat. Quid cogitatis mala in cordibus uestris?

NICEPHORI. Per corda intelligit animas, uel separatas ab aliis animalibus, utpo-
tè immortales, & rationis capaces nouit omnes & horum impulsus & impetus omnes intel-
ligit: & nullo uisu, aut auditu, aut alio sensu indiget ad percipiendum ea, quæ fiunt.

*Non saluatur rex ob multam potentiam, & gigas non saluatur in multitudine uirtutis suæ.
Fallax equus ad salutem: in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur.*

BASILII. Non militaris roboris munimentum, non murorum præcinctiones: non in-
structa phalanx, non equestres copiæ, non nauticus apparatus regi salutem comparant. Domi
nus est qui reges constituit, & deponit, & non est potestas, quæ à Deo ordinata non sit. Serua-
Eph.2. tur igitur Rex non per multam uirtutem, sed per diuinam gratiam. Quare & uerus ille
1.Cor.3. sermo est, & ad hæc accommodatus qui dicit: Gratia saluati estis. quemadmodum nec agri-
2.Cor.9. cola non tantum per culturam suam fructum consequitur, quantum per Deum qui cultis incre-
mentum dat. Sicut scriptum est: Neque enim qui plantat aliquid est, neque qui rigat, sed qui
incrementem præbet Deus. Si cor regis in manu Dei est, non seruatur armorū potentia, sed Dei
manu ductione. In manu.n. Dei est non quilibet, sed qui dignus est regis appellatione. Porrò
quidam regnum definierunt esse legitimam præfecturam, aut principatum super omnes peccato
non obnoxium.

DIDYMI. *Non saluatur rex*. Rex (inquit) à multa uirtute, hoc est, à multa satelli-
tum multitudine: Sed neque si gigas robustissimus esset, hoc est magnis uiribus, & ingenti ro-
bore præditus, sic non posset saluari, nec uaecsantium sibi manu pręstare, nisi Deus uicto-
riam

riam illi largiretur.

HESYCHII. Quare hoc fit, ut corporis robur, & uires tam anxiè curemus, & temerè potentiam ab affinibus, amicis, & pecuniis ipsi nobis uendicemus, cum nihil præter cœlitus missum auxilium nos seruare queat? Exemplum sume à Goliath, & à Pharaone: Ille enim robustissimus à puero Dauid facile superatur: Hic Israelem maxima curruum, & equorum multitudine persequutus, mare habuit pro sepulchro.

THEODORI. Hæc simul cum sequentibus eiusdem argumenti de Assyriorum Rege dici commodè possunt, nihil enim illi ingentes militum copiæ profuere, cum ira Dei uindex ipsum oppressit.

EVSEBII. Quæ modo afferuntur, priorum dictorum sententiam consequuntur: Nam cum omnes homines, qui sunt in terris ad timorem Domini hortatus esset, cum dixit. *Timeat Dominum omnis terra*. Postea fidere, & bono animo esse hortatur, & non pertimescere illos, qui se persequendo infestant. Et coniunxit per ea, quæ allata sunt, & illud. *Dissipat Dominus consilia gentium*, & quæ sequuntur. Eandem igitur sententiam persequens, & per hæc inquit, confidite omnes ad quos sermo est: Nam si in timore Domini permanseritis, oculos Domini habebitis, & inspectricem eius uirtutem, quæ uobis prospiciet, & uos ab hostibus, & insidiatoribus liberabit. *Ecce enim oculi Domini super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Nam sine oculis, & inspectione Dei non est, quod aliunde salutem speres, neque enim regi militum copiis stipato, neque giganti de uirium suarum magnitudine glorianti, neque equi celeritate se committenti salus est: omnia .n. hæc fallunt, parum tuta sunt, & decipiunt eos, qui fidunt in eis. Sed uos, qui Dominum inuocatis, confidite, ac eius timorem suscipite, nec inimicorum consilia, quę Dominus dissipat, timete: neque principum consilia, quæ Dominus inuertit, formidate. sed neque regis magnitudine militaris potentię fidentis terrore concutiamini, neque gigantem uiribus & robore corporis nitentem metuatis, cum tantam habeatis custodiam, oculos scilicet diuinæ prouidentię, in ipsum tantum sperate, & in misericordia eius, ut eruat à morte animas uestras. Mors animæ est Deū negare, & prorsus recedere à Deó, & quę ad mortem peccata ducunt. Quod si aliquando contingat, ut corpora eorum, qui sperant in Deum communi morte tradantur, oculi tamen eius, qui ad præstantius respiciunt, animas eorum à morte liberabunt: Non modo hoc tantum oculi Dei præstant, sed ut eos in fame nutriat, prouidentiam, nimirum in tempore persequutionum cū & doctrinæ, & diuinarum scripturarum lectiones prohibentur: Alit uero qui spiritalia nutrimēta hominum animis præbet, oculi tamen Domini diuini spiritus influxu horum animas nutriunt, & Deo doctas reddunt, ita ut absque hominum doctrina indicibili uirtutē nutriantur.

DIDYMI. *Non saluatur rex*. Quod si historiam quoque consideremus, neque Pharao alioquin magna exercitus copia potens, neque Goliath licet robustissimus seruati sunt. Quod si gigantis appellatio pugnantem cum Deo hominem significat, neque hic impia opinionum potentia seruabitur. Potentiam igitur Isaias indicauit cum gigantem & potentē dixisset, tum uerò, qui Deo repugnat, cum ait. Gigantes ueniunt, ut impleant indignationem meam. In Genesi quoque. Et erat Nemroth gigas uenator coràm Domino. Equs autem belli tempore paratur. Cęterum à Domino uenit salus. *Isa 14.* *Gen. 10.*

BASILII. Gigantem appellat eum, qui naturali potentia, & robore corporis utitur. Neque igitur regi satis est ad salutem armorum subsidium, neque robustus & fortis sibi ad omnia auxilium ferre est potens: Infirmitas enim & imbecillitas omnia humana sunt, si ad ueram potentiam comparantur. Propterea infirma mundi elegit Deus, ut fortia confunderet. Et. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum ut ultorem: nam maximè effulget diuina gratia, cum in infantibus & rudibus operetur. *1. Cor. 1.* *Psal. 8.*

THEODORETI. Ex rerum euentu iam didicimus non esse corporis uiribus, neque animi fortitudini, neque equorum uelocitati, nec satellitum multitudini fidendum: Nam Sennacherib cum omnibus his præstaret, nihil tamen propterea adiumenti inde percepit: sed extremam perniciem passus est. Quod igitur agendum est ò uates demonstra.

THEODORI. Gigantem uocat potentē. ita.n. Symmachus interpretatur: neque fortis effugiet per ingentem fortitudinem suā. Patet ergo quòd cum scriptura gigantes à seculo dicit, non fabulosis gigantum narrationibus alludit, sed fortes eius temporis homines, & potentes significat. Illud obiter animaduertendum est, quod nusquam iustos fortes gigantum nomine appellantur, sed eos, qui impietatem cum robore coniunctam habuere.

Basilii.

BASILII. *Fallax equus*. Reiectus equus est ab usu sanctorum: Et in prosperis bellorum
Exod.15. successibus Israel nunquàm equestri potentia usus fuisse uidetur: neque priuatim ullus ex sanctis
Psal.75. equorum usum tanquam decentem admisit. At Pharao usus est equitatu, & superbus Sennache-
rith equorum copiam iactat. Quapropter Pharaonis equum & insessorem eius proiecit in ma
Deut.17. re, & omnes equites Sennacherith dormitauerunt: Vnde & lex per Mosen lata de regibus sta-
tuens: Non multiplicabit (inquit) sibi equum.

THEODORI. Decenter uocauit equum fallacem, siquidem copiosus equitatus fortitudine ac uirtute sua bellatoribus uictoriam polliceri potest: sed cum indignatio Dei potentior sit, uictoriæ pollicitationem irritam facit. Aptè autem de equo mentionem fecit, quoniam de magno equitatu in primis gloriabantur Assyrii.

CYRILLI. *Fallax equus*. Id est equestris exercitus: Nam fallitur interdum qui confidit
in eo, & sæpe cadit in hostium manus, qui se uictorem forè sperat: Nam in abundantia uirtu-
tis suę non saluabitur: Quis non saluabitur? Rex an (ut dixit) equestres exercitus? Vtrum eli-
gas eorum quæ diximus, aptè uersiculi uim eidem poteris applicare. Deus igitur est exercituum
Dominus, & ab ipso pendet uictoria. Is præterea seruat, & quàm facillimè in se sperantes tue-
Zach.4. tur: quibus etiam per sanctum Prophetam alibi dicit: Et erit qui tetigerit uos, quasi tangat pu-
pillam oculi mei.

BASILII. *In abundantia uirtutis suæ non saluabitur*. Cum enim infirmus sum (inquit) tunc potens sum. Corporeæ enim uires multæ spiritalem impediunt incolumitatem.

NICEPHORI. *Per multam uirtutem*. Id est ob militum aut ob equorum copias, armaque, aut diuitias. *Et gigas non saluatur*. Per gigantem uerò quemcunque robustum hominem intellige, qui generoso & præstanti sit corpore. *Fallax equus ad salutem*. Instabilis scilicet ac non tutus: incertum enim est an insessorem suum saluaturus sit. *Non saluabitur*, equus scilicet.

THEODORI. Equus hoc est, equestres copię & turmæ ualidæ non exhibebunt salutem. causam in sequentibus attexit dicens.

Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.
Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.
Anima autem nostra sustinebit Dominum, quoniam adiutor & protector noster est.
Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperauimus.
Fiat Domine misericordia tua super nos, quemadmodum sperauimus in te.

THEODORI. Dominus illos intuetur, qui illi placere, & mandata eius custodire student, hoc est enim quod ait. *Super timentes eum*. Nam serui timore detenti satagunt dominorum iussa perficere timore illos ad obsequium compellente, nec eos ueterno torpere patiente. *Super misericordia eius*. Eos innuit, qui eius misericordiam præstolātur, ut à morte uindicentur, & in tempore calamitatis requiem consequantur: Nam famem uocat afflictionem, utpotè quæ bonorum priuationem efficiat; alimentum uero requietem, & liberationem à malis, uti quæ cuiuslibet boni communicationem impertiat; Dominus igitur iis prospicit, & ea illis impendit bona, quæ ab ipso sperant accipere.

BASILII. *Ecce oculi Domini super timentes eum*. Alibi dictum est. Oculi Domini super
iustos, hic uerò, super timentes eum, cum nos ad Dominum respexerimus, & ita in eum conuer
si oculi nostri fuerint, ut dicere possimus, Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum
Psal.122. suorum, sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, tum quasi attrahimus oculum Domini
ad inspectionem nostram. *Sperantes in misericordia eius*. Humilitatem ac dimissionem seruiē
tium Deo ostendit. At quo modo in eius misericordia sperant? qui in propriis factis non confi
dit, qui ex operibus iustificari non sperat, sed solam salutis suæ spem in Dei miseratione ponit.
Vbi autem hæc secum mente uolutauerit, ecce Dominus & merces ipsius, ut reddat unicuique
iuxta opus suum, & reputauerit secum opera sua praua, timet sanè supplicium; & comminatio-
nes formidat: ne autem præ mœrore absorbeatur bona spe præditus est, ad Dei benignitatem, &
miserationes respiciens, sperat autem quod anima eius à morte liberabitur, & in esurie ab ipso
enutrietur.

CYRILLI. Ostendit Deum illos respicere, qui se totos penitus in eius familiaritatem dediderunt. Et quoniàm quæ illius dilectio est, curam illorum habet, eos ab omni calamitate illęsos seruat. *Ecce*: nanque ait: cum, *Ecce*, dicit, propemodum ueram, & experientia ipsa probatam, & manifestam ostendit. *Oculi Domini super metuentes eum*. Quid huic rei ad fęlicita-

tem

tem comparari potest? uel quomodo non omni repleti gaudio cumulatissimè esse possunt, quibus contigit à Deo sibi prospectum esse? Profectò qui in illum charitate innituntur, nihil hæsitant, quin tam ingentem felicitatem sint percepturi.

HESYCHII. Vis (inquit) fortem equum, timorem Dei sume, uis infractam, & inpenetrabilem armaturam? spem in Deo capias, qua qui utuntur, nullo pudore suffundi solent, atque ita Deum propugnatorem habebis, qui oculos in te ad salutem coniicit, ut ab illis directus nunquam errare possis, hoc enim cum significaret, adiunxit. *Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.*

CYRILLI. Obseruat.n.(inquit) ut à morte eruat animas eorum: non autem communē carnis mortē intelligit, sed spiritalem; quoniā mortem animę esse diximus diabolicis laqueis irretiri, & in peccatorum cloacas deuolui, & præterea deficere in tentationibus, ac instante probationis tempore torpescere. Propositum igitur sanctorum inspectori Deo est, ut animas se timētium à morte liberet, & eosdem in esurie alat.

DIDYMI. Quoniam lumen, quod ab oculis Dei manat, uita est, sequitur ut uiri pii, qui illius luminis participes sunt, & spem tenent in misericordia Dei, ut à morte, quæ peccatum sequitur, liberentur, & eorum animæ uiuificentur, & coelestem panem utique Dei uerbum sumentes in fame nutriantur. Famem autem intelligit, non ciborum sensibus subiectorum, sed diuinæ doctrinæ priuationem, & egestatem, cui congruit illud: Immittam famē *Amos.8.*
in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed famem audiendi uerbi Dei.

CYRILLI. Animas enim tum intelligentia, tum sanctitate implet pane illis de coelo uiuificante, & uere salutari exhibito. Disciplinam quoque dat nobis, & consolationem per Spiritum Sanctum, qua ad bonum quodlibet confirmantur. Nec enim necabit fame animam iustam Dominus, qui instructa nobis spiritali mensa, comedite (inquit) bibite, & ine- *Cant.5.*
briamini.

NICEPHORI. *Vt eruat à morte.* Hęc dicta sunt propter Ezechiam regem, & socios à morte inquàm quę post diem illum expectabitur, & in fame ab obsidione orta enutriet.

THEODORI. *Ecce oculi.* Omnium bonorum pietas est conciliatrix: nam diuinum ad se attrahit auxilium, ac imminentem mortem, & egestatem repellit, ac demum bonorum omnium affluentiam largitur. Cęterum uerissimile est eos obsidione illa detentos in egestate ac inopia rerum necessariarum fuisse. Deinde ob interitum & cędem hostium à Deo illatam ab ea calamitate liberatos fuisse. *Anima nostra.* Cum tot & tanta bona consequuti simus, firmam in Deo spem habeamus, & ab eo semper filium expectemus: nam ipse, quo modo fruimur, uoluptatem donauit.

NICEPHORI. *Quoniam in ipso letabitur.* A communi dictum est. Sustinebimus (inquit) quia Dominus nos lętos faciet. *Fac Domine.* Multum enim sperauimus, fiat ergò misericordia tua.

BASILII. *Anima nostra sustinet Dominum.* Hortatur sermo hic ad patientiam, ut si quis nos afflicturus inuadat, non tamen à Dei dilectione, quæ est in Christo IESV recedamus, sed toto animo auxilium à Deo expectantes, aduersa quoque toleremus.

CYRILLI. Dominum sustinere nihil aliud esse dicimus, quàm prò eius dilectione patiente animo affligari, & proficuis sudoribus uersari, ut quod illi placitum est, exequamur. Tolerantia enim (inquit) necessaria uobis est, ut Dei uoluntatem facientes promissionem reportetis.

THEODORI. Cum Dei beneficium in nos enarrasset, hæc deinceps inducit. quidnam significaturus? quod horum causa illum sustinere, ac expectare debeamus: Auxilium Dei tolerantiam uocauit; nam qui affliguntur, cum planè tolerauerint, in expectatione quadam strenuè subsistunt, uel in expectatione futurorum bonorum, uel in spe gloriæ, uel rei similis per quam à Deo auxilium accipiant.

CYRILLI. *Quoniam adiutor, & protector noster.* Nunquid qui hæc dicunt, propriis uirtutibus nudis ac solis confidentes, ac de se ipsi magna promittentes hęc dicunt? minimè gentium: Immò satis compertum habent Deum se protegere & se eo uti propugnatore cuius ope præualent, & seruantur: Proinde addunt. *Quoniam adiutor, & protector noster est.* Propterea dicunt, perduremus ac perseueremus, & nos tolerantia probatissimos præstemus, & puritatis ac candoris corona ornemur, eundem nihilominus protectorem, & auxiliarem habentes.

Theodori.

THEODORI. *Adiutor*. Quoniam ipſe continenter nobis auxiliando ſalutem præbet, Illud uerò. *Protector*, transfertur ab iis, qui in pugna proprios clypeos ad ictus excipiendos obtendunt,& alios ſub ipſis ſæpe contegunt,& à periculis uulnerum tutantes eripiunt.

BASILII. *Quia in eo lætabitur cor noſtrum*. Congruit hoc cum iis, quę initio Pſalmi dicta ſunt. Exultate iuſti in Domino. Apoſtolus quoque in hanc ſententiam dixiſſe illud mihi ui- Rom.8. detur. In his omnibus ſuperamus ac uincimus per eum qui dilexit nos.Et illud. Non ſolum au- Rom.5. tem ſed etiam gloriantes in tribulationibus. Cum .n. Pſalmiſta dixiſſet. Anima noſtra ſuſtinet Dominum, ut oſtendat, quod non uiolenter, neque præ anguſtiis patientiam præ ſe ferant, ſed cum omni gaudio afflictiones pro eius nomine perferant: Non ſolum (inquit) ſuſtinemus, ſed in ipſo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperabimus. Satis eſt nos Chriſtianos dici, ut omnes inſultus ab aduerſariis imminentes effugiamus. Sanctū autem dicitur eſſe nomen Dei quia proprietas & notio eorum, quæ præcipuè circa ipſum ſpeculamur, ſancta eſt & pura.

HESYCHII. Nihil nos adeo lætitia afficere, & perfundere gaudio cor noſtrum poteſt, licet in tentationibus & moleſtiis, licet in infirmitatibus,& ęrumnis uerſemur, ac ſpes in ſanctum nomen Dei.i.Chriſtum: Nam cum eius tormenta conſideramus, quo modo poſt crucem reſurrexerit, poſt dedecus glorificatus, poſt conuitia,& infimulationes iuſtificatus fuerit,in his omnibus moleſtiſſimis caſibus bona ingentia ac illis referentes lætamur.

THEODORETI. Cum dixiſſet. *Quoniam in nomine ſancto eius ſperauimus*. Obſecrat ut æqualem ſpei miſericordiam conſequatur. *Fiat miſericordia tua*. Huiuſmodi ſermo ab ingẽti fiducia ortum habet, nec hominibus noſtri temporis conſueta: quis.n.tantum ſperat, ut audacter dicat. Spem meam miſericordia metiaris? Hoc ſanè in ſacris Euangeliis Dominus docuit, Math.7. qua menſura menſi fueritis remetietur uobis. poſſideamus igitur perfectam, & ſinceram ſpem, & uitam aliam ſpei conſentientem agamus, & multam miſericordiam conſequemur.

THEODORI. *In eo lætabitur cor noſtrum*. Quoniam cum opem tulerit, lætitiam præbebit. Hęc ſentiens diuus Apoſtolus,in his(ait)omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos: Rom.8. non ſolum autem,ſed & gloriamur in tribulationibus.

DIDYMI. Fortaſſè qui ante Saluatoris aduentum opem ſibi afferre non poterant, Saluatorem expectabant, qui adiutor ſibi & protector futurus erat, quo uno fideles omnes corde lætantur nihil ex caducis & fluxis rebus uoluptatis capientes.

THEODORI. Cum cauſas attuliſſet,quibus auxilium Dei præſtolatur, id ipſum rurſus attexit, & ait. Propterea ſperauimus in eo, connectens illud, *Sperauimus*, cum cauſis, propter quas ſe in ipſo ſperare dicit. Hoc autem ideo facit, ut ſe in illo ſpem meritò collocaſſe oſtendat. Siquidem nos in huiuſmodi rebus ita facere conſueuimus: Cum.n.cauſæ,qua mouemur,& iuuamur ad aliquid agendū, meminerimus, tanquàm neceſſitate quadam cauſæ conuenienti ad actionis functionem perducti, neceſſariò poſtea cauſæ commemorationem adnectimus. Propterea hoc feci: propterea hoc præſtiti, quaſi ſi dicatur, propterea neceſſario feci. Deinde cum rationem oſtendiſſet, qua motus in Deum ſperat, ſubinfert. Fiat miſericordia.

BASILII. Videas, quomodo ſcitè & prudenter orauit: ſiquidem miſerationum Dei, mẽſuram proprium affectum eſſe uoluit. Tanta(inquit)fiat miſericordia tua ſuper nos, quantam modo nos in te ſpem coniecimus. Omnis autem ſpes noſtra in eo eſt,ut ad requiem perueniamus,quo transformato corpore humilitatis noſtrę, cognoſcamus ipſum confor- Phil.3. me factum corpori gloriæ in Chriſto IESV Domino noſtro, cui gloria,& imperium in ſecula Amen.

PSALMVS

PSALMVS IPSI DAVID, CVM IMMVTAVIT FACIEM SVAM CORAM ACHIMELECH, ET DIMISIT EVM ET ABIIT.

PSALMVS. XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur.



CYRILLI. Nihil his, quæ prænotantur ex consuetis inscribitur: nam nec canticum, nec Psalmum nominauit. Videtur igitur formam agendarum gratiarum illius, qui Deum precatur, continere ex persona quidem beati Dauid: aliis uero, qui ex tentationibus liberati sunt, non inutilis tanquàm ea, quæ molestissimas & intolerabiles persequentium insidias sub Dei tutela propulset. Quando uero Dauid faciem suam immutauerit, & quis fuerit Achimelech, & quomodo illum dimiserit contexta ex facris literis narratione nobis dicendum est. Persequebatur interdum Saul beatissimum Dauid: qui cum ferre illam persequutionem minimè posset, nec illi resistere, (nam Saul impetu suo usque ad Achim ipsum insequebatur.) omnino ab Israel ad Achim Getheorum regem seu exterarum gentium transfugere decreuit. Itaque cum iter perageret, incidit in Achimelech: is erat sacerdos, cui profiteri noluit se in regem à diuino Propheta Samuele unctum fuisse, sed tanquàm unus esset ex pastoribus panes ab eo petiit. Ille nullos alios nisi propositionis panes se habere dixit. Erant hi panes ex Mosis lege in sacra mensa positi. Repetente illos Dauid, & sciscitante sacerdote an serui eius impuri essent, respondit se triduo cum suis comitibus à mulieribus abstinuisse. Acceptos igitur panes comedit, deinceps in Geth profectus stultitiam simulauit ita, ut (quemadmodum scriptum est) in eius barbã saliuæ defluerent, & ipse circumquaque tanquàm amens uersaretur. Huius historiæ mentionem facit inscriptio. Est autem sciendum quod & Dominus noster IESVS Christus ad nonnullos Pharisæorum, qui discipulos accusabãt, quod spicas in sabbato colligentes comederent, dixit. An non legistis quid fecerit Dauid, cum esurirẽt ipse, & qui cum eo erant, quomodo ingressus sit in domum Dei, & panes propositionis comederit, quos non licebat ei comedere nisi solis sacerdotibus? Cum igitur beatus Dauid omne belli periculum incolumis euasisset gratias Deo agit.

1.Reg.21.

Math.12.

EVSEBII. Existimarunt nonnulli propositi Psalmi inscriptionem historiam illam significare, quæ narrat fugientem Dauid a facie Saul apud Achim Gethæorum regem latitasse, & furorem simulasse, cum collideretur inter manus eorum, & impingeret in ostia portæ, defluerentque saliuæ in eius barbam: ita ut Achis ad seruos suos diceret: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? sed qui hæc existimant, audiuerunt sanè quod Dauid uultum suũ immutauerit, quod uerò deinceps apponitur, *Coram Achimelech*, uidentur mihi non uidisse. Achis enim rex erat exterarum gentium, quæ Geth habitabant. At Abimelech Dei sacerdos fuisse commemoratur, penès quem Dauid, priusquàm ad Achim accederet, latitasse narratur. Inquit enim scriptura: Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem, & obstupuit Achimelech in occursu eius, & dixit ei, Quare tu solus, & nullus est tecum? Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem. Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quàm missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris meis attestatus sum in loco, qui dicitur Dei fides: nunc ergò siquid panis habes ad manum, da mihi quod inuentum fuerit. Et respondens sacerdos ad Dauid: ait illi: non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri saltem à mulieribus, manducent. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei. Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt uasa puerorum sancta. Porrò uia hæc polluta est, sed & hæc hodie sanctificabitur in uasis. Et dedit illi Achimelech panes propositionis, neque.n.erant ibi panes, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerãt à facie

1.Reg.21.

Domini, ut ponerentur panes calidi in die illa, qua accepit eos. Hęc igitur continet narratio de Achimelech. Poſtea uerò additur quomodo ſurrexerit Dauid, & fugerit in die illa, & ut ab Achimelech diſcedens ad Achim Gethæorum regem profectus ſit. Hoc igitur aliquis dicet, quoniam in hiſtoria de Achimelech Dauid non ponitur uultum ſuum immutaſſe, id per errorem in Achimelech mutatum Achim nomen fuiſſe: Nam manifeſtò in hiſtoria dicitur eum coram Achim uultum ſuum mutaſſe, adeo ut collideretur inter ſe, & ſaliuæ ab ore eius in barbam defluerent. Sed audax omnino & temerarium opus cenſeo audere dicere diuinam erraſſe ſcripturam, & tantum errorem admiſiſſe, ut pro alieno Dei ſacerdotem poſuerit, cum præſertim & Hebraica lectio, & interpretes omnes non Achim, ſed Achimelech apponant. Non erit ergo à propoſito alienum, cum uera ſit inſcriptio, inquirere, quandonam uultum ſuum immutauerit Dauid coram Abimelech, & dimiſit ipſum, & abiit. Et aliorum interpretum appoſitione quæſiti ſolutio reperiri poteſt. Nam Aquila & quinta editio hoc modo interpretantur, quando immutauit guſtum ſuum ad faciem Abimelech, & dimiſit eum, & diſceſſit. Nunquid enim, quoniam propoſitionis panes, quos acceperat ab Abimelech comedit ipſe & pueri, qui cum eo erant, ideo guſtum ſuum immutaſſe dicitur ad faciem Abimelech? Nam, quia ſanctificatum cibum guſtauit, & ſacros panes, quibus nullis præter ſacerdotibus uti licebat, comedit, mutauit guſtum ſuum. Symmachus uerò cum dixit: Quando immutauit mores ſuos coram Abimelech, alium ſenſum induxit, inquiens mores Dauid immutatos fuiſſe coram Abimelech. Propterea quod interrogatus quęnam cauſa ſui eſſet aduentus, aliam prò alia obtendit, & mentitus eſt, & ſacerdotem fefellit, nanque à moribus Dauid alienum erat deceptione uti, qua eo tempore uſus eſt. Ideo mutaſſe mores ſuos Symmachus dixit. ceterum ſeptuaginta interpretionem ad hiſtoriam Abimelech accommodabis, qua dicitur Dauid uultum ſuum coràm Abimelech immutaſſe, propterea quod non uerum de fuga ſua reſponſum dederit, ſed deceperit alia pro alia cauſa obtenta, ita ut enſem quoque Goliath abſtulerit, & illius interitus cauſa fuerit: nam Saul poſtquam quæ geſta fuerant, audiuit, miſit ad occidendum Abimelech, & omnes Domini ſacerdotes, & Nobem ſacerdotum ciuitatem deleuit, & hæc omnia facta ſunt, quoniam mores ſuos, uel uultum ſuum mutauerit ipſe Dauid coràm Abimelech, cum non renunciaſſet quod à Saul transfugeret. Quod ſi regum hiſtoria prò, Abimelech, habet, Achimelech unius litere mutatione nil mirum eſt, nam literæ beth, in caph facilis uerſio eſt: fere enim unus & idem character ambarum eſt, breuiſſimo apice tantum immutato. Meminit hiſtoriæ Dauid Abimelech etiam Saluator in Euangeliis. An neſcitis quid fecerit Dauid cum eſuriret ipſe & qui cum eo erant? quomodo ingreſſus ſit in domum Dei, & panes propoſitionis comederit, quos non licebat ei comedere niſi ſolis ſacerdotibus? *Matth. 12.* Hoc enim in Euangelio Matthęi dictum eſt. Quoniam uero *Luc. 6.* in Euangelio Lucæ Saluator dixit. Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant: Quomodo introiuit in domum Dei ſui ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit. Quis non dubitaret quomodo Saluator hic non Abimelech ſed Abiathar mentionem feciſſet. Sed ad hoc aliquis dicere poteſt gemina appellatione Abimelech nominatum fuiſſe, ut idem ſit in Abiathar. Etenim eius quoque filius Abiathar dictus in libris regum memoratur, qui ſolus à cæde ſacerdotum euaſit, & cum Dauid ſe coniunxit. Num fortè de Abimelech tanquàm de ſacerdote mentionem facit hiſtoria Saluator uero Abiathar ut qui tunc ſummus ſacerdos erat, meminit progreſſus eſt enim (inquit) Dauid in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & uidetur ſanè hiſtoriarum ſcriptura dicere Achimelech unà cum ſacerdotibus Dei à Saul interemptum fuiſſe, principem uerò ſacerdotum minimè cæſum narrat atque hæc in Pſalmi prænotatione dicta ſunt.

BASILII. Pſalmi ſententia nos ad duo trahunt argumenta: tum ad ea, quæ in Nobe ciuitate à Dauid acta ſunt, propriè conuenire cum inſcriptione uidentur, tum quæ in Geth apud Achim regem alienigenarum: nam faciem ſuam immutauit, & quando cum Abimelech ſacerdote loquutus eſt fugam quidem occultans, ſimulans uerò ſe pręcepto regio ſtudioſè inſeruire, uinū & panes propoſitionis accepit, & gladium Goliath: immutauit quoque faciem ſuam, & cum in mediis hoſtibus relictus ipſos inter ſe colloquentes audiuit, & ſe ad uindictam accingentes perſenſit: Dicebant enim ſerui Achim inter ſe. Nonne hic eſt Dauid rex terræ? Nonne huic per choros canebant hęc? Percusſit saul mille & Dauid decem millia? Et timuit (inquit) Dauid faciem Achim & immutauit faciem ſuam & oculos ſuos. Sed qua ratione Pſalmi titulus Abimelech nominat, hiſtoria uerò Achim Gethæorum regem tradidit? Profecto hanc rationem ex traditione ad nos delatam habemus: ſcilicet quod alienigenarum

genarum

genarum reges communi nomine Abimelech uocabantur proprium nihilominus habentes, quo appellarentur. Quod apud Romanos uidere licet, Cæsares, & Augustos in communi uocari, alias uero proprias ipsos habere nomenclationes. Huiusmodi est & apud AEgyptios Pharaonum nuncupatio. Nam & Pharao uocatur is qui tempore Ioseph regnabat. Pharao item qui post quatuor generationes Mosis tempore in AEgypto obtinebat imperium Pharao is quoque dicebatur, qui sub Solomone regnum tenebat. Accepit (inquit) filiam Pharao. Sed & qui temporibus Ieremiæ Prophetæ uixit, Pharao appellatus est. Sic quoque Abimelech erat uiuente Abraham, & ætate Isaac, & de quo nunc mentio habetur sub Dauid. Et de eo quidem qui tempore Abrahæ erat, dictum est: Et dixit Abimelech & Ocozais pronubus suus & Philoch princeps exercitus eius ad Abraham, dicens. Et rursus de illo, qui Isaac uiuente erat. Multo autem tempore moratus est ibi. Cum uerò prospexisset Abimelech rex Philistiim per fenestram, uidit Isaac ludentem cum Rebecca: Ita quoque sub Dauid in communi inscriptione Abimelech dictus est nomine regni, uerum Achis nomen ab historia traditum est, quod initio ab ortu proprium habuerat. Coràm igitur hoc immutauit faciem suam, & mente dimotus inter ministrorum manus collidebatur, & impingebat ad ostia portæ. Defluebant (inquit) saliuæ in barbam illius, ut famulis suis diceret Achis. Vidistis hominem insanum? quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxeritis ipsum, ut fureret me præsente? Abiit ergo Dauid, & fugit in speluncam odollam. Tanquàm igitur ex magno periculo ereptus has seruatori Deo gratiarum actiones transmittit.

Gen. 21.

Gen. 26.

1. Reg. 21.

THEODORETI. Cum Diuus Dauid graue illud Saulis propositum, & inuidiam conspexisset, & dilecti Ionathæ consilio usus esset, profugus in ciuitatem Noben peruenit, ubi cum Achimelech Sacerdote congressus fugam suam occultauit, seque à rege missum ob quædam negotia seria fuisse dixit: cumque panes petiisset, nullos alios præter solis Sacerdotibus repositos inuenit, quos præbente sacerdote contra legis præceptum accepit. siquidem cibus is solis Sacerdotibus distribuebatur. Veruntamen ex his gratiæ mysteria adumbrata sunt, & diuinæ liberalitatis aditus credentibus est patefactus: Nam Dei gratia factum est, ut non solis Sacerdotibus diuinus hic cibus sit repositus, uerum etiam hęc diuinorum communicatio omnibus proponatur. Dauid autem præter panem accepit arma & ensem Goliath. quæ tanquam opima spolia ex illa pugna relata Deo dedicauerat. Achimelech autē filium Achitob nominauit, tanquam geminum nomen habentem. Quoniam uerò cum fugeret, Sacerdoti tamen fugam non indicauit regis negotia prætendens, ideo mutasse faciem dicitur, tanquam qui solitos mores non seruauerit. Cæterum aliud argumentum alii huic psalmo dedere. Siquidem faciem suam mutasse dixerunt, quando accessit ad Achim: postea cum alienigenarum insidias timeret, dementiam simulauit. & ea ratione saluti consuluit suæ. Sed nihil uerba huius psalmi consonum habent cum eo sensu: Sed rectè cum iis congruunt, quæ paulo ante dicta sunt.

NICEPHORI. Dauid fugiens Saul ad Achim alienigenam regem Geth profectus est, at in itinere diuerterat ad Abimelech primarium Sacerdotem, Et accepit panes propositionis & hastam Goliath, quæ ibi domino suspensa seruabatur. Vbi uero ad Achim peruenit, cum quis esset agnitus fuisset, faciem suam immutans furere se simulauit, quare dimissus, & seruatus est. Animaduertendum autem est quod nomen Abimelech commune erat regibus Geth, quemadmodum Pharao regibus Aegypti. Inscriptio igitur psalmi regio nomine Achim appellans Abimelech uocauit. Si uero primarius Sacerdos Abimelech quoque nominatur, nil est quod miremur, est enim proprium nomen, rex, primarius uero Sacerdos magis Achimelech, quam Abimelech in historia scriptum est. Et si etiam nonnulli dicant Elementa Caph, & Beth, penes Hebræos quam simillima esse, & unico breui apice distincta, non tamen necessarium est hoc ad ostendendum quod Achimelech uocetur Abimelech. multa enim alia elementa mutuam habent similitudinem, & illationem, non tamen propterea nomina confunduntur. potius ergo primarius Sacerdos Achimelech uocetur, etiam Abiathar duplici nomine, quemadmodum in sacris euangelicis traditionibus edocti fuimus. Si uero quinquagesimi primi psalmi inscriptio Abimelech uocat primarium Sacerdotem, errore potius scriptoris id factum fuisse suspicemur.

ORIGENIS. Qui fugit non fugientes sed amandati personam ostendens, is immutauit faciem suam. per faciem uero modo intelligit animæ habitum, alia enim & diuersa est anima fugiens alia amandata. Faciem uero scriptura frequenter orationem uocat quemadmodum Angelus ad Loth dixit, Ecce enim ueritus sum faciem tuam & in uerbo hoc, non subuertam ciui- Gen. 19

 tatem,

tatem, de qua loquutus sum tibi.

HESYCHII. Psalmus est de iis qui ab operibus mortuis ad Dominum conuertentur. dicitur autem ipsi Dauid, quod sonat hoc desideraui. Desiderat autem Deum quicunque faciem suam à malo in bonum conuertit eorám regem patrum nostrorum. Nam Abimelech faciem regis significat, quod ad Christum refertur, dicentem illi qui à malo in bonum immutatus est. Filii dimittuntur tibi peccata tua.

BASILII. *Benedicam Domino in omni tempore.* Cum effugisset mortis discrimen, terminos sibi uitæ præscribit, animam suam ad accuratam uiuendi regulam formans ita, ut nullo unquã tempore à benedictione desistat, sed tam paruarum, quàm magnarum rerum principia in Deũ referat. Non existimabo (inquit) mea cura, & diligentia quicquam fieri, neque fortuitò euenire, sed in omni tempore Dominum benedicam, non in prosperis tantum, sed in aduersis etiam uitæ successibus. Hinc edoctus Apostolus semper (inquit) gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Vide quanta sit uiri huius charitas: non despondebat animum propter continentem malorum incursum, quoniam non modo è patria pulsus, à consanguineis eiectus, domesticis & priuatis opibus spoliatus, uerum etiam in manus hostium à necessitate traditus, ut tantum non ab ipsis dilacerandus esset, non dixit. Vsquequo assiduò crucior, non desperabo in productione tribulationum sciens quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem: nam qui benè instituti sunt, his tribulationes tanquàm alimenta quædam athletica, & exercitamenta sunt, quæ decertantes ad paternam gloriam ducunt. Cum contumeliis afflicti benè dixerimus, execrationibus lacessiti, consolati erimus, oppressi gratias egerimus, afflicti in tribulationibus gloriabimur: Absurdũ.n.est nos in prosperis benedicere, silère uero in tristibus & aduersis: immò tunc etiam amplas gratias agere oportet, scientes quod quem diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem suscipit.

Phil.4.

Rom.5.

THEODORI. *Benedicam*, Prò laudabo, & declarabo. Illud uero, *In omni tempore*, dictum est, ut & tranquillum, & perturbatum tempus significaret. Hoc uerò in primis conuenit Ezechiæ, qui cum ab Assyriis circundatus angustiis undique premeretur se ad orandum conuertit. Meritò igitur de ipso post uictoriam dixit: *In omni tempore*, ut qui etiam tempore calamitatum Dei non sit oblitus.

Prou.3.

THEODORI. Et fugiens (inquit) & persequens & in prosperis & in aduersis Dominum meum laudabo: ipse.n.& illustrem me fecit, & insignem me reddet.

EVSEBII. Gratias agens Dauid propterea quod sacerdotali alimento dignus est factus nõ modò (inquit) hoc tempore sed per omnem uitam meam in gratiarum confessione, & benedictione perseuerabo: nec os meum desinet unquam à laude tua, siquidem prò hostiis, & holocaustis sacrificium per labia produecere edoctus sum.

BASILII. *Semper laus eius in ore meo.* Videtur hoc loco Propheta polliceri, quod nequaquam præstari potest. Nam qua ratione fiet ut semper sit Dei laus in ore hominis? nam interim dum in domesticis colloquiis familiariter (ut solet) de necessariis rebus loquitur, non habet in ore suo Dei laudem. Quum dormit omnino tacet, edendo & bibendo, quomodo se in laudationibus exercet? Ad hoc respondemus esse os quoddam interioris hominis spiritale, ac intellectuale, per quod qui uitę uerbum sumit, nutritur, quod quidem uerbum panis est, qui de coelo descendit. De ore illo Propheta quoque loquitur. Os meum aperui, & attraxi spiritum. Illud idem ut dilatemus, nos Dominus hortatur ad uberiorem alimentorum ueritatis susceptionem dicens. Dilata os tuum, & implebo illud. *In Domino laudabitur anima mea.* Non est (inquit) ut quis industriam meam laudet quasi ob eam à periculis seruatus sim. non enim in uirtute hominis aut sapientia, sed in gratia Dei salus est. Non glorietur (inquit) diues in diuitiis suis, nec sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, sed in hoc glorietur, qui gloriatur quod intelligit, & cognoscit Dominum Deum suum. Vide quomodo Apostolus cooperatores in Euangelio laudet. Qui est conseruus & minister noster in Domino. Si uero quispiam ob corporis formam, uel parentum claritatem laudatur, non in Domino laudatur anima ipsius, sed in ueritate positus est quilibet horum, sed nec artes, quæ in medio uersantur, habent quod uerè laudabile sit. Nauium gubernatores, medici, rhetores, architecti, urbium ædificatores, uel qui pyramides, aut labyrinthos uel alia magnifica, & ingentia ædificia extruunt, qui propter hæc laudantur, non in Christo habent animam suam. Sat est nobis ad omnem dignitatem, quod nos tanti Domini serui appellamur. Numquidnam qui regi famulatur, se iactabit, quod in hoc uel in illo magisterii ordine collocatus sit? Qui

Psal.118. Psal.80. Ier.9. Col.4.

uero

uero Dei cultu dignus factus est, aliunde sibi laudes excogitabit, tanquàm non satis superque sit illi Domini cognominatio ad omnem gloriæ, & claritatis excellentiam? In Domino igitur laudabitur anima mea. Quoniam uero citra bellum salus mihi comparata est, ex sola uultus immutatione inimicis Dei gratia illusis, *audiant mansueti*.

NICEPHORI. *Benedicam Domino in omni tempore*. Congruo scilicet, & semper quando opportunum est. Oportet quidem ut nostro hoc corporis ore Deum laudemus, quando aliunde nulla urgens adest necessitas, mentis autem ore, perpetuò: nam Dei reminisci usquè debemus, & nunquam cessare. *In Domino laudabitur anima mea*. Non ob propriam ego uirtutem ab hominibus laudabor, sed propter Deum, quia illum scilicet adiutorem habui.

CYRILLI. Vocem hanc animalis homo, & qui corporeos sensus sequitur, decenter ac uerè proferre non poterit: Sed siquis spiritalis est, & probatæ uitæ amator eximius: nam qui secundum carnem uiuunt, & animalem ac terrenam prudentiam habent, & inanes huius uitę curas complectentes amant, gloriam habent in confusionem, quemadmodum scriptum est, & quibus Phil. 3. de rebus satius fuisset, ut erubescerent, iisdem ipsis insolenter se iactant.

THEODORI. *Laudabitur*. Prò, glorificabitur, erit admirationi, *anima mea*, id est, ego: nam totum hominem ab anima nominat, ut illud: In septuagintaquinque animabus descendit Gen. 46. Iacob in Aegyptum. Propter hoc (inquit) ipsum indesinenter laudabo, quoniam eius auxilio apud omnes illustris & celebris constitutus sum. Hoc uerò consequenter & aptè dicit: nam cũ Deus ob suam de illo prouidentiam tot hostes substulisset, necesse fuit, ut apud omnes gentes tanti facti præconio laudaretur, cuius causa Dominus tam potentes aduersarios, tam facilè & breui ultus esset. Post hæc cum continuę gratiarum actionis causam attulisset, deinceps facti magnitudinẽ ostendens inducit, se semper in eius laudibus celebrandis uitam exacturum, & nullam eius laudationis requiem ori suo præbiturum: Sed quamobrem eum tantopere laudet, mox subiungit.

NICEPHORI. *Audiant mansueti*. Quoniam quæsiui Dominum in auxiliatorem, & exaudiuit me. Mansuetos autem hoc loco uocat eos, qui non reddunt malum pro malo, talis erat ipse.

THEODORI. Non ipse solus uult hymnos contexere, sed eiusdem mansuetudinis uirtute ornatis himnorum cantilenam impertit. Post hæc bonæ huius consuetudinis causam ostendit.

THEODORI. In eius perpetuis laudibus cõmemorandis omnem uitam insumam, nec ullam unquam ori meo laudandi cessationem faciam: quamobrem uerò eum tantopere laudet, mox subiungit, dicens: *Audiant mansueti*. Porrò humilibus cunctis (inquit) facti huius memoria nuncietur, (Mansuetos enim hoc loco humiles dicit) ita ut ex huiusmodi auditione gaudio afficiantur: usque adeo enim (ait) præstantissimum & admirandum est hoc facinus, & ita omnẽ superat opinionem, ut mansuetis omnibus ubiquè illud nunciari uelit: nam si cunctis innotuerit, maximam lætitiam afferre poterit. Cur uero dixit, *Audiant mansueti, & lætentur*, & mansuetos humiles intelligat? quoniam hoc in primis est hæc futura gaudio implebit, mirabiliter traditam manifestat. Deinde sermonem ad illos conuertit. Si ergo expectationi meæ paria consequi uultis, me in exemplum sumite. Nam cum Abimelech dixisset ipsi Dauid, Ecce gladius Philistei, quem in ualle percussisti, si illum tibi accipere uis, accipe, quoniam præter illum nullus 1.Reg.21. alius hic est, ad hæc ait. *In Domino laudabitur anima mea*, cuius auxilio illum etiam, qui eo gladio præcinctus erat, interfeci, cum puer essem, & bellicæ uirtutis ignarus: Hoc.n. ingentem gloriam ipsi Dauid conciliauit, utpotè qui fide in Deum uicisset, unde eundem gladium in tabernaculo tanquàm spolia Deo dicata suspendit.

BASILII. *Audiant mansueti, & lætentur*, Quod fieri potest, ut quiescentes etiam trophęa erigunt, & non pugnantes uictores declarentur, & meo exemplo ad mansuetudinem confirmati lætentur, Quoniam in mansuetudine perstiti. Memento Domine Dauid, & omnis Psa.131. mansuetudinis eius: maxima enim uirtutum est mansuetudo quapropter inter beatitudines Matth.5. connumeratur: Nam beati mites (ait) quoniam ipsi possidebunt terram. Illa enim terra supercœlestis Hierusalem non fit spolium contentiosorum, sed hęreditas proponitur mansuetis, & patientibus uiris. Idem autem est: *Audiant mansueti, & lætentur*, ac, audiant discipuli Christi. Fortassis autem prophetico more uult miraculum beneficentiæ Dei in ipsum usque ad nos peruenire. Audiant enim qui multis postea generationibus Christi discipuli futuri sunt. Hos enim mansuetos uocauit, ad quos Dominus dicit: Di- Matth.11. scite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Qui sedatos mores habent, & ab omni affectione liberi sunt, ut nullam habeant in animis perturbationem, hi mites ac mansueti appellantur.

quapropter etiam Moses mansuetudinis testimonium supra omnes in terra homines tulit.

ORIGENIS. *In Domino laudabitur.* Non in alia ulla re laudabor nisi in sapientia: Domi nus.n.sapientia nostra est, ipse me fecit illustrem,& faciet conspicuum.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.
Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus eripuit me.
Accedite ad eum, & illuminamini, & facies uestræ non confundentur.

DIDYMI. Quemadmodum qui in Babyloniis in fornacem coniecti, cum ab igne minimè læderentur, Deum laudantes creata omnia ad id agendum inuitarunt, noscentes se tam admirandi facti celebritatem dignis laudibus nuinimè consequi posse (magnum enim est Deum laudare) ita & qui dixit, *Magnificate Dominum mecum*, aut conuersam creaturam, aut mansuetos cum eo ad hoc agendum ut concurrant, inuitat. Illud autem, *Magnificate Dominum*, non est magnitudinem eius augere: Deus enim corporum propria magnitudine caret, siquidem incorporeus est, sed est magna meditari & loqui, si ad nos non ad ipsum referantur, exaltant autem nomen eius in id ipsum, qui illi mente atque animo pariter adhærent. Exaltatur uerò à mortalibus nomen Dei, non ex imis in alta loca euectum, sed quoniam qui id sapiunt, nihil abiectum & terrenum, sed alta & cœlestia cogitant. Nam quemadmodum nomen Dei prophanant ipso nomine non polluto, sed quatenus impura agunt, & meditantur, qui eiusmodi rebus inhærent, ita etiam ex actionibus & cogitationibus nostris sanctificatur. Vnde Saluator præter cætera hoc etiam dixit in oratione: sanctificetur nomen tuum: non quia nomen per se ex non
Matth.5. sancto sanctum fiat: Orandum enim est illud in nobis sanctificari, sanctè agentibus, & sanctè cogitantibus nobis: & ita Dei nominatio est commentatio de Deo, quàm iuxta Dei notionem euidentem & certam habemus. Hanc sanctificatam habebimus quando ad formam sanctitatis omnia perfecerimus: Quatenus enim in errore & ignorantia nonnulli homines uersantur Dei nomen quodammodo inquinatur, dum ad ea, quæ minimè decent, attrahitur. Aliqui etiam simulacra, & uentrem suum deos appellauerunt.

THEODORI. *Magnificate.* Magna de ipso prædicate, dicite de Deo quę magnificentiam suam decent: Necessariò enim unà omnes inuitat ad nomen Dei celebrandum, & eius laudes decantandas, tanquàm omnino percipientibus illis fructum huiusce beneficientiæ Dei, qui solet potentes punire si iniurii esse uoluerint, & humiles lacessitos ulcisci. Decentem uerò chorum inuenit, qui cordis perturbationem, & ignauiam abiecerit. Magnificat autem Dominum is, qui magno & excelso animo pro pietate pugnas sustinet, quique hac mente magnitudinem, & pulchritudinem creatarum rerum, & uerum authorem contemplatus, eo magis se se in opificii, & prouidentiæ rationes, quibus omnia facta sunt, & administrantur, immittit. Et cum ad hoc præstandum se solum non satis esse consideret, cooperatores inuitet, quotquot à perturbationibus animi liberati, hoc est externarum & internarum perturbationum uacui ad hoc exequendum sibi adiumento esse possint.

THEODORI. Maxima cum sublimitate nominis eius memoriam faciamus, pro eo, reminiscamur illius, ipsum extollentes & admirantes. Illud uerò. *In id ipsum.* Prò unanimes dictum est. Cur igitur mansuetos inuitat? nimirum ut unanimi & concordi mente simul hymnos tibi emittant.

BASILII. *Magnificate Dominum mecum.* Decentem sibi chorum ad Dominum glorificandum assumit: nemo perturbatus, nemo turbulentus, nemo affectibus carnis agitatus mihi se adiungat, sed uos mansueti, qui animę securitatem, & constantiam adepti estis, & socordiam ac somnolentiam ad ea, quæ muneris uestri sunt, peragenda, excusistis, uos mecum Dominum magnificate: Magnificat autem Dominum, qui magna mente & alacri animo & excelso tentationes prò pietate sustinet, deinde qui mente sublimi, & speculationibus creationis magnitudinem contemplatur, quo ex magnitudine & pulchritudine creaturarum opificem ipsarum speculetur. Quanto enim magis aliquis se immerserit in iis rationibus, secundum quas uniuersa facta sunt, & secundù quas gubernantur, tanto magis Domini magnificentiã intuebitur, & quantum in se est, Dominũ magnificabit. Quando uerò, nec mens una, nec unius uiri meditatio, ne modicum quidem sufficiat ad Dei maiestatem percipiendam, omnes unà mansuetos ad huius actionis societatem aduocat: Oportet enim omnino ab externis turbis uacare, & quietissimè in secreto cordis concilio agere, atque ita ueritatis speculationem suscipere. Audis confitentem peccatum, quid dicat. Turbatus est à furore oculus meus: non
Psal.6. solum autem furor & indignatio, sed concupiscentia quoque ac timiditas, & inuidia

oculum

oculum animæ perturbat, ac omnes denique ægritudines perspicacem animæ partem confun dunt, & uersant:& quemadmodum fieri non potest, ut turbatus oculus exactè obiectas uilui res comprehendat, ita corde agitato, & confuso ad ueritatem considerandam intendere non possumus. secedere igitur oportet à mundanis curis,& neque per oculos, neque per aures, neque per alium aliquem sensum alienas cogitationes animæ superinducere: Bella enim ex elatione carnis insurgentia implacabilibus turbis & seditionibus incoibilibus internas implent animæ partes. *Exquisiui Dominum & exaudiet me.* Hæc(inquit)audiant mansueti,quod ego in tempore illo dificili,cum in me omnis inimicorum indignatio ferebatur, & omnis in me manus armabatur, ego uerò nudus & inermis ad omne supplicium, quod mihi inferre hostibus libuisset, expositus eram,tum præ timore non sum animo consternatus,non à Dei cognitione excussus, non desperaui de salute mea, sed exquisiui Dominum:non enim simplicem,tenuem, ac temporariam quandam spem ad Dominum quæsiui,sed diligenter,& accuratè quæsiui. Amplius enim supra quærere exquirendi uis significat,uelut etiam supra scrutationem perscrutatio. Dictū est enim defecerunt perscrutantes perscrutationes. Multum igitur requietis,& animi tranquillitatis sermo nobis exhibet per uerbum exquirendi.

HESYCHII. *Exquisiui*, Omnis enim, qui quærit inuenit, modo ritè ac rectè quærat Psal.63.
An non de nobis dictum est illud. quærent me mali, & non inuenient. sed quid exaudiendo Ioan.6.
nos nobis retribuet.

THEODORI. Quoniam petii ab eo auxilium, etiam quæ petieram (inquit) sum consequutus.

DIDYMI. Quærere hoc in loco significat orare. quatenus prudentia,& uitæ honestate orationem fecit, Deus meritò illi annuit.

HESYCHII. *Ex omnibus tribulationibus*, Non ex una, sed ex omnibus tam uisibilibus,quā inuisibilibus: namque ab omnibus malis baptismus nos liberat, de quo clarius in sequentibus subiunxit.

DIDYMI. Scribitur etiam ex omnibus peregrinationibus meis liberauit me.

BASILII. Omnis iusti uita tribulationibus agitatur: arcta enim & angusta uia est,& iu Matth.7.
storum multæ sunt tribulationes: idcirco Apostolus in omnibus tribulati per multas tribulatio- Psa.7.
nes oportet nos ingredi ad regnum Dei; sed sanctos suos Deus liberat a tribulatione non sine Act.14.
probatione ipsos relinquens, sed patientiam illis largitur. Nam si tribulatio patientiam operatur,patientia probationem,qui tribulationem detrectat, probatione se ipsum priuat; sicut enim citra aduersarium nemo coronatur,sic neque probatus renunciari potest,nisi per tribulationem: ex omnibus igitur tribulationibus eripuit me, non quod me non tribulari permiserit,sed quia 1.Cor.10.
cum tentatione etiam prouentum ferre posse concessit.

THEODORETI. *Exquisiui*, supplex oraui (inquit) & omnia aduersa superaui. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Nam qui cum fide accedit ad Deum radios arcanæ lucis accipit, sic Mosis illius magni facies fuit, quæ Dei intuitu gloria cincta est. quod etiam aliàs dixit diuinus
Dauid. signatum est super nos lumen uultus tui Domine. sic ergò huiusmodi homines cohortā- Psal.4.
do se ipsum exemplar proponit.

BASILII. *Accedite ad eum.* Sedentes in tenebris,& in umbra mortis hortatur,ut ad Dominum accedant, & diuinitatis eius radiis appropinquent, ut ex propinquitate illuminati eius illuminationem per gratiam in se recipiant: Nam quemadmodum lux ista sensibus subiecta
non omnibus simili modo exoritur, sed habentibus oculos & uigilantibus, & nullo impedi- Ioan.1.
mento iniecto Solis accessu frui ualentibus, ita quoque Sol iustitiæ lux uera,quæ illuminat om- Psal.96.
nem hominem uenientem in hunc mundum non æquè omnibus splendorem suum impertit, Ioan.3.
sed iis,qui dignam ipso uitæ institutionem seruant,lux enim (ait)orta est,non peccatori, sed iusto. quemadmodum enim, ortus est Sol non uespertilionibus, nec reliquis animalibus,quæ noctu pascunt,sic et lux sua quidem natura splendida est,& illuminatrix, sed non omnes splendoris
eius participes fiunt, ita omnis, qui malè agit, odit lucem,& non uenit in lucem ne manifesta Ioan.3.
fiant opera eius. *Accedite, igitur, ad ipsum, & illuminamini, & facies uestræ non confundentur.* Beatus,qui in die iusti iudicii Dei,cum uenerit Dominus ad illuminandum occulta tenebrarum, & manifestandas cogitationes cordium,ausus fuerit subillam manifestationum lucem subire,& nō abibit confusus,propterea quod immaculatam & scelerum puram conscientiam habuerit: Nam qui mala fecerunt,in confusionem, & opprobrium resurgent,turpitudinem in se ipsis & notas peccatorum impressas conspicientes.& fortassè magis formidabilis est confusio illa,quàm tenebræ & ignis æternus, in quo peccatores perpetuò mansuri sunt, uestigia peccati, quod in carne

ne patrarunt,ſemper ante oculos habentes, perpetuò in animis ipſorum tanquàm ineluibiles tincturas permanentia. Porrò paucorum eſt accedere ad lucem ueram,ac reuelari, & poſt occultorum reuelationem facie confuſa non abire.

HESYCHII. Omnes ad Deum accedentes illuminantur,ſed præcipuè ſacri baptiſmatis participes,quorum facies propterea non confunduntur, quia omnes confuſionis cauſas,& occaſiones abiiciunt.

NICEPHORI. *Accedite ad eum*, Vos,qui in afflictionum tenebris poſiti eſtis,accedite ad eum,ut ipſa lætitia,atque alacritate calamitatum tenebras. & caliginem diſſipetis, & illumine-mini,ne confundamini etiam ſpe,ſpe inquam ſalutis.

THEODORI. Nobis quoque(ait)ad eum accedentibus,& eius opem ab eo implorantibus auxilii,& protectionis eius compotes fieri licebit.illud enim, *illuminamini*, ſonat auxilium eius percipite:nam per illuminatonem hoc loco auxilium intelligit,quo à tribulationibus liberamur, quæ quidem tribulationes nos mœrore ac triſtitia quaſi tenebris inuoluere poſſunt. Aſſumptio enim Dei,qui uera lux eſt,illuminat.& unà cum illuminatione fiduciam quiſque accipiens faciē habet inconfuſam.Hortatur autem nos,ut hanc lucem preeligamus.

THEODORI. Non enim eſt quod uos eius auxilium expectantes confundamini in ſpe, quam in ipſum collocaſtis. *Facies ueſtræ*, dixit quoniam cum aliquem expectamus faciem extendere ſolemus,eius quem cupimus aduentum expectantes.

ORIGENIS. *Accedite*, per rectam uitæ inſtitutionem accedimus,p cognitionem illumina-
Greg.inter. mur,præferte inquit uobis ipſis lumen cognitionis.

Iſte pauper clamauit; & Dominus exaudiuit eum, de omnibus tribulationibus ſuis ſaluauit eum, Immittet Angelus Dominus in circuitu timentium eum,& eripiet eos.

DIDYMI. Pauperem hoc loco appellat eum,qui ex præſentibus tribulationibus ſe ipſum ſeruare non poteſt,omnes uerò huiuſmodi paupertate laboramus,ut de quocunq;,qui à Deo ſalutis egeat,loquatur.

HESYCHII. Quanuis quemcunque pauperem exaudiat,hoc eſt humilem,& pauperem ſpi-
Matth. 5. ritu:nam beati ſunt(inquit)pauperes ſpiritu,cum tamen dicat,*iſte pauper*;quaſi digito oſtendens gentilem populum latenter innuit,qui non uirtutis modo,ſed legis & prophetiæ indigens erat, & nihil boni,aut diuini ante cōuerſionem credebat,nec proprium quicquam habebat: iſte igitur ubi credidit in Deum clamauit,& Deus ipſum ab omni ſatanica tribulatione liberauit.

APOLINARII. Se ipſum oſtendens & deſcribens ſe pauperem dicit,& in fuga laborantē & periculum Dei uoluntate euaſiſſe,cum non aliter poſſet,quàm dementiæ ſimulatione ſecundū Dei uoluntatem euadere.

BASILII. Paupertas non ſemper commendabilis eſt, ſed quæ ſpontè, ex propoſito iuxta Euangelicum ſcopum aſſumitur: multi enim ſunt ſecundum diuitias pauperes, qui auariſſimi ſunt ex propoſito, quos non indigentia ſaluat,ſed propoſitum condemnat. Non enim omnis pauper beatus,ſed qui Domini mandatum reliquis mundi theſauris præſtantius habet. Hos &
Matth. 5. Dominus beatos prædicat,dicens: Beati pauperes ſpiritu non pauperes diuitiis, ſed qui animæ paupertatem præelegerunt:nihil enim ex inuoluntariis beatum eſt,iccirco uirtus omnis omnium maximè uoluntario uelut proprio charactere exprimitur ac dignoſcitur.iſte igitur pauper (inquit)clamauit,ideo indicandi particula uſus eſt,ut ad pauperem ſecundum Deum,& eſurientem & ſitientem,& nudum mentem tuam adducet *iſte pauper*,tantum non digito oſtendens,hic
2.Cor.8. Chriſti diſcipulus. Poteſt etiam ad Chriſtum ſermo referri,qui cum natura diues eſſet,(omnia enim bona patris ipſius ſunt)propter nos tamen pauper factus eſt, ut nos eius paupertate diuites efficeremur:Ferè enim opus omne, quod ad beatitudinem ducit,ipſe Dominus auſpicatus eſt,ſe ipſum diſcentibus exemplum proponens. progredere ad beatitudinem ſingulis expenſis inuenies,quod uerbi doctrinam operibus præuertit. Beati mites. Quomodo beatitudinem didi-
Matth.11. cimus? Diſcite à me,quia mitis ſum.& humilis corde. Beati pacifici: quis nos docebit bonum
Eph.2. pacis? ipſe ille pacificus, qui facit pacem,& conciliat duos in unum nouum hominem, qui reconciliauit per ſanguinem crucis ſuæ quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra. Beati pauperes. ipſe eſt qui pauper fuit,& ſe ipſum exinaniuit in forma ſerui,ut omnes nos de plenitudine eius accipere-
Matth.5. mus,& gratiam pro gratia.ſiquis igitur à ſancto & benigno ſpiritu ductus,non elatus in ſe ipſo, ſed demittens ut alios extollat,ſpiritu clamet magna petens,& nihil abiectum,& humile loquatur ex eo,quod terrena & mundana quærat, talis uiri clamor à Domino exauditur. At quis eſt exauditionis finis? liberari ex omnibus tribulationibus, ita ut ne uulneribus quidem obnoxius ſis,neque dimouearis,neque ſeruias prudentiæ carnis.

CYRILLI.

CYRILLI. In quem (inquit) respiciam nisi in humilem & quietum, & sermones meos timentem? Hunc liberabit ab omnibus tribulationibus suis. scies autem alias esse tribulationes eorum, qui mundana sapiunt, alias rursus præter illas eorum, qui sunt pauperes spiritu, & ad Deũ accedunt.

BASILII. Quis est igitur modus, quo pauper liberatur? *Immittet se Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Interpretatur quem pauperem intelligat, timentem scilicet Dominũ: nam qui timet adhuc est in numero seruorum: qui uero à charitate profectus est, ad filii dignitatẽ in reliquum peruenit: quapropter seruus adhuc pauper dicitur, eoquod nihil proprium habet: Filius uero etiam cum diues est, eo quod paternæ facultatis hæres est. immittet igitur se Angelus Domini in circuitu timentium eum: Assidet quidem nobis Angelus, nisi cum nefariis actionibus expellamus. Nam quemadmodum fumus apes, & quæ graue olent, columbas expellunt, sic Angelum uitæ nostræ custodem lacrymabile multum ac fœtens peccatum abigit. si in anima erunt angelica opera digna custodiri, & opulenta mens in speculationibus ueritatis in te fuerit propter diuitias preciosorum uirtutis operum, necessario tibi Deus custodes, & protectores constituit, & Angelorum custodia munit. Tu uerò considera, quanta sit Angelica natura, siquidem exercitui integro, & conserto multorum hominum agmini unus Angelus comparatur. ergò propter magnitudinem eius, qui te custodit, Dominus integrum tibi largitur exercitum, propter fortitudinem uero Angeli sua tutela circumquaque tanquàm muro te tuetur, & nutrit: hoc enim significat illud: *in circuitu.* Quemadmodum enim urbem propugnacula in circuitu dispo sita hostium impressiones undequaque arcent, sic etiam Angelus & à fronte, & à tergo protegit, sed nec utriusque lateris partes incustoditas relinquit: propterea cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit ne flagellum quidem hostis, quo niam Angelis suis mandauit de te. *Psal.90.*

NICEPHORI. *Iste pauper*, iste, qui omni humano indiget auxilio. *immittet Angelus*, castra ponit Dominus circum unumquemque hominem, qui timeat Deum, uirtute sua illum communiens. Vniuerso, atque integro exercitui Angelum cuiusque uitæ custodem comparauit.

DIDYMI. Si timentes Dominum perfectos intelligimus, Angelum circundantem ut eos liberet, non alium intelligemus, quàm Angelum magni consilii Deum Saluatorem Huic simile est, quod à Iacob dictum est. Angelus qui eruit me à cunctis malis: Non enim potest Angelus eruere, sed Saluator, qui per Angelum significatur. *Gen.48.*

THEODORI. Post exhortationem tanquàm ab Ezechia factam, ad eius confirmationem memor eorum, quæ sibi euenerant, dicit, qua ratione illos Deus ab iniuriis quoque tutabitur; si in eum scilicet sperare studebunt. A præsenti argumento, & ab iis, quæ Ezechiæ contigerunt auxilii genus declarat, quod Deus omnino in se sperantibus illis largitus est. *immittet se Angelus Domini*, Pollicetur enim Angelum Dei auxiliatorem illis futurum circum euntem, & protegentem eos, ac illos hoc modo ab omni tribulatione liberantem. illud enim immittet, prò simul pugnabit, dictum est: nam diuinæ scripturæ mos est, munisiones castra nominare. Hoc enim in Ezechia factum est, si quidem Angelus Domini percutiens Assyrios eum à malis liberauit. illud uerò, *in circuitu*, securitatem magnam significat illis ex Angeli protectione futuram innuens ex his eos, qui in medio positi sunt. & aliqua uel castrorum uel hominum munitione circumuallati sunt, tutos & inoffensos esse. superius ad mansuetos sermonem habuit, hic autem inquit, *in circuitu timentium eum*, Ne fortè putes ad utilissimos, ac abiectissimos quosque sermonem haberi, sed ad eos, qui ex mentis proposito in corde suo humilitatem compararunt & cum paupertate corporis timorẽ Domini coniunxerunt. Deinde pollicetur sperantibus in Deum, si forte illis hostes insidias struxerint, pollicetur inquam illis auxilium ab Angelo profecturum, cum talis quoque fuerit in Ezechiam: atque eorum commemoratione, quæ illi euenere per omnia, quæ dicta sunt, probationem instruxit, & promissione fidem fecit. qui seruitutis spiritus habent, sanè indigent ab Angelis circumuallari, quemadmodum pusilli ex credentibus Angelos habent, qui uident faciem Patris, qui in cœlis est, cum perfecti Dominum Angelorum secum inhabitantem habeant, qui etiam ipsi timere Dominum dicuntur habentes Angelum circa se castrametantem, Angelum inquam magni consilii de quo dixit Iacob: Angelus, qui eruit me de omnibus malis meis. Angelus enim simpliciter ex omnibus liberare nequit. ergo ad duplicem timorem duplex quoque intelligentia adhibeatur. *Matth.18.* *Gen.48.*

DIDYMI. Aut etiam sic. Qui bonorum operum, ac uerarum contemplationum diues est, tutela & securitate indiget ad custodiam. Considera tu qualis sit Angelorum natura & uirtus, cum

cum Angelus unus iusto exercitui & militari ordini comparetur, communiens,& circunuallans eum,qui illi à Deo in custodiam traditus est.

EVSEBII. Se rursus(quemadmodum ante fecit)alterius doctrinæ exemplar præbet:pauperem se propter suam humilitatem, atque animi modestiam,uocans,tanquàm de alio docens dicit,*iste*,pauper clamauit, & Dominus exaudiuit ipsum,non modo me(inquit)quæ uolui consequutũ fuisse putetis,qui pro rege habitus,& gentis principatũ tenens,animo tamen pauper ob Dei timorem factus sum,sed accuratè considerate quod idem Dominus omnes,qui similem meę paupertatem habent,scilicet timentes ipsum,exaudiet.

THEODORETI. Ex successibus meis (inquit) discite Deo uniuersorum fidere,nam cum uilis,& ouium pastor essem,sua me procuratione dignatus est,& hostibus me superiorẽ reddidit. *immittet se Angelus Domini*,His Apostoli uerba consonant: nam de Angelis ita inquit;
Heb.1. Nõne omnes sunt ministratorii spiritus in ministeriũ missi propter eos,qui salutis hęreditatem
Gen.48. accipiunt?sic & beatus Iacob precando dicit: Angelus qui eripuit me ex omnibus malis . sic &
Gen.14. Patriarcha Abraham admirabili seruo dixit: Dominus Deus mittet Angelum suum ante faciem
Zach.1. tuam , & accipies uxorem filio meo Isaac.Hinc beatus Zacharias sic dicit . Angelus qui in me loquitur.

ORIGENIS.*Ex omnibus tribulationibus*.Non omnes qui clamant Deus eripit,sed illos qui per eius cognitionem clamant.

Gustate , & uidete quoniam suauis est Dominus,beatus uir , qui sperat in eo

Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.

BASILII. Sæpe obseruauimus animę facultates membrorum exteriorum nominibus appellari.quoniam uero Dominus noster uerus est panis, & caro ipsius uerè est cibus , necesse est uoluptatem lætitiæ panis per spiritalem gustum nobis innasci, quemadmodum mellis natura non tantum sermone inexpertis describi potest , quantum in ipso gustationis sensu.sic neque cœlestis uerbi bonitas apertè doctrinis commendari potest,nisi ueritatis dogmatibus diu multumq; examinatis propria experiẽtia Domini bonitatẽ percepimus.Gustate(inquit)& nõ imple mini: quia nunc ex parte cognoscimus,& per speculum & ænigma ueritatẽ uidemus.Veniet autem tempus,quando præsens pignus , & hic bonitatis gustus ad perfectam fruitionem,& uoluptatem nobis deueniet,quemadmodum enim qui uentriculi uitio laborant , & qui cibos auersantur,à medicis curantur ea auersatione & offensa sublata,dũ per aliquod eduliorum condimentum appetentiam excitant, ut per illud sensus irritetur & ad amplius sumendum confirmetur:sic etiam in uerbo ueritatis ipsa(inquit)experientia ad insatiabilem appetentiam uos semper prouocabit.quapropter gustate(inquit)ut beati sitis iustitiam semper esurientes, & sitientes.

CYRILLI. Quemadmodum obsoniorum gustus inditæ sibi qualitatis dulcedinem apertè ostendunt,ita nudæ diuinorum munerum promissiones nihil magis earum uirtutem explicant,quod si contingat ut aliquis ad earum experimentum perueniat , multo magis & apertè ualdè inditæ gratiæ efficaciam cognoscet.illis ergò qui Dei pacem degustarunt clamandum est; *Gustate,& uidete, quoniam suauis est Dominus.*

APOLINARII. Gustum intelligit experientiam,& sensum quendam, qui tum illi aderat,Hoc ergo expertus est,cum à rege alienigena persequutiones pateretur,& Dei benignitate contemptui non est traditus , sed à duobus acerrimis, & potentissimis hostibus incolumis ereptus est. Hoc communiter omnibus proponit , tanquàm non id ipsi tantum acciderit, sed omnibus quoque uenturum sit quotquot sperantes in Deum Deo se ipsos coniungunt, atque in hac
Psal.4. non in alia re sitam beatitudinem docet.quod in eo David ostendit, cum dicit. Vt qui diligitis uanitatem , & quæritis mendacium ? scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.

DIDYMI. Suauitas in Deo idem cum bono significat.quoniam uero cum sit uitæ panis, alimentum est,præcipit spiritus sanctus , ut qui illum minimè appetunt, eodem satientur,licet ipsum tantum degustent , quia scilicet gustatio satis est ad appetitum illis excitandum, ut in ipso oblectari uelint , illud *gustate*, prò, paulùlum quid admiremini , & quærite de Deo dictum est.

EVSEBII .Quoniam qui perfectè ac iugiter in Deum sperat beatus est:non ab re quispiam huic dictioni Aquilæ interpretationem accommodabit . quoniam in inscriptione de David secundum Aquilam dicebatur. quando immutauit gustum suum ante faciem Abimelech.quoniã igitur ipse propositionis panes accipiens gustum suum mutauit,& postea ab eo gustu uoluptatem,& lætitiam sensit , diuina illi uirtute eam gratiam largiente , iuxta illud,absque dolo accepi,
Sap.7. sine

sine inuidia communico,hortatur & reliquos ut ad similem illi gustum accurrant,& petant uero pane uitæ nutriri , cuius symbolum & figura fuere panes, propositionis à Mose per legem statuti. Quare Dauid rectè sciens cuius imago panis ille propositionis esset,non ad corporeum panem festinare hortatur,sed ad eum, qui per ipsum intelligitur:nos uero,qui in terris uersamur,panis & uerbi quod se ipsum depresit,& exinaniuit,particeps efficimur.qui uerò sunt in regno cœlorum pleno illo,atque perfecto fruuntur eius diuinitatis & sapientiæ intuitu enutriti,quo & nos tempore suo compotes fieri sperare decet;iccirco dictum est:*Beatus uir, qui sperat in eum.Timete Dominum omnes sancti eius,quoniam non est inopia timentibus eum.*Hęc omnia sententiosè Dauid in aliorum utilitatem profert,cum ipse prius suauitatem eorum percepisset. Hortatur igitur ut Domini timorem præ oculis habeant sancti eius:nam ab ipso timore sancti efficiũtur.quare in alio psalmo dictum est.timor Domini mundus,idest mundos efficiens.quare& diuina lex ait.Sãcti estote,quoniam ego Dominus Deus uester sanctus sum.porrò inditium quod Deum timeamus,est omni turpi , & fœda actione purgari,& nos sanctos seruare & corpore & spiritu.Timentibus autem Dominum & per eius timorem sanctificatis nihil deerit, ut qui magnas diuitias,& ingentes thesauros in ipso Domini timore inuenerint. *Psal. 18.* *Leuit. 11.*

CYRILLI. Quid igitur ad mansuetudinem,& humanitatem requiritur illius , qui omnia cunctis se diligentibus præbet?nam qui spem suam in eo ponit,beatissimus omnino prædicatur. Melius est enim(ait)sperare in Domino,quã sperare in principibus,in quibus non est salus:imbecilla enim & fluxa spes in homines,tuta uerò & permanens,quæ Deo uniuersorum nititur.

THEODORI. Rectè post dictorum probationem beatitudinem constituit, cum non ambigua beatitudo auditoribus uideri debeat:nam cum ad sperandum in Domino hortatus esset, dixissetq; eos eius auxilium omnino consequuturos , ut ueritatem rei probationibus confirmaret,deinceps intulit:*Beatus uir,qui sperat in Domino,*dicens quod his ita se habẽtibus beatissimus est,qui sperat in Deo tanto dignatus præsidio.

BASILII.*Beatus uir,qui sperat in eum.*Quisquis semper uerbi desiderio tenetur,in solo Domino spem suam ponit.*timete Dominum omnes sancti eius,*Nisi timor uitã nostram instruxerit, fieri nõ pôt ut sanctificatio in corpore peragatur:confige(inquit)timore tuo carnes meas: Nam queadmodũ qui clauis confixi sunt, immota habent membra ad corporeas functiones obeundas,sic quibus Dei timor animam traiecerit,omnem agitationem ex peccati impulsionibus proficiscentẽ cohibet:Timenti ergò non est inopia,hoc est ad nullam uirtutẽ cõsequendam deficit, qui præ timore ab omni turpi actione recedit, sed pfectus est in nullo bono humanæ naturæ cõgruenti defectum patiens.Vt enim perfectus in corpore nõ est cui deest pars aliqua necessaria, sed mancus & imperfectus est ob eam quæ deficit,ita etiam qui in uno præcepto negligenter se gerit,propterea quod eo caret,imperfectus est,iuxta id, quod deficit.At qui perfectum timorẽ assumpsit,& omnia propter metum formidat , nihil peccabit,propterea quod nihil contemnit: Non habebit autem inopiam propterea quod in omnibus ipsi adest timor. *Psal. 118.*

CYRILLI. Sanctis iam & probę mentis,& uniuersorum Deum agnoscentibus acclamat. *Timete Dominum omnes sancti eius,*Sed illud fortasse à me quispiam quæret,qua ratione iam sanctis illud inclamat,*timete Dominum.* siquidem fieri non potest ut sanctus sit,qui non habet in se diuinum timorem?Num hoc absurdum erit, si dixeris : timuere enim primum,deinde sancti facti sunt?Hanc quoque rationem ordo rerum necessariò sequitur,quid ergo illud *timete*,hoc loco significare dicetens?sanè prò admiramini,& obstupescite,positum est.quemadmodum etiam cum Abacuch Ppropheta cum Saluatoris nostri admiranda mysteria admiraretur, Domine (inquit)audiui auditionem tuam,& timui.Consideraui opera tua & expaui.eosdem uero & mansuetos , & timentes Dominum & sanctos appellat.siquidem mansuetum uocat illum , qui morum moderatione præstat,quem necesse est huiusmodi timorẽ Domini habere:nam citra timorem Domini omne bonum est imperfectum:liquet autem quod qui Deum timet diligens quoque ac sedulus est mandatorum Dei obseruator , particeps præterea meritò fit sanctitatis.Varius autem est dictorum ordo : Nam prius illis præcepit,ut unà secum Deum laudent,qui hos ut omnes etiam saluos uult,cum uerò illi gratiæ fructus necessariò percipiant,affirmat ut morum similitudine ita etiam in donis pariter dignos fore,deinde illos confirmans ad spem habendam in Deum hortatur,siquidem spe opus erat iis , qui in his secum unà Deum laudaturi essent, ut quemadmodum firmiter sperantes probis , quæ facta sunt gratias credentes agerent, quo & ipsi opportuno tempore similia consequerentur . Quare firmiorem illis spem parans, ad hoc præteritarum rerum exemplis & decentibus beatitudinibus persuadet : Deinde stabilita spe, & adhortatione ad Dei laudes celebrandas peracta,Dominum quoque ut timeant,iubet,dicens, *In cant. Abac.*

potest: Nam corporeæ uoluptates plus molestiæ, quàm iucunditatis habent, nuptiæ, infœcunditates, uiduitates probra: agriculturæ sterilitatem, mercaturæ naufragia, diuitiæ insidias, & saturitates, delitiæ & assiduæ uoluptates uarias ægritudines, & perturbationes. Paulus quidem & inquisiuit Dominum, & nihil bonorum ipsi deĉuit, licet enumerare posis molestias corporis, qui bus per omnem uitam afflictatus est: ter uirgis cœsus est: semel lapidatus: ter naufragium passus, 2.Cor.11. per noctem ac diem in profundo maris fuit, in itineribus sœpe, in fame & siti, in ieiuniis frequenter, in lassitudine, in necessitatibus sœpius usque ad extremam horam, & esuriens, & sitiens, & nudus, & colaphis impetitus. Quomodo igitur non minuebatur corporeis bonis? euehe mentem ad id, quod re uera bonum est, ut consensum scripturæ noscas, & te ipsum in mentis perplexitatem non coniicias.

THEODORI. Cum dixisset non esse inopiam timentibus eum, maius quid deinde subiunxit. *Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, sic enim illos (ait) nullius rei permittit indigere. Quoniam longè facilius, & promptius est, ut inopia, & fame diuites affligantur, quàm ut qui diuinum auxilium cõsequitur, & à Deo salutem quærit ullius unquàm boni indigens fiat. Hactenus iustos alloquutus est, quos in spe erga Deũ confirmauit, præcipiens ut in iis, quæ euenere unà cum sancto Ezechia Deum laudent, & eos hortatus est, ut Dei timorem seruent: omnia uerò tanquàm ex persona Ezechiæ protulit, quoniam uerba huiusmodi illi prò tempore congruebant, Hinc deinde hanc seriem subsequutus enunciat, quę & suis subditis, & beato Ezechiæ maximè conueniant, ut nihilominus reliquos omnes huiusmodi adhortatione & exemplo instruere posint. Eadem quoque iis, qui Deo placere student, pollicetur, quæ sub Ezechiam in gratiam Israelitarum facta sunt, & rursus iis, qui malorum sollicitudine ualde afficiuntur, si obdurati in malis persistant, similia euentura dicit, quæ sibi contra Assyrios contigerunt. Cœterum consona psalmi argumento loquutus fidem dictis astruit à rebus gestis, siquidem huius rei causa aliàs sœpe, & in hoc psalmo passim, ubi alios adhortatur, similium rerum utitur argumento.

NICEPHORI. *Omni bono*, idest æterno.

CYRILLI. *Inquirentes Dominum*. Hoc est diligentes eum, & eius uestigia consequi satagentes, & ea perficere uolentes, quibus ipse lætatur, scilicet cuiuscunque uirtutis habitum indue re quærentes, nunquam rebus necessariis ad uitam indigebunt: nam eos, tanquã qui benè agere, & Dei mandata seruare decreuerint, sequetur diues cœlestium bonorum distributio, & terrestriũ bonorum participatio, non quæ illis delitias & luxum, & mundi uoluptatem afferat, sed quę ad alendam uitam pro corporis usu suppetant.

HESYCHII. *Venite Filij*, Venite (inquit) & iis, qui propè sunt, & iis, qui procul absunt, ut qui longè absunt, accedant propius, & qui propinqui sunt, proximiores ad huc fiant, ut Deo tanquàm patri obedientes diuinum timorem doceantur, & liberos se a timore demonum exhibeant.

THEODORI. Venite (inquit) omnes ad ea, quæ dicuntur, studiosè audienda. Filios autem ipsos uocat, affectum suum, & admonitionis sinceritatem ea uoce ostẽdens. *Rectè illud, timorem Domini docebo uos*, nam cum superius dixisset, timete Dominum omnes sancti eius, ne Domini timorem sanctis statuere uideretur, omnes conuocat ad audiendum. Venite (ait) timorem docemini: nã cunctis utilis & necessaria est timoris cognitio. ideo cum de sanctis mentionem facit, non dixit, *docebo uos*, sed simpliciter, *timete Dominum*. Sola enim recordatione illis opus est: ubi uero communem omnibus commemorationem ingerere uult, apposuit, *docebo*, utpotè qui doctrina indigeant: nam necesse est, ut hos omnes, multitudinem intelligas.

DIDYMI. Animaduertendum est quod quemadmodum cœtera bona, ita Domini timor docibilis est: ex quo, discimus hoc in loco non significari timorem illum perturbantem, & affectibus naturæ insitum, nam hic tantum abest ut doceatur, ut cœteris quoque animantibus ratione carentibus insit.

THEODORETI. *Venite Filij*. Cum æternam uitam, & quã maximè optandam ueluti quoddam prœmium amplectendum proposuisset, hortatur ad certamina.

BASILII. *Venite Filij*, Interni preceptoris uox paterna dilectione ad discẽdũ inuitãtis. Est enim discipulus spiritalis prǽceptoris filius, siquidẽ qui ab alio de pietate formatur, is quasi ab eo effingitur, & ad constitutionẽ ducitur, quemadmodũ infantes in utero matris ad perfectam cõ creationem conformantur. Vnde Paulus quoq; totam Galatarum Ecclesiam à prioribus discipli nis dilapsam, & uelut abortum passam rursus suscipiens, ac iterum in ipsis Galatis Christum

Dd for-

formans, filios nominauit: Vt quoniam cum dolore & angustia correctionem errore decepto Gal.4. rum faciebat, parturire se dixit animo propter dolorem eorum, qui prolapsi erant. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in uobis Christus. Venite igitur filii, audite me. quid ergò tandem docere nos uult spiritalis pater noster? Timorem (inquit) Domini docebo uos. quandoquidem præceperat superius ut Dominum timeremus, & lucrum ex timore profectum ostenderat, *Quoniam non est inopia timentibus eum*, Nunc etiam doctrinam quandam afferre de diuino timore: Nam quod oporteat sanum esse, quilibet uel idiota dicere potest, quo Psal.63. modo uero sanitas comparanda sit, hoc proprium eius est, qui artem medicam nouit. Non omnis timor bonus & salutaris est, sed est quidam hostilis timor, quem propheta deprecatur ne animæ suæ accidat, dicens. A timore inimici eripe animam meam. Hostilis enim timor est, qui mortis formidinem nobis incutit, qui personarum dignitates, & excellentias formidare nobis persuadet: Nam qui fieri potest, ut qui harum rerum metu concutitur urgente martyrio usque ad mortem peccato resistat? Et Domino qui prò nobis mortuus est, & resurrexit, debitum exoluat? Porrò qui facile à Dæmonibus consternatur, hostilem timorem in se habet, & omnis huiusmodi timor affectibus agitatus quædam quasi soboles incredulitatis uidetur esse: Nemo enim qui sibi firmum auxilium adesse credit, timet aliquem eorum, qui eum perturbare conantur. Timor autem salutaris, & sanctificationis adductor, timor qui consultò & industria non tamen ex animi ulla ægritudine accedit, qualisnam sit, uis ut exponam? Cum ad aliquod scelus patrandum te accingis, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi iudicium, in quo præsidet quidem iudex in excelso, & elato solio, Astat autem omnis creatura tremens ob gloriosum illius conspectum. Adducemur autem singuli ad quæstionem & examen uitæ nostræ singulatim faciendum, post ea illi, qui multa mala in uita perpetrauerit, horribiles quidam, & tristes Angeli astabunt, igneam faciem præ se ferentes, ignem efflantes ex propositi acerbitate, nocti uultu similes ob tristitiam, & odium in homines. Deinde profundum barathrum, & tenebra inpenetrabilis, & ignis luce carens in tenebris adurentem uim habens luce uero priuatus, mox uirulentum, & carniuorum quoddam uermium genus inexplebiliter comedens, & nunquam saturitatem sentiens, intolerabiles cruciatus corrodendo inferens, postremo supplicium omnium grauissimum opprobrium illud, & confusio æterna. Hæc timeas, & hoc timore eruditus animam à concupiscentia malorum ueluti freno quodam inhibeas. Hunc timorem Domini pater ille nos docturum promisit, non autem simpliciter docturum, sed eos, qui illum audire uoluerint, non procul collapsos, sed ob salutis desiderium accurrentes, non alienos à testamentis, sed ex baptismate adoptionis uerbi consortes, & ipsi coniunctos. propterea, Venite, dicit. hoc est, per bona opera accedite ad me filii per regenerationem filii lucis fieri digni facti. Audite qui aures cordis apertas habetis. *Timorem Domini docebo uos*, eum scilicet, quem paulò ante uobis descripsimus.

Quis est homo qui uult uitam? diligens dies uidere bonos.
Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.
Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem, ac persequere eam.

ATHANASII. Doctrinam gentibus exhibendam parat, cuius initium timorem Domini esse dicit. mox non detrahere fratri suo, deinde labia procul ab omni dolo cohibere, demum omni uitio carere, & studiis honestis incumbere, & in omnibus his pacem persequi, & eam amplexari. Pax uero Christus est. In exercitandis autem iis rebus uitam esse, & dies bonos collocari dicit. reliqua, ut Basilius.

Col.6. BASILII. Siquis (inquit) uitam optat non communem hanc, quam etiam bruta uiuunt, sed ueram uitam morte non intercisam. nunc enim (inquit) mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo; ubi uero Christus manifestatus fuerit uita uestra, tunc etiam uos cum ipso apparebitis in gloria. Vita igitur re uera Christus est, & nostra in eo uita uera uita existit, similiter etiam dies alii sunt boni, quos in promissione uates proponit dicens: *Quis est homo, qui uult uitam? diligens dies uidere bonos*, Dies enim huius seculi mali sunt: nam cum seculum mundi huius mensura sit, de quo dictum est, quod totus mundus in maligno positus est, simile est mundi ab eo demensi naturæ. Huius Eph.5. autem temporis partes sunt ipsi dies: quapropter dicit Apostolus: redimentes tempus, Gen.47. quoniam dies mali sunt. & Iacob, Dies (inquit) annorum meorum pauci, & mali sunt. Rom.7. Nunc igitur non in uita, sed in morte sumus: quare orans clamabat Apostolus. quis me liberabit à corpore mortis huius? Alia uero est uita, ad quam nos aduocat sermo. Et

nunc quidem dies nostri sunt ærumnosi, alii uerò dies boni sunt, quos quidem nox nulla intercidit: eorum enim lux æterna Deus est, qui luce gloriæ suæ eos illustrat. Ne igitur cum dies bonos audis, uitam hanc in promissionibus tibi propoui existimes, interituri enim ac labiles sunt dies illi, quos efficit Sol iste sensibilis, nihil uerò interiturum deces bonum esse pôt non interituro: Nam si anima immortalis est, dona quoque illius immortalia esse debent. & præ Rom. 7. terit figura mundi huius, quod si lex umbram habet futurorum bonorum, intellige mihi quæ Heb. 10. dam sabbata deliciis affluentia, sanctas ex diebus æternis neomenias festiuitates, & intelligas mihi secundum spiritalis legis dignitatem. *Cohibe linguam tuam à malo*, si cupis in diebus bonis esse, si uitam diligis, uitæ serua præcepta: qui enim diligit me, præcepta mea seruabit. Ioan. 6. primum autem præceptum est linguam à malo cohibere, & labia ne loquantur dolum. Ferè enim promptissimum est, & multiplex peccatum, quod per linguam perpetratur. Iratus es, & lingua præcurrit: in desideriis malis uersaris, & etiam linguam præ omnibus quasi lenam, & conciliatricem quandam habes adiuuantem peccatum, simulatione proximos decipientem. & instrumentum tibi est ad iniustitiam lingua, non ex corde loquens, sed ad fraudem composita. & quid opus est omnia uerbis complecti, quæ per linguam peccantur? Plena est uita nostra linguæ delictis, obscœnitas, scurrilitas, stultiloquium. quæ christianum minimè decent, detractiones, sermo futilis, falsa testimonia: Omnia hæc mala, & adhuc plura lingua ipsa facit. sed qui contra Dei gloriam os aperiunt, & iustitiam in excelsum effutientes coniiciunt, per aliud quàm per linguæ instrumentum impietatem non operantur. Quoniam uero ex ore tuo iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis, Matth. 12. cohibe linguam tuam à malo: & ne uanos tibi lingua mendaci thesauros compares, prohibeas quoque labia tua ne loquantur dolum; hoc est integrum instrumentum ad ministerium sermonis tibi datum à praua operatione cohibeto. Est autem dolus maleficium occultum ex meliorum simulatione proximo illatum. *Recede à malo, & fac bonum*, Nil aliud sunt admonitiones, quàm elementa quædam & introductiones ad pietatem, illæ quidem quæ linguam cohibere, à doloris insidiis abstinere, a malo recedere hortantur, Non enim perfecto conuenit recessus a malo, sed illi, qui recens elementa pietatis addiscit, euitare malum congruit, ne in malum deferatur, & a uia mala recedere, atque ita bonorum actiones, siquidem fieri non potest, ut bonum quis attingat, nisi prius a malo prorsus destiterit, & malum declinauerit, quemadmodum fieri non potest, ut non depulso morbo sanitas recuperetur, nec in calore esse quis potest, nisi frigus abierit. Hæc enim se se mutuò admittere nequeunt: sic cum, qui in bona uita futurus est, ab omni mala contagione discedere oportet.

C Y R I L L I. Quisnam (inquit) est homo, idest ratione præditus & intelligens, qui in inmensa secula uitam sibi comparare cupit, & indesinentem lætitiam, & perpetuam fęlicitatem consequi, sermones meos auditurus accedat, se ipsum intelligentia pauperem salutari instruat disciplina: nam Deus honestæ uitæ sectatoribus præparauit quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, modo qui instruitur operum factor sit: nam qui didicit, & nihil 1.Cor.2. facit, sterili & infœcundo solo comparandus est, quod sementem ab agricolis accipit, & nihil penitus reddit. sed qui sermonum auditor, & operum factor est, fertilis & fœcundissimæ terræ meritò conferendus est.

T H E O D O R I. Quoniam res gestas sub Ezechia narraturus, itemque diuinæ beneficientiæ, ac ultionis mentionem facturus erat, meritò dum mala prohibere hoc in loco quærit, ea in primis prohibet, quæ ab Assyriis acta interitus eorum causa extiterunt. Abstineas igitur te ab omni uerbo absurdo, & ab omni te dolo expurgare studeto, Hæc n. a Rapsace in primis acta sunt, qui perditè ac nequissimè loquutus est, cum superbè se sanctam ciuitatem Hierusalem desolaturum cōminaretur, neumq; nihil posse petulanter iactaret, sed rerum se potiturum arroganter assereret, cum Deus illos ab Assyriorum rege defendere non posset, perinde ac si nec cœteris gentibus Dei, quę apud eos erat, potentia quicquàm prodesse ualeret. Dolosa uerò loquebatur, cum illis & uberrimam terram, ut ea fruerētur, & ingentium bonorum affluentiam se traditurum pollicetur, modo sibi ciuitatem proderent, & regem suum intra mœnia admitterent.

C H R Y S O S T O M I. Diuinus sermo pagrans, & p singulos cāpos pcurrens tanquā luminaria cœli Ecclesiis contulit claritatē, qui sermo credentiū in Christū corda discutiens bonis malisque inclamat, *Quis est homo, qui uult uitam* iste offerens tantum munus, tam optandam lætitiā humano generi uniuerso, quasi omnes exilistis ad interrogationem hominis Dei dicentes, ego, sed qui uult uiuere audiat pręceptum, nec enim post homo hic accipere quod promittitur,

nisi seruauerit, quod iubetur. Ergo cum iste ore prophetico interrogaret corda omnia, & conuocaret omnes aures, & pulsaret omnium conscientias dicens. *Quis est homo, qui uult uitam*, & respondentibus, non in lingua, sed in conscientia & uolunt ate desiderii, ego. subsequutus adiunxit, *& cupit dies uidere bonos*. quasi huiusmodi sit interrogatio. Quis est homo qui uult uitam, & cupit dies uidere bonos? utrumq; desiderabile promissum ostendit, sed audi sequentia. *Cohibe linguam tuam à malo*, idest à mendacio, à furto, à superbia, à detractione, ab adulatione, à simulatione, & cum hæc feceris inuenisti uitam. & si labia tua non fuerint loquuta dolum, occurrent tibi dies boni: nam quomodo potest malo occurrere bonum, cum ipse bonus non sit.

THEODORI. Non modo (inquit) à malo recedas (non. n. id satis est) sed bonum quoq; sedulò operare, *Inquire pacem*, Quam pacē? Pacē in primis cū Deo habere conuenit, deinde cū hominibus, qui nobiscum fide ac sententiæ cōmunione coniuncti sunt. Ad Deum pacem habebimus

Rom. 6. si quæ Dei sunt, sequemur, ac sapere illa simul & pficere studebimus: etenim Paulus ait: iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum p Dominum nostrum IESVM Christum, nā per ipsū accessum habuimus, & familiaritatem lucrati sumus ad Deum Patrē. pacem ucrò cum ipso seruabimus, si quæ illi sunt placida faciēdo uiuemus, & optimis uitæ rationibus innixi honestis, & pulchris nos quibusque actionibus dederimus. Passim uero damnat uates Assyrios tanquàm belli studiosos. Cōsequenter ergò eam contagionem & labem illis interdicit, qua præcipuè laborantes illi grauissimum supplicium subiere, ipsos ergò ad pacem, & amicitiam colendam cum omnibus hortatur, monetq; ut belli, contentiones, & alia huius generis mala odisse uelint. sed cur magno studio recedere à malis, & bona sectari deceat, mox infert, cum quæ Assyriis, & Israelitis acciderint, tanquam omnino à Deo profecta exposuerit.

BASILII. *Inquire pacem*, De hac dixit Dominus, pacem meam relinquo uobis, pacem meā dò uobis non sicut mundus dat pacem, ego do uobis. quære ergo Domini pacem, & psequere eam, psequere autem pacem non secus ac is, qui ad brauium supernē uocationis exproposito currit. supernē enim est uera pax: nam quamdiu carni alligati sumus, multis, & conturbantibus nos coniugati sumus, quære igitur pacem solutionem à mundanis turbis. Compara tibi quietum animum tranquillum quendam & imperturbatum animæ statum, qui neque ab affectibus agitetur, neque à falsis dogmatibus per uerisimilitudinem ad assensum inuitantibus trahatur, ut pacem Dei omnem metum superantem, & cor tuum protegentem acquiras. qui pacē quærit,

Eph. 2. Christum quærit. quoniam ipse est pax nostra, qui facta pace duos in unum nouum hominem condidit, reconcilians per sanguinem crucis suæ, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.

THEODORETI. Vitium in primis uetat, mox uirtutis genera persequenda iubet, & præ omnibus commonefacit, ut linguam, ut labile membrum omni dolo, & iniquitate purgemus, linguæ autem labia coniungit, tanquā labia cū motionibus linguæ concurrāt. Declinare à malo primum, deinde facienda bona opera indicit, dicens. *Fac bonum*. Quęnam (inquit) est summa bonorū operū: *Inquire pacē, & persequere eam*: nam pacificus pacē in oibus amplectitur, nec dolo sē quæ proximi sunt subtrahere quærit, nec cœdes patrare audet, nec alieno toro insidiatur, nec obtrectat, nec malè agit, sed benè facit: rectè consulit, largè sua bona impertit, defendit, unà 'periclitatur, una certat: Talis est uera charitas, & sincera amicitia.

NICEPHORI. *Quis est homo qui uult uitam?* Ille audiat doctrinā meā, qui expetit uerā uitā. *Dies uidere bonos*. Dies boni sunt lux æterna cū uero & ineffabili gaudio. *Cohibe linguam tuam à malo* subiunxit hoc loco opera diuini timoris, qui initialis est, & labilem linguam prius iubet compescere, tanquàm membrum ad omne uitiorum genus promptissimum. *Declina à mal o*, cū de sermone docuerit, ad actiones moderandas consequenter progressus est.

Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

THEODORETI. Qui (inquit) hæc faciunt, a Deo optimo maximo aspiciuntur, & qui bona quærunt, consequuntur quod quærunt. Deinde dicta prius a contrario confirmat. *Vultus autem Domini*. Aspicit etiam eos, qui bonis contraria operantur, sed ita aspicit, ut mortis sententiam contra illos ferat. *Clamauerunt iusti*, præstò est autem iustis Dominus, eorum preces lubens admittit, & mirandum in modum illis prouidet, qui recta sunt mente. Hos enim contritos corde nominauit, quod in aliò psalmo dicit. Cor contritum humiliatum Deus non despiciet.

CYRILLI. Iustos aspicit Dominus, & cœlesti inspection e sua dignos facit. iusti sanè sunt, qui

qui sapere,& quæ sursum sunt quærere statuunt. Dilatat autem aures suas ad preces eorum, iniicit etiam uultum suum in operantes mala, non ut eius inspectione illos magis adiuuet, quemadmodum super iustos aspicere diximus, sed ut perdat de terra memoriam eorum. Terram (Matth. 5. 2. Cor. 6.) intelligo non istam, quam pedibus terimus, sed illam, de qua Saluator dicit: Beati mites quoniam ipsi hæreditabunt terram: non enim patet aditus malignis in cœlestem ciuitatem, nec sanctorum hæreditas peccatorum sectatoribus obuenit: nulla nanque pars est fideli, cum infideli, quemadmodum scriptum est. Aspicit ergo (inquit) iustos hilari facie tanquàm filiorum amãs pater, obseruans semper ne offensionibus diabolicis prolabantur, & laqueis eius irretiantur: sed potius illius gratia confirmati ad optima quæque sine fatigatione percurrant. Cœterum uultum suum in malos coniicit ut à delinquentibus, & eorum ministris, qui Deo multis modis aduersantur, Dominus agnoscatur. Durum & implacabilem, & ferè minacem intuitum in eos figens, ut quàm celerrimè ad extrema supplicia deprimantur.

DIDYMI. Iustis enim prospicit Deus: Oculos nanque hoc in loco non simpliciter uim aspiciendi uocat, sed id, quod beneficè, & prouidè à Deo perficitur. cum ergo iustos respiciat Deus, recede à malo & fac bonum.

HESYCHII. Nullo igitur tempore Deus à iustis abest, sed quando iusti manus eleemosinam facit, inspectorem habet Dei oculum: quando lingua orat aurem Domini ad audiendum (Act. 10.) trahit, & Cornelii benedictionem lucratur. Orationes tuæ, & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Domino.

BASILII. *Oculi Domini super iustos*, quemadmodum sancti uiri corpus sunt Christi, & mẽbra de mẽbro: (Nam Deus posuit in Ecclesia quosdam tãquàm oculos, quosdam ut linguas, alios (Eph. 5.) pedum, alios manuũ rationem habẽtes) ita etiam sanctæ spiritales potẽtiæ, & circa cœlestẽ regionem uersantes, partim oculi dicuntur, propterea quod uel nostri curam suscipiunt, uel sibi creditam habent, partim aures, quod preces nostras suscipiant. Nunc igitur inspectricem nostri facultatem, & precũ nostrarum potentiam susceptricem oculos, atque aures nominauit, quandoquidem omnis iusti actio Dei conspectu digna est. *Vultus autem Domini super facientes mala*, Vultum reor minacem, & horrendum Domini ad iudicium aduentum dici, quapropter etiam oculi Domini, uelut adhuc nos à longè uisitans iustum aspicere dicti sunt, ipsum uerò uultum appariturum esse ut omnem prauitatis memoriam de terra perdat. Non est autem quod uultũ Domini corporeo modo formatum mente concipias: Nã ita quoq; absurdũ esse uidebitur, quod à scriptura dictum est, partim quidẽ oculos illucentes iusto, partim uultum, qui feratur in malos, licet oculi citra uultũ, neq; uultus oculorum sit exors. Homo igitur non uidebit uultum Domini, (Exod. 33.) & uiuet. Angeli uerò pusillorum in Ecclesia semper uident faciem patris ipsorum, qui in cœlis (Matth. 18.) est. quare nunc fieri nequit propter circumpositæ carnis imbecillitatem, ut gloriosi conspectus uisionem consequamur. Angeli uero propterea quod nullum habent huiusmodi obtegumentũ, carni nostræ consimile, à re nulla impediuntur, quò minus faciem gloriæ Dei continuò intueantur. quare nos quoque ubi facti erimus filii resurrectionis, tunc pariter cognitione illa, quæ est faciei ad faciem digni iudicabimur. Tunc autem iusti quidem cõspectu Dei in exultatione dignabuntur, peccatores uero in iudicio, cum perdetur omne peccatum à iusto Dei iudicio.

HESYCHII. *Vt perdat de terra memoriam ipsorum*, Vel per supplicium, uel per ueniam: nam supplicio affecti extinguuntur, resipiscentes uerò & pœnitentiam agentes ueniam assequuti ueterem memoriam reiiciunt: siquidem non amplius tanquàm peccatores, sed tanquàm iusti in memoria habentur.

NICEPHORI. *Vultus Domini*. Videte etiam malos uultus Domini; sed ut de regione saluandorum eorum memoriã deleat. *Clamauerunt iusti*. Per clamorẽ intelligere oportet intentas & puras & intellectuales preces. Liberationem uerò à tribulationibus fortitudinem atque constantiam qua anima omnem afflictionis impetum superat, nec se uinci permittit.

BASILII. *Clamauerunt iusti*. Spiritalis est iustorum clamor, & in abdito cordis uociferationem habet, quæ ad ipsas Dei aures peruenire potest: Nam qui magna petit, & cœlestia precatur, hic clamat, & exaudiendas à Deo preces emittit. Iusti ergo clamauerunt nihil prauum, & terrenum, aut abiectum inquisiuerunt, propterea Dominus eorum uocem admisit, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos, non tam à molestiis eos soluens, quàm uictores, & superiores omnibus casibus constituens.

CYRILLI. Quod Deus se diligentiũ uotis annuat, & eorũ petitiones & uota ad optatũ finẽ illis perducat apertè ostendit: nam duo æquè magna & preciosa pariter munera proponit, Deum exaudire iustorũ preces, & eos non ex una, sed ex omnibus tribulationibus, quæcũq; illos inua-

ſerint,liberare:mirum enim in modum eos iſta ratione iuuat,nam magnanimiter, & uiriliter ad rectè facta componit,non eos qui hæc oſcitanter,frigidè,negligenter,ac languidè accedunt,ſed eos,qui quàm accuratiſsimè corpus ad ęrumnas,& afflictiones ſuſcipiendas pręparant,idque pręſertim pro rectè factis,quibus ſe Deo probare ſatagunt.

THEODORI. Iuſtos hic uocat Iſraelitas à cognitione ita denominatos Aſſyriorũ collatione.Ecce enim(ait)clamantes illos Dominus exaudiuit,& ab omni tribulatione liberauit.

Propè eſt Dominus his,qui tribulato ſunt corde,& humiles ſpiritu ſaluabit.
Multæ tribulationes iuſtorum,& de omnibus his liberabit eos Dominus.
Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.

BASILII. Per bonitatem ſuam Dominus omnibus appropinquat,remouet autem & longè nos arcet peccatum.Ecce enim(ait)qui elõgant ſe à te peribunt.propter hoc Moſes Deo appropinquare dicitur, & ſiquis alius ei ſimilis per fortia facta , & honeſtas actiones propius accedit ad Deum. Apertè autem uerba hæc aduentus Domini prophetiam continent,& cum ſuperioribus conſentiunt.illic enim dicebatur:*Vultus Domini ſuper facientes mala*, hoc eſt , ſecundum inſpectionis eius iudicium ad omnem iniquitatem perdendam fiet:hic uero: *Propè eſt Dominus his,qui tribulato ſunt corde*,aduentum Domini in carne prænunciat appropinquantem iam,& non procul diſtantem. Fidem uerò huius rei tibi faciat Iſaiæ uaticinium. Spiritus Domini ſuper me,eo quod unxit me,euangelizare pauperibus miſit me,ſanare contritos corde,prędicare captiuis remiſsionem, & cœcis uiſum. Quoniam ergo contritis corde medicus mittebatur,propè(inquit)Dominus eſt, uobis dico humilibus,& his , qui faſtum ſuum contriuerunt, lætos uos reddens,& ob futurorum bonorum gaudium ad longanimitatem inducens,contritio cordis eſt abolitio humanarum cogitationum . Qui res præſentes contemnit, ſeque Dei uerbo addicit, ac principem animæ ſuæ partem ſuper humanis ac diuinioribus cogitationibus immittit,hic ſanè fuerit,qui cor habet contritum , & non deſpectum Deo ſacrificium facit.Cor enim (ait)contritum & humiliatum Deus non deſpiciet,propè igitur Dominus eſt contritis corde,& humiles ſpiritu ſaluabit. Qui non iactantia effertur, neque ob res ullas humanas ſuperbit,hic & contritus eſt corde, & humilis ſpiritu. Cœterum humilis quoque eſt qui ſecundum peccatum ambulat,Nam peccatum maximè omnium humiliat; Qua ratione corruptam,& eam; quæ ſanctificationem uirginitatis amiſit humiliatam eſſe dicimus. Velut Amon (inquit) inſurgens contra Thamar humiliauit ipſam. Quicunque igitur elationem & petulantiam animæ reliquerunt, præ peccato in terram deiecti,& tanquã ad humum depreſsi ueluti ſerpentes gradientes ſe inclinant , neque ſe poſſunt erigere,hi humiliati quidem ſunt, non tamen ſpiritu, non enim commendabilis eſt ipſorum humilitas, ſed qui ſpiritus ſancti gratiam habent ſponte ſe ipſos humiliant , & inferioribus ſeſe ſubiiciunt,iuxta Apoſtolum,dicentes ſe eſſe ſeruos aliquorum in Chriſto, & omnium reiectamentum uſque in hunc diem. & rurſus : uelut purgamenta facti ſumus . Qui ſpiritalem humilitatem habent poſtremos ſe omnium collocant, ut primi fiant in regno cœlorum.Hos quoque Dominus beatos prædicat dicens:Beati pauperes ſpiritu.

Pſal.72. — Iſa.6. & Luc.4. — Pſal.40. — 2.Reg.13. — 1.Cor.4. — Matth.5.

THEODORI.Veruntamen(inquit)maximam humilium curam habet Deus quærẽs illos ſibi domeſticos facere,nam illud,*propè*,habitum ſignificat & affectum.Contritos uero corde uocat humiles,qui elatam nullam cogitationem habent,& ſe ipſos perquàm uiles abiectos & infimos exiſtimantes nullam de ſe magnam,& arrogantem opinionem habent,ſiquidem quod contritum eſt,infirmum appellare conſueuimus.

BASILII. *Multæ tribulationes iuſtorum*,in omnibus(inquit)afflicti,ſed non anguſtiamur. idcirco etiam Dominus ſuis diſcipulis dixit:in mundo tribulationes habebitis , ſed confidite, ego uici mundum. Quare ſi uideris interdum in morbis , aut defectibus corporis, in omni egeſtate & neceſſariorum inopia iuſtos eſſe,recordare quod, ; *Multæ ſunt tribulationes iuſtorũ; & ex omnibus his liberabit eos Dominus*.Qui uerò tribulationem iuſto non conuenire dicit;nihil aliud dicit,quã nõ conuenire athletæ aduerſariũ:quid ſi non decertet athleta, quas quæſo habebit coronarum occaſiones?Iam uero quartum dicitur in hoc pſalmo quomodo à tribulatione liberat eos Deus,quos uult liberare. Primum enim dictum eſt, *Exquiſiui Dominum,& exaudiuit me,& ex omnibus tribulationibus eripuit me*,Deinceps iterum,*Iſte pauper clamauit , & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus ſaluauit eum* . Et tertium.*Clamauerunt iuſti ; & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus liberabit eos*.Et poſtremum: *Multæ tribulationes iuſtorum,& ex omnibus his liberabit eos Dominus.*

2.Cor.4. — Ioan.16.

APOLINARII. Ad finem reſpiciendum eſſe iubet,& ſperandum eſſe hortatur; polli-

cetur

cetur enim quod à tribulatione liberabimur, & quod initio turbari non debemus si affligi contingat: ita.n. animam communire oportet, non tanquam laboraturam, sed ut à laboribus non uincatur.

HESYCHII. *Ex omnibus liberabit eos.* Olim sanè, & modò, & in futurum: nam si peccatores saluos facit multo magis iustos amplectetur.

ATHANASII. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Ossa uirtutes animi dicit, quæ sunt iustitia, tolerantia, pietas, & (ut paucis absoluam) uirtus omnis.

NICEPHORI. *Contritis corde* .i. propter peccata sua compunctis, *Et humiles*, qui habent animam humiliatam. *Et ex omnibus tribulationibus*, superiores omnium tentationum, & uictores ostendet. *Omnia ossa*: Ossa uocat omnes animam confirmantes cogitationes, quarum nulla peccati uiolentia contercetur.

THEODORETI. *Multæ tribulationes iustorum.* Siquidem permittit Deus eos in afflictionum palestram descendere, opem tamen affert; & eorum cogitationes, quas ossa uocauit communiens uictores eos malorum ingruentium facit. Nam quemadmodum ab ossibus tanquàm solidis corpus uniuersum fulcitur, sic anima per salutares cogitationes robur consequitur.

THEODORI. In mediis quoque tribulationibus positos, damno (inquit) immunes constituit, uires illorum omnes præseruans: Hoc.n.illud, *Omnia ossa eorum.* Significat, ut nullum eos graue periculum subire permittat. Iccirco rectè dixit. *non conterentur*, hoc est nullo erunt discrimini exposita. nam quod contritum est in multas difractum particulas reperitur, ita ut non amplius appareat.

DIDYMI. Iustorum ossa uel uirtutis dogmata, uel animæ uirtutes custodiet Dominus, non permittens illorum ne minimum quidem conteri, nec sententias ipsorum nec facultates ipsas euerti.

BASILII. Vtrum tandem oportet circa dictionem uersari, & expedita ac prompta sententia in aures nostras illabente contenti esse: quod scilicet ossa hæc carnis fulcimenta iustorū, propter ipsis à Deo exhibitam tutelam, non conterentur? Vel nunquid dum in uita iusti degūt ossa tantum incontrita custodiantur, ut etiam ubi iam corporeis uinclis soluti sunt, occasionem nullam futuram, ut iustorum ossa conterantur? Sed iam didicimus ossa multa iustorum in tormentis contrita fuisse, eorum scilicet, qui pro Christi attestatione uariis suppliciorum generibus se tradiderunt: nam persequutores aliquorum crura olim perfregerunt, & manus, & capita sæpe clauis traiecerunt, & tamen quis aduersabitur, & repugnabit non omnium iustissimos eos fuisse? qui usque ad martyrii perfectionem peruenere: An nunquid quemadmodum homo dicitur anima, aut mens humana, ita quoque partes ipsius iisdem nominibus cum corporis partibus appellantur. Sic sæpe nominat scriptura interiores hominis partes, ut cum dicit. Sapientis *Eccl.2.* oculi in capite ipsius, hoc est prouida & circumspecta, occulta & interior sapientis pars: Et rursus oculos pariter corporis & animæ intelligit, non solum in dicto à nobis allato, uerum etiam cum dicit: Mandatum Domini lucidum illuminans oculos. Sed quid dicendum est de eo, qui *Psal.18.* habet aures audiendi audiat? Liquet enim nonnullos meliores aures habere, quæ uerba Dei au- *Matth.11.* dire possunt. Verum ad eos, qui huiusmodi auribus carent, quid dicit? Audite surdi, & cæci oculos leuate. & illud. Os meū aperui, & attraxi spiritum. Et: dentes peccatorū contriuisti: *Isa.4.* hæc oīa relata sunt ad ministras animæ facultates, ad spiritalē alimentū, ad spiritalem sermonem. *Psal.118.* Huiusmodi est illud: ventrē meū doleo. Et: Pes iusti non offendet. Siquidē omnia hæc de in- *Psal.33.* teriori homine dicta sunt. *Ier.4.* Eadem quoque ratione ossa quædam sunt interioris hominis, quibus *Prou.3.* coniunctio & armonia animalium facultatum continetur. Quemadmodum ossa robore ac duritia sua teneritudinem carnis fulciunt, sic & in Ecclesia quidam sunt, qui ob propriam firmitatem imbecillium debilitates sustinere possunt: Et quemadmodum ossa corporis neruis, & ligamentis propè articulos & iuncturas connectuntur, sic sanè facit uinculum dilectionis & pacis; quod connexionem quandam & coniunctionē ossium spiritalium in Ecclesia constituit: De his ossibus à compactione & armonia solutis, & ueluti luxatis Propheta dicit. Dissipata sunt ossa no- *Psal.40.* stra usque in infernum. Quod si aliquando turbatio & tremor ea comprehenderit, orando dicit. *Psal.6.* Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Vbi uero propriam armoniam seruauerint à Domino custodita, ne unum quidem eorum contereretur, sed digna sunt ut referant gloriā Deo: inquit enim: omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Vidisti rationalium ossium *Psal.34.* naturam. Fortassis autem hoc Ecclesia dicit, omnia ossa mea dicent secundum resurrectionis mysterium. Hæc.n. (inquit) Dicit Dominus ossibus meis. Ecce ego fero in uos spiritum uitæ, *Ezech.37.*

&

& dabo super uos neruos, & reducam super uos carnes, & uiuetis, & cognoscetis quod ego sum Dominus. Hæc igitur ossa ubi uitam acceperint, gratias illi agentia, qui ipsa excitauerit, dicent, Domine Domine quis similis tibi?

CYRILLI. In peccatorum factoribus, in uoluptatibus deditis, in detentis à præsentis uitæ perturbationibus inesse nequeunt animæ ossa, cum iam contrita sint. At sanctorum ossa Dominus custodit, ut ne minimum quidem ex illis fracturam sentiat, nec contra eos diaboli feritas ingeratur, nec scelesti homines turbas seditiones ac persequutiones in illos excitent. Væ mundo

Matth. 18. (inquit Saluator) à scandalis, necesse est.n. ut ueniant scandala.

Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent.

Redimet Dominus animas seruorum suorum, & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

THEODORETI. Qui ergò uirtutem studiosè colent tot tantisque bonis perfruentur, qui uerò uitiis inquinati sunt, finem recipient suis moribus conuenientem. Cæterum qui Deum colere decreuerint, quique spes suas omnes in eo collocauerint, salutem ab eo consequentur, cum leges ab eo positas nullo modo delinquere noluerint.

Matth. 8. ATHANASII. *Mors peccatorum.* Animæ mortem intelligit, quàm sempiternus ignis, tenebræ exteriores, irrequietus uermis, fletus & stridor dentium excipiet: nam Geenna illos, & tenebræ suscipient.

HESYCHII. Contra uerò in peccatoribus finis molestus est & grauis, habet.n. abolitionem & interitum: quod ipsi Saul contigit, qui interiit, & regnum amisit, nec ipsum posteris reliquit, & duram proprio ense mortem subiit, & quoniam iustum Dauid odio persequutus est, grauem generi suo regni casum attulit.

DIDYMI. Qui se flagitiis addicunt, uita illa priuantur, quæ in obseruandis Dei præceptis comparatur, pessimæ morti obnoxii. Pessima autem mors est, uel quæ optimæ uitæ contraria

Iob. 2. est, uel quæ subiecto molestissima est. Sic enim ulcere pessimo affectus est Iob. id est, ulcere dolorem inferenti.

THEODORI. Aptè hic addidit illud πονηρὸς, id est, prauum & malum genus mortis, quasi dicat quod & horum mors praua: nam quemadmodum de iustis inquit. Custodiet illos in tribulationibus, ut nihil periculosum, aut non rectum quicquam accidere illis possit, eius prouidentiæ de illis magnitudinem ostendens, ita de peccatoribus contrarium dicit, quod eorum mors haud communis est; & similis cum reliquis hominibus, sed amplius aliquid & grauius habete, quod à rebus præsentibus astruit, cum ipsum hoc modo factum ostendatur: Nam qui cum beato Ezechia erant, urbem Assyriis obsidentibus afflicti, & uexati sunt, à multis affecti, nihil tamen graue, aut irremediabile perpessi sunt. Assyrii uerò & mortem formidabilem subiere usque adeò repentè, & inopinatæ Angeli cæde prostrati ac sublati sunt.

BASILII. *Mors peccatorum mala.* Accuratè illud, peccatorum appositum est, est enim quædam mors iustorum, non mala secundum naturam, sed bona. Qui mortui sunt, cum Christo, in bona morte sunt. At peccatorum mors mala est: nam eos tormentum ingens excipit, ut

Luc. 16. de diuite referunt Euangelia, qui purpura & bysso indutus splendidè ac lautè quotidiè epulabatur. *Et qui oderunt iustum, delinquent.* Qui quoniam in delictis uitam terunt, iustum odio persequuntur, tanquàm qui regulæ rectitudine, & iusti moribus, & meliorum propositione redarguantur. Itaque propterea quod in peccatis uiuunt, iustum oderunt metu reprehensionis, &

Isa. 29. propterea quod oderint, rursum in peccata prolabuntur: Nam multæ sunt occasiones propter quas iustum oderunt, libertas loquendi in redarguendo, nam odio habent redarguentem in portis, & sermonem sanctum abhominantur. Ambitio quoque & cupiditas loci nobilioris & principatus multos in odium præstantiorum inducit: interdum quoque ignorantia rationis de iusto, & quid sit iustus. *Mors peccatorum pessima.* Aut etiam uitam omnem mortem nominat, propte-

Rom. 7. rea quod carnem hanc Apostolus mortem appellauit, dicens: quis me liberabit à corpore mortis huius? Qui uerò malè hoc corpore utuntur, & ministrum omnis peccati ipsum faciunt, hi malam sibi ipsis mortem comparant.

HESYCHII. Qui iustum oderunt, iustitiam quoque odisse illos manifestum est, ut delinquere ipsos necesse sit: nam recessio à iustitia peccati comparatio & omnis iniquitatis occasio est. Scies autem hoc ipsum de populo Iudæorum dici, qui uerè iustum Dominum IESVM odio habentes, delinquere non cessant. Vnde & mors illorum pessima, nanque ad eum iudicem accedunt, quem in crucem egerunt.

THEODORI. Non modo hæc (ait) peccatores patiuntur, uerum etiam qui aduersus iustos

stos odio flagrant, in ęrumnas & calamitates incident. Hoc autem affert, ut ostendat quàm m gnam habeat Deus curam de iustis. Illud, *delinquent*, dixit prò, cadent, fallentur, aberrabunt, à scopo ob exercitatas in iustum inimicitias supplicia & pœnas Deo dantes: Nam delinquer e, aberrare, dicitur. Aberrare autem est proposito suo frustrari,& extra scopū consistere. Vn de peccatum ἄζοπον id est, locum non habentem in quo consistat,actionē uocamus, propterea qu od qui peccatum facit extra decorum constituitur.

HESYCHII. Quemadmodum illa de Iudæorum populo, ita hęc Propheta palàm de gen tibus narrauit, quarum animas Deus ab Idolorum cultu eripiens si bi uni seruire uoluit. unde eas non amplius delinquere ob spem in Deum concepta m prædictum est, non enim amplius Idolis inseruierunt, quod propriè delictum est.

DIDYMI. Animaduertendum est, quod redemptionis proprium est animas à captiuitate liberare, quod si corpora quoque interdum redimantur, non præcipua, sed adjacenti quadam ratione id facit. Atqui non aliorum, sed seruorum ipsius animæ redimuntur.

THEODORI. Quoniam seruos suos Dominus ab omni calamitate liberat, necesse est, ut qui odiosè, ac hostiliter in eos se gerunt, in supplicia cadant. Illud uerò *redimet*, prò, liberabit, positum est, translatione sumpta ab iis, qui in captiuitate detinentur, & indignè seruientes donis à seruitute redimuntur. Huiusmodi enim dona λύτρα hoc est pretia redemptionis uocantur.

NICEPHORI. Mors peccatorum praua, laboriosa, atque molesta, tunc.n.certius dignoscunt pœnas sibi repositas forè, *delinquent* .i. anima periclitabuntur. *redimet*, ab humanis nimirum & diabolicis insidiis, quas propria patientia superabunt.

CYRILLI. Nullus mortalium est, cui delinquere omnino conuenire potest: in multis.n. offendimus omnes, neque à sordibus quisque mundus est, ne infans quidem unius diei: hoc uero soli Christo Saluatori seruatum est, Deus.n.hominis formam indutus est. Nos uero à delin quendo immunes erimus, si tetra, & non ferenda, & ad mortem ducentia peccata declinauerimus: Non.n.peccatum omne est ad mortem, iuxta uiri sancti uocem. Luc.3. 1.Ioan.5.


THEODORI. Propter hoc dixit, qui iustos oppugnant, calamitatibus attriti à scopo suo aberrabunt. Qui uerò sperant in Dominum, ab omni malo liberi & immunes seruati non fallentur, nec frustrabuntur spe sua.

BASILII. Quoniam ab hoste capti detinebantur, misericordiam consequuti, propterea quod Domno inseruierunt, horum animas precioso sanguine redimet: quapropter nullus eorum, qui sperat in eo, in delicto examinabitur in secula. Amen.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS. XXXIIII.

Iudica Domine nocentes me, & expugna impugnantes me.



ESYCHII. Aperta est inscriptio Psalmi huius, sed in Dauid intellectualem referenda, qui etiam uerba precationis format, quę non diuinitatis ratione, sed assumptę carnis humilitatis respectu ęstimanda sunt. Quoniam si se ipsum depressit assumpta serui forma, non ab re tempore crucis orauit, & unà in afflictionibus constitutis orandi formam præscripsit.

THEODORI. Quæ Ieremiæ contigere hoc Psalmo uaticinatur Propheta, & eius personam indutus ea prædicendo loquitur, quæ uerisimile est ipsum, cum in facto esset, dixisse, hac maximè pluribus in locis consuetudine usus, ut ea dicat, quæ illos, de quibus uaticinatur, dicere decebat: Neque uero aliud Psalmus hic mutat, quàm personam populi Babilone cōmmorantis: Nam cum per ea tempora Propheta uiueret, atque ea proximè uentura prædiceret, quæ Prophetæ alii multo antè prenunciauerant, & pretera omnia pateretur, quæ à populo

pulo illi inferebantur, apertè de eo licet dicere ea loqui, ut ostenderet se iniuria ab illis affligi, qui ne Prophetæ quidem mox uentura prædicenti crederent, cum rerum euentus dictorum Prophetiæ proximè fidem comparasset. Cæterum non simpliciter de Ieremia uaticinium facit beatus Dauid, sed quæ populis uentura sunt, in uniuersum Psalmis pluribus uaticinatur.

THEODORETI. Hunc quoque Psalmum pari ratione protulit beatus Dauid cum fuga persequentem Saul declinaret. Meminit quoque malignitatis Doim, qui ea detexit, quæ de Abimelech feruntur, & author fuit, ut tot sacerdotes interficerentur. Mentionem quoque facit Ziphæorum & reliquorum, qui Dauid ipsi Saul prodiderunt, quod ipsa uerba docebunt.

ATHANASII. Proposita uerba dicuntur uel ex eius persona, qui in Deo maximè confidit, & ab occultis potestatibus oppugnatur, uel ex choro Apostolorum, quin etiam inducitur persona Christi ea narrantis, quæ cum pateretur, per Iudæos acta sunt ad patientiam & firmitatem eorum, qui propter Deum tribulantur.

EVSEBII. Ex Ieremiæ persona dicitur trigesimusquartus Psalmus, quod ipsa uerba ostendunt, si uerbis prophetiæ illius cum Psalmo conferantur, similia enim prorsus inuenientur, ut nulla hæsitatio sit, an persona alia sit inducenda, cui hæc conueniant. Et inscriptio nihil aliud indicat, nisi quod Psalmus est ipsius Dauid, significat.n. quod ab ipso Dauid editus est, in quem uerò dictus sit reliquum lectio declarabit. Statim ergo tanquàm indignabundus exorditur impietatem illorum detestatus, qui illum iniuria afficiebant. Habet uero Psalmus figuram quandam execrationis, est autem totus prophetia, nam quæ passuri erant impii precationis forma prędicit
Gen.49. Propheta. Multæ enim figuræ huiusmodi in scriptura reperiuntur. Etenim Iacob uidetur execrari Simeon, & Leui. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel. hoc sanè execrationis formam habet, res tamē uaticinium ostendit, nam diuisi sunt in duodecim tribus Leuitæ cum essent, sic Ieremias hoc in loco Prophetiam in orationis formam affert de iis quæ impios mala comprehensura sunt.

THEODORETI. *Iudica Domine nocentes me.* Pulcherrimus rerum ordo est, & precibus uiri iusti conueniens, petit.n. prius à Deo rerum opifice ut iudicio agat, deinde ut sic sui iudicii sententiam proferat.

CYRILLI. Persequutionem Propheta à Saul, & ab iis, qui cum eo erant, patiebatur, ut innotuit ex præcedenti Psalmo, ex quo etiam manifestum fuit quemadmodum cum se fugæ dedisset, eas ad Deum preces emiserit, qui sanè Psalmus quo tempore ipsum fugiens Saul in Nobe ciuitatem sacerdotum se contulit, dictatus est; Sed quod hęc ipsius Saul, & eius sectatorū causa non omnino dicta sint, alia quadam pia ratione considerare licet, siquidem adeo mitis & innocens inductus est aliàs, ut diceret. Si reddidi retribuentibus mihi mala, & reliqua. Quod autē
Psal.7. hæc non sola uoce protulerit, inde perspicuum fit: quod ipsum Saul sæpe habuit in manu sua, nec illi quicquam mali fecit. Considera igitur ne nobis putandum sit, hæc non de hominibus sed de occultis hostibus, & inuisibilibus potestatibus afferri, quæ laqueos illi ac retia tendentes insidias parabant, ut eum supplantarent, & à diuina statione propulsarent, quibus occurrens beatus Dauid, cum uideret nil sibi humanum subsidium, nil militares copias ad eos ulciscendos prodesse, ad magnum auxiliatorem confugit, & eum obsecrat, ut protector, & propugnator suus esse uelit, ac pro se bellum illud suscipere. *Iudica* (inquit) *Domine nocentes me. expugna impugnan-*
Psal.55. *tes me.* Alibi etiam dixit: Quoniam multi bellantes aduersum me ab alto. Qui ergò illum oppugnabant, hominem innocuum, & iniuriarum obliuiscentem, & nihil mali rependentem affligebant. Ipse autem orat non ut inimici læsionem ullam sentiant, sed ut manuum suarum iniustitia iudicentur obiecta illis Dei iustitia, quæ iniustitiam omnem delet, quemadmodum luce adueniente omnes tenebræ fugantur. Cum ergò Dei iustitię iniustitia aduersetur, & inimica sit, profectò ab ea impugnatur, unde etiam homo iniustus iusto inimicus dici potest. Cæterum iustitia est, quę iustum hominem in amicitiam Dei conciliat, quoniam similia similibus, paria paribus amica sunt. Quare meritò dicitur aliàs iustus Dominus, & iustitiam dilexit, & qui iu-
Psal.10. stus est sua iustitia fretus dicere potest: Iudica me Deus, & discerne causam meam. Cum ergo
Psal.42. Dominus iniustos iudicat, iniustitiam in illis interimit, ita quoque cum expugnat impugnantes iustum, id conferens in oppugnantium utilitatem confert, ut tandem ab odio in bonos & iustos exercendo desistant.

DIDYMI. *Iudica Domine nocentes me.* Nocere hoc loco, quod Grecè dicitur ἀδικεῖν damnum inferre significat, ut ibi: Ecce uobis dedi potestatem calcandi supra serpentes, & scor-
Luc.10.
piones,

piones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. *Expugna impugnantes me.* Quoniam multi falsa gloria, aut alia uitiorum forma impugnare me statuerunt, tu contra illos pro me arma capesce, quod si facies omnes proculdubio destruentur. Quoniam Deus conterens bella ab initio. Iudith.9.

ORIGENIS. Nihil æquè dæmonibus repugnat resistitq; ac cognitio, & iustitia.

ATHANASII. Oppugnantes Iudæos intelligit, qui cum in se pacem non habeant, bellum habent, & oppugnant Christum, qui est pax nostra, & iudicans & expugnans Deus benefacit, hos quidem iustos, illos uero amicos faciens, & impediens actiones, quæ in deterius prolabuntur.

HESYCHII. Qui per nos Christum oppugnant, hos expugnari, hoc est, eorum conatus irritos fieri rogat.

Apprende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me, dic animæ meæ salus tua ego sum.

Confundantur & reuereantur quærentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tanquàm puluis ante faciem uenti, & Angelus Domini conterens eos:

CYRILLI. Iudicio certat ciuili more uniuersorum iudex cum Iudæis, & Deum Patrem controuersiç intercessorem fieri petit: at beatus Dauid non ita aliàs orauit: nanque sciens hanc rem periculosissimam procubuit, dicens, non intres in iudicio cum seruo tuo: Vincet enim si iudicatus fuerit, & se in ius uocantes facile superabit: nam eos obiectorum criminum reos ostendet. Psal.142. Qui uerò Christum iniuriis affecerit, Iudæi (quemadmodum dixi) cēseri possunt: Nam Pater Filium misit ad seruos, ut uineæ fructus ab eis repeteret, illi uero uiso hærede mala illi pro bonis rependerunt. Considera uero quomodo illum oppugnauerint, primum illi crimen obiiciebant, quod se Deum, & filium Dei faceret, eumq; quantum ex se poterant, eiiciebant. Matth.21. Præterea cum ingentium miraculorum illum effectorem uiderent, conuiciari cœperunt, dicentes in Beelzebud principe Dęmoniorum Dęmonia eiicere. Demum nec credere illi uoluerunt, & Ioan.19. aliis quò minus crederent, impedimento fuere: Dixit ergò Christus: Vhæ uobis legis peritis, Luc.11. qui tulistis claues scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. Matth.12. Turpia etiam, Mar.3. quæ de ipso alibi dicebant, Dæmonium habet, & insanit, quid eum aditis? Ioan.10.

APOLINARII. Ad hominis similitudinem prorsus sermonem format, quemadmodum Isaias, ut quod in se fieri non poterat, Deo tamen facilè ostenderet, orat, ut prò se pugnet, scuto, lanceaq; armetur, & hostium incursus interposito munimento excludat, & propulset. Quod in Christo Isaias ostendit, cum à suppliciis iniquorum uenientem præuideret uestimento rubro, & sanguine alienigenarum cæde conspersо. Quis est iste (ait) qui uenit de Edon tinctis uestibus de Bozra, & reliqua. ut apertè constet ea, quæ ad Patrem diuino modo referuntur, Filii esse, & in filio omnia per fici.

CYRILLI. More humano formata est orationis figura: quinimo ostendit tantū non Patrem Filio assistere, atque instar bellatoris contra iniurias illi inferentes iratum insurgere, & eundem oppugnantes propulsare. Grauissimus ergò, & acerbissimus est Iudæorum impietatis exitus, si Deus inexpugnabilē potentiam suam tanquàm armaturam quandam obiiciat: Potentiam inquam inexpugnabilem, quā contra nefarios homines exercere consueuit. Arma igitur & scutum ut capiat Pater desiderat, inimicitias aduersus omnes gentes nobis manifestas his uerbis efficiens. Nihil prohibet etiam quin dicamus hanc esse adhortationem quandam Saluatori factā. *Apprende arma & scutum*, hoc est assumptis anima & humano corpore, cum mortem obieris, resurge in auxilium meum. Ezech.21.

EVSEBII. Quoniam in Ezechiele plurima de gladio dicta sunt. Gladius.n. (inquit) gladius exere te, & comede sanguinem uulneratorum. Et rursus: Terra si peccauerit in me immittā gladium contra illam: Hæc omnia contra hominum improbitatem intorquet, uti benignus in utilitatem eorum, qui ab ea deuicti sunt. Siquidem & bellum gerens seruat, tanquàm medicus, qui ad totius corporis incolumitatem malè affecta membra incidit, & comburit. His deinde subiunxit. *Dic animæ meæ salus tua ego sum.* Cum crederet omnino ac persuasum haberet, quod à Deo dicitur, successu carere non posse, sed prorsus ad opus deducendum, in hoc uero propriam quidem salutem recusauit, Domini uero salutare implorauit, & animæ suæ gratia concedi rogauit, ut ipse dicere posset: Viuo ego iam non ego, uiuit uerò in me Christus: ipse.n.est salus nostra: Gal.2. Hoc ipsum quoque significat nominis IESV, interpretatio. *Confundantur, & reuereantur.* Hoc.n.si à te factum fuerit Domine, & preces meas exaudiueris, confundentur ac reuerebuntur

tanquàm

tanquàm temerè me aggressi, & propterea quod conatus suos irritos uiderint. *Auertantur retrorsum, & confundantur qui quærunt mihi mala.* Non enim stabunt amplius ante me, sed terga dantes uictoriam mihi relinquent. fugientes uerò illos, & retrocedentes dispersio inuadet hat .n.(inquit) tanquàm puluis ante faciem uenti, & Angelus Domini coarctās eos, non amplius eos conuenire, ac congregari permittens, sed insistat coarctans eos, id est, puniens.

C Y R I L L I. *Effunde frameam.* Quoniam non simpliciter in eos gladium distrinxit, sed more fluuialis aquę effudit, liceat Iudæorum calamitates considerando perpendere: Nam post Saluatoris crucem opus frameæ facti sunt: nam gladiis eorum consumpti sunt, qui urbes, & uicos eorum combusserunt: quod etiam Saluator illis prædixit. *Luc. 21.* cum uideritis (inquiens) Hierusalem ab exercitu circundari, tum dicetis montibus operite nos, & collibus cadite super nos: Nā res Iudæorum eò calamitatis, & intollerabilis miseriæ deuenerunt, ut multò melius illis fuisset, sub saxis, & montibus confringi, quàm in crudeles cædentium gladios incidisse. quod autem cōclusi fuerint, hoc est, obsessi, nos docet de illorum gestis historia, concludantur ergo (inquit) qui me persequuntur. *Confundantur & revereantur*, cum tam amarum rete, & quo ad eius fieri poterat ineuitabile Saluatori tetendissent, & quasi laqueis mortis eum circundedissent, confusi sunt, & reueriti sunt, quando tanquàm Deus destructo mortis, imperio templum suum excitauit: reuixit enim, & surrexit à mortuis, & ad Patrem, & ad Deum ascendit in cœlos, tum sanè confusione turbati (ut dixi) & retrò conuersi sunt. quoniam uerò ad fidem non accesserunt, sed potius animam eius ad interitum quæsierunt, retrorsum auersi sunt, contemptibiles enim & despecti, & Deo inuisi facti ab eius familiaritate deciderunt, & bonorum, quæ aduentu suo Christus mundo inuexit, ieiuni, & expertes facti sunt, & præterea genus omne irreparabilis calamitatis illis illatum est, & impletum est scriptum de illis: *Abd. 1.* quemadmodum fecisti, *Isa. 3.* sic fiet tibi, retributionem tuam conuertam in caput tuum. Et: Vhæ impio malo iuxta opera manuum eius continget illi. quæ uerò Iudæi perpessi fuerint, scientibus narrare superuacaneū esse arbitror. Vnde confundi & subuerti illos contigit, & retrorsum in impurissimos spiritus, & ante alios in Satanam incidere, cuius agmina Iudæi sectantes uitę authorem cruci adegerunt. Poterit quoque dicere quispiam, & non aberrabit à scopo, quod hęc ad impios hæreticos aptari possunt, quoniam propositorum uersuum uis illis conueniat. *Fiant tanquam puluis ante faciem uenti.* *Ier. 49.* Iudæis alibi per sanctum quendam Prophetam à Deo dictum est. dispergam eos in omnem uentum: non.n.permanserunt in ciuitatibus, & uicis suis, sed dissipati, aduenę, hospites, & peregrini facti sunt. Isti ergò tanquàm puluis qui ab omni uento uersatur, esse possunt: nam *Psal. 1.* de illis alibi ita psallens Propheta dixit: Non sic impii, non sic, sed tanquàm puluis, quem proiiciat uentus à facie terræ. *Angelus Domini coarctans eos.* Et illud etiam hoc grauius est. Ingruet.n. Angelus, & omnem illorum afflictionē augebit, ita ut extremis quibusque calamitatibus *Exod. 12* *4. Reg. 19.* sint obnoxii. Sic dicimus Aegyptiorum primogenita, & Assyriorum centum octogintaquinque millia sublata esse. quando Rapsaces impias illas, & nefarias uoces iactitabat. Nam uenit (inquit) Angelus Domini, & interfecit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia.

T H E O D O R E T I. *Apprehende arma.* cum belli mentionem fecisset, necessariò armorū genera apposuit, ut armaturæ habitu malè uiuentes territaret: nam neque Deus indiget armis his, ut de impiis suppliciū sumat: nam satis est si uerbo agat ad extremam perniciem inferendam. *Dic animæ meæ.* Satis est mihi ad salutem sermo tuus: Et quoniam de armis mentionem fecit, meritò monuit Deū ministris non indigere, sed solo uerbo & hos suppliciis, & illos beneficiis afficere. *Confundantur & reuereantur.* Aberrent (ait) ab iis, quæ contra me machinantur, & fructus malitiæ illorum sit opprobrium. *Fiant tanquam puluis.* quod & in primo Psalmo dixit: Non sic impii, non sic, sed tanquàm puluis, quem proiiciat uentus à facie terrę.

T H E O D O R I. *Effunde frameam.* Apertius exposuit id Symmachus, Dixit enim, denuda lanceam, & obsepi aduersus eos, qui me persequuntur. Illud uerò, denuda, dixit, pro, *Effunde*, Nam quę ex uase effunditur aqua, uelut intus latens ab effundente profertur, & cernentibus fit manifesta: sic educto gladio e uagina promitur, & enudatur. Non dixit autem, euelle, aut, extrahe: nam uerba hæc laboris, & temporis opus habent. Sed *effunde* ab eo dictum, qui nullo negotio, & mira facilitate aquam effundat, ut Dei facilitatem in plectendis peccatoribus indicaret. Cumq; rem ipsam corpoream finxisset, aptam quoque uerborum consequutionem attexuit. *Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui me persequuntur.* Hoc est, prohibe illis fugam ne euadant. Mos.n.est, ut uis fortior ensem nudatum distringit, ut hostes in fugam uertantur, ita enim cadent omnes supplicio gladii.

A T H A N A S I I. *Dic animæ meæ salus tua ego sum.* Hoc abs tè (inquit) peto, ut animæ meę dicas,

dicas, te illi adiutorem forè.

THEODORI. Illud, *Dic*, exhortantis est, non sibi indicentis Prophetæ: non.n.hoc sibi mandat, sed dicas tu animæ meç,& annuncia te illam seruaturum: prò certo illi salus. Cumque de illis supplicium sumpseris serua me à periculis ereptum: nam sępe prò facto usus est, dixit. quẽ admodum & illud: dixit, quis uidebit eos? Quod.n.Deus dixerit uerbum, opus est; ideo uerbũ petit Propheta, ut qui salutem à se renuat,& eam, quæ in Christo est, postulet, ut iam & ipse dicere possit, uiuo ego, iam non ego, sed uiuit in me Christus. *Psal.63.* *Gal.2.*

HESYCHII. *Quærentes animam meam.* Quærunt animam, quàm capere nequeunt. Quærunt animam, quæ prò illis mortem subiit. Inuenies quoque dictum de Herode: Quęsiuit animam pueri, ut perderet eam, quemadmodum Angelus per somnium Ioseph allocutus est. *Matth.2.*

APOLINARII. *Fiant tanquàm puluis.* Sanè illis imminet hoc malum, ut scilicet dispergantur tanquàm puluis agitatus à uentis,& proiiciantur non quidem hominum manu,(hoc enim iusti potius ab iniquis pati solent) sed per Angelos quemadmodum Dominus ait: Exibunt Angeli, & selectis malis de medio iustorum congregabunt eos: Nunc uerò contraria inter se permixta sunt, sed tunciuxta morum diuersitatem separabuntur, quemadmodum rursus dictum est à Saluatore. Apud Patrem meum multę mansiones sunt. Post hæc cum superioribus petit, ut irrita fiant, quæcunque in illũ moliri conati sunt: hoc enim significat illud: *Confundantur, & reuereantur*, & reliqua. Deinde rogat, ut puniatur, & ita inquit. Adeo imbecilles fiant, ut in omne malum prolabantur, nec ad quodlibet supplicium subsistere queant, tanquàm puluis, qui uento agitari, & circumuolui solet, nec flatui ualet resistere, sed à spiritu potius transfertur: Non amplius permittas, ut qui in malo dispersi sunt, ultra ad illatum supplicium colligantur. *Matth.13.* *Ioan.14.*

NICEPHORI. *Apprehende arma & scutum.* Armaturæ specie scelestos perterrefacit. *Effunde frameam.* Euagina ensem, ob expolitam enim læuitatem suam ensis fundi quodammodo uidetur, cum euaginatur. *& conclude aduersus*, hoc est, obstrue uiam ante eos, ita ut effugere amplius manum tuam non possint. *Cogitantes mihi mala.* Cogitare mala, prò, considerare & studiosè inuestigare dixit. *tanquàm puluis.* q. d. inter fugiendum tanquàm puluis dissipentur. *Angelus Domini.* Subaudiendum est ante esto.

ORIGENIS. Si qui uicerit in bello, in seruitutem redigit hostes, Christus uero mundum uicit, (confidite.n.inquit, ego uici mundum) Christus igitur mundum in seruitutem redegit, ut omnes Christi serui fiant.

Fiant uiæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, superuacuè exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quàm abscondit, comprehendat eum, & in laqueo cadat in ipso.

APOLINARII. Viæ illorum tenebræ sunt, nesciunt enim quomodo impingunt. Hoc autem petit ut fiat, scilicet ut impiorum actiones tenebris obducantur, utpotè quæ cum tenebris conueniat: atque ut illi corruentes cadant, siquidem per lubricam uiam incedunt, quoniam nihil in malitia solidum ac firmum est, utque ab urgentibus Angelis acriter iactati deleantur, quod ipsi aduersus iustos facere solent.

CYRILLI. Sæpè inuenimus in euangelicis scriptis Dominum nostrum IESVM Christum, præsentiæ suæ scilicet quàm in hoc mundo exhibuit, utilitatem, in ira ostendere ac dicere: Ego lux in hunc mundum ueni. Quare cum Iudæi ueritati non credidissent, & oculos mentis suæ clausissent, in tenebris permanserunt: Et hoc nobis ante propheticus sermo inclamauit. Sustinentibus ipsum lux facta est illis: tenebras expectantes in obscuro laborauerunt, ut illud, sustinentibus pro expectantibus dictum sit. *Ioan.12.* *Esa.59.*

DIDYMI. Via impiorum uita est flagitiosa: quæ ergo ampla & spaciosa illis uidetur, fiat illis in tenebras omni luce carentes, sed & lubrica sit, ne possint in illa consistere, Angelo Dei illos persequente. Cęterum scito arma Dei esse Angelicas potestates.

THEODORETI. Vertè eos in fugam, & persequendi curam Angelis tuis committe: Ita .n.Assyrios interfectos, & Aegyptiorum primogenita exterminatorem Angelum sustulisse legimus. Tenebras aũt & lubricum, casum appellat, nam qui impingunt,& labuntur, corruere solent. Ostendens aũt precum suarum iustitiam subiungit. *Quoniã gratis absconderunt mihi.* Nã iniustis *4. Reg.19.* *Exod.12.*

me petierunt insidiis. Hoc autem uerbum. *Exprobrarunt*. Symmachus exposuit, suffoderunt. Innuit autem mortem, quæ clanculum parabatur: In ea (inquit) incidant, quæ instruunt aduersus me, & cadant in proprios casses, inopinatam sentiant captionem: hoc enim dixit illud. *Laqueus quem ignorat*.

CYRILLI. Circundentur ergò, & in tenebris ambulent, ad hoc etiam urgente Angelo Dei: non enim ratione præditæ ac sanctæ illæ potestates illis (ut dixi) propitiæ sunt, immò ut Deo inuisis & à diuina familiaritate reiectis illis aduersantur. *Quoniam gratis absconderunt*. Cum nihil meritò in eo reprehendere possent, eò uesaniæ, temeritatis, & audaciæ deuenere, ut

Ioan.8. mortis ac interitus illi laqueos contexerint, licet apertè dixerit, quis arguet me de peccato? Si ueritatem dico uobis, quare non creditis mihi? Vbi tamen nullum crimen repertum est, ibidem inexcusabile prorsus odium persequentium susceptum est, & nullum habuit solidum, & firmum fundamentum, & ueram occasionem hominem occidendi.

HESYCHII. Neque enim inimicitiarum aut odii iustam ullam occasionem aduersus IESVM habuerunt Iudæi, cur.n.pro hoste haberent eum, qui illos aluit, consolatus est, sanauit, uel quotus quisque (is modo sit homo) Deo inuideat? Nam qui superari non potest, & cæteris præstat, inuidentia caret: Vnde neq; Soli tanta luce prodito, nec aliis elementis inuidemus, utcunque illa ut nos, creaturæ sint.

EVSEBII. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui*, prò quo Symmachus ita uertit, quoniam sine causa absconderunt mihi interitum retium suarum: neque enim lacessiti à me & quicquam passi, sed gratis ac sine causa insidias mihi moliebantur, laqueum occultantes, quo interitum mihi præpararunt: licet enim per homines præcipuè me bello infestare uiderentur, siue per Saul, siue per alios, attamen ego non ignorabam & ipsius Saul inuidiæ, & in me odii authores, & reliquorum inimicorum meorũ instigatores: Alii enim erant, qui suos laqueos occultantes animam meam perdere nitebantur, qui, *Et superuacuè exprobrauerunt animam meã*, prò, quo Symmachus uertit: Sine causa suffoderunt animam meam. (ὑπώρυξαν suffoderunt, tanquàm per cuniculos insidiantes, ut igne furoris animam tanquàm turrim à firmitate sua & trãquillitate expulsam diruerent:) nihil enim intentatum reliquere, quo animam meam à lenitate, atque innocentia, in qua erat, expellerent, ut furore incitatus ad uindictam animum uerterem, & ipsum Saul aliquo afficerer detrimento. Hæc de multis inimicis suis loquitur, de principe uero illorum dicit. *Veniat illi laqueus, quem ignorat*. quæ à Dauid orando prolata, futurorum prædictiones, & eorum, quę mox erant uentura uaticinia extiterunt: nam sic & superius prophetię modo dictum est. *Confundantur & reuereantur*, prò: confundentur & reuerebuntur. & rursus: *Auertantur & confundantur*, *& fiant tanquàm puluis*, prò, auertentur & confundentur, & fient tanquàm puluis: Nam prædixit, quæ hostibus suis futura erant. Veruntamen non deerit aliquis, qui hoc de Saul dictum autumabit: nam ferè omnia hæc perpessus est: At nos non obliti eorum, quæ in principio Psalmi allata sunt, hæc etiam ad unum aliquem ex inuisibilibus inimicis, diabolum etiam malitia præpotentem referemus.

CYRILLI. *Et superuacuè exprobrauerunt animam meam*. An non temerè & gratis illius

Matth.12. Mar.3. animæ exprobrabant, cum & Samaritanum illum esse, & potatorem uini, ac demonium habere, turbas seducere, atque adeo in Beelzebud diuinas illas operationes edere asseuerarent? Iudęi ergò temerariè ac impudenter loquentes immutati sunt ab eo, iniquitatem aduersus Deum loquentes, & tollentes secundum Prophetæ uocem, cornu suum. Nunquàm uero laqueum, quem ignorauerunt, expectassent, id est, calamitates, quæ illos paulo post inuaserunt, deiecti enim sunt a populorum docendorum principatu, immò cum ipsis perierunt, & opus inimicorum, facti, capti, atque dispersi sunt. Veruntamen, quodnam (quæso) extremorum malorum fuit, quod illos non inuasit?

Act.1. HESYCHII. In Iudam proditorem, in Iudæorum populum, & in diabolum hoc dictum est. Nam Iudas laqueo sibi ceruicem fregit. Populus Iudæorum cum proximos illaqueare putaret, ipse illaqueatus est, & sub uenatione, & captura sua comprehensus est, frequenter quidem aliàs, præcipuè tamen cum milites sepulchro circumposuerunt: nam resurrectionis testes, ac præcones fuere. Diabolus quoque pariter cum laqueum crucis excogitasset, captionem suam, dum necem Domino intentaret, Iudæis occultauit, & per crucem de regno suo expulsus est. Quæ uerò nunc orando dicit, ea omnia tanquàm futura prædicit. Huiusmodi erat & illud: *Confundantur*, *& reuereantur*, quod & de diabolo horum malorum authore intelligi potest: licet id ipsum Sauli paulò post acciderit.

NICEPHORI.

NICEPHORI. Tenebræ, & lubricum, cum dicit, casum intelligit: nam qui in tenebris ambulant, facilè impingunt, & qui in lubrico uersantur facile cadunt. *Et Angelus Domini*, neque oculis, neque pedibus adiuti ab ipso etiam Angelo insequente urgeantur. *Quoniam gratis absconderunt*. Sine causa, & iniustè mihi interitum machinando parauerunt. *Superuacuè exprobrauerunt*, falsò exprobrauerunt. *Veniat illi laqueus*, Cuicunque hæc contra me paranti ueniat inopinata calamitas. *& rete quod abscondit*, Captionem recte appellauit, nam per hoc, & per laqueum insidias innuit, & machinationes. *Cadat in ipso*, in ipso inquam laqueo, quem idem illi disposuit, hoc est, iisdem conatibus pereat.

DIDYMI. Ostendit autem unumquenque iuxta factorum suorum rationem puniri, & pro optandi utitur imperandi modis.

CYRILLI. Captio, quàm Christo absconderunt, apprehendit eos, & in proprium laqueū
inciderunt, & capti sunt, ut dixi, in pœnas pertracti, & sub laqueum diuini furoris prolapsi sunt.
Et quemadmodum prouerbiorum author scribit. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorū; *Prou. I.*
nam qui cędis participes sunt, mala sibi egerunt, subuersio autem iniquorum mala, scriptum est.n. *Prouer. 62.*
qui lapidem uoluit, reuoluetur in eum.

THEODORI. Animaduertendum est, quod illud, ueniat illi, pro, illis, dictum est: nam singulari omnes complectitur. Ita sæpe qui à multis insidiis petitur, dicere solet. Punias Domine insidiantem mihi, non quod unus sit, qui illi insidietur, sed ut omnes sibi insidiantes complectatur.

CYRILLI. Venantes.n. Iudæi sanctum & iustum, ipsi præda hostibus facti sunt. & quilibet eorum suis propriis sceleribus constrictus fuisse uideri potest.

ATHANASII. In caput inimicorum laqueus reuersus est, cum.n. Christum ad mortem uenati essent, ipsi contrà capti sunt, & morti traditi.

ORIGENIS. In crucem ignorans diabolus incidit, nam si cognouisset, nunquam Dominum gloriæ cruci affixisset.

Anima autem mea exaltabitur in Domino, delectabitur super salutari suo.
Omnia ossa mea dicent, Domine, Domine, quis similis tibi?
Eripies pauperem de manu fortiorum eius, & egenum & pauperem à diripientibus eum.

THEODORETI. Ego autem Domine, & iucunditatem, & lętitiam propter bona tua consequar, & omnibus mēbris meis te solum esse Deum clamabo: Hęc.n. uerba, *quis similis sit tibi?* Significant te solum esse Deum, ac super omnes imperium tenere: non permittis enim debiliores à potentioribus circunueniri, sed & illos opprimis, & his opem affers.

ATHANASII. Qui ergò laqueum iecerunt, & mortis insidias contra Christum omnium seruatorem composuerunt, petulantiæ, qua in illum usi sunt, pœnas dederunt eo modo, qui paulò ante à nobis descriptus est. At anima mea (inquit) ab omni molestia perpetuò libera erit, cum præsertim perpetuò in Deo lætari debeat, & exultare uehementer in salutari eius.

CYRILLI. Meminisse nos oportet uerborum, quę initio Psalmi fecimus: Dixi enim Christi personam contra Iudęorum perfidiam inductam ferè clamasse, & uerba eius humilitatis conuenientia non euitasse, & humana magis quàm diuina consuetudine sępius per dispensationem assumptæ carnis mysterium fuisse loquutum. Ecce enim, ecce hic in Patris salutari se lætari dicit, ut qui ab ipso saluus factus sit, Sed & ipsos sanctos Apostolos, qui inspectores uerbi, & ministri fuere, & sinceri diuinorum præconiorum dispensatores inueniemus dixisse ipsum gloriā & imperium à Patre illi subiectis hostibus accepisse. Quando Christus aliquid humano more loquitur, id nos in utilitatem nostram conuertere debemus. Quod uerò etiam dicit, *Omnia ossa mea dicent, Domine, Domine, quis similis sit tibi?* Perinde est ac si dixisset, & omni uirtute, & fortitudine mea, & ex ipsis quasi intimis medullis profitebor, & incomparabilem mansuetudinem ac benignitatem regi uniuersorum tribuit.

DIDYMI. Qui omnia ex nudis uerbis & nihil per allegoriam dictum accipere uolunt, uel ex proposito hoc uersiculo redargui possunt. *Omnia ossa mea dicent*. Nam nihil est æquè stolidum ac putare sensibilia hæc ossa ullam Dei notitiam habere, ita ut Deum laudent, & cognoscant, quod nullus sit ei similis. De ossibus enim hominis interioribus dictum est, quod sunt animę uires, & dogmata ueritatis. Ab omni ergo intelligentia & dogmatum ueritate cofirmatum est, quod nihil ex iis, quæ oriuntur Domino simile est, solus enim est ipse imago inuisibilis Dei, & character diuinæ substantię.

EVSEBII. Animæ oſſa intellectuales ſunt eius uires, (ut antea diximus) hæ ab eius præſentia illuminatæ dicunt. *Domine quis ſimilis tibi? Eripies inopem de manu fortiorum eius*, niſi enim ipſe pauperi adſis, & auxilio tuo illum digneris, quis (oro) & quantus erit qui tot ac tantis hoſtibus obſiſtere ſolus queat? Hoc prçterea de Dauid iuxta nudam hiſtoriam cogitabis, qui cum fugeret à facie Saul, & ab iis, qui cum eo erãt, eo paupertatis deuenit, ut pane ac cibis neceſſariis indigeret, & coactus fuerit propoſitionis panes accipere: non enim propter delitias, & iuſtitiam elatus, nec itidem ut contemptor legis hoc auſus eſt, ſed præ nimia fame: ideo Saluator dicit. [Math. 12. Marc. 2.] Nunquamne legiſtis quod fecerit Dauid quando eſuriit? Atque ipſe quidem inops fuit cum paucis fugiens, qui uerò illum perſequebantur potentes erant: Nam & rex totius gentis Saul, & principes qui cum eo erant, & exterarum gentium duces omnes ipſo Dauid potentiores erant, quorum cum manus effugeret, adiutorem ſuum non ignorabat, & hæc quidem quatenus ad hiſtoriam. Si uerò occultos ac inuiſibiles inſidiatores animę iuſti intelligas, conſidera nullo alio nobis in bello adiutore ac Saluatore, quàm Chriſto eſſe opus, in bello inquam illo, quod cum latentibus inimicis, & animam noſtram eripere conantibus habemus.

THEODORI. Et pauperem, & inopem idem per diuerſa dicit, ut magnam ſignificaret utilitatem, & propterea non ſimpliciter dixit, ab inſidiantibus, ſed *ab eripientibus eum*. Inſidiantium multitudinem, & inſidiarum magnitudinem oſtendens: Aliquem enim diripi propriè dicimus, cum à multis malè tractatus in omnibus detrimentum patitur.

CYRILLI. Generalis ſermo eſt, & uerus de omnibus: nam pauperem ſpiritu, & quaſi contractum animum habentem, & ſpem ſuam in Deo collocantem flagitioſi homines & diabolicarum fraudum miniſtri pleni Dæmonum furore, atque ipſa ſçuiſſima impuriſſimorum ſpirituum multitudo more agreſtium ferarum per uim diripiunt & dilacerant: Strident enim & fremunt dentibus ſuis in eos, qui probitatem colunt, & qui ceruicem diuinis legibus libenter ſubiecerunt.

HESYCHII. *De manu fortiorum*. Scilicet Dæmonum: At Dęmones non natura, ſed quatenus ignauia noſtra permittit, fortiores ſunt, ſubſtantias noſtras ueras diripiunt, iuſtitiam, temperantiam, manſuetudinem: hæ ſiquidem uerę ac legitimę animi poſſeſſiones eſſe creduntur. Verum Chriſtus ab horum tyrannide pauperem & egenum redemit. Quoniam uerò inter egenum & pauperem nonnulli diſcrimen ponunt, Egenum fortaſſe dixit eum, qui ex Iudæis crederet, [Ier. 2.] pauperem uerò gentium ignobilitatem quæ à Dæmonum cultu deſiuit. *Dixit .n. ligno pater meus es, & lapidi, tu me genuiſti*.

EVSEBII. Conſiderabis autem num egenus diuerſus ſit à paupere, & utrum re ipſa an opinione idem egenus eſſe poſſit, qui à diuitiis quas habuerat, deciderit, & pauper, qui quæ ad uictum pertinent cum labore quęritare cogatur.

NICEPHORI. *Omnia oſſa*, Per oſſa intimam animæ gratiarum actionem denotat. *Quis*, id eſt, nullus. *Eruens pauperem*, omni humano auxilio deſtitutum, per inopem autem & pauperem ſuam tenuitatem maximè oſtendit. Diripientes etiam ipſos hoſtes appellat, habito nimirum reſpectu ad ſpem illorum, qui ſe eum direpturos ſperabant.

ATHANASII. *Omnia oſſa*, id eſt, omnes homines.

Surgentes teſtes iniqui quæ ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.

CYRILLI. Hoc in loco Iudaicæ perfidię mentionem Chriſtus apertè facit, & ea commemorat, quæ contumelioſè in ipſum furentes fecerunt: nam principes Iudæorum apud [Math. 25.] Pilatum eum inſimulantes conuiciis inceſſerunt, falſos nanque teſtes adduxerunt, qui teſtificarentur. Hic dixit poſſum deſtruere templum DEI, & tribus diebus exſtruere illud: Et cum ab eis quæreretur quare clamabant: tolle, tolle crucifige eum: mentiti ſunt dicentes, quia hic prohibet tributum dari Cæſari, & turbas ſeducit, falſò enim criminati ſunt eum, antequam in precioſa cruce pateretur, & aliis quoque modis ipſum conuiciis affecerunt: dicebant enim proximis populis, ſi hic eſſet à DEO, ſabbatum non ſolueret: obiiciebant item quod dæmo- [Math. 12. Ioan. 8.] nium haberet, quod temulentus eſſet, quod inſaniret, quod in Beelzebud miracula ederet.

HESYCHII. Qui in prætorio Caiphæ falſi teſtes deprehenſi ſunt, & qui IESVM iudicauerunt, iidem iudices erant & teſtes, qui eo iniuſtitię deuenere, ut ea obiicerent, quæ omnino non cognoſcebant licet omnia ut futurorum preſcius antea nouiſſet. At cognitionem hoc in loco eam intelligit, quæ experimento, & actione conſtat: Hæc enim ſcriptu-

ræ

ræ consuetudo est, quemadmodum illud. Lignum cognoscendi bonum & malum de quo Adam prohibitus est gustare, ne experimento disceret, quid inter bonum & malum differret: Iam enim habebat cognitionem sine peccato si in præcepti lege contentus fuisset. Verum hoc in loco rem gestam narrat; nam multi multa in Prophetam iactabant, & testificabantur, quod hostibus contra illos obsequeretur, quod animos obsessorum malorum fama deiiceret, quod urbem capiendam esse prædicaret, quod interdum è ciuitate exiens panem emeret: Et adductus accusator aliquis in ciuitatem dixit, quod ad Caldæos deficere uoluit, quod hac de causa quoque uulneratus, & custodiæ traditus, & in multis aliis contumeliose tractatus mala innumerabilia sit expertus. De iis igitur & similibus illud dixit. *Insurgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me.* Iniquos testes eos appellans qui calumniari illum conati sunt: Nam qui in rei alicuius testimonium adducitur per ea, quæ dicit, rei ueritatem confirmat. Testem iniquum uocat, qui contraria ueritati astruere nititur. *Interrogabant me.* Prò accusabant me: non simpliciter dixit, sed quoniam trahentes ipsum in iudicium interrogabant iudicij prætextu perquirendo quasi scilicet, quod actum esset, interrogando uellent addiscere. Eum uerò sine causa calumniantes pro arbitrio condemnabant. Illud ergò *interrogabant*, prò calumniabantur dixit, ab eo quod ab illis agebatur rei exitum seu scopum ad quem interrogando tendebant appellans. At si uerba interpreteris, iniquas eorum actiones ostendit, & iniustitiæ facti magnitudinem uerborum consequutione declarat.

Gen. 2. / Quære hanc historiam.

EVSEBII. *Insurgentes testes iniqui.* Non æquitatis, sed perfidiæ testes sunt, surgentes, ac se ipsos excitantes interrogant quæ ignoro: nam uir probus nil mali cognoscit, hoc est nullis flagitiis addictus est. Cuius rei testimonium est id, quod dicitur, qui custodit præceptum, non cognoscet uerbum malignum. hic enim illud, non cognoscet, non faciet, nec uerbo maligno inhærebit. Nanque absonum est, & à ueritate alienum existimare eum, qui diuinum præceptum custodit, uerbum malignum non discernere: nam cum boni & mali iudicium facere posset reliqua omnia uerba auersatus ad seruandum præceptum Dei accessit. Quod igitur dicit, huiusmodi est. Experientiam, uel cognitionem, uel sensum, & cogitationem malorum non habentem irritantes, (quemadmodum Aegiptia Ioseph) & seniores Susannam) me de illis interrogabant. *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Cum omne studium meum in præstandis officiis absque reprehensione ponerem, ut pacem quo ad eius fieri posset, cum hominibus retinerem, ipsi pro huiusmodi bonis mala mihi retribuebant, & mihi in omnibus aduersantes hostes & inimici erant, & liberorum fœcunditatem, quæ maximo honori esse consueuerat, animæ meæ eripere nitebantur: nam si eorum interrogationibus acquiescere, & fidem habere uoluissem, sanè talis fuissem, qualem me esse cupiebant, ac sterilis facta fuisset anima mea non amplius diuinos sponsi fœtus suscipiens. At si filii dicuntur doctoris discipuli etiam sic doctoris anima sterilescit, propter suos lapsus in offendiculum incidens, occidens eos, qui per imperium eius geniti sunt. Prò *sterilitatem*. Symmachus uertit, contraria aduersus animam meam. Quoniam proposita uerba his, quæ in trigesimotertio Psalmo dicuntur, coniuncta sunt: Illa quidem de historia Abimelech mentionem fecere, sub quo immutauit uultum suum, secundum ea, quæ tradita sunt. Hæc fortasse quæ prò manibus habemus ad illa referri possunt. Cum enim Saul à Doech didicisset fugisse Dauid ad Abimelech, & acceptis panibus seruatum esse, Domini sacerdotes interfeci iussit, & in primis ipsum Abimelech. Potest ergo Dauid hæc de persona ipsius Saul dixisse, quemadmodum etiam integer Psalmus ad illud tempus conferri potest, quo Doech falsum testimonium protulit apud Saul. At fortasse Spiritus sanctus approbans sacerdotum supplicia proposita turba clamauit dicens, *Iudica Domine nocentes me.* Quæ uerò de uno aliquo singulariter dicta sunt ut. *Veniat illi laqueus, quem ignorat, & Captio, quam abscondit apprehendat eum, &, in laqueum cadat in ipso,* possunt conuenire Doech. Atque illa: *Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* ex persona Abimelech dici possunt. Et hæc uerisimile est Dauid Prophetam dixisse. nam illi Psalmus inscriptus est Apostolico affectu dicturo. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror? Nam patiente uno membro uniuersa membra patiuntur. Cæterum aliter iniquos testes aliquis interpretari potest eos omnes, qui Dauid apud Saul criminabantur. Tum enim Ziphæi adeuntes Saul dicebant. Ecce Dauid latet apud nos: atque item alii aliàs quæ grata regi fore censebant facientes, & multa in ipsum falsa testantes, & obiicientes ea, quæ nec nouerat, nec cogitarat. Illud uerò: *retribuebant mihi mala* pro

Eccl. 8. / Gen. 39. / Dan. 13. / 2. Cor. 11.

pro bonis, ad ipsum referri potest: nam cum Saul sæpe à Dauid beneficiis affectus esset, illum contrariis rependebat, acerba enim & grauia in eius animam moliebatur. Verum sterilitas animæ est, cum semina sua, quæ in alios iacit, uel beneficiorum collatione, uel doctrinæ exhibitione, fructum non ferunt. Ita quoque Dauid cum multa in Saul bona contulisset, sterilitatem illi omnia peperere, cum beneficiorum, quibus illum auxerat, fructus dignos non ferret.

CYRILLI. Mos est diuinitus afflatæ scripturæ Filios illos uocare, qui iuxta diuinam institutionem eorum, qui eos instituunt, sacris initiantur. Etenim diuus Paulus ad quosdam scribēs ait, In Christo IESV per Euangelium uos genui. Et ad Galatas. Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis. Appellantur quoque filii sanctorum prophetarum eorum familiares, quique eos affectu, & disciplina sequebantur. Quod.n.illi, qui instituendorum ac docendorum Iudæorum munus acceperunt, nō permiserint à Christo quosdam erudiri, hinc quoque facilè ostendi potest: nam turbis (ut dixi) inclamabant Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Sanctos quoque Apostolos in concilio uerberibus cædebant, sæpe hanc diuinam institutionem illis obiicientes.

1.Cor.4. Gal.4.

THEODORETI. Calumniatus (inquit) fui, & de iis rebus accusatus, quas ne quidem unquam cogitaui. Quoniam enim Saul inuidia motus tyrannidem ipsum sumptuum suspicabatur, & propterea eum bello continenter premebat, unde ab iis occasione præreptа æmuli eius illum criminari non desistebant, huiusmodi homines falsos testes nominat, ex quorum numero erat Doim, & Ziphæi, & alii præterea multi. *Retribuebant mihi mala pro bonis*. Ego (inquit) audacem Goliath sustuli, iuueniliter in populum insultantem. Alienigenas sæpe debellaui, & cātando psalendoque spiritum uexantem Saul abigebam, ille tamen non cessat à persequutione, & à cupiditate captandæ mortis meę, & me abolere quærit. Sterilitatem itaque obliuionem nominauit: quoniam per filiorum successionem memoria conseruari uidetur. Iccirco Deus omnium conditor per Isaiam Prophetam dicit: Ne dicat eunuchus quod ego sum lignum aridum: quoniam hæc dicit Dominus eunuchis electis, quæ ego uolo dabo illis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo illis quod non peribit.

Esa.56.

HESYCHII. Iudæorum sterilitatem sibi ipsi ascripsit tanquam paterfamilias, & agricola.

NICEPHORI. *Sterilitatem animæ meæ*. Quoniam per filios memoria conseruatur, obliuionem illam, quæ per mortem fit, sterilitatem nominauit: *Animæ meæ*, id est, mei.

ORIGENIS. Sterilis anima est quæ nihil peperit boni, & nulli benefecit.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Et humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinum meum conuertetur.

THEODORETI. Hic addiscimus quem finem calamitates habituræ sint. Cilicio (inquit) præcinctus & inedia consumptus Deo preces meas effundebam, & precis meæ fructus accepi. Hæc enim clausula: *Et oratio mea in sinum meum conuertetur*, hoc significat, quę precibus à Deo petii, ea recepi, & gremium meum impleui.

EVSEBII. Præterea, quæ tradita sunt, considera num proposita uerba personæ Saluatoris nostri ab ipso Prophetice enunciata quadrare possint. Vide ergo etiam num in hunc modum sensus nulla alioqui ratione impeditus explanari possit. Esto igitur Saluator noster qui secundum humanitatem dicat ad Patrem suum quæ initio Psalmi dicuntur, usque ad illa, *Conclude aduersus persequentes me*. & nigesimoprimo Psalmo uerba ab ipso apertè dicta referuntur. Domine in adiutorium meum intende, & in Euangelicis orationibus uacasse scribitur, quin & factis omnia quæ scripta sunt, post præfractam contra se Iudæorum audaciam impleuit. Nam militaris gladius & Romanum bellum non sine Dei iudicio paulopost eos inuasit: nam Deus erat, qui per hostilem exercitum eos oppugnabat. Hoc idem Saluator ipse per similitudinem ostendit illis, qui ad nuptias uenire recusarunt, & nuncios occiderunt, dicens, Regem missis exercitibus urbem illorum incendisse: Atque ita quæ præ manibus habemus finem habuere. Cum iniuriis Filium Dei petiissent, uindicato ipsius sanguine damnati sunt. Et quoniam ipsi se ipsos sponte inimicos Christi constituerunt, expugnati sunt à Deo, scuto, & framea de illis supplicium sumpsit: nam diuino iudicio factum est, ut non occultè, & per inuisibiles quasdam potestates, sed per homines inimicos punirentur. cæterum est, quod mireris, quomodo dictum sit illud.

Matth.22.

effunde

effunde frameam. Non enim ut quondam separatim & peculiariter illos bellum appetiit, sed framea militaris aduersus illos effusa est, quare etiam dictum est, præueniet eos ira in finem, & alibi: effunde in eos iram tuam. At si quis Flauii Iosephi historias percurrerit, & didicerit quo- [Psal 68.] modo dum obsiderentur, fame & seditione interierint nullam de eo, quod hoc loco dicitur, admirationem capiet, *Conclude aduersus eos, qui persequuntur me.* Post hæc uerò solum Saluatorem decet Patri suo secundum humanitatem dicere. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum,* usque ad illud, ubi dicitur, & *Angelus Domini persequens eos*, Hæc uerò tunc impleta sunt, cum à metropoli ipsorum expulsi in omnes gentes dispersi sunt. Deinde dictum est: Fiat uia illorum tenebræ, & lubricum. Via illorum, per quam ambulabant, olim corporeus cultus fuit, qui tenebræ, & lubricum illis factus est, sed & Angelus Domini persequens eos. Hæc igitur præmia sunt eorum audaciæ, & temeritatis in Deum. Porrò uerba quæ dicta sunt à Saluatore audies non tanquàm illa hostibus imprecante, cum præceperit discipulis suis ut orarent prò calumniantibus, & persequentibus eos, sed ita percipies hæc tanquàm prophetice dicta, & quæ [Math. 5.] uaticinentur quæ in futurum illis immineant mala. Cur uero hæc illis impendere prædicet deinceps docet. *Quoniã* (inquit) *gratis absconderũt mihi interitũ laquei sui, superuacuè exprobrauerunt animam meam.* Et hæc quidem dicta sut de eorum multitudine, qui aduersus ipsum conspirarunt: quæ uerò deinceps sequuntur non de multis sed de uno fortasse Iuda prædici possunt, qui dolum celans, & amicitiam dissimulans osculo præceptorem prodidit. propterea de Iuda illud dici potest. *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum, & in la-* [Luc. 22.] *queum cadat in ipsum.* Atque hæc de his ita se habent. Ille uero sciens ad quem bonum finem peruentura esset illa omnis in eum insidiarum structura, hoc manifestè dicit: *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo, omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tui? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem a diripientibus eum.* In uigesimo primo psalmo ex prædicti Saluatoris persona dictum est. sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Vbi sermo Apostolorum dispersionem & fugam crucis tempore fa- [Zach. 13.] ctam significat: quando illud perfectum est: percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis: [Math. 21.] nam priores eius discipuli ossa illius fuere, qui cum dispersi sunt offendiculum in eo passi, quemadmodum ipse antea prædixerat. omnes (inquiens) uos scandalum patiemini in me nocte ista. post resurrectionem uero intuentes ipsum repleti sunt gaudio & exultatione iuxta illud, quod in hoc psalmo dictum est de ipsis: *Omnia ossa mea dicent, Domine, Domine quis similis tibi?* Aptissimè uero congruunt personæ Saluatoris quæ cum his coniuncta sunt. *Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* similia his inuenies in centesimo octauo psalmo ubi dicitur, & expugnauerunt me gratis, prò eo ut me diligerent, detrahebant mihi, & posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: sterilitatem autem illi peperere nihil non facienti, ut eos congregaret, & sibi regeneraret, quod quidem significat per ea: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmo- [Luc. 13.] dum congregat auis pullos suos sub alas, & noluisti? ita ergo retribuebant illi mala pro bonis, & sterilitatem animæ eius. Verum cum de his hæc prædixisset, humanitatem suam & tolerantiam malorum ostendit dicens. *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio.* prò quo Aquila mirabiliter sanè dixit. In ægritudine eorum uestimentum meum cilicium, Symmachus, in ægritudinibus eorũ indumentum meum cilicium. Theodotio & quinta editio, cum illi molestia afficerentur, dixerunt: Nam in malis eorum & animarum ipsorum ægritudinibus, cum Saluator animo commoueretur, luctus & lamentationis inditia dedit saccum pro illis indutus, quin etiam humiliauit in ieiunio animam suam, quod ipsum docuit dicens, tristis est anima mea usque ad mortem. & , Nunc anima mea turbata est, hæc enim humanitatis excellentia sustinuit, cum prò [Math. 26.] pereuntibus filiis tanquàm pater pateretur, & animo penè intabesceret. ideo de se ipso in prophetis dicit. Vir in plaga & sciens ferre laborem. & rursus: Hic portauit iniquitates nostras, & [Isa. 53.] prò nobis ingemuit: & iterum: ipse uulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. Vnde & infirmitatibus eorum & cum ipsi in malis essent, perniciem & extremum illorum interitum Saluator uidens prò illis saccum indutus est, & humiliauit in ieiunio animam suam, illi autem contra hoc agebant, ut eius prò illis habita oratio ad Patris aures non perueniret, sed tanquàm repercussa à magnitudine iniquitatum eorum ad ipsũ retraheretur, ac reflexa rediret. ideo dicebat. *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* nam si seruandi fuissent, & impietates abiecturi Saluatoris oratio recto cursu ad paternas aures nullo impedimento ac mora peruenisset. & hæc quidem mihi dum sententiam omnium dictorum in hoc psalmo inquirerem in suis locis considerata sunt.

DIDYMI.

DIDYMI. Alius ita dicit. Qui benè orat, eius oratio ad ipsum reuertitur bona referens
L iis, prò quibus acta est, & reuertitur in sinum eius, qui eam emisit. sinus autem mentem quæ prin
Ec.16. ceps est, significat, sic & illud: irrisio eorum in terra AEgypti in sinum eorum, & in sinum om-
Prouer.17. nia superueniunt iniquis. Ac omnes pariter iusti in sinum Abrahæ concedunt, hoc est in eius sen tentiam, & promissionem.

INCERTI. Sciens autem eos, qui molestias ab hominum perturbatoribus sentiunt, non opor
Ioan.3. tere languescere (ut dixit) sed saccum induere. sacci nomine luctum sacræ literæ appellant. Nam ubi Ionas Niniuitis prædicauit, induti sunt (inquit) saccis homines, & iumenta. Nam quomodo non absurdum esset dicere saccos iumentis prò indumento fuisse? Cum Rex Persarum edicto prohibuisset ne homines totum diem quicquam gustarent, nec pecora ad pabula ducerentur, & hic (ut reor) luctus fuit, quem sacræ literæ sacci indumentum uocauerunt. Alibi quoque uniuer-
Isa.50. sorum Deus dixit. induam cœlum tenebras, & saccum ponam operimentum eius: Nam cum
Luc.23. prò nobis omnium nostrum Saluator Christus cruci affigeretur, sol radios suos contraxit, & te nebræ obortæ sunt super terram à sexta usque in horam nonam. Hic ergo luctus cœli fuit unde illud. *induebar cilicio.* prò, lugebam, dixit.

APOLINARII. Ad suam (inquit) fortitudinem confugit, quæ Deus est. Deum enim quærit, qui ieiuniis & humilitatis moribus animam totam ad Deum inuocandum conuertens, & à corporis uoluptatibus temperans mente precibus intendit, & in animæ sinum totus illabitur.

CYRILLI. Quęnam sit ratio huiusce luctus illis afferas, qui uitam sanctè ac piè traducere consueuerunt, quod sequens uersiculus certissimè declarat: inquit enim: *humiliabam in ieiunio animam meam.* Et inde statim quæ sit luctus utilitas, & fructus sudorum, qui sanctos decent, indicat, dum dicit: *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.*

DIDYMI. quoniam delitiæ, quæ uoluptatum illecebras mouent, intemperanter animam extollunt, ieiunium contra purgat affectus, & laudabile illud ieiunium à peccatis facit, & dum uerè tristitiam parit, animam humilem reddit.

CYRILLI. *In sinu meo conuertetur.* Hoc est non inefficax aut irrita fuit, sed potius admissa, & grata, & quasi in sinus meos tradita: nam dona, quæ Deo offeruntur, in sinu su-
Deut.4. scipere quodammodo consueuimus. Cum enim Deus ad sanctorum preces intendat, quo-
Isa.52. modo despondere animum aliquis poterit ipso apertè dicente, cum clamabunt ad me, exaudiam eos, & rursus cum quis supplex accedit, Adhuc eo loquente dicam, ecce adsum.

ATHANASII. *In sinu meo conuertetur.* Hoc fortasse innuit illos in peccato persistere. nihil enim propter obduratam, & ingentem illorum malitiam profuit illis oratio ea, ita ut in ora utes eam reflecterent.

HESYCHII. Quænam erant, quæ pro Iudæis clamauit. Pater ignosce illis, quia nesciunt
Luc.23. quid faciunt: nam cum post peccatum Christi cruci adacti in blasphemias recidissent, oratio in Christi sinum, hoc est in Ecclesiam reuersa est: nam detrectantibus Iudæis nos peccatorum remissionem accepimus.

NICEPHORI. *Et humiliabam in ieiunio.* sine cibo meipsum consumebam. *Et oratio mea in sinu meo.* Et petitio mea effectum diuinitus sortita in meum sinum instar pretiosissimi doni reuertetur.

Quasi proximo, & quasi fratri nostro sic complacebam, quasi lugens & contristatus sic humiliabar.

Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignoraui.

Dissipati sunt, & non sunt compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.

CYRILLI. Singulis (inquit) ita placere studebam tanquàm unus ex affinibus & coniunctis cum illis essem, uel fratris locum tenuisse uiderer.

Mar.14. HESYCHII. Coaffectum in Iudam ostendit, ut eidem marsupium dare, & manus intingere secum in catino quasi fratrem & proximum permitteret. Frater complacens, idest placens illes dicitur, ut potè cuius opera in omnibus uteretur. Cõplacui sanè insidiatoribus tanquã amico, & fratri aliquis complaceret, & tanquàm iis compatiens lugebam, intuens eos per ea, quæ faciebant, mortuos: per quæ etiam deiiciebam me placans eum, qui me illæsum ab illis ser
Matth.26. uare posset. *Quasi lugens & contristatus.* Sed quando? cum dixit Apostolis, tristis est anima mea

usque

usque ad mortem. Animaduertendum est quod in præcedenti uersu de Iuda quasi proximum & quasi fratrem dixit, ostendens quod propter malitiam & iniquitatem suam non erat legitimus frater, licet illo tanquam fratre uteretur, hic etiam, quasi lugens, ait: neq; enim lugebat, sed uidebatur lugere, humanitatis imbecillitatẽ uolens ostẽdere. *Et aduersum me lętati sunt.* Herodes, Pilatus, Anna & Caiphas, & omne sacerdotum & Pharisæorum concilium. Hi siquidem aduersus Christum lætabantur conuenientes in unum, & ipsum propter inuidiam, qua in illum ardebant, interficere cogitantes.

DIDYMI. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, hoc dictum, superius potest interpretationem capere ab eo quod nunc dicitur. *Et aduersum me lætati sunt.* Nam cum ego doleam & lugeam propter mortem, quæ eos detinet, ipsi congregati lætitia efferuntur, & tanquàm mancipium me comprehendendum.

ATHANASII. *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*, Nullam enim causam cur me flagellis cæderent, in me comperiebam.

HESYCHII. Non quod uapulans ignoret, sed quod perturbationis & affectibus expers, superior erat: Hoc enim per Ieremiam Prophetam indicauit. Ego autem tanquàm agnus man- Ier.2. suetus ductus ad occisionem, & nõ cognoui: nam flagella ipsorum, quæ ad animum pertingebãt, illæsus permanens non sentiebam.

CYRILLI. Hoc est inflexa & sæua permansit eorum mens, sed ego (inquit) non cognoui. quid non cognouit? causam scilicet, quam propter me flagellis cæderent, & tàm crudeliter in me destruirent. eos propterea nulla pœnitentia duxit: nam cum nihil haberent, quod culparent, nihilominus in Christum furebant, licet diceret: quis arguet me de peccato? si ueritatem Ioan.8. dico uobis, cur non creditis mihi? ergò peccatum meum nullum (inquit) agnoui.

THEODORETI. *Quasi proximum.* Ego (inquit) me beneuolè in ipsum gessi tanquàm erga legitimum fratrem, & nolens ob rectè facta superbire, dolentis & lugentis hominis humilitatem imitabar. Hoc & historia docet: Nam cum illi Saul dixisset: tu fili mi Dauid? respon- 1.Reg.24. dit, seruus tuus Domine mi rex. & rursus: Cur sequitur Dominus meus rex post canem mortuum, & post pulicem uiuum? *Et aduersum me letati sunt.* At ipsi cum turbis me inuaserunt interficere sperantes. & subitò irruentes ignorantem me alligare conati sunt: Hoc enim dicunt uerba illa. *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Quod Symmachus sic est interpretatus. congregati sunt super me percussores, & nesciui: isti uerò spe sua frustrati sunt, & dissipati non egerunt pœnitentiam ob iniqua eorum consilia, sed iterum eadem agressi sunt. *Tentauerunt me, subsannauerunt me.* omnibus (inquit) modis negotium mihi facessere tentarunt libidinem ani- Matth.22. mi sui explere uolentes: Nam interdum dolosis uerbis utentes capere me in sermone conati sunt: interdum uerò more leonum dentibus fremuere. ego autem clamans dixi, *Domine quando respicies?*

HESYCHII. *dissipati sunt.* Hoc est irritati sunt: Nam clamantibus Iudæis reus est mortis, Pilatus respondit, Nullam causam inuenio in homine isto. Nec tamen compuncti sunt: Nam Luc.23. Iudæi non cessarunt donec Pilatus permisit ut eorum arbitrio crucifigeretur. uel, *dissipati sunt*, quando uelum templi scissum est.

ATHANASII. Dissipati sunt, dum alii bonum, alii malum esse dicerent, quod cum fieret, non tamen compuncti sunt, nec contra quem talia committerentur, intellexerunt, lætantium autem contra me consilium Deus dissoluit, nec tamen pœnitentiam egere, malè agere perseuerantes.

CYRILLI. Qui in Euangelicis scriptis uersatur, inueniet Iudæos hoc etiam ausos fuisse in eum, qui illos uocabat: Manifestum est enim multas & amaras illi tribulationes cumulasse, & sæpe ad eum accesserunt præceptorem quidem ipsum appellantes, cæterum laqueos illi & retia parantes: nam unà cum discipulis suis Herodianos miserunt dicentes, scimus quod uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim aspicis personam hominis, licet Matth.22. censum dare Cæsari an non? interdum uerò legis præcepta adducentes seque doctrinæ cupidos præferentes, aliquid ex ore eius uenari quærebant. sed tamen audierunt, quid me tentatis hypocritæ? non enim latere potuerunt eum, qui corda, & renes scrutatur, quique occultorum inspector est. quod uero illum subsannauerint, haud laboriosum est uidere ex iis, quæ de ipso scripta sunt: Saluator enim ac Dominus omnium dicit. Amen, Amen dico uobis qui audit uerbum Io.5. & 8. meum, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, addiditque paulò post, illum mortem non uisurum in ęternum. contrà uero illi obstinati & superbi occurrebant: cumque præ multa cæcitate quæ dicebantur, non intelligerent, resistebant illi dicentes. Abraham mortuus est, & Prophetæ

phetæ

phetæ mortui sunt,& tu dicis,siquis sermonem meum audierit, mortem non uidebit in æternum, & quem te ipsum facis? Tentabant ergò interdum,& nonnunquam subsannabant, frendentes super ipso dentibus suis diabolico furore,ac Dæmoniaca immanitate cor plenum habentes.*Sed tu Domine quando respicies?*

HESYCHII. Fortassè dentibus frenduerunt, tantum non IESVM mandere uolentes.sed stridor dentium malitiam quoque sermonum nominat.Hanc uolebat ut Pater respiceret tanquã testis futurus eorum,quæ illi insimulabant.

NICEPHORI. *Quasi proximum*,Saul intelligit.constructio indifferens. *quasi lugens*.nõ elatus fui propter mea rectè facta, sed maximè humiliatus sum, ut inuidiam reprimerem. *aduersum me lætati sunt*. qui mihi inuidebant lætati sunt, uires meas iam periisse credentes, & conuenerunt ut insidias aduersus me disponerent. *Congregata sunt super me flagella*, occisores, flagellatores aduersus me ignorantem huiusmodi eorum consilia congregati sunt. *dissipati sunt, & non sunt compuncti*, Dissipati sunt,cum me non inuenissent,ut sperauerant,& tamẽ non eos pœnituit.*tentauerunt*.omnem conatum,& omne tentamentum in me fecerunt,ut me perderent, interdum me decipere uoluerunt, (Hoc enim innuit illud, *subsannauerunt*)interdum uero palàm leonum instar in me feri desæuierunt.

EVSEBII. Dupliciter hæc(ut ante dixi)accipi possunt,aut enim hæc loquitur de se ipso Dauid,cum Saul eum persequeretur,aut propheticè de Saluatore à spiritu sancto dicuntur. prò, *aduersum me lætati sunt*, Aquila dixit Hebraicę lectioni inseruiens. in claudicatione mea lætati sunt,& collecti sunt.Symmachus me claudicante lætati sunt. quinta editio in infirmitate mea lætati sunt:quibus uerbis tempus illud significari arbitror,quo Saluator passus est,in quo secundũ
1.Cor.13. Apostolum crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei: nam sponte ac lubens nostri causa claudicationem sustinuit,cum prò nobis infirmitatem tolerauerit: nam ipse se infirmum fecit non ab alio uictus,sed excellenti uirtute forma serui suscepta exinaniuit semetipsum occultans & humilians ac se ipsum infirmum faciens usque ad mortem.congregati ergò sunt in claudicatione ac infirmitate ipsius,sed & flagella quoque & uerba eidem impegerunt:quod sanè in alio quoque Propheta ex ipsius persona significauit, dicente: Humeros meos dedi percutientibus,& genas meas uellentibus faciem meam non uerti ab increpantibus, & conspuentibus in
Isa.50. me.Hæc autem crucis tempore impleta sunt. Symmachus uero inquit,& euellentes non quiescebant. Porrò causam(inquit)nesciebam,cur me flagellarent,quoniam nullum iustum prætextum habuere,quo me tam miserè plagis excruciatum redderent.prò.*tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione*,Symmachus uertit: in simulatione fictis uocibus stridebant contra me dẽtibus suis.Multa cum his congruentia in Euangeliis reperire poteris:& ut Pharisæi accesserint tentantes eum,& ut interdum subsannauerint, & ut aliàs quoque dissecabantur ob multitudinẽ discipulorum stridentes in eum dentibus suis.

Domine quando respicies, restitues animam meam a malignitate illorum, à leonibus unigenitam meam.

Confitebor tibi in ecclesia multa,in populo graui laudabo te.

CYRILLI. Tu uerò rursus humanitatis formam & exinanitionis modum seruatum intuere ut rursus ipse Christus modestiæ forma & specimen inueniatur qui cum tanquàm Deus pati Iudæorum ausis pœnam irrogare posset,Patri tamen hoc faciendum remittit,ut rectè ad nos il-
Rom.12. lud diui Pauli referatur.Non uos ulciscentes charissimi,sed date locum iræ.

EVSEBII. *Domine quando respicies*. hoc reliqui interpretes dixerunt,quanta respicies. nam Saluator lenitatem,& nimiam Patris tolerantiam miratur, propterea dicit,quanta respicies? Deinde hortatur dicens. *restitue animam meam*,quod illi simile uidetur: Pater clarifica me cla-
Ioan.17. ritate quam habui antequam mundus esset apud te. Mox rogat ut unica sua à leonibus liberetur. Cum uerò uigesimus primus psalmus huic(ut prius indicauimus)similis sit,his quoque similia continet. *Salua me* (inquit) *ex ore leonis,& de manu canis unicam meam*, nam illic unicæ,& canis, & leonis non solum, sed & unicornium meminit dicens: & à cornibus unicornium humilitatem meam. quibus reor illum aduersarias potestates significare, quę crucis tempore unicæ animæ illius insidias struxerunt, *Vnicam*, Aquila,solitariam, Symmachus, singularem, uel solam interpretati sunt.Si uero hęc dicit ipse Dauid,non est difficilè his uerborum sensum accommodare.

CYRILLI. Cum Iudæorum impietatis passim mentione facta plurima de salutari passione sua dixisset,necessariò per ea,quæ proposita sunt, sermonem de resurrectione induxit: Nam Dei gratia mortem prò omnibus obiit,secundum id,quod scriptum est, sed non fuit à morte de

tentus

tentus. Cæterum licet Pater eũ restituere dicatur, illud tamen per Filiũ dicimus factum esse. Est enim Dei sapientia, & uirtus Patris. per leones autem intelligit uel malignas & aduersarias potestates, quæ tantum non fremuerunt aduersus Christum, uel fortè ipsos Iudæorum primates. ita enim per uocem Ieremiæ de illis meminit. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua, dedit contra me uocem suam, ideo odiui eam, unicam uerò animam suam uocat dilectam, nam qui ex filiis unicus est, multa semper charitate diligi solet. Ier.12.

DIDYMI. Vnicam uocat animam suam, quod solam illam haberet, non enim de fabulosis animarum tãsmigratione sermonibus eredẽdum est, an fortasse unica alia præter animam eius est substãtia spiritus, qui est animæ coniunctus, ista enim unica est, propterea quod ab omnibus, quæ in nobis sunt, iuxta diuinitatem sciuncta sit.

THEODORETI. Hoc autem, *quando respicies*, Non increpando dixit, sed hortando, & opẽ implorando, quando mihi aderis, & iniuriæ affecto opitulaberis? *restitue animam meam*, Redde animam meam omnibus machinationibus superiorem. *libera à leonibus*, & cum superius dixisset, *frenduerunt aduersus me dentibus suis*, cumque leonum proprium sit, frendere, meritò eos leones appellauit consilii sæuitiam, & immanitatem redarguens. *unicam meam*, Symmachus solitariam meam interpretatus est omni humano auxilio destitutam. *Confitebor tibi Domine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* significant uerba hæc in populo maximè uaticinium istud impletum esse: nam terra marique Diuus Dauid per credentium ora Deum celebrat: Ecclesiam nanque multam, & populum numerosum uocat Ecclesias, quæ per orbem uniuersum passim erectę sunt.

NICEPHORI. *Restitue*. Tu me libera ab eorum peruersitate, & in pristinam securitatem restitue. *in populo graui*, idest plurimæ multitudinis.

CYRILLI. Ecclesiam magnam in his uocat eam, quæ ex gentibus constituta est: & apposité admodum ut quæ innumerabili multitudine redundans Iudæorum gentem excedat, atque illi præsideat. Aliter quoque magna uocatur, ut quæ in Christo iustitiam habeat, & Euangelica institutione ad sanctificationem sit initiata: præstat enim spiritalis cultus legis cultui, & ueritas excellit umbratiles figuras: quare tum ex multitudine, tum ex uirtute magnã intelligere poteris.

HESYCHII. Cernis quomodo Christus Ecclesiæ personam induat: nam communem omnium nostrorum confessionem tãquàm propriam facit, sed quem nos populum grauem præter gentium populum omnino cogitabimus? Grauem hoc est constantem & stabilem permanentem, ex quo enim ad Deum accessit, nunquam à fide in illum recessit.

CYRILLI. Grauis populus appellatur tanquàm à Iudaica leuitate liberatus, qui nihil præceps agit, nec ab omni uento circumfertur, sed firmis uestigiis in fidei constantia persistit. Quin etiam martyres usque ad sanguinem Christum testificantes certamen tulerunt, & seruarunt qd scriptum est. usque ad mortem prò ueritate decerta. Eccl.4.

DIDYMI. Et Aliter Ecclesiam magnã, quæ ex multis sanctis congregata est. populus uero grauis, qui à simplici distinguitur, fortem ac constantem significat.

EVSEBII. Et uigesimus primus psalmus ex persona Saluatoris nostri dictus post uaticinium de cruce, mentionem facit de eius Ecclesia cum dicat, in medio Ecclesię laudabo te, Hęc enim & ibi dixit, post illud, libera à gladio animam meam, & à manu canis unicam meam, serua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Adiunctum igitur his illis est, Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio Ecclesiæ laudabo te. Atque cum hoc loco similiter dixisset. *Restitue animã meam à malignitate illorum & à leonibus unicam meam*, Addit subinde. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* prò graui, Aquila, osseo, uertit, idest robusto: ossa enim totius corporis ualidissima sunt ac robustissima. Fundatus igitur supra petrã grauis est, nec concuti potest aut diffringi. Confitetur ergo Patri, & gratias agit in Ecclesia illius multa manuum. Vere nanq; multa est hæc Ecclesia, quã in uigesimo primo psalmo magnã appellauit dicens. Apud te laus mea in Ecclesia magna. Pater ergo laudem filio perficit in ecclesia magna: Filius Patri confitetur in Ecclesia multa, ea nempe, quæ uniuersali Ecclesia constat.

Non supergaudeant mibi, qui aduersantur mibi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mibi quidem pacificè loquebantur, & super iram dolos cogitabant.

Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.

EVSEBII. An non perspectum est hæc in cruce Domini nostri adamussim perfecta fuisse?

se? Profectò qui illi insidias parauerunt, eo quasi deleto & uiribus confecto lætandi occasionē sumpsere. Quoniam uero Ecclesia ipsius multa & magna toto terrarum orbe resplendet, atque etiam nunc ipse in medio stans populo ipsius graui ac potenti præsitò est,& Patri suo per ipsum
Matth. 18. confitetur.(ubi enim duo,uel tres congregati fuerint in nomine eius, ibi est in medio eorum,) meritò si malis ipsius lętati sunt,ignominia & pudore suffusi auersi sunt. Quam enim inimicitiarum causam habuere,ut tanto in eum odio flagrarent?quocirca Aquila gratis,interpretatus est. Annuerunt autem oculis subsannantes eum,& eius sapientiæ præceptis detrahebant. Deinde
Matth. 22. mihi quidem (ait) pacificè loquebantur,dolos uerò cordibus suis & iracundiam uersabant. Por-
Marc. 12. rò hæc quoque finem habuere, cum Pharisæi occasione sumpta illi dicerent. Magister scimus quod uerax es, & sermonem Dei in ueritate doces,& non curas quemquam(non enim aspicis personam hominis,) dic ergo nobis licet censum dare Cæsari, an non?Hæc enim uerba fraudulenter præferebant,ideo prǫuidens hæc latenter significauit,dicens: *Mihi quidem pacificè loquebā-*
Matth. 27. *tur, & in iracundia dolos cogitabant*. At hoc sanè dolosè illum alloquebantur, cum uero affuit passionis tempus,clamauerunt petentes sanguinem eius super se,& super filios eorum:quod quidem prædictis quoque uerbis ostendit dicens: *Dilatauerunt super me os suum*. Demum cum traditus esset illis tanquàm ouis ad occisionem,& sicut agnus coràm tondente,& tanquàm mutus,
Isa. 53. uidentes eius supplicium clamauerunt, *Euge euge uiderunt oculi nostri*: *Vidisti Domine,ne sileas*, superius quoque dixit. *Quando respicies*, nunc, *Vidisti Domine*. Quid uerò uidit? quàm fraudulenter ad ipsum accesserint,& contra ipsum dilatauerint os suum,quodque imprecantes mala omnia clamauerint. *Euge euge,uiderunt oculi nostri*. Tu uero ô Domine,hæc uidens ne diù tam patienter sileas,sed adhibe iustitiam tuam,& eos iudicato & dic. Hæc fecisti,& tacui,& rursus, silui,num semper silebo?Cæterum humano more precatur,cum Patri suo dicat, *ne recedas à me,& exurge & intende iudicio meo, Deus meus,& Dominus meus in causam meam*. Nam quo tempore passus est prò nobis,huiusmodi uoces emisit,ut homo uerus ut pro nobis mortem sponte subire crederetur.

CYRILLI. *Non supergaudeant*, Siquidem nullus est illis lætitiæ locus relictus cum Ecclesiam eius magnam uiderint,& populum grauem : Non enim erat imbecilli & quasi deleti hanc
Matth. 18. continere,& conflare, & in medio horum stare iuxta illud, ubi duo,uel tres congregati fuerint in nomine meo,ibi sum in medio eorum,& reliqua ut Eusebius. Quàm uero gauisi fuissent Iudæi,& quales habuissent iracundiæ occasiones,si mortuus permansisset, hoc,hoc est si ipse pariter cum aliis intra inferni portas detentus fuisset, uel si post supplitia prò nobis lata neminem alloquutus fuisset.

THEODORETI. Hic quoque mentionem facit eorum, qui Saul in eum concitabant, qui amicitiam simulantes hostiliter & dolosè se gerebant, quod interius apertè magis declarat. *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur*, Nam blandis,& amicabilibus sermonibus utebantur, & tanquàm in terra iracundiam occultare nitebantur, sed dolis refertam mentem habebant,cumque in eorum fraudes incidisse putarent,apertas in me inimicitias exercuerunt cum clamore læta bundi ob meam calamitatem festinantes: Tu uero Domine iudex es,omnia inspicis, & nil tuum conspectum fugit,ne despicias ea,quæ facta sunt,nec me ope tua destitutus,sed iudicia,& celerē sententiam proferas.

Matth. 10. HESYCHII. Iniustè Iudæorum populus Christum odio persequebatur, Christum inquam, qui ad oues Israel,quæ perierant missus est, & eum gratis oderunt qui ne tenuem quidē illis odii occasionem exhibuit:qui & propterea dixit Apostolis: in uiam gentium non abieritis,
Matth. 21. in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis, ne offensi Iudæi prædicationem auersarentur; ipsi uero & cernentes IESVM annuerunt oculis,& inuicem dixerunt,Hic est hæres,uenite, & occidamus eum,& habebimus hæreditatem: Hos ergo Propheta non uult super se gaudere,sed gentes seruari cupit:nam nisi seruatæ fuissent,& pietatis fructum per fidem retulissent, illi criminari & subsannare potuissent, ut qui ad impios , & Idolorum cultores regnum transtulisset,ipsam quidem naturam(si fieri posset,) contra Dominum in calumnias compulissent os suum dilatantes. sed quomodo os impii dilatatur?Cum licentiosè quæ nec omnino proferre licet, & audacter loquitur:Nam istud sequentia ostendunt. Quid uero uiderunt,uitam in ligno suspensam,sed uidentes non crediderunt:ideo inani et perniciosa lætitia elati sunt existimantes eum in malis esse,quē ipsi cruci affixerant illum mortem uicisse nescientes.

CYRILLI. *Vidisti Domine,ne sileas*, A Patre petit ut in eos irruat,qui in eum concitati fuere,tantum non Patrem contestatus dicens, *Vidisti Domine,ne sileas*,quęrit ne amplius in illos Deus & Pater toleranter & patienter se gerat,sed quasi patientia correpta insurgat, & prò sceleri-
bus

bus in eum nefarie admisis supplicium de iis sumat. Hæc autem dicit, non quod ipse nihil agat & otiosus sit, neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Cum autem dicit. *ne discedas à me*, palàm ostendit maximum ad salutem perfugium esse, si Deum uniuersorum præsentem, & tuentem nos habeamus: nam qui diuini auxilii protectione muniuntur, tum de hostibus uictoriam planè referat, tum se oppugnantium insidias uiriliter propulsabunt, nec capi ab eis unquam poterunt. Ioan. 5.

NICEPHORI. *Et super iram dolos cogitabant*, per iram enim quam occultabant, dolosè cogitabant, quomodo ego periclitarer. *Et dilatauerunt*, Nouissimè uero me, & audacter accusabant, non clara amplius, aut submissa uoce. *dixerunt euge, euge*, Videntes inimici mei me fugientem, & in calamitate positum acclamauerunt uerba illa lætitiæ, euge, euge, seu, benè, benè res cessit. *Viderunt oculi nostri*, quæ scilicet optabamus. *ne sileas*, ne amplius sustineas & patiaris, nam qui sustinent, tacere solent.

Exurge, intende iudicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Iudica mihi Domine, secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Ne dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ, neque dicant deuorauimus eum.

Erubescant & reuereantur simul qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione, & reuerentia qui loquuntur super me.

DIDYMI. Quoniam cum tu mihi ades longè à me abeunt inimici, ne discedas à me, ne te apud me manente accedere illi possint. *Exurge*, ostendit quomodo eum reuiuiscere cœlestis Pater contra Iudæorum impietatem uelit: occiderunt enim multos ante ipsum sanctos prophetas, quoniam uero pari audacia & eodem improbo conatu filium inuasere, quomodo non oportuit homines audacissimos scelus tentantes extremis quibusque suppliciis destinare? quoniam uero Dei longanimitas somnus eius frequenter appellari solet, ideo confractis inimicis Dominum ad indignationem excitat, dicens. *Exurge Domine, & intende iudicio meo*. Hoc est ueritatem illam tuam omnia circumspectantem adhibe, ut quæ contra hostes meos admisi diligentissimè perquirantur: nam benè mihi succedet, quoniam gratis oderunt me.

CYRILLI. Iudicium sanctum Filio protulit Pater: non enim, non enim permisit, ut qui in eum sæuiebant, continuò illi insultarent, sed potius illorum risum extinxit, ne dicerent in cordibus suis. Euge, euge animæ nostræ: nam si Christus tantum cruci affixus, & mortuus fuisset: meritò dixissent, euge, euge animæ nostræ, & præterea deuorauimus eum: petit ergò tanquàm iustum iudicium, quod Patris iustitiam maximè deceat, ne permittat, ut eius interfectores diuitius contra ipsum risus moueant, & lætitia efferantur, nec sibi patienti supergaudeant. quoniam uerò Iudæi in omnem calamitatem & miseriam inciderunt, siquidem omnis eorum regio deuastata, bellum in eos grassatum est, qui uero crucifixus fuit, glorificatus est, Deo & patre illi dicente: postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. & præterea: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum, corruit sanè omnis Iudæorum fastus, & animus illorum compressus est, nec lætati sunt super ipsum. Psal. 2. Psal. 109.

EVSEBII. Cum enim (ait) in audaces inuectus fueris, & secundum iustitiam tuam eos iudicaueris, non amplius dicent in cordibus suis, euge, præualuit anima nostra: nam & si ore suo quondam hoc dixerint, non tamen *id in cordibus suis dicent*, nec dicent, *deuorauimus eum*, cum Ecclesiam meam in uniuerso terrarum orbe uiderint constitutam. Absorbetur enim qui semel in profundum abiecit, nec inde ultra reuertitur. sic enim aliquando mors potens deuorauit. Verum illic absorpti unde rursus regressi sunt. ideo dictum est, & rursus Deus auferet omnem lachrymam ab omni facie. Atque hic etiam licet ad tempus uisi sunt illum absorbere: non hoc tamen (ait) in finem dicent. Hæc quoque prophetice uaticinatur. *Erubescant, & reuereantur simul qui gratulantur*. Et hæc quoque (ut earum exitus probat,) ad personam Saluatoris nostri referri uidere possumus: ab eo enim tempore usque ad nostram ætatem abiecti & contemptibiles sunt qui quondam multis donis ornati, & aucti fuerunt. contrà uerò gentes, quæ ubique locorum Christum ab illis interemptum suscepere, ab errore multitudinis Deorum exemptæ sunt, & Deum in omnibus uenerantes perseuerabunt. Deinde alii ex illis ignominia affecti, ob ea quæ commiserunt, confusi sunt. Alii uero lætitia, & fiducia in singulos dies implentur, ut Mosis oraculum finem accipiat, quod Iudæorum populo indicit. Aduena, qui uersatur inter uos, erit superior te, tu autem illo 1. Pet. 5. Isa. 25. Deut. 28.

illo eris inferior: ipse caput tuum erit, tu illius cauda.

THEODORETI. *Iudica me secundum iustitiam,* Nam si morã feceris, & iustitiã protrahas illudent illi, & irridebunt, & dolores meos in gaudii sui argumentum arripient, & aduersam fortunam meam fęlicitatem propriam reputabunt. *Erubescant, & reuereantur simul,* dedecus accommodatum iis, qui proximis detrahunt. ideo elatis & magna loquentibus hæc imprecatur Propheta, ueruntamen, *Exultent, & lętentur qui uolunt iustitiam meam.*

HESYCHII. *Qui gratulantur malis meis,* Mala sua medicus uocat ægrotantium morbos, Christus ergò sibi hominum peccata uendicat, imò & amplius propter peccata nostra afflictus est, & propter scelera nostra attritus est, & rursus: & nos reputauimus eum afflictum, uulneratum, & malè habitum a Deo: propter hoc Dæmones gratulantes illicò sunt confusi, cum ui dissent, quod ubi abundauit peccatum, superabundauit gratia.

Isa.53.
Rom.5.

NICEPHORI. *Deuorauimus eum,* in ore scilicet gladij. *& reuereantur simul,* illud, *simul,* idē sibi uult, ac si dixisset, uno atque eodem tempore omnes confundantur.

Exultate, & lætentur, qui uolunt iustitiam meam
Et dicant semper magnificetur Dominus, qui uolunt pacem serui eius.
Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

CYRILLI. Nihilominus ad omnes pertinet intelligentiæ uirtus, qui & iustitiam eius quærunt, & pacem diligunt: quibus & exultationem & lætitiam dari optat, eam scilicet, quæ à Deo & Patre per ipsum impertitur: nam scriptum est de quolibet iusto. super caput eorum laus, & lætitia obtinebit eos: sed quænam sit ista iustitia quærendum est. lex enim quæ internuncio Mosè sapientissimo ueteribus per Angelos loquuta est, iustitia quidem sed non illius perfectionis, quemadmodum Diuus Paulus non dicit priorem illam culpa uacare, aut perfectam esse, sed posterioris, & secundę in Christo quæ per Euangelica oracula introducitur, & perfectissima est, typum fuisse, qui ergò hanc iustitiam uolunt, lętentur (inquit) & exultent.

Isa.35.
Heb.8.

EVSEBII. Principium prophetiæ iudicium & bellum contra iniquos, & prophetarum oppugnatores uenturum minatur. Medium mores illorum carpit, postremum confusionem & reuerentiam quibus tradendi erant, describit. summa tandem uniuersæ prophetiæ conclusio exultationem, lætitiam, & bona omnia illis annunciat, *qui uolunt iustitiam eius*: iustitiam eius dices illius diuinitatem. Nam ipse factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redemptio: Hanc ergò qui cogitant, (inquit) exultent, & lętentur, Hos quoque docet, ut semper dicant, *Magnificetur Dominus,* tanquàm amplexentur pacem in eum de quo hæc prædicantur, nam qui oderunt illum meritas dedere pęnas. Atqui pax eius illa esse potest quàm discipulis suis commendauit, dicens, pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Et hęc quidem hactenus de illis, qui uolunt ac diligunt pacem eius, & iustitiam illius uenerantur. quod uero reliquum est psalmi, hoc est, totius orationis conclusionem ipse de se obsignans dicit: *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.* His (inquit) factis in eos, qui me diligunt, & in eos, qui me oderunt, non cessabo meditari iustitiam tuam, & tota die laudem tuam, non omnibus diebus, sed uno tantum die, ipsoque perpetuo & infinito; nam mansio & conuersatio apud te unus est perpetuus dies. Meditabor autem iustitiam tuam laudando ipsam, qua tu, dum iustę iudicas, non unam gentem sed omnes quot quot sunt in orbe terrarum gratia, & uocatione tua dignati. Cœterum iuxta alium sensum sic accipies. Quoniam corpus sumus Christi, & membra de membro, sanè lingua eius appellari possunt diuinarum disciplinarum cultores, ut ad eos quoque proposita referri possint.

1.Cor.1.
Ioan.14.
1.Cor.6.
Eph.5.

INCERTI. Atque hic quidem author, & de Dauid, & de Christo, magis autem de Christo psalmum interpretatus est, Alter uero ad iustitiam indifinitè, alius ad Dauid solum retulit. Vbi uero mala hostibus imprecatur, unus ea prophetico modo prædicta esse dicit, quæ illis imminerent, alius ad utilitatem inimicorum hæc dici asseuerauit, ut erubescant, & confundantur, & resipiscant, & à uia, in qua ambulabant, in posterum discedant.

ASTERII. Cum Dauid mala inimicis imprecatur hoc facit, uel ut meliores fiant (pulsa

enim

enim argentum non probatum,& purgabitur) uel ut ita uerberati, & exerciti, leuius futurum iudicium experiantur, uel ut eorum flagellis alii erudiantur. cautus enim cum uidet insipientem acriter uerberatum eruditur, uel ut uitam eorum à morte & pernicie liberet, uel ut alii eorum flagella uidentes, ab eis eruditionem, & disciplinam accipere nolint, uel demum ne aliqui dicant,ubi est Deus Dauid? num liberat eum, & seruat eum? orauit autem ut expugnarentur non tanquàm hominum, sed tanquam uitiorum osor.qui uero in Christum baptizantur Christum,hoc est, iustitiam,& sapientiam induuntur.qui uero in Satanam baptizantur, confusionem referunt,& ignominiam.

CYRILLI. Si qui sunt qui ex sanguine Israel pacem illius uenerentur,hi figuras legis & umbras relinquentes,ad ueritatem,quæ iustitia est accedunt: quod diuus Paulus docet. Nos (inquit) natura Iudæi non ex gentibus peccatores, scientes autem quod non iustificatur ho- Gal. 2. mo ex operibus legis, nisi per fidem IESV Christi & nos in Christum IESVM credimus,ut iustificemur ex fide Christi,quod si ex gentibus considerentur qui per fidem uocati sunt, certè illam pacem amauerunt,qua Domino nostro IESV Christo conciliamur,deceptionem ac errorem,qui nos ab eo dirimit,euitantes,ac inimicitias dissoluentes,odium penitus abdicarunt, similia his sapientissimus Paulus inclamauit, inquiens:iustificati ergò ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM Christum quod si se Christus seruum appellat, nemo turbetur Rom. 5. secum cogitans,quod cum formam serui suscepisset,figuraque per omnia inuentus esset ut ho- Phil. 2. mo,se ipsum humiliauit.

HESYCHII. Sunt nonnulli,qui in eum magna effutiunt, hoc est illum conuiciantur, alii obloquuntur, purum hominem etiam nunc existimantes, qui infidelitate illum iterum crucifigunt, hos dedecore & confusione indui uoluit, ut ab illorum imitatione omnes deterrerentur: At qui iustitiam uolunt, exultent, & lætentur & dicant, *semper magnificetur Dominus, qui uolunt pacem*, serui eius, seruus Domini christianorum populus est: pretio enim (ut Paulus dicit) emptus est magno. pax uero illius crux est: in illa 1.Cor.6. enim inimicitias, quas nobiscum habebat, interfecit. Qui ergò pacem, quæ in cruce est, quærunt, hi in omnibus Dominum tanquàm magnorum miraculorum effectorem magnificabunt.

CYRILLI. Videas in his quoque humanitatis personam in Christo apertè expressam, siquidem cum tanquàm unus de nobis factus mores seruis conuenientes sequutus humanam iustitiam persoluere nunciatur: nam iustitiæ, quæ ad nos spectat, munus est in hoc accuratè intendere,ut assiduam, decentem, ac debitam Deo laudem meditemur, Christus autē tanquā spiritale sacrificium laudem & gloriam Patri suo tota die afferre dicitur.licet Israelitis, si pro acceptis beneficiis sacrificare uellent,umbra legis boues immolare præceperit, uel iugulare, aut tur- Leuit. 5. tures,aut duos pullos columbarū, aut placentas,ac oleo similam conspersam offerre: At in Christo figuras dominari non decuit.

HESYCHII. Lingua Christi sunt sacerdotes unde in sacramentis absoluendis, uerba quibus gratias agunt, ex Christi persona loquuntur.isti Patris iustitiam,& laudem meditantur narrantes quod seruauerit humanum genus,& docentes quomodo ab inuisibili creatura laudetur, uel iustitiam Patris Filium,laudem uerò spiritum sanctum intelligas:nam nemo sine spiritu sancto illum laudare potest.tota igitur die Christum & Spiritum Sanctum unà cum Patre sacerdotes glorificare non cessabunt.

THEODORETI. *Exultent & lætentur*,qui bona quærunt,& pacem meam expetunt.& cū uiderint me pacem consequutum fuisse te Dominum laudent. *Et lingua mea meditabitur iustitiā tuam*, Cū auxilii tui cōpos factus fuero,dies noctesq; oīa mandata tua meditabor, & ꝑpetuò beneficia celebrabo. Hoc.n. *tota die*, omnem diem Symmachus uertit continuationem significans, psalmus igitur hunc habet finem.Cæterum legentes monitos uelim, ne ullam ex iusti hominis precibus offensionem accipiant,nec inde ansam obtrectandi arripiant inimici: Nā scire oportet Prophetam hoc in loco statum legis,non euangelicum institutum attingere.lex.n.ait, ut proximos diligamus,& inimicos odio habeamus;at Dominus christus,perfectam uirtutem preferēs, Matth. 5. inquit: dictum est antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicū tuum,ego autem Rom. 12. dico uobis diligite inimicos uestros, & benefacite iis, qui oderunt uos. Affinia & consona his diuus Paulus asserit: Benedicite, & non maledicite, in hoc igitur discrimen spectantes discite quid legi, & quid gratiæ conueniat. propterea beatus Dauid non execrando, sed uaticinando prædixit ea, quæ omnino futura erant, alioquin audite eum ex Euangelica lege iniuriarum oblitum iniuriosos non ultum fuisse. si reddidi retribuen-

ibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat: nō enim hæc dixit, & non præstitit, siquidem cum bis hostem in manus suas incidisse contigerit, nō modo ipsum non interfecit, sed eos qui occidere uolebant, prohibuit: sed & in prælio occisum defleuit, & nuncium mortis eius nimis exultantem, & iuueniliter se iactantem, quod ipsum occidisset, morte mulctauit. Hęc autem percurrere coactus fui propter illos, qui garriunt maledicentes, & Dauid in medium proferunt, ut ingentem ipsius Dauid sapientiam utilitatis exemplar habeant.

1.Reg.25. & 26.

Nicephori. *Iustitiam meam*, idest qui uolunt id, quod iustum est in causa mea, *meditabitur*. idest continenter annunciabit. sciendum est autem quod plura ac potiora præsentis psalmi uerba Christo Domino accommodari possunt aduersus ingratissimos Iudęos.

IN FINEM SERVO DOMINI IPSI DAVID.

PSALMVS. XXXV.

Dixit iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.



Cirilli. Illud, *IN FINEM*, quid sit, quamq; habere significationē intelligatur, aliàs sæpe tum à nobis, tum ab aliis explicatum est, unde molestum fortè fueris id ipsum repetere, quod uero, *SERVO DOMINI DAVID*, propositum canticum, siue oratio inscripta sit, ostendit dicere ipsum ad personam beati Dauid referri, utpotè qui sanctus sit, & mentis suæ collum iugo Dei subiecerit. Nam alicubi de ipso Deus beato Samueli dixit, inueni Dauid filium Iesse: uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Virtus ergo precationis diuino Dauid merito accommodatur, quod siquis alius Dei seruus reperiatur, qui sancto dignam & sacris legibus consentientem uitam ducat, ipse quoque hac oratione ad Deum uti poterit, nam uis eius illorum accusationem continet, qui in peccata penitus declinarunt, & ignominiosam, despectamque uiuendi rationem absque lege sectati sunt. Mox Dei lenitatem, ac tranquillitatem dignis, & illum decentibus laudum præconiis exornat, & eius munificentiæ amatores format eos, qui illi constanter inseruiunt, & illi uitam propriam consecrarunt, sub finem uero supplicia, quæ iniquos manens, exponit, seque ipsum modis omnibus, ac reliquos ad sanctam, & immaculatam uitam hortatur, orationem uero sic exorditur. *Dixit iniustus.*

1. Reg. 9. Act. 13.

Evsebii. Neque psalmus, neque canticum nec aliud quicquā huiusce generis inscriptum est, sed doctrinam complectitur, quæ principio quidem omnes reprehendat qui sine timore, ac religione uiuentes, propterea se iniquitatibus dederunt inquit enim, *Dixit iniustus*; in conclusione uero eorum exitum declarat dicens. *ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.* Media uero pars Theologiam describit, & bonorum piorum spes, cuiusmodi fuit Dauid, qui se ab iniquorum consuetudine seiunxit, & diuinorum obseruatione subegit, unde &, *SERVO DEI*, psalmus inscribitur.

Theodoreti. Cum diuinus Dauid Saul in spelunca deprehensum non modo non interfecit, sed eos, qui uolebant eum Interficere, cohibuit, cumque ex aduerso in uertice montis stetisset, & clamasset, & Saul increpasset, & iniustas inimicitias redarguisset, obiiciens, quod dormientem ipsum nocte inuenisset, & non tanquàm hostem interfuisset, uerum tanquàm benefactorem seruasset, oram clamidis, & scyphum aquæ, & lanceam ostendens in ueritatis assertionem, & ad ea respondisset Saul coloratis beneuolentiæ, & amicitiæ uerbis, apposito quoque sermonibus iure iurando quod se pœniteret simulans, tum Beatus Dauid hunc psalmum dixit, quo & iniustos accusat, & Dei prouidentiam quoquo uersum pertingentem prædicat. cæterum theologiam cum prophetia componit, ideo & *IN FINEM*, inscriptio legentem mittit.

1.Reg.24.

Dix

NICEPHORI. Persequente Saul ipsum Dauid, in spelůca tanquã dormiturus latuit Dauid, quam ignorans subiit Saul. Nocte autẽ surgens Dauid fimbriam diploidis eius gladio abstulit, & orta die ipsam procul ipsi Saul ostendens iniustas illius insidias exprobauit, ille uero pœnitentia, & insidiarum amotione simulata, rursus interitum ipsi Dauid machinabatur, tunc igitur Propheta præsentem psalmum composuit.

HESYCHII. Dicitur psalmus de consummatione seculi populo, qui Domino seruit, & à Domino dilectus, habet autem superbiæ Iudæorum criminationem, & maliti ę illorum reprehẽsionem, commendat autem iusta Dei iudicia, per quæ terra seruata est. Deo Patri quoque gratias agit, propter eos, quibus per Filium suum benefecit.

Dixit iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.
Quoniam dolosè egit in conspectu eius, ut inueniatur iniquitas eius ad odium.
Verba oris eius iniquitas, & dolus, noluit intelligere ut benè ageret.
Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni uiæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

CYRILLI. Iniustum illum esse dicimus, qui omnino diuinis legibus aduersatur, ita ut eas quidem esse nolit, & planè cupiat petulantem uitam, & effrenem traducere, & quasi in inferni profundum, & mortis laqueum rectà tendentem. De iis, qui ita mores suos corruperunt, & sic uiuere consueuerunt, sæpe meminit diuina scriptura, de quo iis sic propriè loquitur. Recede à me, uias tuas scire nolo. *Dixit*, idest cogitauit, & suspicatus est. Heb.11.

HESICHII. Non simpliciter iniustũ, sed hypocritam, & dolosum psalmus argumento cõplectitur, cum scilicet, qui in anima iniquitatis cœnum, & uoraginem contineat. propterea ipsũ inducit dicentem, *ut delinquat in semetipso*, sed cur dixit, *in semetipso?* Quoniam ea frequenter secum animo uersat, quæ proferre aut timet, aut erubescit. timet inquam non Deum, sed homines, quippe qui nefaria maximè, & non ferenda cogitet, ideo addidit, *Non est timor Dei ante oculos eius*, Hoc est nullum putat consiliorum, & cogitationum suarum esse inspectorem.

DIDYMI. Prius enim aliquis cogitat, mox ad agendum inducitur, & in se ipso peccat, iuxta illud. Tu uero dixisti in corde tuo, in cœlum conscendam. Isa.14.

CYRILLI. Nam obcæcatus est inquit, nec mentis oculis timorem Dei contuetur, timorem inquam Dei per quem feruens quoddam ad rectè agendum desiderium accenditur. & inuicta, ac singularis quædam, ad splendidè uiuendum alacritas excitatur, tanquam ergo qui in internis oculis timorem Domini non habeat dicit. *ut delinquat, in semetipso*, dictum est enim ut timor eius fiat in uobis, ne peccatis, *Quoniam dolosè egit*, Alteram hic morbi, quem modo diximus, causam affert, non enim (ait) in oculis Dei ambulauit in ueritate. nã illud, *dolosè egit*, ut arbitror, hoc ipsum significare potest. Eos autem id sæpe consequitur, qui iniquè agere consueuerunt, ut quandam etiam probitatis opinionem, quatenus præsertim sub oculos hominum cadit, habere quærant, & se quidem bonos esse simulant, sed dolum pariter, ac fraudem exequentur, non quales re ipsa sunt, se haberi cupientes, sed magis ut probitatis, ac modestiæ existimationem subripiant. Nouerit autem illos aliquis per ea, propter quæ illi pudore afficiuntur. Nam si existimant peccatum illis honestatem quandam afferre, quomodo ipsum fugiendum esse arbitrantur? si uerò propter mores suos erubescunt, certè se ipsos iniquitati obnoxios profitentur. Decet ergo, & oportet nos uitam ab omni dolo alienam ducere, ut tales inueniri possimus, qualis Nathanael inuentus est, de quo Saluator ait. Ecce uerè Israelita in quo dolus non est. Ioan.1.

HESYCHII. Nam quemadmodum uir rectus cum Deo ambulat, sic dolosus longè abest à Deo, & apostasiæ morbo laborat, Anima ergo, quæ diuini timoris freno non cohibetur, dolis tanquàm laqueis in malitiam possidetur, ut per eosdem intentum, ac quæsitum peccatum uenetur, & diuinam legem tanquàm impedimentum illi ad peccandum, propter minas in ea contentas, odio prosequatur. eò igitur (inquit) audaciæ, & impudentiæ deueniet iniustus, ut dolos quoque ante oculos Dei astruere audeat. sunt & qui uirtutes cauponantur, & ut lupi sint animo, ouium tamen pellem induunt, qui iustitiam coràm hominibus extollunt, cœterum ipsi animo peccare decernunt, nam iniustus, cum eius iniquitatem si deprehendatur, odio fore intelligat, ne iniquitatis suæ turpitudo innotescat, ita ut odium sibi comparet dolo agit. itaque dolosè egit, ut inueniatur, cum alioqui nollet eam inueniri, sed subdolè suis delictis medeatur.

EVSEBII. Proposita uerba Symmachus magis apertè interpretatus est, hoc modo reddens. Dixit de morum incompositione impii intus cor meum nõ est propositus timor Dei ante oculos eius, quoniam delinquere uidetur, ut inueniatur iniustitia eius ad odium illi habendum. propter hoc.n. ipse Dauid (inquit) cor, & cogitatio mea, hęc de impio cogitauit, nã consideratricẽ,

eius facultatem, qua poterat Dei timorem cognoscere, fefellit, ipsemet mentis suæ oculos præuertens. quare secundum Hæbraicam lectionem, in oculis ipsius dictum est dolosè egisse, ut inueniatur eius iniquitas, & odio habeatur. usque adeo enim (inquit) se ipsum deprauauit, & Dei timorem abiecit, ut iniquitas eius perspecta omnibus fieret. & deprehensa ab omnibus odio haberetur non occultè uerò is se totum peccato tradidit, ita ut uerba oris sui, sint iniquitas, & dolus hæc uero etiam uolens, & lubens elegit, ut qui sui iuris esset, & rectam uiam ingredi posset; & tamē noluerit. quare dictum est. *Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem est meditatus in cubili suo*. neq; .n. tempore quietis quo se post diurnos labores homines tranquillitari, & somno tradunt, is quiescere, ac cessare uoluit, sed tunc magis iniquitatem meditatus est in cubili suo.

CYRILLI. Si ante oculos Dei timorem habuisset, reperüsset utique iniquitatem, & eam odüsset, auertissentque se; ne in uoraginem sepulchri decideret, seque ad rectè uiuendum excitasset, & quasi à profundo malorum se ad honestam uiuendi rationem efferre studuisset.

ATHANASII. *Iniquitas*, cum Christum contumeliis affecerunt. *dolus*, cum uolentes illum irretire, blandis illum sermonibus interpellabant.

HESYCHII. *Iniquitas*, quoniā eius amator est. *dolus* quoniā fraus uenenū abscōdit, ut deprehendi non facilè posset quare nos ab huiusmodi labe custodiamus. iniquitatem enim, & dolū loquuntur, qui eundem criminantur absentem, & laudant præsentem. *noluit intelligere, ut benè ageret*. tanquàm enim sui iuris iniquitatē ex proposito elegit, cum eam reiicere posset, ut etiam somni tempore, & quietis, quod totum in turpibus actionibus absumebat, à malitia non cessaret.

DIDYMI. Est & alia scriptura, quæ habet, *iniquitas, & labor*, hoc est oppresio, quæ iniquitatem sectantibus laborem ingenerat.

ATHANASII. *Noluit intelligere*, idest uolens se ipsum à rectè agendo alienum fecit.

CYRILLI. Magnum quid est ad uim criminis augendam, non perferre discere; qua nam ratione bonus, & frugi quis euadat, & certissimum inditium est illum in profundum malorum decidisse, cum ne extremo quidem digito (ut ita loquar) sacram disciplinam uelit attingere, ex qua colligere posit scientiam, quæ nos ad optima quæque deducat, Rudis ergo & inexpertus est iniquus, & disciplinarum ad salutem, ac uitam ducentium omnino expers.

ATHANASII. *iniquitatem est meditatus in cubili suo*, uigiles, & insomnes noctes eorum, qui Christo insidiantur, ostendit.

CYRILLI. Nam qui sacris legibus obtemperant, & qui gloriantes ut sanctos decet, insudare consueuerunt, qui laudabilem, & irreprehensibilem uitam ducunt, ii prò dignitate, omniū Saluatorem laudant & uenerantur, Media (inquit nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudi-
Psal.118. cia iustitiæ tuæ. Vel in diuinarum scripturarum meditatione uersantes, omni spiritali odore mentem suam complent, & in bonis desideriis semitas faciunt, & quomodo se ipsis meliores fiant, diligenter quærunt, & probitatis, & splendoris cursum sanctos decentem currunt. Mali autem & iniqui legis transgressores, tempus quieti dicatum in flagitiis, & prauis quibusque cogitationibus conterunt, coinquinantes cor suum, & fructus ubi dies illuxerit, ex nefariis cogitationibus suis edunt: *Assistunt enim omni uiæ non bonæ*.

HESYCHII. Animaduertenda est uis dictionis. *Via*, quot nam sensus discrimina habere inueniatur. quoniam in primo psalmo in uia peccatorum non stare beatum dicit. hic uero omni uiæ non bonæ assistentem damnat, nam qui stat, ante omnes est, qui assistit uero agenti placet. ideo addidit. *Malitiam autem non odiuit*, idest malitiam non est odio prosequutus. nam malum est, quod mala placeant, cui enim mala placent improbus sanè deprehenditur, licet occulta re si-
Mich.2. mulando putet malitiam suam Huiusmodi est illud. Vhæ qui cogitatis inutile & perperam egitis in cubilibus uestris & ubi illuxerit, eadem faciunt cum uero uiam dicit, actionem intelligit.

CYRILLI. Eò malignitatis animus eorum peruenit, ut ne malitiam unquam abesse patiantur, nam legum transgressores absurdarum, ac turpium rerum osores esse nūquam solent, nam si la odisset, nunquam sanè illa perpetrassent.

THEODORETI. *Dixit, iniustus, ut delinquat*, Putat (inquit) qui in malitia nutritus est, neminem occulta animi sui consilia intueri. Nam uerbum, *Dixit*, hoc loco prò, opinatur, & suspicatur appositum est. *Non est timor Dei*, huius sanè uecordiæ causa est, quoniam Deum omnia inspicientem non timet. sed uolens, ac libens in hac ignorātia uersatur, utpotè qui facta sua expēdere, & iniquas actiones suas odisse nolit. nā uerbis usus est lōgè à ueritate aberrātibus, & dolosè contextis ea quę honesta sunt scire minimè quęrēs. sed & nocte mala machinatur in proximos, & die cogitata exequi studet. Huiusmodi causa est, quod malitiam non execratur, nec penitus

auersa-

aduersatur. Hoc autem, *Malitia non odiuit*, prò. Non execratus est, posuit. Nam idola interdum abominationes, interdum execrationes diuina scriptura nuncupat. Hoc uerò Aquila dixit. Non abiecit. Theodotio non expulit.

NICEPHORI. *Dixit iniustus*, id est, putauit in se ipso. Illud uerò τοῦ in Græco positū est, & Latinè uertitur *ut* aut prò ὥστε ponitur aut uacat, si uacat, sensus est, putat iniquus se clàm posse delinquere, ita ut Deū lateat si non uacat, sensus est, iniquus cogitat intra se, ut peccet. *Quoniam dolosè egit*. Secum dolo egit ne cognosceret iniquitatē suam, & ipsam odio persequeretur. *Et noluit intelligere*. Noluit intelligentiam maiorem habere, ut bonum aliquod faceret. *Iniquitatem meditatus est*, & tempus quod quieti dicatum est, in prauis cogitationibus consumpsit. *Astitit omni uiæ non bonæ*, promptus fuit ad omnem opus malum. *Malitiam autem non odiuit*. Malitiam (inquit) graue quid, & molestum esse non existimauit, hoc est, à se eam non repulit.

Domine in cœlo misericordia tua, & ueritas tua usque ad nubes.
Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa.

EVSEBII. Cum iniusti malitiā descripsisset, meritò excellentes diuitias Dei longanimitatis, & benignitatis ostendit. qua iniquos & impios homines sustinet, docens, quod diuitię bonitatis illius, & patientię, & longanimitatis misericordia magna plenæ sunt: & hæc misericordia Dei causa est, quod peccatores, & impii uiuant, & spiritum ducant, thesauros autem misericordiæ ipsius in cœlo repositos dicit. quin & ueritatem eius pęnes eum esse, & supercœlestia cuncta implere. Simul quoque usque ad nubes, & ad ætherea (ut inquit Symmachus) penetrare. Ita enim alibi dicit. In cœlo præparabitur ueritas tua. Est autem ueritas Dei in cœlo, tanquàm pluuia, quæ per nubes defertur, & in terrā defluit. & ideo dictum est, *ueritas tua usque ad nubes*, ex dictis quoque nubibus ad homines decidit ueritas Dei. Nubes uerò Prophetas, & Angelicas potestates, per quas Dei ueritas ad homines manat, sermo appellare solet. Sic in Isaia dicitur. Et nubibus mandabo ne dent pluuiam super ipsum, scilicet Iudæorum populum, qui figura quadam uinea dictus est. Ad hęc iustitia tua Domine magna est, & excelsa montibus comparata, & montibus Dei. Ad hęc iudicia eius incomprehensibilia, nam quemadmodum quæ dicitur Abyssus, infinita est, & hominibus imperceptibilis. (quod sanè significat sermo ille, ponēs in thesauris abyssos) sic & iudicia tua ô Domine, quę est iustitia tua prodeunt, tanquàm abyssus multa. Prò eo autem, *iustitia tua tanquàm montes Dei*, Aquila, iustitia tua sicut montes fortes, interpretatus est. De his autem omnibus opportunè mentionem fecit is sermo ostendens quod propter misericordiam Dei, eam, quæ in cœlo est, & propter ueritatem ipsius, & iustitiā, & propter illud. *Iudicia tua abyssus multa*, incomprehensibilia sunt iudicia eius, & tàm impii, quàm qui sine Deo sunt, quàm peccatores, per ea non solum uita fruuntur, sed à reliquis quæ ab eius humanitate subministrantur, fructum percipiunt. Quare sub infertur. *Homines, & iumenta saluabis Domine*.

Rom.2.
Psal.88.
Isa.5.
Psal.35.

ATHANASII. Ostendit, quod etiam in misericordia eius, cœlestia, hoc est rationis participes potestates consistunt.

CYRILLI. Nonnulli historiæ simplicitatem fugientes, ad figuratas loquutiones accedūt. Cœlosque sanctos Angelos qui in cœlo sunt, nubes uero Prophetas, montes autem Dei, aut rationales & sublimes potestates, aut homines uirtute in altum euectos uocant. At in his, quæ proposita sunt, hæc commode cogitari non possunt. Non enim in solis sanctis Angelis est misericordia Dei, neq; in Prophetis tantum ueritas ipsius, sed nec solis his, qui uirtute in altum euehuntur fit Dei iustitia, sed in omnes homines diuitiæ benignitatis gratia diffunditur. In cœlo uero misericordiam Dei, & usq; ad nubes ueritatem eius elatam, & montibus iustitiam eius similem dicit, ut sublimitatem, celsitudinem, ac eminentiam, per ea, quæ dicta sunt, consideremus, nam quid sublimius est cœlo, nubibus, & montibus?

THEODORETI. *Domine in cœlo misericordia tua*. Illi ergò tāquā si nullus uiderit, hæc agere moliuntur. tu uero Domine, & misericordiam immensam habes, & ueritatem magnam, & iustitiam excelsis montibus comparatam, nam ueritas tua ad omnes usque homines peruenit per Prophetas quasi per nubes quasdam, quæ imbrem salutarem ipsis suppeditant, cęterum cum ueritatem huiusmodi habeas, & iustitiam, qua de causa differas ignoro, iudicia tua imitantur abyssum, quę mente concipi non potest, nam quemadmodum profundum eius consequi nequimus, sic tuorum iudiciorum cognitionem comphendere non ualemus.

HESYCHII. Non quod Dei ueritas, aut commiseratio locis ullis circunscribatur, sed Prophetas appellauit nubes, de quibus Isaia loquitur. qui sunt isti, qui ut nubes uolant? & ite- Isa.60.

Isa.5. rum. Iudæorum uineam.i.Synagogam execratus dixit. Nubibus mandabo ne pluant super eam *Ioan.14.* imbrem. Sed quænam est ueritas Dei? uerbum Dei sane à quo dictum est, ego sum ueritas, quæ usque ad iustos, & Prophetas, & eos, qui spiritu Dei aguntur, peruenit: nam reliqui omnes mendacium dilexerunt, ita quod ueritas illis nunquàm innotuerit. Sed & misericordia Dei, Deus uerbum est, in cœlo, non quod terram diuinitatis eius uirtute non impleuerit, sed quoniã cœlestibus potestatibus tum solum cognitus sit. Huius.n.causa cœlos inclinauit,& descendit,ut *Psal.17.* nos eius commiserationis participes essemus.

Isa.5. DIDYMI. Et in Isaia de nubibus meminit hoc modo. Lætetur cœlum supra, & nubes stillent iustitiam, siquidem quæ uidentur nubes non iustitiam, uel ueritatem,sed pluuiam demittunt. Nubes ergò, quæ iustitiam effundunt, diuini homines sunt, qui spiritalem pluuiam, hoc est sermones cum uirtute & honestate coniunctos demittunt. Cœlum uerò quod è supernis lætatur, aut sunt naturæ illæ beatę cœli cultrices, aut Saluator ipse,qui hoc modo per allegoriam nominatur. nam cœlum hoc supra est.i.super omnem naturam genitam. Et prò omnium utilitate lætatur. Et hic ergò. i. in hoc cœlo, Saluatore scilicet, Dei misericordia sita est, qui omnium miseretur, ueritas uerò ipsius,quæ umbris, & figuris contra distinguitur in prædictis nubibus est. nam & si iuxta umbram uixere Prophetæ,non tamen ueritatem, cuius hæc symbolum est, ignorarunt.

ATHANASII. Veras (inquit) & firmas,quas per Prophetas fecisti promissiones declarasti, nã nubes Prophetas innuunt. Veras autem eas ostendisti magnitudine iustitiæ tuæ, ita quod montibus sit comparata.

APOLINARII. Firma enim, & immota sunt,quæ à Deo ordinata sunt. quale illud,quod *Gen.9.* Noe dictum est, non amplius eum se terram in interitum animantium aquis operiturum. Sic accidit quoque de tolerantia Dei, & longanimitate,nam uerbi firmitas, magna prorsus, & conspicua esse definita est. Sic etiam reliqua omnia quæ secundum iustitiam, & sanctitatem Dei ordinata,& decreta sunt,firmitatem,ac stabilitatem habent, propterea quod semper permanent. cuius*Psal.88.* modi illud est. Semel iuraui in sancto meo, an Dauid nuntiat. Huic addere potes etiam illud *Rom.11.* immutabilia enim sunt dona Dei.

APOLINARII. Iustitiæ celsitudinem rursus cum montibus confert, hoc autem retributionem comminationem continet. Siquidem fieri non potest, ut factis omnibus iustitia præsidente, aliquid citra iustum fiat. quare qui modo pœnas,& ultrices retributiones fugiunt, bonorum in futurum præmia prorsus non accipient. Atque hoc penès Deum est immutabile, quem*2.Tim.4.* admodum Paulus confidentissimè dixit. Deum iustum iudicem redditurum sibi esse coronam iustitiæ in die illa.

HESYCHII. Stabilis omnino atque immutabilis est, nanque non simpliciter montes, sed sicut montes Dei, dicit inconcussam, & firmam eius naturam ostendens, quid enim est, quod iustitiam Dei uiolentia, aut opibus, aut dolo, aut obsequio adulationis subterfugere possit?

HESYCHII. *Iudicia Dei abyssus multa.* Versiculus iste antecedentem confirmat; Cum diuinæ longanimitatis modum ignoremus, mutari eius immutabilem iustitiam putamus,cum uidemus peccatores benè agere,& ultionem de iniquis differri. meritò autem Dei iudicia cum abysso contulit, nam abyssi profunda facilius assequemur quàm incomprehensibilia Dei iudicia quo ad operibus perfecta declarentur cognoscere possimus.

ATHANASII. Cum Apostolus de duobus populis loquutus esset, (conclusit.n.Deus om*Rom.11.* nia in incredulitate, ut omnium misereretur,) subiunxit. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius. hoc quoque loco simile est illud. *Iudicia Dei abyssus multa.* Nam cum de duorum populorum, qui etiam per homines, & iumenta significantur, disseruisset, homines Israelitas, qui à lege instruuntur, & præstantiora cogitant, iumenta uerò gentes,utpotè rationis expertes nuncupauit, Iudæi.n.mysterium per legem,& Prophetas edocti exciderunt. Gentes uerò,quæ nunquam illud audierant assumptæ sunt, hac de causa prędixit. *Iudicia tua abyssus.*

NICEPHORI. *Domine in cœlo misericordia tua,* hoc est usque ad ipsum cœlum. hoc est, sublimis, & multa. *Sicut montes Dei,* magnitudinem pariter,& altitudinem iustitiæ Dei per montes significauit. Montes autem Dei dicuntur ueluti à Deo creati. *Iudicia tua abyssus multa,* hoc est dispensationes tuæ, immensum quoddam, atque incomprehensibile sunt profundum.

Homines & iumenta saluabis Domine, quàm multiplicasti misericordiam tuam Deus.
Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt.
Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos.

EVSEBII. Nam propter iudicia tua, quę sunt sicut abyssus multa, & propter iustitiam tuā & ueritatem tuam, quæ in cœlo est, homines, & pecora ab ipso saluantur. adeò misericordiam tuam multiplicauit Deus. ut non dignos tantum uita, quæ à te manat, participes facis, sed etiam qui brutorum more uiuunt, & dementes sunt, abs te uitę munere donantur. Quoniam enim multi sunt, qui damnant, & accusant uidentes malos benè agere, ac bonorum Dei participes fieri, necessariò docet quod multa est misericordia. Verum si misericordia, & benignitas sola fuisset nihil prohibere potuisset, quo minus peccatorum uitam aggressi essemus. Docet ergò quod cum misericordia ueritas, & iustitia permixta est. tanquàm iustitia & ueritas sit peccatores cum misericordia susceptura. nam nisi à misericordia & longanimitate Dei iuuarentur, iustitia eius, & ueritas eos exciperet. nam iusto iudicio subiicerentur. Sunt enim sunt indicibilia iudicia Dei, multa & infinita abyssus, uel quemadmodum scriptura dicit. Abyssus multa in sermone iudiciorum Dei continetur. hæc igitur impios manent. *At filij hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Quoniam iudicia tua abyssus multa,* Eccl.24. meritò non hominibus tantum, sed & pecoribus prouides. sic multiplicasti misericordiam tuam. Est uerò præter hæc selectus quidam ordo eorum, qui filii Dei uocantur, qui amplius quid quàm homines, & pecora habentes à te seruandi digni facti sunt ut in protectione alarum tuarum sperent. uel iuxta Symmachum, sub umbra alarum tuarum requiescunt. nam qui in te sperant ab agmine damnatorum segregatos tu ipse Dominus alis tuis foues, & tegis, & quoniam isti bonam spem sperauerunt, spes uerò non confundit, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Domus autem Dei Ecclesia est, ubertas uerò domus est inspirata à Deo scriptura, ebrietas uerò sobria & ieiuna, fructus est à lectionibus Euangelicis perceptus. Torrens autem deliciarum, à quo potantur qui in protectione alarum eius sperant, & fluuius, qui est in Ecclesia, de quo dictum est: fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Et flumen Dei repletum est aquis. Torrens uoluptatis Christus est, propter temporariam eius inter homines apparitionem. Psal.45. Psal.64.

CYRILLI. Egregiam Dei tranquillitatem, & incomparabilem mansuetudinis eius excellētiam, etiam hoc loco intueri licet. Etenim dignum putat parcere omnibus, quæ ab ipso facta sunt, non hominibus tantum, sed & ipsis ratione carentibus animalibus. dicit ad diuinum Ionam: Ion.4. Tu doles super cucurbita, in qua non laborasti, nec fecisti ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub nocte periit, & ego non parcam Niniuę ciuitati magnæ, in qua sunt, plusquàm centū uiginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram, & sinistram suam, & iumenta multa. Admirandus etiam est per psallentis lyram, utpotè, qui producat fœnum iumentis, & herbā seruituti hominum. Ad hæc qui legem de sabbato tulit, rationem reddit, cur nihil omnino agere oporteat. Vt requiescat (inquit) seruus tuus, & ancilla tua, bos tuus, & asinus tuus, & omne iumentum tuum. Quod si aduersari huic dicto uidetur, quod à Paulo dictum est: Nunquid de bobus cura est Dei? sequitur, ut legis umbras, quæ ueritatem pariunt, auferamus, multò minus putemus uniuersorum opificem non esse misericordem. Psal.103. Deut.5. 1.Cor.9.

HESYCHII. Homines dicit, qui rationis dignitatem seruant, iumenta uero illos, qui proni terram spectant, & terrenis sensibus pascuntur, siquidem non iustos tantum, sed peccatores quoque ad salutem uocauit.

DIDYMI. Si homines intelligit, qui rationis impulsus conseruant, nil mirum est siquis eos uiderit, tanquàm iumenta, & equos uenere furentes, & reliquorum brutorum mores indutos ad salutem accedere, stupens de bonitate Dei dicit. Quoniam misericordiam tuam multiplicasti Domine, non homines tantum, sed & bestiæ quoque seruantur. nam quo maiora sunt peccata, maiori indigent misericordia Dei.

CYRILLI. Cum Deus uerbum similis hominibus factus terris illuxit, mortemq́; secundū carnem pro salute omnium subiit, tum multiplicata est misericordia Dei. nam modo non tantum Israelem, ut olim Mose duce redemit, uerum in omnes homines salutis donum propagatum est, quod per fidem ad ueritatis, & ad eius, qui natura uerus est Deus, cognitionem attrahit, nosque Deo, ac Patri per sanctificationem charitate coniungit.

HESYCHII. Multiplicauit Deus misericordiam suam, cum legem scriptam promulgauit, relicta autem lege Prophetas induxit. qui cum ne auditi quidem fuissent, uenit ipse postremo, & alarum instar Euangelicos libros expandit, quibus peccatores tanquàm pullos obumbraret, in quibus ut qui etiam de omni spe deiectos seruari possunt, spem suam filii hominum meritò collocarunt.

CYRILLI. Sub alis igitur positi sumus, seu sub tegmine Christo scilicet: ut illud quod est

Cant. 2. Osee 14. in canticis canticorum dicere possimus. Sub umbra illius, quem desideraueram, sedi. atque Osee alibi dixit. Ego tanquàm iuniperus densa, siquidem fideles, sub alis eius politi sunt, & multiplicatur misericordia iis modis, quos nuper recensuimus.

HESYCHII. Domus Dei corpus eius est. Vbertas sanguis, & aqua, quæ à latere eius effluxit, ex qua fideles omnes salutari ebrietate inebriati sunt. Torrens .n. uoluptatis fuere Christi pœnę. Torrens quidem, quoniam in media hieme peccatorum nostrorum factum est, cū uirtus omnis, & præcipuè charitas in Deum frigida effecta, iam extincta erat, ita ut Zacharias Propheta de die crucis dicat. Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu, erit dies magna. Voluptatis autem meritò dictum est, nam Christus in delitiis erat cum pro nobis pateretur Diabolo illudens, & pro salute hominum lætus. Hoc uoluptatis torrente mysticè nos potat, nam Domini perpessio martyrium seruis facta est.

Zach. 14.

DIDYMI. Cum Ecclesia sit domus Dei, profectò ubertas eius erit Ecclesiastica doctrina. à qua, qui detenti fuerint, sobria ebrietate inebriabuntur. Quod si domus Dei Saluator ipse dicatur, sanè ab eius doctrina, quæ ubertas est, inebriabuntur quotquot illā fuerint assequuti. Sedem, & domum Dei cœlum, ob cœlestem sanctitatem, quæ ubertas est, & à cœlo manat, appellant. De qua loquitur Ieremias dicens. Si cœlum dabit rorem suum, nonne tu ipse es? Hanc dicit expectationes hominum explere, & ex abundanti dono cœlesti ad deliciarum ubertatem mortales adduci.

Credo Isaiā dicere c.121. ros lucis ros tuus.

THEODORETI. *Homines, & iumenta saluabis Domine.* Et quænam est causa? *Quoniam multiplicasti misericordiam tuam Deus*, nam ad iumenta quoque benignitas tua pertingit, nec homines modo, sed & ea, quæ propter homines facta sunt nutris, per hæc quoque beneficiens hominibus. *Filij hominum in tegmine alarum.* Prædictionem sermo continet, mutationem scilicet, quæ post Saluatoris nostri humanitatem facta fuit, non enim dixit, sperauerunt, sed: *Sperabunt, inebriabuntur ab ubertate*, nam ad te hominum natura confugiet bonorum affluentiam in domo tua florentem contemplans. Per hæc innuit non tantum diuinæ doctrinæ flumina, uerum mystici cibi uoluptatem. Comparauit autem torrenti horum bonorum affluentiam, primum quidem, quoniam initio hæc hominibus data non fuit, deinde quoniam omnes homines hortatur, ut accurrant, & bibant, quia non est flumen perenne, sed torrens, & ad tempus fluens, nam, qui dum uiuunt, non accedunt, postquàm hinc migrauerint, sacris aquis minimè fruentur, & ostendens natura quidem perpetuam esse bonorum affluentiam, ob dispensationem uerò torrentem fieri, aptè subiunxit.

NICEPHORI. *Saluabis*, prò, saluas: hoc est uiuificas: & uitam præbes. *Filij hominum*: Quicunque propriè homines sunt, non qui huius nominis appellationem sceleribus suis adulterarunt. *Inebriabuntur*, hoc est, lætabuntur, *ab ubertate*, hoc est affluētia tam corporalium, quā spiritalium rerum necessarium subministratione. *Et torrente*, hoc est cōpiosè fluente ex multiplici aquarum concursu.

Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, quis recto sunt corde.

THEODORETI. Apertè hoc loco sanctę Trinitatis mysterium recludit. nam uitæ fontem unigenitum Dei uerbum nominauit. Sic enim per Ieremiam Prophetam ipse se nominat. Me dereliquerunt fontem aquę uiuæ, & abierunt, & effoderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquā continere non ualent. dicit uerò hunc fontem esse apud Patrem iuxta Euangelicam doctrinam, dicentem, Ego in Patre, & Pater in me est. *In lumine tuo uidebimus lumen*, nanque si à sancto spiritu illuminati unigeniti tui radios intuemur in lumine lumen cernentes: nemo enim dicere potest Dominum IESVM, nisi in spiritu sancto: Et illum nobis Deus manifestauit per spiritum suum. Euidenter igitur ex uerbis Prophetę unius diuinitatis tres proprietates esse didicimus. *Prætende misericordiam tuam.* Quocirca mitem, & iustam prouidentiam tuam continuò impertias iis, qui diuina cognitione dignati sunt, & iis, qui rectè uiuendi uiam elegerunt. Vtraque enim de eisdem dicit, & proprietati linguę diuisionem accepit, siquidem non dixit alios sciētes ipsum, alios uerò rectos corde. neque his quidem misericordiam, illis uerò iustitiam petiit. Sed cum absolutam uirtutem ueris opinionibus, & rectis actionibus definisset, habentibus illam, & misericordiam, & iustitiam postulauit.

Ier. 2. Ioan. 14. 1.Cor. 12.

DIDYMI. *Quoniam apud te est fons uitæ*, hic sanè est uitę fons, qui ait, Ego sum. Iure uoluptatis tuæ torrente, qui à uite fonte manat, potabis inebriatos ab ubertate domus tuæ. Fōs autem uitæ Saluator est, eò quod nihil habeat aliunde, sed ipse omnibus uiuentibus uitam præbeat. qui per se ad eum non accendunt, qui idem & sapientiæ fons appellatur. Sanctus autem

spiritus, uoluptatis torrens, dicitur quod delitiis eos impleat, qui ab ipso bibunt, cum uaria ab eo dona suscipiunt.

HESYCHII. Fons uitæ Christus est, unde sitientes hortatus est, ut ad se ueniant, dicens, si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Et rursus Samaritidi, Qui biberit ex aqua, quàm ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Hic ergò fons uitæ apud Patrem semper reperitur, quia eundem Patris lumen Propheta quoque nuncupauit. De quo Ioannes Theologus dixit. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In id lumen intuemur diuinam cognitionem suscipientes, quàm expectamus, ut sua benignitate ab hoc ad futurum usque seculum extendat. Vnde non omnibus, sed Deum cognoscentibus hanc benedictionem precatus est. Ioan.7. Isa.4. Ioan.1.

APOLINARII. Nam quæ ad alendam uitam nobis necessaria sunt, illa nobis à Deo exhibentur, quæ nisi suppeterent, uita mortalis interiret. Saluator in Euangeliis dicit. Ego sum lux, ueritas, & uita. Sed & uita erat, & uita erat lux hominum, sic & hoc loco, uita pariter, & lumen coniunguntur. Infert enim. *Et in lumine tuo uidebimus lumen.* Illustratur (inquit) lumine de cœlo ab eo, qui solem posuit ut præesset luci diei. Sed hæc iustis pariter, ac iniustis impertiuntur, in quibus & humanitatem Dei mirabatur, quod ingrati nihilominus à donorum fructu Dei non arcentur. Hoc uerò eximium est, & proprium amicorum Dei. Vita.n. hæc rationis lumen affert, ideo dictum est, & uita erat lux hominum. Ioan.14. Ioan.1. Ioan.1.

DIDYMI. Fons quidem uitæ, quoniam non suscipit, sed dat uitam omnibus uiuentibus tàm hominibus, quàm iis, qui sunt supra hominem. ita quoque sapientiæ fons dicitur. Verum uoluptatis torrens est Spiritus Sanctus, quod eos delicijs, & uoluptate impleat, qui eius dona imbiberunt. Cæterum in unigenito, qui est lumen, Patrem lumen uidemus: de quo scriptū est. Deus lux est. huius .n. splendor est lux uera, cum hoc, & illud conferes. Qui uidet me, uidet, & Patrem meum. Ioan.14.

EVSEBII. *Quoniam apud te est fons uitæ.* Christum uerò uitam esse ex Euangelica doctrina cognoscimus. Per quàm Saluator ipse nos docet. Ego (inquit) sum, lux, ueritas, & uita. Sed & quod factum est in ipso, uita erat lux hominum, & hoc loco uitam cum lumine coniunxit consonans Euangelio. Nam postquam dixit, *Quoniam apud te est fons uitæ, additur, in lumine tuo uidebimus lumen.* nam uita ipsa luminis rationalis ministra est. quapropter dictum est, & uita erat lux hominum. qui uero horum participes sunt, finem habebunt luminis uisionem. *Extende misericordiam cognoscentibus te.* Non cognoscentibus ipsum temporaria erit misericordia, cognoscentibus uerò non item. Cognoscentibus te Domine (inquit) protēde misericordiam tuam, & iustitiam tuam, in qua pro meritis iudicas, his quidem secundum opera ipsorum rependes, illis uerò promissiones tuas credes. Pro eo autem. *Et iustitiam tuam his qui recto sunt corde.* Symmachus dixit, et misericordia tua his, qui sunt simplici corde. Ioan.1.

CYRILLI. His qui eum cognoscunt, prætendi misericordiam hortatur, his uerò qui recto sunt corde iustitiam eius implorat. Non sunt autem posteriores hi à prioribus diuersi, hoc est cognoscentes à rectis, nam consequens est, ut Dei notitiam mentis quoque rectitudo sequatur. Mentis autem rectitudo est mentem nullo modo peruersam habere.

HESYCHII. Misericordiam cognoscentibus, iustitiam rectis distribuit. nam qui solam Dei cognitionem habent, id est fidem, fortè etiam si peccatores sint, humanitate seruantur. recti uerò corde sunt, qui in uirtute uersantur. nam quod rectum est in rectis actionibus ostenditur, ut cum fide munera sua, atque officia præstantes iustitiæ coronam accipiant.

NICEPHORI. *Quoniam apud te est fons uitæ.* Quoniam tu scaturire facis uitam omnem: *In lumine tuo uidebimus.* Per diuinitatem filii tui cognoscemus lumen Spiritus sancti. *Et iustitiam tuam.* Et assiduè præstas iustum auxilium tuum iis, qui recti sunt in sermonibus, atq; actionibus suis.

Non ueniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

THEODORETI. Illud, Ibi ceciderunt, Symmachus ita interpretatus est. Vbi cadunt operantes iniquitatem, illuc impellentur, & nequibunt stare. Postulat autem Propheta ut naturæ temperamentum seruare possit, neque à recta uia ob flagitiosorum insidias declinare ut qui contrarii itineris finem agnoscat. Nam qui in illum decidunt, deinceps resurgere, & in aliam

uiam

uiam remitti non poterunt. Hæc autem cum iis congruunt, quæ in sexto Psalmo dicuntur. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

DIDYMI. *Non ueniat mihi pes superbiæ.* Translatione quadam perinde ac si de animali loqueretur pedem dicit. ut in prouerbiis legitur. Ignorantiæ pedes ad ima deducunt, orat igitur ne præ superbia quicquam animo patiatur. neue actio peccatoris se à uirtute deturbet,
Iob.1. Illud uerò, *ibi ceciderunt*, de futura uita intelligendum est. iuxta illud, ibi erit fletus: Et il-
Iob.3. lud. ibi requieuerunt fessi corpore, & illud. Illuc nudus reuertar, nam licet hic ita stare uisi sunt, & iniquitates operari, illic tamen cecidere, nec amplius quicquam mali facere permissi sunt. Hoc est cadent. Cuiusmodi est illud. Foderunt manus meas, & pedes meos, & di-
Psal.21. uiserunt uestimenta. nam quæ omnino futura sunt, tanquàm iam facta definiuntur. Illud uerò. *Expulsi sunt*, significat ab habitu, quem habuerunt, uel à propriis operibus excidere coacti sunt. Ideo actricibus eorum facultatibus non sublatis, sed impeditis ad agendum stare non possunt.

EVSEBII. *Non ueniat mihi pes superbiæ.* Ne possideant me manus, & actiones peccatorum, æc enim solent concutere, & à statu qui propè te est, in tenebras exteriores expulsos deiicere. Symmachus uerò dixit. Vbi cadunt, qui operantur iniquitatem. Ne sim enim (inquit) quo fluctuantes cadunt, & cadentes expelluntur; & expulsi non regrediuntur. Compendiosè autem dicit, ne fiam superbus, neque alio quocunque modo peccem. Aptè autem iniusti finem descripsit, postquam descripsit finem sperantium in tegmine alarum Dei.

CYRILLI. Tanquàm si diceret. Protendente te misericordiam, & iustitiam tuam in me, seu sanctum decretum sanciente, nunquã eò uesaniæ labi potero ut, superbè cogitem, incedam, & sublimia petam, & sic per semitam tutam incedam.

ATHANASII. Ne ulla quæuis actio turpis (inquit) ab eo statu, qui propè te est, me amoueat.

CYRILLI. Peccatoris manus est potentia diabolica, manus peccatoris est auari, manus peccatoris est dantis, & accipientis munera in perniciem, manus peccatoris est sacerdotis indignos ad altare admittentis, ab hac manu oremus nos non commoueri, & concuti, hoc est subuerti. Oportet.n.eos, qui castè, ac piè uiuunt, firmos, & immotos (utcunque alii malè agant) in iustitia permanere.

HESYCHII. Videas quod uerè manum peccatoris, sacerdotis uel iudicis appellat, quæ patitur legem Dei muneribus corrumpi, ibi.n.operarii iniquitatis in mala se docentium labentes cadent. nec poterunt stare eiecti uelut à doctoribus, & magistris, qui illos erigere debuissent. Quos.n.oportebat esse tanquàm baculos imbecillis, illi, & laquei, & offendicula iniquè agendo esse deprehenduntur.

CYRILLI. Oportet ad Deum accedentes tum bona petere, tum morbos animi deprecari, atque item ne à Dæmonum manu corripiantur, quæ semper concutit etiam eos, qui stare uidentur, si inertes reperiantur, at ac consistere non permittit eos qui propter ingentem impietatem à Deo expelluntur, quod Israeli, qui secundum carnem erat, contigisse comperimus, nam non ferenda in Christum rabie debacchati sunt.

PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS. XXXVI.

Noli æmulari in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem.



Vi præ manibus Psalmus est ad diuini Dauid personam referri potest, tantum non succiuentis amatoribus rectitudinis, & se ipsum excitantis, quod oporteat uitam in melius mutare, & ad rectè agendū accingi, & ea uiriliter præstare, quibus Deus plurimum lætatur. Hoc aūt ipsum opportunè, & cōmodè facere inuenimus. nam in præcedēti Psalmo accusatus maximè, & damnatus iniustus fuit. dixit .n. (ait) iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius: quoniā dolosè egit in conspectu eius, ut inueniatur iniquitas eius ad odium: Verba oris eius iniquitas, & dolus. Alia quoq; & accusationibus plurimis referta in eodem Psalmo sub quadam admonitionis forma nobis proponuntur. quę quidem admonitio nos à similibus operibus dehortatur, & ad ea, quæ sine ulla comparatione meliora, & præstantiora sunt, traducit, nam nos uirtutū omnium amatores facit, & in animis id quærit inserere, ut quæ uere sunt, perquiramus. Nam si quis se honestum, & probum præstiterit, illustris apud Deum erit, & demum cum desierit, gloriæ coronam induet. Oportebat autem, ut qui nequitiæ mores apertè recensuerat, ducentes quoq; ad uirtutem calles demonstraret, quamobrem inquit, *Noli æmulari.* *Cyrilli, puto*

Hesychii. Cuiusnam gratia, non Psalmum, non canticum, non omnino aliquid simile hanc prophetiæ partem Dauid inscripsit? Hac certè de causa, quoniam hic manifestum consilium, & nihil habens obscuritatis expressit.

Asterii. Magnas exhortationes, quales sunt, quæ hic traduntur loquentis dignitas admirabiliores facit. Iuxta illud. Diues loquutus est, & omnes admirati sunt, & sermonem eius exaltauerunt usque ad nubes. Pauper loquutus est, & dixerunt, quis est hic? loquutus est sensatè, & non est datus ei locus. Ita ergò si quis quærat cuius nam sit admonitio ista. Dauid ipsius (inquit) spiritus Sancti, Prophetæ, eiusdemq; Regis, & diuini cantoris: tanquā satis sit ad laudē testimonium Dei dicentis: inueni Dauid filium Iesse uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Cæterum quæ modo ille monet facienda, prius ille præstitit. Nam qui fecerit, & docuerit is magnus uocabitur in regno cœlorum. Tum ergò loquentis, tum dictorum præstantia fit, ut admonitio pro lege habeatur, & obseruetur. *Eccl.13.* *Act.13.* *Matth.5.*

Theodoreti. Cum diuinus Dauid experientia doctus nouisset, quam multorum bonorum conciliatrix sit mansuetudo, & quod iniustè uiuentium, & superborum exitus, & finis malus sit, & anteactę uitę conueniens (didicit autem hæc ab iis, quæ in Saul & Absalon facta sunt, & ex aliis, qui pariter ac illi peccauerunt) admonitionem cunctis hominibus affert, cōmone faciens, ut ęquo animo aduersa ferant, & propter fęlicitatem malorum, ac prosperos rerum successus eos nequaquam beatos putent, imò miseros, & infęlices uocent. Ideo Psalmum aggrediens, quàm primum dicit.

Eusebii. Iure quidem Psalmus hic præcedentem sequitur, quia .n. in eo iniquum se ad peccata excitantem, & uitam eius, & euersionem finemq; illius descripsit, consequenter hoc Psalmo iniustorum mores fugere hortatur. neque similes eorum actiones æmulandas esse.

Noli æmulari in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem.
Quoniam tanquàm fœnum uelociter arescent, & quasi olera herbarum citò decident.
Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius.
Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Theodoreti. Symmachus, ne certes, Theodotio ne irriteris, interpretati sunt illud. *Noli æmulari.* hoc est noli excitari ad imitandos homines iniquos, cum eorum prosperos successus uideris. Deinde eorum fœlicitatis inconstantiam ostendens ait. *Quoniam tanquàm fœnum uelociter arescent.* Hoc quoque beatus Isaias dicit. Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis quasi flos fœni, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc etiam dicit beatu s Dauid. *Isa.40.*

Evsebii.

EVSEBII. Quoniam aliud est æmulari, à zelare, ζηλοῦν καὶ παραζηλοῦν. ideo dices quod excitare, & commouere ad zelotipiam sit æmulari, unde Aquila interpretatus est, ne con tendas in malignantibus. Symmachus, ne certes cum maleficis. Quinta editio, nolite irritari in malignantibus. hoc autem dictum intelliges ab eo. Ipsi me irritauerunt, & ad iracundiam prouocauerunt in Idolis suis, & ego prouocabo eos in non gentem, in gente stulta irritabo eos. Sic, & Apostolus ad Corinthios scribens. An æmulamur (inquit) Dominum, nunquid fortiores illo sumus? At zelare est uelle illud sibi adesse bonum, quod proximis adesse arbitramur. Et zelare medium quoddam est. Sæpe enim & zelus in bono dicitur. etenim & bonus zelus est, ut docet Apostolus dicens, bonum est autem æmulari in bono semper. est & contrarius zelus, de quo idem dicit. Aemulantur uos non benè, sed excludere uos uolunt. Inuidia igitur nunquam potest esse bona. est enim dolor de proximi fœlicitate, at zelus potest, interdum bonus esse, quemadmodum diximus. hic ergo sermo secundum Aquilam, nolle pugnare cum malignantibus, hortatur, secundum Symmachum, ne certes cum maleficis, secundum quintam editionem: nolite irritari in malignantibus. & secundum septuaginta. uidetur dicere, cum uideris malignantes fœliciter agere, noli concitari neque irritari, neque te excitent mali rem benè agentes, illi enim prosperè in delicijs uiuentes te irritant, tu uerò noli excitari, & incendi, sed neque zelaueris facientes iniquitatem, neque eos beatos dixeris, neque in bonis eos esse putaueris, neque optes, ut & ipse pariter sic benè agas. Post hæc huius causam docet, inquiens, quod eorum finis similis est fœno, quod simul ac ad modicum tempus floruerit exsiccatur, omnis enim caro fœnum, & omnis gloria ipsius tanquàm flos fœni. exsiccatum est fœnum, & decidit flos. Sed & *tanquàm olera herbarum citò decident*, neque colentibus olera digni sunt comparari.

Cãt.Deu 32
1.Cor.10.
Gal.4.
Isa.40.

ATHANASII. Malitiam fugere hortatur, cum ab omni bono cadere faciat, & eius finem describit.

CYRILLI. Nam temporaria malignantium felicitas non uidetur æmulanda ab iis, qui sanctè, ac piè uiuere uolunt. quin potius cogitandum est, quem finem illi sortiantur, qui perperàm uiuere, ac Deo aduersari perpetuò student. Ne zelaueris (inquit) huiusmodi notæ homines, neque ad eos imitandos exciteris, qui in peccatis oblectantur, quantumlibet in hac uita delitiis abundare uideantur. Si impium (inquit) uideris rem benè gerere, fuge tamen illius mores ad ea, quę uentura sunt animum conuertens, nanque diù in iis esse eos non continget. *Quoniam tanquàm fœnum ueलociter arescent*. Quid.n.tam facile corrumpitur, quàm fœnum agri, & oleris natura? nam hæc quodammodo florentia emarcescunt, sic & alibi de iis, qui in mundo splendorem quendam uidentur habere, dixit. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit, de quo non impleuit manum suam, qui metit, nec sinum suum, qui manipulos colligit. Nam quæ in domorum tectis fœna oriuntur, cum radicibus careant, quàm citissimè sterilescunt, & deflorent. Cum uerò à deterioribus auocasset, consequenter regiam uiam ad Deum ducentem ostendit. dicens habendam tibi esse spem, & bonitatem tanquàm semẽ in te iaciendam esse, ut in posterum ex ea uberes percipias fructus, neque dubites securus terram incolere, tabernaculo nanquam temporariam hanc uitam similem dicit, nam à bono pastore, si quis est alius inter homines diuinis dogmatibus pasceris, ut dicere possis, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Prò, *pasceris in diuitijs eius*. Symmachus uertit, & pascere assiduò. Aquila, & pascere fide.

Psal.128.
Psal.22.

EVSEBII. Quid ergò dignum habet hos æmulari, qui ad minimum florentes, cras in clibanum mittentur. quemadmodum Saluator docet? *Spera in Domino, & inhabita terram, & fac bonitatem*. Cum à malorum æmulatione nos auertisset, statim ex collatione rectã & regiam uiã ponit. ostendens qualem ambulare oporteat. quare (inquit) sursum aspice in omniũ gubernatorẽ intuens, & illum tibi spem statuens confide, ac qui magna anchora firmatus est, & hãc quidem spem habeant cogitationes tuæ. actionibus aũt operare, ac bonum facias, ut in te ipsum semetẽ faciens in bona spe fructus referas. cum hæc duo possederis, non amplius sollicitus de quoquã, inhabita terrã securus, & hanc temporariã uitam ducas tanquã in tabernaculo ad minimũ cõsistens peragito. pasceris.n.tanquã grex bonus à pastore bono, nam si quæ sunt inter homines ueræ diuitiæ animi certè diuitiæ sunt, quę in diuinis dogmatibus, & sacrarũ lectionũ doctrinis posità sunt. His perfrueris, ita ut dicas, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. nihil n.tibi deerit, cũ paueris in diuitiis boni pastoris. qui ẽt his, qui in terris adhuc degũt, hominibus pastis multa bona impertit. Pro eo aũt, *& pasceris in diuitijs eius*. Symmachus uertit, pascere cõtinuò. Aquila pascere fidẽ. Deinceps quẽadmodũ malignantium, & facientium iniquitatem finẽ descripsit; sic & tibi in

Matth.6.
Luc.12.
Psal.22.

in Dominum speranti, & bonitatem facienti, quæcunque aderunt bona recenset. Primum (inquit) pasceris in ueris diuitiis boni pastoris. mox delectaberis in Domino, tertius, dabit tibi petitiones cordis tui. At deliciabuntur in Domino, qui sensus animi purgatos habent, ut panem uiuum, & uiuificas eius carnes edere, & salutiferum eius sanguinem bibere possint: his enim nutritus, & satur diuina ebrietate fruetur. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Iā hinc oblectaberis si te ipsum illi donare uolueris. Petit autem & futura, quorum acceptionem expectat, nam qui sine inuidia modo donat, hic etiam dabit, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. 1.Cor.2.

DIDYMI. *Terram.* Sanctam intellexit, cuius diuitiæ memoratæ sunt.

CYRILLI. *Spera in Domino*, hoc est probari ama. Sacra possidere charismata studeas. Dilige ea, quæ sanctis reposita sunt, & penes Deum seruata. *Et fac bonitatem.* Hic bonitatis nomen omne uirtutis genus, & honestæ cuiuslibet actionis formam significare potest.

HESYCHII. *Fac bonitatem*, quàm obsecro? Misericordiam, clementiam, modestiam, nā bonitas huiusmodi spem in Deo confirmat. Sed quid inde nobis utilitatis accedet? *Et pasceris in diuitijs eius.*

ATHANASII. *Terram*, diuinitus inspiratam scripturam intelligit, in qua sanctorum diuitiæ, hoc est promissiones repositæ sunt. Hortatur autem, ut diuinis eloquiis continenter inhereamus, & bona, quæ in illis reseruata sunt uiris sanctis, amore complectamur.

CYRILLI. Illud *inhabita* dixit. prò. inhabitabis. terram illam scilicet, quæ mitibus præparata est. quàm cum obtinueris pasceris in diuitiis eius. Matth.5. Mitium uerò terræ diuitiæ aut illę sunt cœlestis ciuitatis, uel diuinarum gratiarum affluens subministratio, & se in his perfectè habere. Ioan.6. Cæterum delectatio est (ut dixi) inhabitans habere uiuificum Dei uerbum, panem uitæ, qui de cœlo descendit, & uitam mundo dat, cum qui in se habuerit, petitionem cordis sui omnino consequetur, & tum illi uitam suam poterunt reuelare. Nam uniuersorū Deus rectam piorum uiuendi rationem perspicit, & eos, qui malè agere statuunt, auersatur.

DIDYMI. Qui prorsus in omnibus se se utilem nobis præbet Dominus, cibus, & potus nobis esse inuenitur. cum ergò illo, qui panis est uitæ, nutriti fuerimus, & carnibus eius, & sanguine, quæ sunt uerus cibus, & potus impleti fuerimus, oblectantes in eo, quicquid expetierit cor nostrum habebimus ipsum præbentem, petitiones inquàm mentis habebimus, non eas, quas sensus expetit, sed spiritales, & intelligentia perceptas.

THEODORETI. *Spera in Domino.* Fructum repositæ in Deo spei per omnia ostendit. nam qui in eo (inquit) spem fixam habet, & ab illo pascitur, bonis ab ipso subministratis perfruetur, & plena manu ea consequentur, qui cum eo uersari delicias putant.

NICEPHORI. *Ne æmuleris*, æmulationem imitationem appellat, *neque zelaueris*, noli propter exiguam, & temporariam fœlicitatem iniquos beatos existimare, *Spera in Domino.* Quoniam labores uirtutum tuarum non despiciet, *Et fac*, quod bonum est, *Et inhabita terram.* Sic faciens (inquit) intrepidè, quàm habeus habitationem posside, & pasceris à Deo in bonis eius, ita ut utilibus fruaris, & à noxiis non lædaris, *Delectare in Domino.* Delectare (inquit) in Domino, per immensam nimirum atque insatiabilem eius dilectionem, aut per inexplebilem mandatorum eius contemplationem.

Reuela Domino uiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.
Et educet quasi lumen iustitiā tuā, & iudicium tuū tanquā meridiē, subditus esto Domino, et ora eum.
Noli æmulari in eo, qui prosperatur in uia sua, in homine faciente iniquitatem.

THEODORETI. Deo (inquit) & te ipsum, & actiones tuas oēs offeras, & ab eo auxilium attende: ipse.n. tanquàm iudex rectè iudicabit, & celebrem te atque illustrem faciet, ut omnibus splendeas tanquàm lux meridiana: *Subditus esto.* Hęc igitur cum noueris gubernanti Deo pareas, & bona petas ab eo. *Noli æmulari in eo*, quod si perperam agentem quempiam uideris, nec sua spe frustratū, & ferri secundo flumine, noli indignari, neque dolere, ac ægre ferre, ac si nullus mūdo huic præsideret, quæ sequūtur, hęc indicāt.

DIDYMI. Oblectaris in Domino, hæc age, & ambula in iis, quæ Deus uidet. nam qui peccat, is non uidetur à Deo, nam qui ignorat ign[illegible]rabitur. hoc.n. modo, quæ sperasti opere perficiet, & occultam iustitiam tuam in lucem proferet. nam Iob, & Iosephi uirtus omnibus terrę incolis elucet, quoniam quale fuerit lumen tibi iniunctum, tale erit, & iudicium tuum, uel quod tu apud te ipsum iudicasti, uel quod de te à Deo iudicatum est. cum uerò tua omnia propalata fuerint, eris 1.Cor.14. deinceps tanquàm lumen in mundo. Interim tamen Domino subditus esto eius mandata seruans, ab eo præcedentium delictorum tuorum ueniam poscens.

CYRILLI. Qui in Christo oblectantur, & refertam donis illius mentem habent, rectis eius desideriis ad finem perductis, nudam, & apertam Deo uiam, hoc est rectam uiuendi rationem ipsorum ostendunt,

EVSEBII. *Pro subditus esto Domino, & ora ipsum*. Aquila dixit. Sile Domino, & expecta eum. Symmachus quietus esto Domino, & supplicationes illi facito. nam eum, qui quæ prædicta sunt, facit, & in iis sperat, silere decet in præsenti, & promissiones expectare. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in uia sua, in homine faciente iniquitatem*. Necessariò resumit orationem. Quoniam enim iam nosti (inquit) quæ & quantæ tibi diuiti repositæ sunt, ne conciteris in eo, qui dum uiuit, fœliciter agere uidetur, & iniquitatem operatur, ne irriteris, neque hunc felicem prædicato, certò sciens quod ipsum manet ira in die iræ iusti iudicii Dei.

Rom.2. HESYCHII. Ecce nobis iterum oblectandi nos in Deo genus aperit beatus Danid. Nam qui iudici uiam suam reuelat, & delicta propria tanquàm de eius benignitate persuasus confitetur, idque cum delectatione præstat, rem Deo tam gratam facit, ut & nobis confessionis mercedem, & quæcunque illi petierimus, largiatur. Præsertim si à confessione, puram spem in ipso conseruauerimus. Quid uerò nobis aliud addit? *Et educet quasi lumen iustitiam tuam*.

ATHANASII. Ita quoque de futuro seculo Dominus loquutus est. Tum iusti fulge-
Matth.13. bunt sicut Sol. Vbi (inquit) in eo speraueris, tunc ipse faciet. Sed quid faciet, ostendit, inferens. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquàm meridiem*. Tum uerò educet (inquit) pro manifestum reddet, & quasi conspicuum declarabit, non permittens honestæ uitæ decorem, & pulchritudinem latere. Erit enim iustitia tua tanquàm lumen omnibus manifesta meridiana luce splendidior. Meridies diei dimidium dicitur, non modo (inquit) confitentem iustificat, & ei clementer adiudicat, uerum etiam iustitiam eius in aperto ponit, hoc est notum omnibus facit se illum iustificasse. Cuiusmodi fuit latro, cuius iudicium in meridie hoc est me-
Luc.23. dio die IESVS in cruce pendens eduxit. un amque eius iustitiam in lucem, hoc est, in omnium cognitionem produxit. nam expressa uox illa. Amen Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, clara mundo, atque adeo lux orbi terrarum facta est. & omnibus resipiscentibus,
Matth.13. & pœnitentibus adhortatio quædam fuit. Non.n.(ait) claritas iustitiæ eius occulta, ut modo est, sed tanquàm Sol in meridie conspicua. quemadmodum Dominus ait. Tum iusti fulgebunt sicut Sol in domo patris eorum.

IPSE quidem (inquit) lumine te dignum ostendet in futuro, tu uerò interim hic illi subditus esto.

CYRILLI. Duo uiris sanctis conuenientia & se quasi mutuo consequentia officia imponit. Primum est, subiici Deo. Alterum, orare Deum, utrunque sanctorum precibus, & iis, qui bonitatem meditari consueuerunt, maximè omnium consentaneum est. Nam in Dei subiectione intelligitur omnium mandatorum obseruatio, paret enim decretis eius, & lætus, alacrisque diuinæ uoluntati ceruicem subdit, & probitatem exequitur ne incredulitatis crimine obnoxius deprehendatur, in oratione uerò, & prece posita est laudatio, & cum prece coniunctum canticum numerosum, & quoddam quasi spiritale odoramentum nimirum operum splendore apud Deum bene olens.

APOLINARII. *Et spera in eo*. In silentio Deum expectare hortatur, non perturbari rebus præsentibus, sed sperantes in futuris, iuxta illud Apostoli. Spe gaudentes, in tribulatione pa-
Rom.12. tientes. Et Ieremiæ dicentis, bonum est homini cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sede-
Thren.3. bit solitarius, & tacebit, dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis.

ATHANASII. *Noli æmulari*. Ne imiteris (inquit) fœlicitatem iniquitate comparatam.

HESYCHII. Apertè magis expressit id, quod in proœmio dixerat, non oportere nos ubi
Iob.21. peccatorum, & iniustorum secundos audierimus successus ad malitiam excitari, sed beati Iob memoriam repetere, qui cum peccatorum prosperitatem deploraret eam ad nostram utilitatem adduxit. Veruntamen non est quod quis cum flagitiosus sit, se innocentem esse persuadeat. Quicunque Dominum irritabunt, tanquàm de iis examen non sit habendum.

NICEPHORI. *Reuela Domino*, dignam uisitatione, & custodia Dei, conuersationem tuam, & uitæ normam facito. *Et ipse faciet*, que speras, quæ petis, & quæ conducunt. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium*, id est, iustam sententiam luminis cuiusdam instar fulgentem ac conspicuam coram homibus constituet, omnibus qui in eum spe feruntur, ea

enim uera spes est. *Subditus esto Domino*, non aduersatus eius uoluntati, *& ora eum*, ut scilicet miseratus tui, protegat te. *In homine facient iniquitatem*, cum dixisset dixtinxit de quo nam loquatur, de iniusto scilicet, *in eo qui prosperatur in uia sua*.

Desine ab ira, & derelinque furorem, noli emulari ut maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc modicum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

EVSEBII. Quare tu ne in ira prorumpas, nec excandescas de impio, si fęlix censeatur, neque imiteris illum, tanquàm uelis & ipse, flagitiosè uiuere: nam benè scias, & hoc tibi certè persuasum habeas, quod finis malignantium interitus est. nam *qui malignantur, exterminabuntur*. Soli uerò longanimes, & sustinentes Dominum, terram hæreditabunt. Quoniam, & secundum Saluatorem, Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. nam si quæ est bona terra sanctis promissa, eam hæreditabunt, qui sustinēt Dominum. nam cum aliis bonis, quæ commemorauimus, ipsa quoque illis hæreditas concedetur. si uerò in cœlis est Hierusalem, & Sion mons Dei cœlestis, consequens est, ut terram etiam cœlestem ibidem cogitemus, quę dignis promissa est. Matth. 5.

ATHANASII. *Desine ab ira*. Terram hæreditabunt, qui perniciosum iracundiæ affectū sperauerint. Ira.n.& prudentes perdit, siquidem quominus honestè se gerant, impediuntur. Ira.n.uiri, Dei iustitiam non operatur. Cæterum ab ira, & furore Dei securus est, qui abstinet ab iis, quæ iram, & furorem concitant. Luc. 2.

CYRILLI. Perutile præceptum, & maximè decens eos, qui Deo subiecti sunt. Oportet enim (ait) se mites, & mansuetos præbere, & probè affectos sese præstare, atque animo esse imperturbato, diligentes in primis tranquillitatem ex patientia prouenientem, & ab irarum fluctuatione recedentes, scriptum est enim, quod ira prudentes perdit, & rursus. Vir iracundus non est formosus. Luc. 2.

HESYCHII. A qua ira cessandum sit, uersus sequens ostendit. Nam ab ira cessandum dicit, quæ ab illatis iniuriis proficiscitur, ne fortè per iram ad iniustitiæ contentionem impulsus, pro lenitate, ac mansuetudine indignationem sumas. Concedit autem nobis ut in peccantes irascamur, & indignemur. Cæterum non permittit, ut irritemur, sed ut eorum malitiam odio prosequamur. Et hoc est, quod in quarto Psalmo expressit Propheta dicens, Irascimini, & nolite peccare, ut peccatoribus irati, illorum peccata non imitemur, nam multi iustè uiuentes cum se uideant in calamitatibus, & ęrumnis uitam ducere, peccatores uerò in omnibus rectè, ac fęliciter ad tempus agere, indignabundi, & irati à iustitia recedunt. Hoc uerò extremæ dementię est. Quis enim irascitur Deo? an non potius iustitiæ Dei fructum capere patienter expectat? qualis autem hic sit, sequentia declarant.

HESYCHII. Non dixit exterminantur, sed *exterminabuntur*, neque.n. hic id prorsus, sed in futuro seculo patientur.

APOLINARII. Præcipit ut longius prospiciamus, nec præsentibus commoueamur, sed malorum interitum, & bonorum imperium præuidere. Hæc autem in fine, hoc est in altero seculo contingent, quod præsens seculum non habeat ab illis egressum, sed potius ab impiis terrena possideantur, iccirco inquit, totus orbis in maligno positus est. 1. Ioan. 5.

CYRILLI. *Qui Dominum expectant*, hoc est qui per sustinentiā, & patientiā cōmendabilē uitā ducunt, hæreditabunt terram, terrā inquem, quæ sanctis præparata est. His.n. pulchra illa, & sacrosancta cœlestis ciuitas hæreditas obuenit. ibi enim Angelorum choris immixti, assiduè Deum laudantes uersabuntur. Deum inquam qui illis hanc hæreditatem elargitus est, & iisdē inenarrabilia dona contulit.

EVSEBII. *Et adhuc pusillum*. Ea, quæ superius dicta sunt, hoc loco interpretatur Propheta. Illud enim. *Tanquàm fœnum celeriter arescent, & sicut olera herbarum cito decident*, per illud. *Et adhuc modicum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies*, illud autem. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, per illud. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. Quomodo autem quis delectetur in Domino declarat dicens, quod multitudo pacis apud ipsum erit, qua multitudine pacis fruuntur illi, qui in Domino delectantur. His autem uerbis palàm sermo ostendit, aliam esse terram bonam, quæ mansuetis danda est, & oblectationum dęlicias, & multitudi-

nem pacis in aliam uitam mittit. Non enim ignorat, quod pariter cum peccatoribus, & iusti quoque præsentem hanc uitam finient, ut de illis dici queat. Et adhuc modicum, & non erit iustus. & quæres locum eius, & non inuenies. nam & ipsi æquè ac peccatores moriuntur. Quomodo uerò mansueti hæreditabunt præsentem terram, cum Moses omnium mansuetissimus ex hominibus excesserit, & à terra, quàm incolimus, emigrauerit.

Didymi. Sed neque peccator existet ablato illi malo habitu, quo huiusmodi est. Locus uerò non inuentus tanquam in ordine intelligendus est. Verbi gratia, alius est doctoris, alius discipuli locus, donec similem scientiam consequatur, & in eodem cum doctore ordine relicto discipuli loco reponatur: ita dempta malitia, qui eam prætulerant, non amplius habebunt. Cæterum pacis affluentia erit mansuetorum, cum hostes omnes, quibuscum bellum gerimus de medio sublati fuerint.

Hasychii. *Adbuc pusillum*. Quantum? Abacuch Propheta dicit, cum uitæ huius
inæqualitatem ipse quoque molestè ferret, & ad Deum ex iustorum persona clamaret. Vsque
quo Domine clamabo, & non exaudies? uociferabor ad te uim patiens, & non saluabis? & alia
plura his similia. Tacebis dum impius iustum deuorat, & facies homines sicut pisces maris, &
Abac.1. quasi reptilia non habentia ducem? Sed quod remedium his malis attulit? Præcepit iustum iu-
dicem expectandum: nam sic (inquit) si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, &
2. Pet.3. non tardabit. Affinia his etiam Petrus Apostolus scripsit. Vnus dies Domini sicut mille anni,
& mille anni sicut unus dies. non tardat Dominus promissionem sicut quidam tarditatem existi
mant: hoc est, ne ex nobis ipsis, sed ex uenientis dignitate celeritatem, uel tarditatem reputemus:
nam illi, utpotè ęterno multa secula, tanquàm breuissimi anni habentur. Cum autem aduenerit
iustus iudex, tunc non erit peccator, non quod esse desinet, sed non erit in ea gloria, in qua nunc
est: Hoc.n.interpretatus subiunxit. *Quares locum eius, & non inuenies*. Hoc te doceat opulen
Luc.16. tus ille, qui Lazarum despexit, cuius locus in uita fuit purpura, & byssus, & reliquus uitæ orna-
tus, sed ad iudicem tractus in Geennam proiectus est. Hanc Christus in Euangeliis beatitudinē
Math.5. descripsit, & quæ prius per Prophetas ipse postea eadem proprio ore protulit. Rectè igitur mā
sueti hęreditātes terram dicti sunt, hanc iustam à iusto iudicem retributionem accipientes. Pro-
pterea ea quæ in hac terra sustinent, dum prę mansuetudine penuria, & egestate præmuntur;
Quid præterea adiunxit? *Et delectabuntur in multitudine pacis*, tum præsentis tum futuræ:
non enim tunc bellum inuenient, cum iudicii tempore conscientia illis nullum bellum mo-
Rom.2. uebit, quando cogitationes (ut inquit Paulus) se inuicem accusare cęperint, atque defen-
dere.

Theodoreti. *Desine ab ira*. Ne ad proprietatem malorum te uertas, sed exitum expectato, & uidebis exitium. *Sustinentes autem Dominum*. Siquidem mihi crede, quod qui à diuina spe pendent, & mitem uitam eligunt, in quiete, ac tranquillitate manebunt. æternas habentes delicias, hoc est conscientiæ candorem. Qui uerò fluxis fœlicitatibus confident, celerem mutationem recipient, & æternæ obliuioni tradentur.

Nicephori. *Desine ab ira*, non solum ab imitatione prauorum prosperè agentium abstine, sed tu excandescas, & doleas, cum benè res illis cadunt. *Quoniam qui malignantur*, corporis nanque & si non omnes, demum tamen omnes animæ iacturam facient. *Et adhuc modicum*, quantum uiuet: & prauitas eius extinguetur. *Et querens locum*, si quæsieris an habeat locum, nequaquam inuenies locum eius, nam saluandorum omnes loci sunt, & mansiones Dei: perdendorum uerò Geenna, quæ ne locus quidem dicitur, sed perditio. *Et delectabuntur*. Et terra illa in multa pace fruentur, nam dolor, tristitia, & gemitus aufugerunt.

Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis.
Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod ueniet dies eius.
Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum.
Vt deijciant pauperem, & inopem, & trucident rectos corde.
Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.

Theodoreti. His quoque uerbis consolatur afflictos, nam peccatorem ostendit, rabie percitum, & furentem in eos, qui tranquillæ uitæ iucunditatem amplexi sunt. Iustum uerò iudicem eorum petulantiam irridentem, utpotè qui celerem finem eorum prævideat. *Gladium euaginauerunt*. Eundem sensum hæc habent, quem, & superiora, nam docent iniquum, techinas omnes, ac dolos in eos, qui nil offenderunt, struxisse, quamuis postea intra propria retia sit transfodiendus.

fodiendus. Gladium namque,& arcum diuersas uocauit insidias, Hæc consonant cum iis, quæ in septimo psalmo allata fuere: lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

EVSEBII. Et impiorũ aduersus iustos insultus,& utrorũq; ordinũ consequentes exitus describit, nam peccator (inquit) ad sua delicta illud quoque apponit, quod iusti uirtutem ferre minimè potest, existimans eam ipsius nequitiæ indicem, ideo dicitur, Grauis est nobis etiam uisu. quare obseruat, qua ratione ipsum prosternat. Verum iustus hęc ignorat, sed Dominus Sap.2. spectator omnium præuidens exitium eius, qui talia cogitat, irridet cogitationes illius, & tunc amplius nihil facit, quàm quod irridet illum talia cogitantem. sed ubi à cogitationibus ad opus accedit, acuens gladium, ut usque ad mortem insidietur illi, qui propter Deum paupertatem,& inopiam amplectitur,& summam philosophiam sequitur, tum gladium in eorum corda uertit, quos olim Deus irridebat & arcus eorum in iustos paratos conterit, confodiet enim ipsos non amplius eos ob eorum cogitationes irridens, sed decenti & debita pœna mulctabit. quod uero hæc non fabulæ, sed uera facta sint, re ipsa comprobata & nobis ipsis hæc modo percurrentibus factorum experientia declarauit: nam oculis uidimus, quod peccatores in persequutionibus aduersus iustos gladium euaginauerunt, & arcus ipsorum intenderunt, ut pauperem, & inopem consternerent, & rectos corde iugularent, & demum iugulasse, deiecisse,& uariis generibus mortis sanctos martyres fortiter & constanter secundum Deum se gerentes, è medio sustulisse: quemadmodum uero hæc narrauimus, ita pœnam, quæ illos inuasit tam ingentem fuisse uidemus, ut non errauerit, qui dixit, gladium eorum in cor ipsorum introisse,& arcus eorum contritos esse.

DIDYMI. Hæc quoque de Diabolo dici possunt qui peccator articuli adiectione uocari solet, sed & peccatores etiam gladium educunt,& arcum intendunt, ut arcu pauperem, & inopem deiiciant, gladio uero rectos corde trucident: non enim delictis plenos amicos suos uulnerant, nec obliquos corde, quibuscum familiariter uiuunt, iugulant. Cœterum arcus illorum intēti prauæ sunt cogitationes, gladius acutus lingua, uel sermo ipsorum multis perniciosus,& lætalis. quoniã igitur peccator ob peccatum suum moritur, ideo gladius, quem exacuerunt, uicissim in cor eorum retorquetur.

CYRILLI. Qui mundana sapiunt,& præsentis uitæ turbationibus mentem uincimt,& laqueis execrandæ carnis cupiditatibus irretiti sunt, semper utcunque in eos desæuiunt, qui illustrem,& selectam uiuendi rationem sequuntur,& prò hoste habent amatorem iustitiæ, aut certè molestum,& graue putant uideri illorum humanitate,& mansuetudine iudicari, quod non & ipsi optimorum sectatores, & præstantiorum amatores sint. Docet hoc loco psaltes quod peccator obseruabit iustum, hoc est malè affectus occasionem sæpius obseruabit, ut adhibitis insidiis illum occidere posit, Frendet autem in eum dentibus, ueruntamen Dominus irridebit eum.

HESYCHII. Ludibrium debere Diabolum dicit, nam cum uictus est à iustis irridetur, de quo & Deus apud Iob dixit. Hoc est initium figmenti Domini, ut irrideatur ab Angelis. Angelos uero iustos uocat, qui in carne carnem contemnunt, & uiuendi ratione à carne alienam sectantur, quemadmodum Paulus dixit, in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Deus autem, Diabolum irridet, cum iustis tentationes infert cum eis pugnans. irridet autem præuidens cuiusmodi eius dies futurus sit, cum in Geennæ ignem illi præparatũ planè detrudetur. 2.Cor.10.

NICEPHORI. *Quoniam prospicit*, præuidet enim tanquam Deus aduentantem diem, qua destruendus est. *Gladium euaginauerunt*, Diuersitate armorum multiplex insidiarum genus indicatur.

ATHANASII. *Dominus autem irridebit eum*, Hoc & de homicida Diabolo dici pōt. irridet (inquit) peccatoris insidias aduersus Iudæos, sciens quod diem statuit, in quo huic quidem æternam uitam, illi uero supplicia sempiterna retribuet.

HESYCHII. Non ea hic arma intelligit, quæ ex ferro, neruis,& cornibus, uel huiusmodi rebus aliis constant, sed exprobrantium linguas significat, nam in alio psalmo dicit. Filii hominũ dentes eorum arma,& sagittæ,& lingua eorum gladius acutus, quibus armis peccator ad proximos affligendos,& ad insidiandum iusto utitur. Psal.56.

APOLINARII. Ipsos in se ipsos arma mouere sceleratos dicit, quæ contra iustos parant, ut siquis gladium educat,& eo ipse iuguletur. & inanes atque irritas insidias fore, tanquàm arcum contractum in manu sagittarii. Hoc in Dauid re ipsa expletum est, nam Goliath, proprio

ense,

ense,quem in Dauid perstrinxerat,occubuit.

C Y R I L L I . Non est propositum peccatoris, uel aliquem eum lacessentem, uel negotium intentantem, uel iustas pugnandi occasiones præbentem ulcisci,sed ut deiiciat pauperem, & inopem, & trucidet rectos corde. pauperem, & inopem intelligit, modestum, ac temperatum & prauitatis osorem, & humilem corde. Hunc & Saluator ipse humilem spiritu appellat, & dignum esse regno cœlorum dicit, præcipuè uero sycophan-
Math.5. tæ, ac impostores in pauperes arma parant. Ad hæc & contra iustos, qui rectam habent linguam, inquit illorum iustitiæ inuidentes, calumnias tanquàm gladios iactare consueuerunt.

A T H A N A S I I. Hæc(inquit)passi sunt mali dæmones, quæ contra sanctos moliri consuluerant.

Math.26. H E S Y C H I I. Nam omnis, qui gladium accipit, (Christus ait) gladio peribit, sed & qui proximos calumniatur, similia patietur. *Et arcus eorum confringatur*, quomodo peccatorum arcus confringentur? cum nos ipsos munierimus accepto fidei scuto, & induti lorica iustitiæ. Tunc enim hostium arma conteruntur, quando irrita in eos retorquentur.

Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.
Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.
Nouit Dominus uias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit,
Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.

E V S E B I I. Prædictum est hactenus non solum quæ persequutiones iustum essent inuasuræ, sed operibus ipsis comprobatum. Atque alio quidem tempore cum iustus inopia premi-
Math.6. tur, paucis contentus est, & doctus precando dicere. panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè. At peccator rerum copia abundans, eas boni alicuius fructum esse putat. Ego uerò (inquit) optimè scio, atque alios doceo, multo meliorem esse iustum, qui quotidianum panem accipiat, peccatorum diuitiis. quod si causam quæris, en audi, qui paucis contentus est, Dominū habet, animam eius, uitam, ac mores confirmantem, Dominum inquam, qui potior illis est omnibus diuitiis: brachia uero peccatorum fortia non perdurant, neque diuturnæ sunt diuitiæ illorum: nam illicò conterentur, & tanquàm olera herbarum, & tanquàm fœnum exarescent.

D I D Y M I. Sanè per brachia intelliges actrices animæ facultates.

T H E O D O R E T I. Melior est (inquit) frugalitas cum iustitia, quàm diuitiæ iniquæ & affluentia iniusta. Deinde ostendens utrorumque fructum, inquit, *Quoniam brachia peccatorum confringentur.* brachia eleganti figura potentiam nominauit: nam per hæc natura insitum est hominibus ut agant, & operentur. Rectè autem uerbum hoc, *confirmare*, iustis attribuit, nam à Dæmonibus, & ab hominibus prauis agitati, à diuina gratia confirmati consistunt. & ingruentibus calamitatibus superiores euadunt, omne uero auxilii genus consequentur, qui inculpatam uitam elegerit, nam licet in calamitates incidant, eas tamen superant, & communi inopia grassante, frugem accipient. Porrò famem hoc eam significari opinor, quæ olim antiquis Iudæis intentata fuit, indicam super terram non famem panis, sed famem audiendi uerbum Dei.

Amos.8. C Y R I L L I. Ditescit aliquando peccator, & in bonis his terrenis delitiisque dilatatur, & exultat marcescibilem gloriam habens, & carne impinguatur. cœterum aliud nihil habens terrenis his rebus oblectatur. qui uero corde pauper est, & iustitiæ zelo ardet, hæc omnia contemnit, & æquam, ac moderatam paupertatem diligit, & hoc illi melius est super diuitias peccatorum multas.

D I D Y M I. Ad intelligentiam melius est iusto parum cognitionis cum pietate, quàm cum impietate peccatorum diuitias multas habere, quos ditescere arbitrantur aliqui falsi nominis scientiam sectantes.

E V S E B I I. Præstantior est modica spiritalis cognitio, quàm ingens sapientia gentium.

C Y R I L L I. Quoniam uerò peccatorum amatoribus ditescere inutile est, uel ut melius, & uerius dicam diuitiæ extrema illis supplicia comparant, sanè iustorum parcitatem fructuosam, & Deo placentem ostendit inquiens. *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.* Fructus ergo diuitiarum confractio est impiorum, & omnis roboris ablatio;

hoc

hoc enim brachiorum contritionem significare puto.

Hesychii. Quomodo nō conterentur in suppliciis brachia illorum, qui iniustas accumulant opes? præsertim cum diuitiarum rapinæ spinis comparentur, & raptorum manus oporteat ab auaritia tanquàm à spinis auulsas conteri.

Cyrilli. Parsimoniæ proprium est, ut à Deo confirmetur, fulcit enim, ac tuetur iustos, & solidam lętitiam præbet, unde inconcussam comparant fœlicitatem, cum nihil eam delere, aut in contrarium ferre possit; nam (quemadmodum scriptum est, extentam manum eius *Isa.14.* quis auertet, illud *nouit*, pro amat hic posuit, & dignum putat, ut prouideat. quoniam quomodo non omnibus compertum est quod & uias nouerit peccata sectantium, cum nihil prorsus eum lateat?

Hesychii. *Dies immaculatorum*, nam prò, uias, *Dies*, posuit, qui in futuro seculo maneât, quos ipse solus, ut præcognitor, benè nouit, & hæreditatem quoque scit, quàm iusti possidebunt. Nam præsens seculum peccatoribus quidem gratum est, & iucundum, iustis uero molestum, & ęrumnosum, ideo Christus Apostolis dixit. in mundo præssuras habebitis, sed confidite, ego uici mundum. incorruptæ, enim & sempiternæ sunt iustorum retributiones. *Melius est modicum iusto*, iusti enim modico etiam benedicitur, at peccatoris diuitiæ disperguntur. Aliter sic. iustus autem hic modicum habens, totum futurum hæreditabit, peccator uero in *Ioan.16.* præsentia ditescens nihil paulò post præter supplicia sibi reposita possidebit.

Evsebii. Quoniam Dominus dextri agminis, hoc est iustorum uitam non modo confirmat, sed manentes eos in futuro seculo dies euidenter nouit, & paratam illis hæreditatem, de qua superius dictum est, agnoscit. ideò nihil eos uitæ breuitas, & molestia lædet, nec officiet illi paupertas, & inopia propter Christum. nam illorum exercitium est propositi sui firmitas, qua angustam, & arctam uiam ambulantes, promissa consequentur, prò (*nouit*) Symmachus uertit, præcognouit uias immaculatorum. At maius aliud illis aderit: nam *in tempore malo non confundentur*, tempus autem malum est tempus iræ aduersus malos, in quo mali iustum Dei iudicium experientur, boni uero dextri agminis gloriam, & honorem suscipient. cæterum & circa præsens tempus, iusti quidem diuinis dęliciis fruentes saturabuntur, peccatores uero fame, & indigentia rationalis nutrimenti peribunt. quis porrò uidens insurgentes in nos impios diuitiis, gloria, & dignitatibus admirandos, & magnis gentibus imperantes, repente ab omni simul dignitate decidere, non protinus uerissimum esse hoc oraculum fateatur?

Didymi. *Nouit Dominus uiam immaculatorum*, quod hic, noscere, dicitur, non ad scientiam refertur, sed admixtionem quandam significat. Nam uias per quas ambulant immaculati Dominus omnes nouit, ut qui se innocentiæ illorum immiscet, ait enim, *Nouit Dominus dies immaculatorum*, cum enim (inquit) immaculati nunquam in tenebris, semper autem in luce, ac diebus uersentur, propterea nouit Dominus huiusmodi illorum dies. uel omnes etiam uitæ illorum dies nouit, quippe qui immaculatè, ac innocenter trasfigantur. *Quia peccatores peribunt*. pereant peccatores, non quod omnino deleantur, sed ne amplius sint peccatores.

Cyrilli. *In tempore malo*, Malum hic oppressionum, uel tentationum tempus uocat, sic enim sapientissimus Paulus quibusdam scribit. Quoniam tempus malum est: nunc uero *Eph.5.* etiam redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. cum ergo in tempore malo offenderint, non confundentur ab honestate ac decoro illam decenti in dęlicias prolapsi, Nam Deus omnium optimarum rerum parentem, tolerantiam, & patientiam elargitur.

Didymi. Tempus malum est, cum quis peccatorum causa affligitur: In hoc ergo tempore immaculati non confundentur, cum non habeant ob perpetrata scelera unde pati compellantur.

Cyrilli. Intelligamus hoc etiam qua ratione fiat, nam obscurè uidetur significare, quòd oppressionis tempore in supernæ fęlicitatis amplitudine positi uersabantur, nam illud, *In die famis saturabuntur*, tale quid significat. quod si quis secus huius uersiculi sensum uelit accipere, illud intelliget. inueniemus enim uniuersorum Deum sæpius ab iniquitatis sectatoribus se auertere, & sacrarum literarum famem immittere, nanque ab ipso dictum est: cum Israelitę usque ad sanguinem non ferendo more debacchati essent, ecce ego mittam famem in terram, nō famē *Amos.8.* panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi uerbum Dei, & non inueniēt. proinde fames iis immissa est, qui sacris disciplinis aduersati sunt, non autem iis, qui diuinorum præceptorum curam habuere, quia peccatores peribunt.

Nicephori. *Melius est modicum iusto*, Viro iusto melius habetur modicum cum iu-

stitiam

stitia, quàm multum cum peccato; *Quoniam brachia*, idest uires, in quibus tota penè operandi, ac laboris uis, consistit. *confirmat autem iustos*, uexatos ab iniquis, uel à Dæmonibus ne subuertantur. *Et hæreditas illorum*, uam sempiternum regnum cœlorum hæreditabunt. *non confundentur*, in tpe laborioso, tentationum scilicet. non erubescent superati, neque in tempore iudicii, quod de malis grauissimum erit, & molestissimum. *Et in diebus famis*, famem intelligas indigentiam diuinæ lętitiæ, qua iusti non tentabuntur. *peccatores peribunt*. perire propriè est æternæ salutis iacturam facere.

Inimici uero Domini simul, ac honorificati fuerint, & exaltati deficientes quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & commodat.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei exterminabuntur.

EVSEBII. *Quemadmodum fumus deficient.* Fumus ignis extincti signum est, quare hos quoque tanquàm ignis flammam emittentes, postea extinctos simili exemplo uidebimus.

CYRILLI. Rursus quæ ab ira Dei peccatoribus eueniunt mala iustorum honoribus opponit. sunt autem illa (ut reor) quæ extremum illis exitium afferunt: etsi enim eos existimes, ac dicas beatos, cum modò in delieiis uiuant, nimirum laudibus ab omnibus coronati, & mundanis dignitatibus gloriantes, peribunt tamen, quoniam uitæ illorum exitus in interitum, & perditionem desinet.

HESYCHII. Quorsum ergò exaltantur, & honorificantur? ne tot, ac tantis à Deo aucti muneribus, cum ingrati in benefactorem suum extiterint nullum excusationis locum inueniant: hac igitur de causa peccatores fumo comparauit, nam quemadmodum extincto igne fumus euanescit, ita intereuntibus peccatoribus, omnis eos circunstans gloria deperit, iusti autem non sic, sed in morte, ac tormentis maiorem gloriam adipiscuntur.

CYRILLI. Hostes uero Domini dicimus eos, qui semel illi per fidem addicti in eum postea inuecti diuinis illius eloquiis continenter aduersantur. Hostes quoque appellari possunt, qui Dæmonibus inseruiunt, & qui opera manuum suarum adorant uel creaturam prò creatore uenerantur. Hostes præterea & illi dici possunt, qui sunt hæresum inuentores, & qui uerorum dogmatum rectitudini mendacii obliquitatem obtendere consueuerunt, cum enim breui floruerint, tanquam fœnum arescentes in mortem corruent, & tanquàm Dei hostes puniti, ueluti fumus deficientes meritas pœnas luent. Porrò ignis reliquię fumus est, corruptę, & extincto illo, & tanquàm in puluerem, & cinerem desinente.

EVSEBII. *Mutuabitur peccator, & non soluet*, peccator cum nihil possideat, utiles interdum, ac salutares sermones à iusto mutuatur, uel à Deo beneficiis cumulatus, debitum non persoluit. Decet enim eum, in quem beneficia collata sunt, opera, & actiones acceptis beneficiis dignas præstare: peccator uero nihil rependit, sed ab operibus iustitiæ sterilis fit, iustus uero diuinis diuitiis auctus miseretur, & indigentibus præbet, quinimo. qui iusto benedicunt, hæredes illius erunt, namque hæreditatem, quam iustis superius promulgauit, eandem etiam benedicentibus iu-

Gen.12. sto pollicetur, quod sanè prophetiæ congruit Abrahæ dicenti: Benedicam benedicentibus tibi, illud uero, *Maledicentes et disperibunt*, simile est ei, quod Abrahæ dictum est, & maledicentibus tibi maledicam. Nam quemadmodum qui lapidem in altum iacit, illum iacit in caput suum, sic qui iusto malè precatur, quoniam execratio in iustum cadere non potest, in se ipsum quasi reflexam accipiet.

THEODORETI. *Inimici uero Domini peribunt*, particula, *uerò*, personarum discrimen inducit, & argumentum præbet suspicandi alios esse peccatores, alios uerò inimicos Domini. sed Aquila, & Symmachus prò illa coniunctione, *uerò*, coniunctionem, & ponentes, eosdem esse peccatores, & Dei hostes declararunt. Dicit enim homines propter peccata sua Dei hostes, cum breui momento floruerint, illustresque, & clari uisi fuerint, tanquàm fumum dissoluendos esse, *Mutuabitur peccator*, Huiusmodi fuit Saul, qui ingentibus beneficiis à diuino Dauid semper auctus, benè merentem de se noluit remetiri. contra uero beatus Dauid Dominum suum imita-

Matth.5. tus, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, de omnibus egregiè merebatur. Non tales fuerunt Iudæi, qui omnia curationum genera ab Apostolis recipientes, sanguinarium animum in eos ostendebant, nihilominus diuini Apostoli diuina illis dona magnificè distribuebant. *Quoniā*

Gen.12. *benedicentes eum*, Hoc Patriarchæ Abrahæ promisit uniuersorum Deus: Benedicam benedicentes te, & maledicentes te maledicam.

CYRILLI. *Mutuatur* (inquit) *peccator, nec exoluet*, hoc est nihilo melior fiet, acceptis bene-

beneficiis, neque sanè ex illis, quæ in eum collata sunt, didicit misericordiæ uias sequi. nec patitur benè de se meritos paribus beneficiis compensare, sed tanquàm fur, quod illi traditur, prò inuento habet, & in auaritiam tantum aciem intendens mutuantem sibi molestiis afficere gloriatur.

HESYCHII. Peccatorem fortassè appellat ingratum, qui acceptum ab hominibus beneficium non agnoscit; Hac de causa docuit nos Paulus, ut nemini quicquam debeamus; Rom.13. Nos uero de Deo illud cogitabimus. quid autem peccator à Deo mutuatur. longanimitatem, & patientiam: is uero pœnitentiam, uel ueniam in proximos non exoluit, Hanc enim retributionem à nobis Deus exigit, ut quemadmodum ipse natura, sic nos delicta fratribus condonemus, Matth.18. quare cum ille, cui decem milla talenta demissa fuerant, ipse uero itidem denarios quinquaginta conseruo dimittere noluisset, uniuersum illi debitum innouatum est.

CYRILLI. Porrò iustus miseretur, & retribuit, quod si etiam (inquit) non accipiat illi tradita sunt, nihil propterea de liberalitate remittit, nec uti munificentia cessat, nam Deum Patrem suum imitatur, qui facit Solem suũ oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & peccatores. Matth.5. Accipimus singuli à Deo quamplurima, & ingentia tam sensibus, quam mente percepta beneficia. quod si quis peccatis illectus, & in uoluptatem, atque libidinem pronus turbis mundanis mentem implicitam atque oppressam tenet, prò multis, quæ à Deo accipit, nihil exoluet. hoc est non obtemperabit, nec eius iugo ceruicem subiiciet, nec placita eius sequetur, nec itẽ uirtutis fructus afferet, sed nec morum quidem honestatem tanquam fœnus exoluet, nec dogmatum demum ullius disciplinæ curam habebit. obduratus enim, et sterilis manet. Veruntamen, utcunquè ita sit affectus (inquit) iustus & bonus non tamen cessabit Deus illius misereri, & impertiri illi, quæ ab ipso ueniunt bona, ut deinceps illi dicatur. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis? proinde Deus esse potest, qui miseretur, & retribuit. Rom.2. Qui uerò propterea ipsum laudant, & benedicunt ei, terræ sanctis promissę hæredes erunt. *Maledicentes autem disperibunt*, Deum execrantur, qui illum ignorant, & in gloriam eius nefarias uoces emittunt, ut ne de beneficiis ab eo acceptis gratias illi agere patiuntur.

NICEPHORI. *Inimicum uerò Domini*, Hoc Iudæis conuenit, & Idolis, cum iis, qui in illis Dęmones inhabitabant. *Mutuatur peccator*, non modo propria nõ impertitur, sed ne quidem debita aliis reddit, adeo nimirum iniquus est & sæuus. *Iustus autem miseretur, & tribuit*, Miseretur quidem propria donans, dat uerò, uel reddit, quod decet. *Quoniam benedicentes*, illud, *quoniam*, non reddit rationem, sed sententiam asseuerat. Maledictionem uero cõtumeliã appellat.

A Domino gressus hominis dirigentur, & uiam eius uolet nimis.
Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.
Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.
Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictionem erit.

EVSEBII. Præter commemorata bona illa quæ homini Dei eueniunt, quod Deus uias illius planas, & æquabiles facit, ut & uitam inueniat, & sine impedimento Deo seruiat, nemine supplantãte, propterea quod Dominus dirigit gressus eius, uiam eius commendatione dignã constituat, & probet.

THEODORETI. Propterea laudat laudantem iustum, & maledicentibus paria rependet, quoniam ipse iustorum uias dirigit: nam fieri non potest, ut absque illius gratia sine crimine uirtutis uiam deambulat, His ergo fauet, qui hoc propositum habent, siquidem necesse est, in humana uirtute acquirenda, humanam propensionem, & diuinam opem in unum conuenire: ita enim fiet, ut siquis interdum, qui hoc iter facit, prolabitur, diuinum tamen subsidium paratum habeat: hac ratione cum beatus Dauid offendisset, & cum periclitatus esset it terram corruere, à diuina gratia rectus est, *Iunior fui*, Cum aliquando iuuenis fuerim, & nunc senex sim factus, nec noui, nec uidi iustum diuina prouidentia destitutum.

DIDYMI. Deus ita iusti rationibus prospiciet, ut si panis egestas præ nimia fame ingruat, corui quemadmodũ Eliæ cibos afferant, 3.Reg.17. & ut Danieli in lacu leonum esurienti Abacuch Rom.14. per aerem delatus prandium portauit. quatenus uero ad sensum pertinet, & iuuenili & inconstantia morum ad senectutem usque perueniens, & canitiem, hoc est, prudentiam adeptus sum. tamen utcunque sie profecerim ætate, non uidi iustum derelictum: nam tanquàm proprii filii apprehensa manu in rectam uiam ipsum Deus dirigit, nec per obliqua cum sinit incedere aut inflexos uitæ cursus peragere, sed recta honestis quibuslibet actionibus admouet docens ipsũ, ac dirigens, iuxta illud. Tenuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me. Psal.72.

Gressus

Gressus hominis dirigentur, cum scilicet boni fuerint. Hos enim merito gressus hominis uocat. Reliquos uero non hominis, sed belluæ, ac reptilis, aut pecudis, cuius uitium imitabuntur, quòd uerò gressus bonos intelligat, qui ad uirtutem ducant, sequens uersiculus apertè magis declarat.

EVSEBII. *Cum ceciderit non collidetur*, si uero labi delinquentem ipsum contigerit, & in tentatione positus labefactetur, & claudicans alicui delicto succumbat, non tamen collidetur, sed tanquàm generosus athleta, qui uim passus, & aliquantum inclinatus statim se ipsum restituet, *Iunior fui etenim senui*, Non audiui hæc aliunde (inquit) sed cum à puero, ad senectutem usque cõsentaneam iusto uiro uitam egerim, uidi nullum fuisse tempus, quo iustus esset destitutus, nam semper custodem, & adiutorem sui Dominum illum habuisse uidi, quare (inquit) *iunior fui, & senui*, uel iuxta Symmachum, iuuenis fui, sed & senui, *& non uidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem*. & quomodo fieri potest, ut semen iusti pane egeret, quando iustus propter illi traditas à Deo diuitias, tota die miseretur, & commodat: Hoc uero secundum rationem cogitabis, sciens quod qui talentum à patre familias, & minam argenti à Domino accepit, negotia- Matth. 25. Psal. 17. tur illa fidem adhibens dicenti: oportebat te dare pecuniam meã ad mensam, scilicet eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ. qui ergo sese in diuinis literis exercet, multasque animi diuitias cogit, nihil aliud agere nouit, quàm tota die misereri, & cõmodare. Verum secundum Aquilam, totum diem donat, & fœnori dat. aliis quidem donat, aliis fœneratur. Dogmata quidem & speculationem donat animabus eorum, qui capaces sunt, præcepta uero, quæ ad mores pertinent fœneratur, ut accipientes ea usuræ fructum operibus præ- Deut. 15. stent, sic illud intelligas, quod Moses diuinarum legum cultoribus pollicetur. Fœneraberis multis gentibus, tu uerò ab aliis nil mutuò capias. sic & diuini Apostoli multis gentibus fœnerabantur, & ante alios Paulus, quorum discipuli cum semen illorum essent, nunquam panis indigentes fuere, quoniam habebant, qui cibum non corporis, sed animi illis subministrarent, cu- Matth. 19. Act. 4. ius, qui participes erant, benedictionibus implebantur, ideo dictum est, *semen illius in benedictione erit*, & secundum historiam, si quis cogitet, quomodo à Saluatore dictum sit, & in seculo centuplum accipiet, uideatque re ipsa uaticinium illud per eius discipulos perfectum esse, uidebit quomodo iustus tota die miseretur, & commodat. Nam si omnium credentium erat cor unum, & anima una, nec aliquis quicquam proprium sibi esse dicebat, sed erant illis omnia communia, quotquot enim erant Domini possessionum uendentes eas, ponebant pretia earum ante pedes Apostolorum diuidentes singulis, prò ut cuique opus erat, manifestum est quod illi tota die miserebantur & commodabant.

THEODORETI. *Et non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*: Non iustorum tantum, sed eorum, qui ab ipsis oriuntur, curam iustus iudex habet, sic Israeli etiam malè agenti ob progenitorum uirtutem prospectum est. sic Solomonem impiè se gerentem ob paternam pietatem, ac religionem tolerauit. illud uero, *tota die miseretur, & commodat*, omnis generis beneficia innuit, quæ iustus tum opibus, tum actionibus, atque etiam sermonibus & consiliis præstat, quæ cum agit accipientium ea miseretur, & Deo de illis fœneratur. qui enim miseretur pauperi, fœneratur Deo, ut idem sit misericordia, & usura.

Eccl. 19. CYRILLI. *Et uiam eius uolet nimis*. illud, *uolet*, prò placitam faciet, nam quemadmodum iniquorum uias infensas habet, sic & eorum, qui probè uiuere decreuerunt, placitas facit, quod autem Deo placet, idem sanè eximium est, & maximè commendabile, nam quod huiusmodi non est, nunquam Deus uellet.

HESYCHII. Viam uult, hoc est, eum probat, qui ad uirtutem, non ad uitia tendit: *cum ceciderit non collidetur*, considera quomodo aliquando iustus inertia labatur, non tamen colliditur, nam Deus illi manum subiicit, idest pœnitentiam, cuius uirtute, cadens non colliditur, sed extollitur, quemadmodum Micheas Propheta, ex persona Ecclesiæ Synagogę dixit. Ne læte- Math. 7. ris inimica mea super me, quod ceciderim, resurgam, nam si ambulauero in tenebris Dominus lux mea est.

Prouer. 24. CYRILLI. *Cum ceciderit non collidetur*. Hoc iustis semper annuit in humanis defectibus misericordiam illis exhibens, septies (inquit) in die cadit iustus, & resurget, oportet enim nonstanquam è fluctibus emersos, eos diligere, qui diabolicam auaritiam nonnunquam ferunt, & breui temporis spatio peccant. siquidem non omne peccatum est ad mortem: quemadmodum scriptum est. itaque si quid huiusmodi iusto uiro acciderit, subiicit Deus, extendens manum suam, quæ ad bonum omnia ordinauit, & uerè salutem affert, qua non adiuuante deficiet omnis mens, & qua subiecta, & suscipiente omnis imbecillitas planè confirmatur, & quod immersum est ena-

rabit. *Iunior fui etenim senui,* Testis est fide dignus eorum, quæ dicuntur, ut qui spiritu afflatus, & prophetiæ dono insignitus, & præterea temporis longitudine rerum multarum experientiam perfectè assequutus quæ nouerat suis calculis confirmare uellet.

HESYCHII. Cuius nam miseretur iustus, aut cui commodat? Miseretur pauperis, & commodat Deo, nam qui miseretur pauperis, fœneratur Deo, & quomodo tota die miseretur, nam plerosque iustos diuitiis carere nouimus, & plures inopia laborãtes? quare non solum misericordiam intelligit ex diuitiis factam, sed etiam ex animo ipso manantem, hoc est affectum illum erga omnes, quem qui præstant, tanquàm sementem in benedictione quamplurimos Deo excolere, & in diuinis disciplinis erudire poterit. Eccl. 29.

NICEPHORI. *A Domino gressus hominis,* Iustus promptitudine sua ad uiam uirtutis fertur, sed Deus eum deducit, nam absque diuina directione, nunquam rectum peraget iter: hominem uero hic iustum intelligit, *Et uiam eius uolet,* conuersationem iusti benignè suscipit Dominus *cum ceciderit, non confringetur,* cadet ratione prouidentiæ Dei permittentis, qui nõ subtrahet manum suam, auxilium. s. uel conuersionem, & pœnitentiam. *Derelictum,* penitus, & in fine destitutum *Nec semen eius quærens panem,* sed nec spiritaliter genitum, & qui dociles mores acceperit, spiritali cibo animam nutrienti carere uidi. *Tota die,* semper fœneratur iustus: nam quod iustus dat, omne fœnori dat. quoniam cum magna usura à Deo id recepturus est, *in benedictionẽ erit:* hoc est laudabitur, & benedicetur.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi.
Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur.
Et iniusti punientur, & semen impiorum peribit.

THEODORETI. Cum uos omnes hæc noueritis, & uirtutis præmia, & nequitię pęnas didiceritis, fugite scelera, ambulate contrarias semitas, ut sempiterna bona percipiatis. Nam cũ Deus uniuersorum recto, & iusto iudicio utatur, sanè consentaneas studiis retributiones dabit. iustitiæ cultores sua cura dignos faciet, & contraria eligentes radicitus euellet, cum ergo utrorumque fructus ostendisset, Docet deinceps qua ratione possit iustitiam exercere, quæ Deo sit accepta.

EVSEBII. Cum igitur tanta esse iustorum præmia noueris, iustus esto, teq; ab omni uitio liberato, hoc. n. in manu tua est, hoc poteris modo uelis præstare, quod cum feceris nõ propterea iustus eris nisi hoc quoq; affuerit, idest, nisi rectè facias, nã præterquam quod furari non oportet, suas cum egentibus opes cõmunicare opus est, nec solum non fraudare alios, sed indigentes promereri decet, nec à malitia solum est abstinendum, sed & alii à malis liberandi sunt, quæ cum feceris, *inhabita,* (inquit) in seculum seculi. prò quo Symmachus uertit. & quietem ages in seculum. Hic enim te sempiternæ uitæ finis manet. cum enim Dominus iustè iudicet, æquam tibi retributionem rependet. iccirco his adiunctum est, *Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos in æternum conseruabuntur. iniusti punientur, & semen impiorum peribit, iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam,* Cum superioribus consequenter docet, iniustos, qui Domini præceptum non seruauerunt, supplicia daturos æterna, & quemadmodum dictum est semen iusti in benedictionibus forè, sic semen impiorum peritură iusti autem promissam mitibus terram habitabũt, & inhabitabunt in ea in seculum seculi. Hæc enim sæpe studiosè sermo pollicetur, ut hac repetitione promissa magis confirmet, cupiens nos in huiusmodi sermonibus uersari, & eos accuratè meditari æquè ac si rationalem cibum manducantes eundem in optimam concoctionem animæ conuertamus.

HESYCHII. Nam qui à malo abstinet, inhabitationem, hoc est rectam uiuendi institutionem in republica non terrena, non temporaria, sed in seculum seculi, & in cœlis possidebit. Conuersatio enim nostra (inquit Paulus) in cœlis est. Non dixit autem, aut abesto à malo, uel recede, sed declina, ut scilicet prius quàm proximè accedat malitia, longè ab ea fugiamus. Phil. 3.

APOLINARII. Prophetica est hæc exhortatio ut à malo fugiamus, & honestas actiones exerceamus, idque agamus in spe quietis æternæ, ut ea nobis in rebus agendis cogitatio adsit, spectatorem nostrum iustum esse, & domesticos suos non negligere.

CYRILLI. Cum (inquit) a malo declinaueris, & bonum feceris, tum inhabitabis in seculum seculi, & in spem firmam, & inconcussam peruenies, quemadmodum ait Isaias Propheta, oculi tui uidebunt Hierusalem, quæ est ciuitas diues, cuius habitacula non commouentur. Cæterum per iudicium sæpe iustitiam sacræ literæ intelligunt, iuxta illud, quod de lege, quæ iusta ministrat, alibi ad Deum decantatur, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Nam iudicium, & iustitiam pariter Psal. 33.

ponit, ostendens iudicium nihil aliud esse, quam iustitiam. Iudicium seu iustitiam diligit Deus, & gratia fine carente operarios suos coronat, nec sanctos suos, qui non alii sunt, quam iusti diuino suffragio honestati, negligit. Quoniam uero sanctos eos intelligit, qui familiaritate illius ditati sunt, & nouit eos præcipuam, & selectam Dei hæreditatis partem esse, illos in seculum custodiri asserit, nam (ut dixi) gratia in illis non est temporaria, nec sanè ad præstituta tempora spei gloria sanctis à Deo distribuitur, sed protensa, & quæ ad æterna usque secula prorogatur, & quasi excurrit. *Iniusti punientur*, Mens est psalmi confectoris ex propositis uersiculis multis modis astruere quod plurima sunt sanctorũ munera, tormenta uero, & supplicia, & pœnas, & siquid aliud est quod perniciē afferre solet, peccatoribus imminere. Etenim iusti uindicabitur (inquit) & semen impiorum peribit. Vindicabuntur inquam. Porrò significare uidetur sanctorum cœtum non prorsus in hac uita fęlicitate frui, sed tanquàm in certaminibus, laboribus, & persequutionibus, quas Satan in eos exercet, futuros, quos Deus ita protegit, ut usque ad sanguinem præliantes peccato resistant. Cæterum non inulti manent, sed manũ suam Deus in oppugnantes eos extēdit, ita ut pereant, scriptum est.n. impii de terra penitus exterminabuntur. *Et iniusti punientur, & semen impiorũ peribit*. ut qui ad propositũ finem psaltes puenerat, & iustorum præmia, & peccatorum pœnas utiliter recenset, suppliciorum timore malos ab inceptis deterret, & benè uiuere eligentes præmiorum cupiditate ad propensius desideriũ prudēter transfert. At impiorum semen, quod perditum iri affirmat, uel opera sunt, (nã quicquid seminauerit hõ, hæc & metet, uel ex eis nascituros filios intelligit, qui uel secũdum carnē, uel alio quouis modo ab illis proficiscuntur, si parentibus similes, & auitæ prauitatis imitatores esse uoluerint.

Psal. 6.

HESYCHII. *Quia Dominus amat iudicium*. Aptè hoc loco de iudicio nobis mentionē facit & in memoriã reuocat, ne rerũ, quæ hic fiũt, cõfusionē uidentes uirtutē negligamus, cum uiderimus probos uiros ab hominibus probro haberi, & afflictionibus uexari, non.n. derelinquet eos Deus, hoc ē nõ despiciet, sed i futurũ seculũ eos seruat, ubi imẽsa ē bonorũ exultatio. *Iniusti punientur*, ubi & quando? cum à regno in Geennã, à regionibus lucis in tenebras exteriores eiicientur, pœnas dabunt, utpotè, qui præceptum non custodierint. *Et semen impiorum peribit*. quemadmodum semen iusti erit in benedictione.

NICEPHORI. *Et inhabita in seculum*. inhabita in seculum futurum tu, qui incola es in præsenti breui, & temporario, *amat iudicium*, idest iustitiam.

Iusti autem hęreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi.
Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium,
Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius,
Considerat peccator iustum, & quærit occidere eum.

HESYCHII. quàm terrã hęreditabũt iusti? paradisũ, & in seculũ seculi habitabũt in eo, nõ n. amplius eos serpens decipiet, nec ullus transgressionis timor erit, sed purus ligni uitę fructus, quem qui degustauerit, immortalitatem consequetur. de eisdem sæpius repetitur sermo, ut promissiones confirmentur, optat.n. Propheta nos ea frequenter meditari, ut i bono perseueremus.

CYRILLI. Inconcussum, (ut dicebã) regnum accipient, & perpetuò cœlestibus bonis pfruētur. *Os iusti meditabitur sapientiam*, sapientiæ meditationē non nudam lectionē censet Propheta; sed in sapientia meditari est id, quod in ea continetur, operibus exercere. is ergo uerè meditatur, qui iudicium loquitur, loquitur autem iudicium, qui secundum iustitiam oino loquitur. Rectè igitur iudicium loqui sapientiæ meditationem, non actionem absolutã esse dixit, nã quemadmodum palæstra meditatio est laborum, qui in theatro fiunt, & exercitiũ cum ea meditatione coniũctũ, sic iustitiam in iudicio loqui, iustitiæ illius, quæ actione absoluitur, meditatio esse reperitur.

EVSEBII. Insistens in sermonis exhortatione, ad imitãdos iustos nos excitat eorũ diuitias enumerãdo, nã præter ea, quæ dicta sũt illis donũ, hoc ē sapientię cognitionē Deus impertit, sapientia nanq; est diuinarum, atq; humanarum rerum scientia, & p quã omnia facta sunt. omnia enim in sapientia fecit: & hic est Deus uerbum, quod in principio erat apud Deum, per quod omnia facta sunt. Huius ergo uoces, & uerba, & disciplinã Deus in homines dimisit, ne iustus deses, & bonis nudatus, ociosè uiueret, sed habeat simul os cœlestem meditans sapiętiam, quu tanquam cęlesti cibo sumpta, primus ipse animã suam confirmet, deinde aliis subministret: quapropter dictu est. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.*

Psal. 103, Ioan. 1.

DIDYMI. Postquã morũ uirtutē omnē instituit, ad speculationē aggreditur, quare & sermo eius, qui os dicitur, eã quæ in cõtēplatione posita ē, sapiētiam meditatur, Huiusmodi est & illud. sermo sanctis in sapientia, manet sicut Sol, nam stultus sicut Lunà mutatur, à iusto enim uerbum nullũ exit, quin prius benè discussum sit, nã cũ quæ loqui oporteat rectè cõsiderauerit, alia quidē loqui-

loquetur, alia silebit. [illegible] modi est [illegible]

C Y R I L L I. Iudicium esse [illegible] Deut.17.
tis [illegible], quodque iis, qui instituunt [illegible] & [illegible]
[illegible] obtinuit, ut scriptum est de Deo, & de Israel, [illegible]

[illegible] Dei spiritalem esse, secundum interiorem hominē condelectatur le-
[illegible] ius meditationem, & mysteriorū profunditatem ī se suscipiens, ueru Rom.7.
[illegible] gressus [illegible] nō supplātabūtur, quoniā à Domino gressus eius diri-
[illegible] interdū inuidēs eius profectui insidias ad mortē te
[illegible] qui ea, quæ fieri non possūt, aggressus sit, nam mag[illegible]
[illegible] us, neq; cōdēnabit ipsum, cū iudicabitur illi.

[illegible] agendis iudicamus, & nō Dei est, qui nos fecit
[illegible] persos habentes, & à deterioribus abstinen-
[illegible] duce utatur, supplantabitur. cę
[illegible] intelligere.

[illegible] quæ d[illegible] loquatur. sed ut ēt
[illegible] instituta uitæ aduersarius supplanta-
[illegible] quemadmodum in corde legem,

[illegible] peri[illegible] laeuo regan-
[illegible] regitur, [illegible] & iustorum ani
[illegible] & circ[illegible] antium malo
[illegible] m data e[illegible], de qua Di-
[illegible] tatio mea est, forte Psal.118.
[illegible] ad pietatem probitatis
[illegible], & improbis maximè
[illegible] peccatores eos ob-
[illegible] debeat, consideran-
[illegible] ipsi tum uerè, tum
[illegible] m persona dicit cir-
[illegible] peccator est, iu-
[illegible] Deus militem suum Vers.
[illegible] Sap.

[illegible] is in se ipso consu-
[illegible] petum autem tanquàm
[illegible] & ad inhonesta deside-
[illegible] capiat, uerum Dominus (ait)
[illegible]

[illegible] a eloquia circumferre, & ea sē
[illegible] quid agendum sit, intre-
[illegible] o deiicere conantur. Hæc ea-
[illegible] ac noctē, & quæ sequuntur,
[illegible] ri meditatione repetendo me Gen.20.
[illegible] pectorum uirum iustum, cum Gen.26.
[illegible] opem expertus est Abraham, Gen.27.
[illegible] accidisset, Hanc Iacob cum à Pa- Gen.29.
[illegible], cum per inuidiam, & calumniam, bel-
[illegible], facilè cum sit studiosis, & uetera collige-
[illegible]

[illegible] sapientiam, sapientiam intelligit legem Dei, & eius
[illegible] *supplantabuntur*, uia eius ad Deum ab initi-
[illegible], & insidiatur iusto peccator non sensi[illegible] s, sed
[illegible]

[illegible] *nec condemnabit eum, cum indicabitur illi.*
[illegible] *ut hæreditate capias terram cum extermina*
[illegible]

 Vidi

[illegible] in [illegible] cedros [illegible]bani
[illegible] en [illegible] rat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

CYRILLI. cum impetū aduersarij de[illegible]aller, [illegible], ac terrorē cōprimit, nec [illegible]
ctorum mentem, & stati[illegible] præsentē auxiliatorem ostendit, qui uanitatis illius [illegible]
inquit enim, Deus cum non [illegible]eserit, quod si Deus adsit, quis nocebit?

HESYCHII. Non.n. iustus iudex accusanti inimico assentitur. Ve[illegible]
ue[illegible]arii potentia in re aliqua deliquerit, & se colligens pœnitentiam [illegible]
natio, cum illi iudicatur, utcunque hostis in eum crimina [illegible]

CYRILLI. Recta, & incontaminata prorsus à Deo [illegible]
sceleratos damnans, adhærētes uero illi, & sacrā eius le[illegible]
continēter uersantes, ab oī periculo, & timore [illegible]ræseruat [illegible]
tu Dominum expectando mandata eius seruat [illegible]
pedibus teritur, sed quæ uerè [illegible]blimis est [illegible]
bona terræ. Non enim à se ipso illuc qui p[illegible]
Rom.5. deat. Cœterū optima res est patien[illegible]
Psal.39. psallit, & diuinus cātor, & ait. Ex[illegible]
Heb.10. patientia uobis opus est, ut cum [illegible]
autem in scriptura diuiniti[illegible]s in[illegible]pirata [illegible]
uero *custodi uiā Domini*, [illegible] aliud e[illegible]
immaculatè uiuat, & [illegible]ecta [illegible]

DIDYMI. Iu[illegible], quem peccat[illegible]
tos in te parato[illegible] [illegible]
tua consequetur, ita ut terr[illegible] [illegible]
tandū est, qđ cum di[illegible]
terram quam pedibus te[illegible] hæ[illegible]
hæreditariam habet, ut [illegible]
ra in qua altitudine sit terra [illegible]
reditario quodam iur[illegible]

CYRILLI. Affli[illegible]
Psal.46. runt, præmium esse po[illegible]
siquidem scriptum est, [illegible]

HESYCHII. *Cu[illegible]p[illegible] [illegible]p*[illegible]
ne peribunt, cum uita, & [illegible]
modo peccator aliquis cad[illegible], rel[illegible]
qui uero Deum expectant, p[illegible]

CYRILLI. quæ mala i[illegible]
se, qui illa ignoret nāq; qđ u[illegible] p[illegible]
torem dicit, sed omniū oculis p[illegible]
dicit, uidi impiū cū cedrorū cel[illegible]
bus exaltatum, prę superbia .s. & [illegible]

HESYCHII. Nō modo exalta[illegible]
exaltari uero contra Deū extolli, u[illegible]
& infructuosa cedris libani, quæ nu[illegible]
eua ē cellitudo, ei.s. cuius uita est cu[illegible]
Cant.7. in canticis Solomō dicit. similis factu[illegible]
1.Cor.8. ab humilitate ortū habet, quādoqu[illegible]
bis exemplum, atque iustitia, quod æmulat[illegible]
ip so adduxit.

EVSEBII. Quemadmodum se iusti expe[illegible]
nior fui, & senui, nec uidi iustum derelictum, [illegible]
se ostendit, non.n. quæ olim gesta sunt [illegible]
maledicos, & impios apud omnes adm[illegible]
existimantes, cumque adhuc mecum ipse [illegible]ar[illegible]
tot bonis abundarent, oculos ut eos a[illegible]
hilum abierant. Deinceps cum uellem ue[illegible]
in quo consistere uidebantur, reperire potui. [illegible]

plina cultus es, fuge huiusmodi impiorum mores, & expurga te ab omni uitii labe,& rectam uiam sectare, maneant enim reliquiæ,& spes bona hominem qui pacem,aut amicitiam Dei sectatur,qui propterea fit homo pacis. At iuxta Symmachum,custodi simplicitatem,& uide qđ rectum est,quoniam hæc futura sunt homini pacifico.

THEODORETI. cum ergo ista noueris diuinam sententiā expecta,& impositas leges,ita enim modo illustris eris,& in futuro æterna bona possidebis,ęrūnosum peccatorū finē inspiciēs Deinde quia multi mœrent,cum uideant scelestos non statim pœnas dare,sed diutius in prospe ritate ꝑmanere,meritò à rebus præteritis futura confirmat. Vidi impiū super exaltatū. Vidit.n. magnus Dauid,& exitū regni Saul,& stragē tyrannidis Absalon,& fastū,& casum Naas Amanithes,mortē quoq; cum superbia Goliath alienigenæ,ac preter hos multorū quoq; petulantiū tre morem,atq; extremā ꝑniciem. quare nō ab re fœlicitatem illorū infœcundis arboribus cōparauit,uacuos aūt & uanos non solum eos,sed & inania quoq; loca illorum appellat. Cæterum his prædictis ostēdit memoriā,sequētibus uero admonitionē,& cōsiliū affert,dicēs,*custodi innocētiā,*

HESYCHII. *Et transiui,& ecce non erat.* Nam si hanc uitam transierit impii locus,hoc est superbia ambitionis eius non amplius inuenietur.sin uero hic quoque patienter tuleris,eumq; cogitatione pertransieris,hoc est contempseris,& despexeris ipsum,neq; illum,neq; locum eius inuenies,nam citius umbra omnia humana euanescunt.

DIDYMI. Cogitatione transiens ad futurā uitam,non amplius impium inueni,ita ut cū quærerem locum eius non inuenirem. Dictum est autem malos post hæc non inueniri,non quia substantia,& natura illorum aboleatur,sed quia qualitas & habitus quo tales sunt,aboletur,& qđ locus eorum in ordine nō inueniatur,ut ostensum est prius. quod si de Satana hæc intelligatur, quoniam mundi huius princeps dictus est, mundus autem hic præterit,si quis in futuro seculo principis huius locum quærat,non inueniet. quod si peccatum quoque Diaboli locus est,iuxta illud. Nolite locum dare Diabolo,sublata impii malitia,locus non inuenietur. Ioan.16. 1.Cor.7. Eph.4.

Custodi innocentiam,& uide rectitudinem,quoniam sunt reliquiæ homini pacificos.
Iniqui autem exterminabuntur simul reliquiæ impiorum peribunt.
Salus autem iustorum à Domino,protector eorum est in tempore tribulationis.
Et adiuuabit eos Dominus,& liberabit eos,& eripiet eos à peccatoribus,& saluabit eos, quia sperauerunt in eum.

THEODORETI. Symmachus ita dixit,custodi simplicitatem,& uide quod rectum est, quoniā hæc futura sunt homini pacifico,ne respicias(inquit)in præsentes calamitates,sed quæ uētura sunt expectato,siquidem futurum est,ut qui simplicitatem,ac rectitudinem excoluerint,digna præmia consequantur. *Iniusti autem disperibunt*,Hoc item Symmachus sic interpretatus est. Agentes impiē & simul delebuntur,extrema iniquorū præcidentur,nam tunc temporis illi militiæ suæ pręmia stipendia referent,& communem interitum expectabunt.

NICEPHORI. *Dominus autem non derelinquiet*,extrema derelictione scilicet. *non condemnabit eum*, neque in futuro iudicio Deus faciet iustum,quando nimirum peccator simul cum iusto iudicabitur,planē & Dæmones cum punientur illis improperabunt,siquid minimum in hac uita,tanquàm homines deliquerint, *Et exaltabit te*,superiorem te faciet insidiatoribus tuis *Et pariter illustrem*,ac sublimem te apud homines esse damnabit, *cum exterminati fuerint*, hoc est exterminari peccatores,uel exterminium peccatorum uidebis. *locus eius.* locus nimirum non inuenietur,qui alicubi eum existentem contineret.

CYRILLI. Innocētiā hoc loco simplicitatē intelligito,qua uitā dolo carentem, simplicem, & à simulatione quasi à simplicitate alienam uiuimus. Hanc uixit diuus Nathanael,de quo Christus ait,Ecce uerē Israelita,in quo dolus non est,Diuina quoq; scriptura alibi. Fuit Iacob uir simplex habitans domū. itaq; quod in moribus,& uita simplex est,& minimē deprauatum,hoc ipsū innocententiam appellamus. Rectitudinem uero id,quod in diuinorum,& sacrorum dogmatum cognitionem tanquā rectum,& minimē peruersum continetur. Docet.n. quomodo, sermonem ueritatis,quā rectissimē tractemus,uidelicet,ut in actrice uirtute ulla rōne peruersi inueniamur: dictum est enim de peccatoribus,quorum semitæ sunt obliquæ,& uestigia illorum praua. Ioan.1. Gen.25.

HESYCHII. Quēadmodū oculus à lippitudine,qua afficitur liberatus purā lucē intuetur,ita cor à malitia solutū & innocētiæ custos humanarū rerū inequalitate lōgē supius Dei rectitudinē intuetur,sed quænā retributio:illa sanē,qua cū inocentiā seruauerimus,uidebimus æquitatē Dei?

DIDYMI. AEquitatis & innocentiæ discrimē dices, ut innocētia sit uitiorū carentia,æquitas uero habitus ab oī ꝑturbatiōe in agēdo alienus. quod si inocētiā correctionē morū appellaueris & ęquitas sit incōmutabilis dogmatū ueritatis speculatio,in utroq; præcipiet custodire innocētiā

& æquitatem uidere. Quoniam spes,quæ non confundit, reliquię sunt ad futuram uitam homini pacifico,qui seruauerit duplicem innocentiā,& consideraueri duplicem ęquitatem prædictā, dispersis impiorum reliquiis,quæ à malitia,& impietatis obliquitatibus erunt oblitera tę. *Salus autem iustorum à Domino.* proteget,autem illos Deus in tempore tribulationis iuxta illud,salus nostra in tempore tribulationis,& liberabit eos de manu peccatorū,hoc est auxiliū illius subministrabit,ut ab actibus,& potentiis malignorum uindicentur. *quoniam sperauerunt in eum*, quare psalmus hic in eo numero positus est,qui iis,quæ in eo continentur,maximè conuenit.est enim trigesimus sextus,nam numerus is & triquetrus est,& quadratus,nam latere octonario constat, nam si ab unitate ad octonarium numeres,colliges triginta sex,est enim octonarius numerus resurrectionis dies.idem quoque numerus tetragonus est,qui senarium pro latere habet, senarius autem perfectus est,qui in se uersus prædictam summam conficit.

Isa.33.

Progressione utitur nam si nunc perquatuor duas, colliges triginta sex.

Senarius cõstas omnibus suis partibus ĩ unū collectis. I. 3.3.

CYRILLI. Tu ergo innocentiam,& æquitatem custodiat quid inde sequitur. *Quoniā sunt reliquię homini pacifico*, Quoniam cū dixerit impium radicitus euelli,ita ut ne locus eius inuenia tur,amatoribus Dei,& custodientibus innocentiam reliquias conseruauit. Huiusmodi hominem pacificum nominauit.quoniam qui rectus est,& innocens pacem cum Deo,& cum hominibus habet. Disperibunt(ait)iniqui,& simul reliquię illorum,& hoc est quod dicit,(ut opinor) locum illorum non inueniri.cæterum illud, *simul*, repentè,& illicò significat,ut & exaltationis,& depressionis eius in interitum idem tempus esse uideatur:non enim in longum abibit interie ctum tempus,sed magis exiguum,& momentaneum erit,nam impius simul ac exaltatus est,concidit,apparuit & subtractus est,floruit,& defloruit,& hoc est quod significat illud, simul.

HESYCHII. In hoc,& futuro seculo,nam simul ac omnes in iudicium inciderint, interibunt,quin etiam illorum reliquiæ disperdentur,siquidem nullæ illis bonorum reliquię inuenientur,aliis quidē,utpotè qui nihil boni egerint,aliis uero utpotè qui in hac uita omnibus deliciis, & uoluptatibus abundauerint. Hoc indicant ea, quæ opulento illi epuloni damnato Patriarcha Abraham dixit,cum petiit,ut Lazarus inops linguam suā aqua refrigeraret. Fili recordare quod recepisti bona in uita tua, Lazarus similiter mala,nunc autem hic consolatur,tu uero cruciaris, *Salus autem iustorum, à Domino*, Tu uero(inquit)fortitudo iustorum,& liberatio ab afflictionibus, & effugium à persequutionibus,& salus in seculum ob erectam in Deo spem.

Luc.16.

DIDYMI. Liberat quidem addictos sibi Deus,& malorum sæuitiæ sagittas irritas reddit,nō enim uulnerari sanctos permittit,sed extra scopū ferire aduersariosq; iacit,quorum conatus omnis in caput eorum retorquentur.

HESYCHII. Et modo cum tentationibus petuntur, & in futuro tremendo instanstante iudicio, nam tum Christus ait erit afflictio magna qualis non fuit à principio mundi, neque fiet. *Eruet eos à peccatoribus*, tam uisibilibus,quàm inuisibilibus, namque plurimi in rectas sanctorum opiniones, & studia immoderatè debacchati sunt, tam maligni homines,quam nefariæ intellectuales potestates.

Matth.24.

NICEPHORI. *Custodi innocentiam*, obseruato ut sis innocuus, & ante oculos habeas æquitatem, *Quoniam sunt reliquię*, Reliquias memoriam, uel monimentum intelligit, *simul*, simul cum memoria.

PSALMVS

PSALMVS IPSI DAVID IN REMEMORATIONEM DE SABBATO. PSALMVS XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.



THANASII. Canit hunc Psalmum reminiscens continuæ calamitatis, quàm propter peccatum habuit, & Deum per ipsum orat, postulans sibi sabbatis mundari, uel ut calamitatibus tandem finis imponatur.

CYRILLI. Attribuitur sanè Psalmus hic personæ diuini Dauid, ita tamen ut nobis quoque aptari possit, id est, cuilibet propria conscientia icto, & perterrito, propterea quod sibi conscius est in legem Dei peccasse. (Nam in multis offendimus omnes,) qui petat à Deo misericordiam, & præ pœnitentia lachrymas ab oculis uerset. Nam si hoc non ita se haberet, quomodo usque ad hoc tempus hic Psalmus ad nos referri posset? Quid enim ad nos confessio alterius si uni illis, & præterea nemini aptari posset? Proponitur ergò iis, qui pro peccatis lachrymas effundere decreuerunt, & propositum Psalmum, seu confessionem Deo offerre tanquàm sacrificium in sabbato, quod duplum erat, & in rememorationem & quia ad Deum offerentes ducebat. Iac. 3.

EVSEBII & BASILII. *Psalmus Dauid in recordationem.* Sermones diuinitus aspiratæ scripturæ ante Christi tribunal sistentur. Redarguam enim (inquit) & in faciem tuam peccata tua producam, & declarabo. Itaque sobriè attendamus iis, quæ à sacra scriptura afferuntur, & studeamus opere Dei mandata complere, quia nescimus qua hora, aut die Dominus noster ueniet: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Sextus Psalmus huic proximè iisdem dictionibus, & iisdem syllabis incipit. & reliqua etiam sexti Psalmi affinia sunt his, quę in hoc afferuntur. Cæterum in sexto prænotatio est: in finem in hymnis pro octaua Psalmus ipsi Dauid: in præsenti uerò nihil horum est. Sed solum Psalmus ipsi Dauid in rememorationem de sabbato, quæ quidem additio, in rememorationem, uidetur nos ad inscriptionem sexti Psalmi remittere. Sed quoniam percurrentes quæ in sexto dicuntur, narrauimus quæ sub prescriptionem cadebant. ideo & nos ad rememorationem illorum legentem mittimus. Porrò mihi uidetur Dauid in multis differenter de commisso à se delicto confessum, propriè tamen hunc sibi Psalmum secreuisse ad eorum rememorationem, ut semper & omnino ipsum in ore habeat, & ipso utatur tanquàm cantu in medellam animæ suæ, supplicationem igitur Deo mittit, qua tum iram, quæ omnibus delinquentibus imminet, deprecatur. tum benignum Dominum uehementibus & eximiis confessionis uocibus propitium sibi fieri petit. Cum dicat, *Domine ne in furore tuo arguas me,* non arguitionem recusat, sed arguitionem cum furore factam, nec corripi sed cum ira corripi fugit. quemadmodum si quis medico ad morbi remedia adustionem, ferrum, & amaras quasque medicinas proferenti, subiectus aliquis diceret. non igne, non ferro, non sectione mihi medearis, sed leuioribus, & facilioribus pharmacis me curato. nam is non abnueret medicinam, & curam, sed molestum, & iniucundum remediorum modum. Cæterum sæpe dictum est, iram & furorem Dei diuinitus inspiratis scripturis allata, non affectum aut perturbationem aliquam de Deo significare: est enim diuinitas ab omni perturbatione aliena, sed scripturæ sermo similitudine quadã ista solet usurpare, non secus ac oculos Dei, & aures, & manus, & digitos, & pedes, & reliqua membra, quibus in utilitatem hominum uelut per dispensationem utitur, sese ad audientium infantiam & ruditatem demittens. Sic igitur supplicia iusto Dei iudicio delinquentibus illata cum seuera sint, & grauia, & dolorum plena patientibus, tanquàm ab ira & furore Dei profecta describuntur. Hoc igitur docet, & sacer Apostolus dicens. Propter duritiam tuam, & in pœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis, & iusti iudicii Dei, quod dabit unicuique secundum opera sua, ut si quis impendentes homicidæ pœnas à lege iram & furorem nominet, non quod lex uerè irascatur, & furore moueatur, sed quod is, qui plectitur pœnam legis iram esse opinatur. Iam uerò & qui suppliciorum in impios ministri sunt maligni dæmones, & potestates uindices Dei ministrę, ira, & furor nominatę sunt, ita enim ubi de decem plagis Aegypto illatis sermo habetur, dictum est. Misit in eos indignationem, & iram immissionem per Rom. 2.

Angelos

Angelos malos. Sic dextera Dei dicta sunt, quæ per bonos, ac propitios spiritus dignis impertiuntur. Suppliciter igitur petit Dauid, ne per malignas potestates arguatur, ne per immissionem Angelorum acerbiorum corripiatur. Sed per sermones Saluatres, & utiles disciplinas, & aliàs rogat ne in diem iræ, & reuelationis, & iusti iudicii Dei reseruetur, uerum ut iam hic in præsenti uita ante mortem peccata sua diluantur: & sanè scopum attigit, uidetur enim pœnas dedisse per ea, quæ ante obitum passus est, ut ex historia regum didicimus, alioquin & ipse se ipsum subiiciens omnibus ueræ pœnitentię modis, puniuit.

THEODORETI. Frequens peccatorum confessio multis in locis facta accuratam diuini Dauid pœnitentiam prædicat. nam in pluribus Psalmis peccatorum reminiscitur, tanquàm qui uulnera ferre nequeat. Cæterum, & morbum, & curam in medium profert, doctrinæ argumentum hominibus præbens. Hoc ergò Psalmo tum de peccato, tum de pœna ad peccatum expiandum inflicta meminit, nam multæ illi calamitates acciderunt, scilicet Ammonis cædes, Abslon tyrannis, Achitophelis consilium in ipsum. Semei contumelię, & cætera, quę historia docet.

CHRYSOSTOMI. *Psalmus Dauid in commemoratione sabbati.* Cuiusnam sabbati? neq; .n. cuiuslibet. Vnde neque de sacrificiis legalis sabbati, sed de perpessionibus Christi Psalmus loquitur. Illius itaque sabbati commemorationem habet præsens Psalmus, de quo dicebat Ioã-
Ioan.19. nes Theologus; Iudæi ergò quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus ille dies sabbati rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

NICEPHORI. *Psalmus ipsi Dauid in rememorationem*, quam? facinorum suorum, & suppliciorum quoque propter ea illatorum. Componitur Psalmus ipsi Dauid oranti pro sabbato. hoc est pro quiete, & cessatione a doloribus, remissionem.n. à Deo postulat afflictionum, quę illi multę, & graues ob peccatum inflictæ fuerant.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

THEODORETI. Huius quoque psalmi exordium fecit Dauid supplicando ut more medici, non iudicis castigatetur, neque ut amarioribus, sed lenioribus medicamentis curaretur: Hoc autem ait, non temerè postulo, sed quoniam imbrem sagittarum in me immisisti, & manũ tuam mihi ualdè impendentem, & nimis uehementer cædentem uideo. Hoc enim *Confirmasti super me manum tuam*, ex translatione posuit cædentium, & ualde multas plagas inferentium.

CYRILLI. Admirabitur aliquis (opinor) & inre quidem ualdè, modestiam animę sanctorum, nam in lubricitate, & lapsu, qui illis multis modis accidere solet, tanquàm humanæ imbecillitatis non omnino expertes, eos quiuis uidere poterit, neque nimis agre ferentes neque ullo modo ad iniustitiam impelli, sed neque refugere quidem, & detrectare quin à Deo corripiatur, imò petentes ne in ira hoc sibi accidat, neque acerbè nimis arguantur, omnibus.n. hominibus interdum usu uenit ut nolentes etiam diuinis hisce legibus aduersentur, sed adhuc animorum medicus moderatis commotionibus huiusmodi accidens corrigere solet. Nam quem diligit Domi-
Prouer.3. nus hunc castigat. Flagellat autem omnem filium quem suscipit. Alibi etiam Solomon scribit.
Prouer.23. Erudi filium tuum, sic.n. erit spes bona. Tu quidem percuties eum uirga, & non morietur. Sed animam eius à morte liberabis.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Sæpe à nobis dictum est, Christum ut in perpessionibus, sic in prophetia personam humanitatis assumere. ex qua nunc etiam ista inseruntur. Dum argui quidem naturam, sed non in furore, corripi etiam ipsam, sed non in ira uult. Sed qualem cupit arguitionem? quæ ad salutem dirigit, qualem quærit correptionem? quæ in pace traditur, quod quidem aliter euenire non poterat nisi eam, quæ in nobis erat redargutionem, & correptionem suscepisset, cum ipse argueret, & argueretur, quatenus Deus arguebat, quatenus homo pro nobis arguebatur. Vtramque igitur, & arguentis, & arguti, personam in unum
Isa.1. contrahens per Isaiæ prophetiam loquebatur, dicens: si fuerint peccata uestra ut coccinum, qua si nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lanam dealbabo. Quin & disci-
Isa.53. plinam pariter tulit, de qua idem Propheta dicit. Disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus.

DIDYMI. Inducitur hoc Psalmo confitentis persona, siquid.n. à me unquam patratum est, (inquit) propter quod furore argui dignus fuerim, cum tamen resipuerim, & pœnitentiam egerim, postulò, ut moderatè arguar, & à doctrina, non ab ira corripiar.

Origenis.

ORIGENIS. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi* [illegible] autem sunt sermones Domini [illegible] Saluator ipse dicit [illegible] in pharetra sua abscondit me [illegible] tanquam sagitta uulneratus [illegible] Domini non corporis, sed animi [illegible] sagittæ, ut de ipso dici possit: Vidisti quomodo [illegible] Et [illegible], qui iure uapulat, dicere potest, *Confirmasti super me manum tuam.*

DIDYMI. [illegible] supplicia interdum significantur, quem [illegible] a commissis, quæ iudicium sequitur, sagittæ [illegible]

[illegible] athleta Iob, cum uarias, & multiplices tentatio[illegible] quare dixit: Quia sagittæ in me Domini *Iob.6.* [illegible] At Dauid non in corpore ictus ut Iob, sed [illegible] Sagittæ Domini in ore meo sunt, sed [illegible] de manu Domi- *Iob.19.* [illegible] *Iob 1.* [illegible] & ossa eius. At ubi erat ma- *Iob.2.* [illegible] Hic uero [illegible] in Dauid [illegible] Domini [illegible] ut sagittæ [illegible] magis solos [illegible] & ca[illegible] nitidus [illegible] sub solum ipsum, & igni[illegible] uxoris Vriæ ipsum in[illegible] armaturam Dei, ut possi- *Eph.6.* [illegible] inimici telis non re[illegible] uerò Iob diaboli sa[illegible] Domini sagittas u[illegible] exhaurit sanguinem [illegible] permittente Deo ad[illegible] in æternum. Cum. D. [illegible] & diceret. Ego [illegible] meritò traditus est te- *Psal.62.* [illegible] Quod si sermones [illegible] omniuincente docentes, sagit[illegible] sacris his ac diuinis sagittis [illegible], & castigationem per iram [illegible] Domine, neque in ira tua corri[illegible] sagittæ a te uenientes assumpta [illegible] igant. Quapropter suppliciter [illegible] *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, aut iuxta [illegible] *manum tuam.* Manum autem Do[illegible] autem Domini manus omnem do[illegible] Ammonem insanum fecit loro [illegible] ut in patrem insurgeret excitauit, sed [illegible] que hoc loco indicata est. Manus [illegible] (inquit) ne alia indignatione arguar, neq;

[illegible] CHRYSOSTOMI. Non temerè pro ipso humano genere Christus [illegible] intorta erant iacula, hoc est [illegible] mala [illegible] in me infixa sunt. nam cum ego [illegible] hu[illegible] pro illis subeo disciplinam [illegible] de qua Iob. Et manus Domini, quæ me te- *Esa.53.63.*

CYRILLI. [illegible] existimare illud, *Confirmasti super me manum tuam* idem

[illegible] is oppre[illegible]us sum, & uulc[illegible]us intolerabile existimaui, non [illegible] manum suam super aliquem, eidem onus grauissimum [illegible]

[illegible]. *Quoniam sagittæ*. Sagittas uocat, inflictas illi à Deo ca[illegible] um percellunt. *Et confirmasti*. hoc est acriter me puni[illegible]

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie pe[illegible] rum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus graue gra[illegible] per me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ [illegible].

APOLINARII. Multas, & graues mo[illegible] ma[illegible]

Psal. 1. ut etiam apud Isaiam, A pedibus usque ad [illegible] gatumens. Hæc igitur iræ notas esse. & [illegible] supplicia in peccatorum cognitionem, [illegible] ant, [illegible] corpora quę ex stupore non sentiunt, ad [illegible] tu[illegible]

ORIGENIS. Non ab [illegible], ne [illegible] uel ex diuinis scripturis eius [illegible] sa mea concutiuntur, qu[illegible] iram tuam. [illegible] dicerentur, potuisset dicere a[illegible], non a[illegible] a facie [illegible] uacaneum fuisset dicere, n[illegible] super me, hoc ipsum [illegible]

1. Cor. 5. tur, *Non est sanitas in carne mea*, dic[illegible] Trade hunc ipsum Satanæ i[illegible]um [illegible] saluus esse non posit, nisi car[illegible] quod interitui tradit[illegible] m[illegible] au[illegible]

1. Cor. 4. iustus ait. Semper mo[illegible] carnem in interitum [illegible] caro [illegible] plius caro uiuat, nam [illegible] uerba considerasti, ad p[illegible]itum [illegible] caro infirmatur, sens[illegible] rit, medelam quodamm[illegible] ad [illegible] perfectam habet mede[illegible] ri ab ira Dei. Propterea q[illegible]tum & [illegible] terum peccatorum faci[illegible] tum meum contra me est [illegible] ossibus perturbatis non ha[illegible]

THEODORETI. C[illegible] tem reminiscentia querim[illegible] seriæ accedunt. nam ing[illegible], & [illegible] cum prudentia neglecta m[illegible] re, [illegible] re omni solatio destitutus, qu[illegible] & [illegible] uenio.

EVSEBII, uel BASILII [illegible] *carne* [illegible] & non expectans aliunde, ut corpus [illegible] peccati ministram, suppliciis tradi [illegible]

Psal. 31. que alibi sæpe aliàs declarauit. cum [illegible]

Psal. 108. mea immutata est propter oleum: & [illegible]

Psal. 101. agglutinata sunt ossa mea carni meæ. Et [illegible] mis meis stratum meum rigabo. Ita etiam [illegible] *iræ tuæ*. Pro ira Aquila, & Symmachus con[illegible] mihi erat fremitus à diuinis scripturis tuis, & c[illegible] tentatæ. Quapropter à facie fremitus tui me [illegible] & ossa mea à facie peccatorum meorum requiem [illegible] propter peccata mea. *Quoniam iniquitates meæ sup*[illegible] petrata sunt, ideo miser factus sum, & curuatus [illegible] gredi-bar. Per hæc autem aperit quæ ipse perpe[illegible]

unum in se accusans peccatum, sed aceruatim tot & tanta ut neque intus occulta sint in anima sua neque intra corpus lateant, sed supergressa sint, ut ab omnibus agnoscantur. Ipse igitur erat accusator suiipsius primus, & ut penes omnes perfectus esset ac iustus sui ipsius accusator, omnem alium accusatorem præuertens, ipse quidem se ipsum condemnauit, & omne inimicorum os obstruxit, cum nihil illis reliquum esset, quod contrà ipsum dicerent. Docet autem hic sermo non esse occultanda mala, & supprimenda peccata nostra, nec conscientiam tanquàm nigredinem aut putredinem in profundo animæ, uelut cauterio inurendam: quemadmodum in febribus euenire solet, nam quę intra uenas penitius insidet febris grauiorem morbum efficit, sed quæ exilit & apertè se prodit, remissionis spem affert, ita etiam in anima contingit.

Nihil autem incongruum est domesticos nomine ossium intelligere, nam si inuicem membra sumus, & tanquàm unũ corpus omnes reputati, quid prohibet, quin ossa etiam singulos præsertim utilissimos quosque dicamus? Cæterum omnia non soli diuino Dauid accidisse dicimus, uerum etiam plurimis aliis, & præsertim his temporibus, cum sancti uiri insultibus uariis circumueniantur, id effici compertum est. Nam sæpe nec opinatè calamitates oboriuntur, ut grauissimi sint, & longè grauiores insultus domesticorum, quàm bellum inimicorum. Domesticorum inquam, quos ossa figuratè appellari diximus. quod si hæc omnia omnibus communia sunt, communis etiam erit peccandi modus. nam cuilibet conueniet, qui tentatur, & laborat, & pacem à Deo, & tranquillitatem consequi optat. *Origenis ne pus.*

Didymi. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Id est, detectis peccatis meis, timor. n. adhuc est, ne adsint, quod eorum facies uideatur. uereor. n. ne in futurum appareat, & exitium mihi grauissimum ponant.

Chrysostomi. Ossa rursus appellat humanitatem suam: ipse autem id declarat dicēs discipulis suis post resurrectionem, quando susceptę carnis œconomiam confirmare uoluit. Palpate me, & uidete, quod spiritus carnem, & ossa non habent, quemadmodum me uidetis habere. A facie igitur peccatorum meorum, quæ prò nobis portauit, pacem non habuit, sed conturbationem in suis ossibus, hoc est in humanitate, ab omni enim perturbatione libera diuinitus ferrabatur. Hoc etiam disces dicente unigenito. Nunc anima mea conturbata est, nam per animam significabat humanitatem. *Luc.24.* *Ioan.12.*

Origenis: *Quoniam iniquitates meę supergressę sunt caput meum.* Hoc dicere non possunt, nisi qui propria peccata sentiunt, nam quos propria delicta non premunt, nec propterea dolent, proposita uerba non dicunt. Rursus qui non sentiunt peccatum caput suum supergressum esse, nec sibi illud insidere cognoscunt, non dicunt. *Quoniam inquitates supergressæ sunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Sin quispiam opinatur peccatorem posse hæc omnia dicere, secum reputet, qui nam lætentur accedentes ad peccandum, & glorientur in propriis peccatis, non enim grauata sunt peccata ipsorum super eos, ut qui ea libenter ferant, sed dolentis, & mœrentis est dicere, sicut onus graue grauata sunt super me.

Didymi. Caput intelligit præcipuam, & ductricem animæ facultatem, nam cum malitia sit grauissima, & ad ima tendat, ita ut plumbeo talento comparetur, solus quem pœnitet, eius grauitatem sentit. Vnde Iesvs laborantes, & oneratos uocat, ut ad se per pœnitentiam accedant. *Matth.11.*

Cyrilli. Hoc esse dicit, quod à sapiente dictum est. Non erubescas confiteri peccata tua. & alibi. Iustus in principio sermonis accusator est sui: est enim hoc rerum omnium saluberrimum. Nam iudicem placat, & ad tranquillitatem traducit, & persuadet ut malorum obliuiscatur. Etiam per unum ex prophetis suis ait uniuersorum Deus. Dic tu iniquitates tuas primus ut iustificeris: nanque absurdissimum est medicorum oculos non uereri, sed occultas illis corporis ęgritudines patefacere, præsertim ut magis doleas, & ad expellendos cæteros cruciatus sectionem aliquam patiaris, non ferre autem ut animi morbi spiritali medico indicentur, licet omnia illi nota sint etiā nullo nota illi facere eligente. *Supergressa uerò* (inquit) *peccata caput suum*, ubi supergredi significat tanquàm grauissimum onus superponi. Hoc enim sequens uersus illicò declarat, dum dicit, ea ut onus graue grauata esse. Est enim onus difficile ad portandum, & mentis index uita, quæ degitur in peccatis. Veruntamen ægrotos atque oppressos Dominus liberat, dicens, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Verberum, & uulnerum reliquias esse dices cicatrices, quæ in carne manent, si ab aliquo uapulari contingat, quæ nisi saneutur dolorem non mediocrē afferunt, quoniam in ulcera dilatantur interdum & ad initia sua recurrunt. Simile quoddam in animis *Eccl.4.* *Prouer.18.* *Isa.43.* *Matth.11.*

animis hominum uidere licet. Ferit enim peccatum, & tanquàm uulnus illis morbum infert, si ad opus deducatur, quod si quis à peccato desistat, hoc est ab execranda turpium rerum uolupta ptate capienda cesset, & quantum potest cupiditatis uim opprimat, & cohibeat, etsi à cogitationibus illis quodammodo abscindatur, habet tamen uulnerum cicatrices, quæ si diutius immorari contigerit, hę interim in ulcera (ut dixi) conuertuntur, dum fœda uoluptas perpetuò ad prauos exitus deducat.

ORIGENIS. Nolite proiicere margaritas ante porcos. Porcos autem Dominus appellat eos, qui in fœtoribus peccatorum lętantur. Si uerò peccator interdum porcorum sensum (ut ita dicam) abiecerit, sensum ex uerbo Dei suscipiet ad fœtorem peccatorum suorum sentiendum. Vult ergò ostendere hominem pœnitentem, & dicentem, quæcunque imprudenter, & inconsideratè admisi, putruerunt mihi, non enim amplius ea renouare studeo, omnia mihi fœtent.

Matth.7.

ATHANASII. Nisi enim anima in imprudentiam delaberetur, peccatum non ferret. Quoniam prudentia est scientia bonorum, & malorum, & imprudentia utrorumque ignoratio.

CHRYSOSTOMI. Et quomodo putruerunt cicatrices carnis? cum caro eius non nouerit corruptionem? Et quàm insipientiam habuit, qui uera sapientia est? Insipientiam sanè suã Iudam uocat, ut magister discipuli sui lapsum sibi tribuens. Huius proditione putrescebant uitiis cicatrices, quid enim illo peccato magis fœtuit? in quo figmentum opificem ad mortem tradebat. Corruptę autem sunt quando se laqueo præfocauit. tunc enim de eius salute conclamatum est, ut quæ emarcuere uulnera à medicis desperantur.

Psa.15.

BASILII. Sed & aliud quid in se factum ostendit Dauid, dicens, *tanquàm onus graue grauatæ sunt super me*. Pręmebant enim conscientiam suam ea, quæ ausus fuerat, ita ut ea ferre ob animi generositatem, & candorem minimè posset, nam qui crudus, & obduratus secundum duritiem suã, & impœnitens cor thesaurizat iram sibi in die iræ, peccatum peccato asciscẽs, auget mala sua: cum enim peruenerit peccator ad profundum malorum, contemnit ipsa: at qui probus, & candidus est, etiam si semel aliquando lapsus fuerit aliqua diaboli captione, angore cõscientię premitur, ita ut tacere nequeat aut occultare malum suum: ex abundantia enim cordis os loquitur, unde non ferens silentium, quæ illum onerant, manifestat dicens, *sicut onus graue grauatæ sunt super me*, nimirum iniquitates meę. & rursus, *Putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meę*, insipientiam uocat actionem insipientem per insipientiam factam, ex insipientia enim omne peccatum committitur, cum uerò prudentia uirtus sit, quęcunque secundum ipsam fiunt, laude ac uirtute digna esse demonstrat. Sed & animę sanitatem faciunt ea, quę prudenter fiunt, insipientia uerò uulnera cicatrices, & uibices, facit. Qui ergò in peccatis perseuerant, gaudentque in ipsis, ac delectantur, suibus similes sunt, qui in cœno uolutantur. Qui uerò semel lapsus est, & inde ad se ipsum reuersus etiam scelestam illam actionem, ut fœtidam ac impuram abominatur, Huiusmodi quid expertus Dauid præ conscientiæ sanitate confitetur, & dicit. *Putruerunt, & corruptę sunt cicatrices*.

NICEPHORI. *Non est sanitas*, Non est sanatio, non est liberatio ab illo malo, quod ego ipse mihi intuli. Illud autem, *à facie iræ tuæ*, sicut reliqua huiusmodi, à facie peccatorum meorum, *à facie insipientiæ meæ*, per circunloquutionem dictum est: id est, propter irã tuam: propter peccata mea: propter insipientiam meam. *Non est pax*, Agitor intus, & contremisco, *putruerunt cicatrices meæ*, neque id tantum superficietenus, sed introrsus, & pęnitus cõmarcuerunt.

Miser factus sum, & curuatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.
Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

BASILII. Quoniam igitur numero adauctæ iniquitates meæ supergressæ sunt, & capite meo superiores factæ onere me magno oppresserunt, & computruerunt, & corruptæ sunt, ideo ipse mihi remedium parans usque in finem afflictus, & incuruatus sum, & neque ad diem unum, sed nec ad breuem horam sed tota die contristatus ingrediebar, aut secundum Symmachum, tetricus ambulabam non me æque ferens ob ea quę perpetraui, neque ut rex superbiens propterea quod nulli iudici subiectus essem, sed propter timorem, & fremitum tuum tota die contristatus ingrediebar.

CYRILLI. Enumerantur manifestè, quæ cuilibet homini ex conscientia solet euenire cũ mœrore, ac uerecundia afficitur, prò peccatis scilicet, & prò iis, quæ perperam gessit. Insident

enim

enim cordibus tanquàm onera, nec respirare permittunt, cum extremam perniciem expectent, & interdum fortè in uita coguntur inflecti, atque incuruari, ut semper tristari uideantur: idque in uniuersum, hoc est usque in finem, & extremum huius perturbationis donec misereatur Deus, & à malo liberet ueniam concedens, ac mentem confirmans, ut deinde oculos erigat, & mœrorem propulset, & uires addens quodammodo, quo subsistere, & peccati insultus perferre possit. unde à peccato coactum esse, & infœlicem redditum, & incuruatum, & tota die contristatum incedisse ad maiorem læticiam, & hilaritatem illi cedit. Læto enim corde facies floret, dolenti autem squallet, læta est enim omnino singulis conscientia, quæ uitæ probitatem, splendidam, & sinceram, & maximè laudabilem uitam attestatur. Contra uerò non parum dolet, & durè fert, & mœstum illis ac demissum uultum ostendit, cum in delictis accusauerit, & amaris increpationibus mentem uulnerauerit.

HESYCHII, uel CHRISOSTOMI. Miser factus est, non in cruce tantum, uerum & ante crucem multa ut agricola perferens, ut agrum nostrum purgaret, sed & incuruatus est usque in finem, quando pro nobis mortem sustinuit. nam qui omni creatura sublimior erat, usque ad terram curuatus est, ut eum, qui ceciderat, inde erigeret.

ORIGENIS. *Miser factus sum.* Fortè Apostolus cum tale quid simile cogitaret post peccatum, dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Peccauit autem cum persequutus est Ecclesiam Dei. Rom.7. Miser ego fui, & non amplius sum, si uero adhuc in peccatis sum, miser etiam sum. Si peccatorem uideris, qui nequeat in cœlum aspicere, neque audeat Deum orare, sed & facie non corporis solum, sed & animi in terram procumbere, & collum suum tanquàm circulū efficere, uidebis etiam quomodo dicat. Curuatus sum usque in finem, si uerò exemplum habere uis hominis, qui propter peccata sua curuatus sit, & uerā delictorum suorum pœnitentiam agat: intuere publicanum illum Euangelicum, qui longè stans non Luc.18. audebat oculos in cœlum erigere, sed percutiens pectus suum dicebat: Propitius esto mihi peccatori. Illum enim decebat dicere, Curuatus sum. An ita legendum est, *usque in finem*, hoc est per uitā curuatus sum, dū ad ima me uerterem, & terrena saperem, ideo miser factus sum, hinc miserabilis constitutus: Hoc uerò ipsi tanquàm imprudenti accidisse dicit. nam uitium ad imprudentiam, ut uirtus ad prudentiam refertur. *Tota die*, ex quo enim peccauit, illud adimpleuit. Beati qui lugent, & beati flentes, at iis, qui in peccatis rident, congruit illud. Væ uobis, qui Matth.5. ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Luc.6.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. *Tota die contristatus.* Cur mundi lætitia ipsum mœrore affecerit, sequentia ostendunt. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Illusiones uocat supplicia, quę crucis tempore passus est, nam illudentes, illa inferebant, his (inquit) impletus sum, Matth. 27 Luc.22. dum de sanandis hominum peccatis inter eos cogitarem. At Iudęis non est sanitas in carne mea, hoc est in suppliciis carnis meæ, impingunt enim in crucem, in qua uel sola peccatoribus salus reposita est, 1.Cor.1. iure igitur contristatus sum.

DIDYMI. Quoniam circa lumbos, & ilia (sic enim legitur) semen est genitale ad sobolis generationem conferens hæc illusionibus implentur, quando non ad liberorum procreationem sed ad adulterii libidinem exhibentur, illudentibus uel cogitationibus, uel malignis spiritibus, sic circo ablata omni hilaritate, mœstitia omni confectus sum. *Et sanitas non est in carne mea.* Quoniam anima præsentes illusiones sentit, 1.Cor.6. nam ualdè infirmatur caro fluens, nec se temperans, unde qui fornicatur in corpus suum fornicatur.

ORIGENIS. Huic simile est, quod dicitur in Iob, de dracone. Ecce fortitudo eius in lūbis Iob.40. & robur illius in umbilico uētris sui. nā Diabolus maximè in fornicationibus ualet. Quod aūt iam bis repetitur, progressus est ad interitū carnis. Repetitur aūt illud, *Non est sanitas in carne mea.*

CYRILLI. Aliam insuper calamitatem ostendit, quæ solet delinquentes cruciare, *anima mea est*, (inquit) *impleta illusionibus.* Illusionem uocat diuinitus inspirata scriptura, subsannationem ab aliquibus factam, uel risum ab inimicis perfectum: sunt enim inter nos aliqui qui improbi, cauillosi, mordaces, delatores, ac molesti, qui propriorum delictorum rationem quandam, utcunque possunt, prętexunt. Cæteros uerò derident, si fortè eos labi, ac decidere contingat. Quare illorum conuiciis, qui dicaces esse solent, seu calumnis huiusmodi illusionum animam suam impletam esse dicit. Prædictis his omnibus eum accusantibus. Et hoc dicit. *Non est sanitas in carne mea*, quæ tanta sęuitia laborum exercitationibus edomita est, ut strenuitatē amittat, & sanationem accipere nequeat.

THEODORETI. Per lumbos concupiscentiam tacitè innuit, nam lumbis renes inhærent, per renes autem appetitus excitari solet. ait ergò horum malorum causam extitisse, quod non ad uirtutem, sed ad lasciuiam coucupiscentia sum abusus, ex qua hoc habui, quod usque ad terram curuatus sum, & propter acerbos cordis mei cruciatus, continenter ploro, unde mutata cupiditatis actione illam diuinæ uoluntatis ministram feci nanque subiunxit. *Domine ante te omne desiderium meum non est absconditum.*

ORIGENIS. Afflictum se esse dicit, & præ angustia, & gemitu cordis sui rugitum edere. nam qui omnino criminibus detentus, & ad delinquendum procliuis lapsus est a conscientia accusatus sciens se Deum offendisse, non segnem, atque ad inertiam resupinum habere animum debet, sed potius mœrore plenam mentem, & tantum non ebriam, & cor præ doloris amaritudine afflictum gerere oportet. ita ut rugire, & profundos gemitus trahere, atque ex intimis cordis penetralibus graues, & inexplicabiles sonos emittere.

HASYCHII, uel CHRYSOSTOMI. *Afflictus sum*, falsò accusatus, *humiliatus sum*, accusatoribus nihil respondens: Vsque adeò uerò humiliatus, ut cum sacerdotum princeps me adiurasset, & petiisset an Christus essem, non responderim, sum, sed, tu dicis, nullam in (Matth. 26.) de mihi gloriam quærens, quãuis illi dubiam responsionem à ueritate coacti in affirmationem acceperint.

ORIGENIS. Festi Dei dies, & celebres instituti aiunt oportere panes afflictionis comedere, & humiliant animas nostras, licet festiuitates nominentur. Decima enim expiationum (Leuit. 16.) die, humiliabitis (inquit) animas uestras, & qui pro patratis sceleribus pœnitentiam agit, se ipsum (Luc. 19.) ut publicanus euangelicus, humiliat, & affligit.

BASILII. Prò. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Aquila uertit. Quoniam impleta sunt ilia mea ignominia, & per hęc ad recordationem turpis, ac ignominiosi facti progressus propter sanos animæ sensus hæc dixit. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Cur autem putruerunt. dicit. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*, aut, Illa mea ignominia, innuit autem per hæc speciem turpis facti. Deinde seipsum recreans dicit. *non est sanitas in carne mea:* Nam cum lumbi mei impleti sint illusionibus, propterea inquit, ad pœnitentiam perpetratorum progressus: meam carnem castigo, & affligo, & propterea (2. Cor. 4.) dico, *Non est sanitas in carne mea.* ut aliquando correctione peracta dicere possit, etiam si externus homo noster corrumpitur, tamen internus renouatur. Sed & superius dixit: *Non est sanitas in carne mea.* Deinde ait. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.* Hoc uero alio modo in superioribus declarauit. *Miser factus sum, & curuatus sum usque in finem.* Proprium est prudentium uirorum non extolli propter peccata ex præsumpta in animo cogitatione, & Diaboli depredatione commissa, sed uerecundari, erubescere, & conscientia urgeri, ac humiliari. Dauid enim ad hæc addit. *Rugiebam à gemitu cordis mei:* aut secundum Aquilam. Frendebam à stridore cordis mei.

ATHANASII. Affligens conscientiam meam, hoc afficiebam, ut cor gemitus emitteret.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Rugiebam (inquit) ut gemitus magnitudinē ostenderet, & quemadmodum leo prędæ inhians, & eam non inueniens rugit, sic & ipse rugiebat, cum Iudæorum salutem nenari non posset. Hunc sermonem sequentia confirmant.

NICEPHORI. *Miser factus sum.* Fatigatus, & debilitatus, *& curuatus usque in finem*, id est, prorsus anima, & corpore. *Quoniam lumbi.* Latera Symmachus dixit. nam iuxta latera renes sunt, in quibus potissimum libidinis appetitus iacet. Ait igitur: Concupiscentia uiea illusionibus Dæmonis impleta est. Illusit enim Dæmon ad motus irritans iniquos, & turpes: *Afflictus sum*, per hæc disciplinæ seueritatem, & afflictionem ostendit. Illud uerò, *usque ualde*, idem significat quod ualde. Idioma Hebraicum est. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Ab acerbitate gemitus cordis mei, qua cruciabar, rugire uidebar, ut leo.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

THEODORETI. Quoniam cupiditate mea semel abusus sum, semper illam tuis mandatis addicam.

Didymi.

DIDYMI. Cum intimè,& non superficie tenus, aut simulatè pœnitentia teneatur, eius desiderium coram Deo esse dicit. nam malorum appetitus procul est à Deo. à quo quidem appetitu modo desistens in ueram pœnitentiam desiderium transtulit. uel sic. Quoniam non te latuit me malam habuisse concupiscentiam, prò hac confitendo ingemisco,ita ut gemitus meus in dignus sit, ut te lateat, siquidem in malis ingemiscere est laudabile.

ATHANASII. Pœnitentiæ desiderium (inquit) stet coràm te, nam salutis cupidus hoc uehementer desidero.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Sed quodnam obsecro fuit Christi desiderium? Vt Pascha pro nobis perageret. Ideò dixit Apostolis. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare uobiscum, antequàm patiar. Non simpliciter Pascha. Sed hoc, quo figura prætereunte, ueritas peracta erat. Sed cur uobiscum? An quia Iudæi mysterii participes nolunt esse, pro quibus meritò ingemuit. Hunc autem eius gemitum, Pater, ut qui omnia prænosset, sciebat. Vnde Paulus ipsum pro uiribus imitatus dicebat. Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo prò fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Luc.22. Rom.9.

BASILII. Non ut multis conspicuus fiam, labiis confiteor, sed intus in corde ipso clausis oculis tibi soli uidenti ea, quæ in occulto sunt, gemitus meos ostendo in me ipso rugiens. non enim mihi longa sermonis ambage ad confessionem opus erat, nam satis erant gemitus cordis mei ad confitendum, & luctus a profundo animi ad te Deum emisli. Sed & cum bonum esset desiderium, in conspectu tuo erat, & hoc ipsum erat de salute mea. Etenim quando malorum cupidus eram, non erat coràm te desiderium meum. Nunc autem cum omnia agam, me ipsum deprimens, & rugiens à gemitu cordis mei,& te Deum seruatorem, & medicum mihi esse optans, coràm te est desiderium meum, & causam suspiriorum meorum non ignoras; Nosti.n. quod digna benignitatis tuæ suspiria emitto. Quoniam non uis mortem peccatoris, sed pœnitẽtiam ipsius: quapropter dico. *Et gemitus meus à te non est absconditus.*

CYRILLI. Addit Psaltes. *Et gemitus meus à te non est absconditus*, ut quippiam simile illum significare intelligamus. Te enim (inquit) omnium inspectorem, & scrutantem corda & renes meorum gemituum testem adhibeo, siquidem hoc nulla alia in re peractum est, nisi in ea sola, quod maximè dolui,& fleui propterea quod legi tuæ aduersatus sum; Supplicantium.n.& precantium mos est, ex imò (ut dixi) corde gemitus emittere, hoc Deo concedente hominibus ad medelam, & deprimentis laboris tollerantiam. *Cor meum conturbatum est.* Narrantur iterũ quæ solent euenire iis,qui aliquando ab amara uoluptate uicti sunt,am ira,inquam uoluptate,quę mentem quodammodo discerplerit, & ad ea, quæ minimè decent, ipsum turpiter impulerit. Apertè enim satis ostendit quomodo ipsum labi contigerit, nam horror (inquit) & perturbatio cor meum inuasit, & mens quoque tenebris offusa est. Etenim quàm dico malis uoluptatum illecebris non detinetur, stabilem, & tutam stationem habet, ut uelit per omnem æquitatem præcellens ac præcipuum iter uitæ peragere tranquillitatem, ac hilaritatem habet, & quatenus in se est uitam degit imperturbatam. Et præterea eidem ex Deo splendidum sobrietatis lumen affulget. Quemadmodum sapientissimus Paulus scribit. Pax Christi, quæ exuperat omnem sensum,custodiet corda nostra, & intelligentias nostras. Verum ubi praua, ac turpi uoluptate sibi illiquefacta detentum cor fuerit, illico id Satanas turbatione concutit, & replet, & nefarias illi ingenerat, cogitationes, perturbat etiam, & animi tenebris illum plenum ostendit, & tantum non bello, & dissidiis implet, tum quia cogitationes honestæ procul abeunt, ut uir tuti repugnare cogatur, tum quia peccati lex ipsum ad delinquendum trahit. *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Perturbata enim & commota (inquit) rationis meæ uirtute, infirmum quoque circa communes sensus me reliquit: nam cum uerarum rerum notitia sit mentis lumen, certè cum absque ratione aliquid sequor, ad lumen intuendum moueri minime possum.Ideò posset dici,quod rectus sermo,quatenus ratione instruitur,robur sit, & lumen,tum quia mentem regit in rebus agendis,tum quia speculationem manifestam reddit,quæ utraque cor de perturbato deficiunt. Phil.4.

ORIGENIS. Aut sic: Eram (inquit) olim uirtute fortis, at ubi perturbatus, & commotus fui, statim corrui. & ubi, quàm habebam ueritatem, amisi, prò lumine tenebras suscepi.

EVSEBII, uel HESYCHII. Lux oculorum est consideratio, quę tempore tentationis mentem fugit.

DIDYMI. Veritatis cognitio lumen est oculorum meorum, hoc est autem quod dicit: cũ ea sit mentis propria, non stetit mecum, nam dum absque ratione, & brutorum more ferar, nihil quod cum lumine fiat, & quod generosum sit cogitare possim.

THEODORETI. *Et gemitus meus à te non est absconditus.* Vides (inquit) ò Domine ululatus, & lachrymas meas. Vides me concussum, & propriis uiribus destitutum, & consueto lumine priuatum, & in meridie tanquàm in tenebris degentem. Duo autem sibi euenisse per hæc significat, & tristitiæ uehementiam, quæ lucem uidere non sinit, & destitutionem diuinę prouidentię, quàm lumen oculorum suorum meritò nuncupauit.

CHRISOSTOMI. Ac quomodo, cor quidem eius conturbatum esset dum non salui fierent Iudęi, dictum est. nam uirtutem seu robur Petrum appellat ob fidei confessionem. Tu es enim Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam, ita cum cum ipsum negasset dereliquit. Porro lumen fuerunt Apostoli omnea quibus dixit. Vos estis lux mundi. Hi erant lux oculorum duorum testamentorum legis, & Euangelii. Nam hi uetus, & nouum nobis in luce Domini illuminant. qui crucis tempore nõ erant cum Christo, Iudæos timentes.

Matth.16. Matth.5.

NICEPHORI. *Omne desiderium*, Scilicet, quę post peccatum habui: nam salutem concupisco. Et tu hoc benè noscis, & auribus gemitus meos percipis, *Cor meum turbatum est*, à mea nimirum conscientia. *Et uirtus mea*, id est, fortitudo mea me omni passionis genere fatigatum dereliquit. *Et lumen oculorum meorum*, propter assiduas lacrymas in hebetudinem quãdam oculorum ac penè in cęcitatem deueni.

Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant de longè steterunt, & uim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui quærebant mala mihi loquuti sunt uanitates, & dolos tota die meditabantur.

CYRILLI. Et quos turpiter uiuens amicos habebam, aduersarios habui, neque eos, qui affectu, atque habitu proximi erant, ut primum à malis perpetrandis abstinui ut rectè uiuerem, experiri amplius amicos licuit. At si quis in calamitates inciderit, quæ dicta sunt, sentiet, & accusatores experietur eos, qui olim eum desiderabant. Huius rei testis est Iob. *Et qui quęrebant mala mihi loquuti sunt uanitates.* Porrò insania mihi uisa est, & deceptio quædam uis ea sermonum qua euidentiam, & certitudinem prę ferebant, cum me decipere uellent, qui animam meam quęrebant, fraudem undequaque molientem.

ORIGENIS. Deinceps ea recenset, quæ sibi postquam se pœnitentiæ dederat euenere. Cum enim contemnerem ab hominibus opprobriis affici, & reprehensionem ab iis, qui confessionem meam audiebant, despicerem, uidebar quodammodo ipsos dicentes audire. Procul à me ne appropinques mihi, quoniam mundus sum. Sed ii contemnendi sunt, ab eo, quem uerè pœnitet, cum dicto illi non pareant. Ne improperes homini auertente se à peccato: memento quod omnes irreprehensibiles sumus. *Et uim faciebant, qui quærebant animam meam:* Nam sæpenumero hos adoriuntur, & iusto mala quærunt, nec adeò lætantur, si benè de ipso loqui audiunt, gaudent, cum mala dici sentiunt. *Et loquuntur uanitates*, Improbantes eum, qui seipsum accusat, non enim qui alicui mala, sed qui omnibus bona quærit, probata loquitur.

Isa.65. Eccl.8.

THODORETI. Symmachus hoc ita interpretatus est. Amici mei, & socii mei aduersum me in plaga mea contra steterunt. Nam ex amicis alii quidem cum plagam meam uidissent, hostiliter contra me agere cœperunt, alii uerò timentes recesserunt, neque me adiuuare uoluerunt. Tacitè autem in prima parte innuit Achitophel, qui non modo ab ipso defecit, sed in eum quoque perniciosa consilia dedit. Alii pręterea (ut fieri solet) præsertim maior pars Israelis, hæc contra ipsum fecerunt, atque ipsa tribus Iudæ, quæ cum Absalon militauit. Statim uerò post parricidæ cædem se inuicem hortabantur, ut alias tribus prępenirent, & in regias ædes Regem Dauid reponerent. *Et uim faciebant, qui quærebant animam meam.* Cum me hostes ab amicis destitutum cernerent, auentes cædis meæ insidias mihi struebant.

EVSEBII, uel BASILII. *Amici mei.* Et reliqua. Sic etiam intelliges: Cum in Psalmi inscriptione indicauerit, quod ipsi sit in recordationem, meritò reminiscitur, & reuocat

eam,

eam, quę olim ipsi acciderunt. Docet autem in quibus fuerit malis postquam in peccati lapsum corruit cuius causa totam confessionem facit. *Miser igitur factus sum, & curuatus sum, & contristatus ingrediebar, & humiliatus sum, & rugiebam à gemitu cordis mei*, ad omnia hæc deueni, postquam quodam tempore cor meum conturbatum est, & dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Nam propè tempus illud, quo peccauit, non mediocres perturbationes expertus est in mente sua, quæ confusa, & tenebris obducta, & obcęcata est, ut in insipientiam delaberetur. Quapropter etiam superius dixit. *Putruerunt, & corruptę sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*. Turbatum est igitur cor ipsius quando in insipientia fuit, & à prudentiæ uirtute excidit, & opera insipientiæ fecit. Tunc autem dereliquit etiam eum uirtus eius. neque enim dicere amplius poterat. Omnia possum in eo, *Phil.4.* qui me confortat Christo, utpotè uictus ab affectu, & uiribus destitutus. Nam his, qui *Matth.26.* uirtute se temperant, spiritus promptus est, caro uero infirma, in uictis uerò caro attollitur, & *Mar.14.* corroboratur, & præualet, nam infirma est anima, & debilitata. Tunc igitur quando peccaui cor meum conturbatum est, & dereliquit me uirtus mea, sed & aliud graue mihi accidit. nam lumen oculorum meorum, (hoc autem erat spiritus prophetiæ illuminans animæ eius uisum,) & ipsum non erat mecum, reliquerat me, ac secesserat. Nam in animam malignam non ingreditur sapientia, neque habitabit in corpore peccatis obdurato. Sanctus enim spiritus *Sap.1.* fugiet dolum, & discedet à cogitationibus imprudentium. Spiritus ergo Dei ab ipso recedens, ipsum reliquit desolatum. Sed & qui prius amici, ac proximi erant, qui omni tempore familiares ipsi fuerant, relicto ipso de longè steterunt, nec amplius uersari cum eo uoluerunt, procul deflentes, ut uerisimile est, amici calamitatem. Sed quinam isti erant? nisi illi qui ob propria eius bona lætabantur, Angeli scilicet boni, & ministri Dei, ex hominum salute lætitiam capere assueti, (propter pœnitentem peccatorem gaudium in cœlis oboritur) &. immittet se Angelus Domini in circuitu timentium ipsum. Hi ergò om- *Luc.15.* nes Dauid amici, cum ipse peccauit, recesserunt auersantes, non tamen ipsum penitus re- *Psa.33.* linquebant, uerum eminus stantes lugebant quod, docet illud. Amici mei ac proximi mei aduersus me appropinquauerunt, & steterunt. Et qui iuxta me erant de longè steterunt. Qui cum procul à me abessent, alii quidam peccatorum operatores propius accedentes, & uim mihi faciebant, & animæ meę illudebant. quare addidit. *Vim faciebant quærentes mihi mala*. Hi enim quondam sanguinem meum sitientes, & longè antea interitum meum uidere cupientes, nacti occasionem, quod me uirtutem meam dereliquisse uidebant, et lumen oculorum discessisse, amicosque & proximos procul à me consistentes, statim inuadentes, uim animæ meę inferebant. Et ultro malè loquuti sunt uanitates, uanos animæ meæ sermones ingerentes, sed & dolosè delinientes, & decipientes, tanquam bonis prætextis inescarunt, & illectum me pertrahebant in peccatum, quapropter etiam subdit. *Et dolos tota die meditati sunt*,

CHRYSOSTOMI. *Amici mei*. Amicos, & propinquos reliquos fortassę Iudæos intelligit, amicos quidem non ut qui IESVM amarent, sed ut qui ab eo amarentur. quemadmodum enim opifex opus suum diligit, & ut pastor amat oues, quæ perierunt ex Israel, sic *Marc.14.* Christus eos diligebat. Propinquos rursus eos uocat, propter cognationem carnis. His au- *Luc.19.* tem propinquiores, uel potius omnium proximi fuerunt Apostoli, propter fidem, quàm in eum habebant. Iudæi ergò, quos amicos, & proximos uocauit, qui non remoti, sed propinquitate illis coniuncti erant, propter summam impudentiam illi insidias tendebant. *Qui autem iuxta* *Matth.26.* *me erant, de longe steterunt*, id est, qui erant omnium proximi. (eos autem esse diximus sanctos discipulos, qui tempore crucis procul stabant,) non insidiantes illi, sed insidiatores declinantes. *Et uim faciebant*. quare uim faciebant? ut suam illi gloriam auferrent. *Matth.27.* nam propter inuidiam insidiantes legis æmulationem prætexebant. Apertè autem id magis o- *Matth.25.* stendit sequens uersiculus. *Et qui quærebant mala mihi, loquuti sunt uanitates*. Quæ uerò essent hæ uanitates dicit Lucas. Cęperunt eum accusare dicentes. Hunc inuenimus peruertentem *Luc.23.* gentem nostram, & prohibentem dari tributa Cęsari: cum tamen IESVS cum ab Herodianis, & Pharisæis interrogatus fuit, responderet. Reddite quæ sunt Cęsaris, Cæsari, & quæ sunt *Luc.20.* Dei, Deo.

ATHANASII. Dum me plectunt, mihi aduersantur. hæc autem dicit propter Absalon, & Achitophel. *De longè steterunt*. Angeli enim cooperatores illi propter peccatum dereliquerunt eum.

APOLINARII. Amicorum defensionem, & inimicorum insultum deplorat, quę in

passione Saluatoris consideran tur, nam discipulis præ timore dispersis, inimici omni acerbitate, ac malignitate in ipsum sæuierunt: Aduersus quos, & silentio, de quo hic meminit usus est.

DIDYMI. Quos inimicos, & proximos habui dum delitiosè uiuebam, hos aduersarios, & hostiliter aduersantes habeo postquam me auerti à malo, & ad bonum accessi.

CYRILLI. Præterea qui quærebant animam meam uim fecerunt, & qui uolunt mihi mala uanitates loquebantur, & dolos tota die meditabantur. nam nemine auxiliante, & miserante hostes (inquit) uim inferebant, & conterebant mala. tum falsis criminationibus, tum murmurationibus, & calumniis, & præterea dolos texebant, hoc est laqueos parabant, quid enim non uanè machinati sunt ex iis, quæ officere solent? Atqui hæc sanctorum plurimos pati contigit. Quin & sciendum est, quod & ipse Christus hæc longè ante nos nostri causa, & pro nobis tulit.

NICEPHORI. *Aduersum me appropinquauerunt*. Aduersantes scilicet, & In persequẽdo me propius accedentes, & steterunt contra me. *Et qui iuxta me erant*. Et commilitones mei profugæ facti sunt. *Et uim faciebant*. Et arguebant me, qui me perdere uolebant. *Et qui quærebant mala mihi*. Et qui me malè tractare uolebant, conuitiis, atque calumniis impetebant, & in ipsis mihi dolosis consiliis insidiabantur.

Ego autem tanquàm surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te speraui tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei super me magna loquuti sunt.

BASILII. Cum qui animam meam quærebant, ipsam inueniebant, & inuentæ illudebant, & malis meis illudentes insultabant, deinde tota die loquebantur uanitates, ego quidem amicis meis destitutus, & pudore oppletus quid ad hæc dicerem, non habebam. Ideò tanquàm surdus non audiebam. Imò qui olim facundus eram & eloquens maximè eram, ac præsenti sapientia præditus factus sum sicut surdus, & sicut mutus non aperiens os suum. Nullum enim ad respondendum sermonem habebam, neque erat mihi quicquam quod inimicis dicerem semel ab ipsis uictus. Sed eram tanquàm homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: arguebar enim ipse & non redarguebam, & pudore confusus nullam dicendi libertatem habebam.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Quæ aliis læsis natura sensibus euenire solent, ea ipse (inquit) & mentis proposito, & spontè pertulit. Siquidem conuitiis lacessitus ad iracundiam non mouebatur. hoc uerò muti proprium est non irasci conuitiantibus, quoniam probra, & maledicta non audit. nec os ad refellendos calumniantes aperit, propterea quod loqui à natura prohibetur. Quod uerò nec mutus, nec surdus fuerit, sed se humilians mutos
Isa.53. & surdos imitatus sit: Isaias ostendit, dicens. Sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi
agnus coram tondente se obmutescet, sic nec IESVS non aperuit os in humiliatione sua.
His similia sunt, quæ hoc loco ex persona Saluatoris diuinus psaltes inducit. *Et factus sum tan-*
quàm homo non audiens. Audiebat igitur, & se non audire fingebat, nec deerat illi facultas ad ma-
ledicos illos refellendos, & ad impetum illorum propulsandum. Se uerò inopem esse, & nihil
ad contradicendum habere silentio ostendebat. quæ uerò horum causa fuerit, quod modo
Ioan.7. sequitur ostendit. *Quoniam in te speraui*. Verò enim Patri. & incorruptissimo teste fidens, (de
quo ipse dixerat, Pater, qui testimonium perhibet de me, misit me, quem uos nescitis) falsos te-
stes contemnebat. *Tu exaudies me Domine*. Cur Patrem dicit exaudire precationem suam?
ne inimicus hoc est aduersaria quæque potestas suis calamitatibus insultet, tu enim benè audis,
licet ego ad execrationes obsurdescam. Prò Apostolis autem orauit, Pater sanctè serua ipsos in
Ioan.13. nomine meo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut nos. Et rursus. Non rogo ut tollas eos de
mundo, sed ut serues eos à malo. nam nisi hæc oratio impleta esset, ne Apostolorum quidem
chorus seruatus fuisset, & Diabolus uerus hostis, & qui cum eo erant, gauisi fuissent. *Et dum com-*
mouentur pedes mei. Pedes Christi discipuli eius, ipse n. illorum est caput: quare eorum pedes
Ioan.13. lauare indignum non putauit. Quando igitur crucis tempore discipuli paulùm commoti sunt,
Iudæi contra Christum magna iactauerunt tanquàm derelictum ab omnibus, ut ne discipulos
Matth. 27. quidem suos retinere potuisset.

APOLINARII. Habuissem (inquit) quæ calumniatoribus iustè opponerem, & responderem, sed quia sine utilitate ulla me responsurum noueram, illorum mendacia æquo animo

perferebam,

perferebam, & quasi nō haberem quid redarguerem, silebam, quid enim illis frustra dicerem, aut responderem? Etenim Dominus dixit. si uobis dixero, non credetis, si interrogauero, non respondebitis mihi, [Luc.22.] non audientibus quidem quatenus ad eos pertinet, inutilis sermo est, quatenus uerò ad Deum spectat fructum refert. Preterea nihil habui quod dicerem cum uerecūdia essem repletus nullus mihi ad defensionem sermo inerat, nihilque habui, quod hostibus dicerem semel ab eis uictus.

DIDYMI. Cum sibi dictum illud seruandum statuisset, (Ne uanum suscipias auditum) ad dolosos, & fraudulentos sermones se surdum fecit. Quia & fatuum esse putauit fatuos nimis sermones redarguere, nam periculum sœpe imminet, ne contra maledica uerba audias, & de quæstionibus pœnæ subiectis edisseras. Quare beatum est obmutescere ad ipsa, & illa reputare redarguitionem non habere.

ORIGENIS. Cum maledictis, conuitiis, & contumeliis, ut qui maximè insolenter appeteret, hominem auribus captum referebam, cumque illis posse m respondere, & eorum maledicta refellere, non improbabam, sciebam enim reprehensionem effectu carituram, sed ego in furore, ac in ira arguo, & corripio, dolorem non sanitatem afferens: sed qua causa huiusmodi me esse uolebam? *Quoniam in te Domine speraui*, nisi enim in te sperassem, me ipsum ultus fuissem; uerū illud considerans, nos uos ipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ. & illud, Mihi uindictam, & ego retribuam, [Rom.12.] dicit Dominus factus sum sicut homo omni auxilio destitutus, nec habens in ore [Deut.32.] suo redargutiones, Tu exaudies me Domine Deus meus, licet ergò tanquàm surdus conuitiantes mihi non audierim, tu tamen audies, quæ dicuntur.

DIDYMI. Quoniam uerò omnibus aliis despectis in te solum Domine spem meam collocaui, qui & Deus meus es, tu exaudies, quem precando, dixi, ab eo exordium sumens. *Domine ne in furore tuo arguas me*; nam sœpe qui mecum perniciosi Dæmones crimina, quæ olim admisi, mihi obiiciunt, ut pœnitentiam meam interpellent, tentantes me in salutis desperationem inducere: Ego uerò ad huiusmodi fraudes, & cogitationes surdus, & omnino non audiens factus sum, neque uolens eos redarguere, ne in hoc detentus aliquid de pœnitentiæ meę promptitudine remittam. Ergo in te sperans Domine me exauditum iri confido. etenim cum me uindicare [Rom.12.] possim, cognosco illud, non uos ipsos ulciscentes dilecti sed date locum iræ. & illud. Mea est ul- [Deu.32.] tio, & ego retribuam dicit Dominus.

CYRILLI. Tu igitur Domine audies opprobria ab inimicis, & uaria conuitiorum genera in me congesta, & uidebis, quæ contra me machinati sunt, ego uero, & uerba, & iracundiam rescindens tantum non obmutescens in te spem meam omnem collocaui. Verum illud tantum quæsiui, ne in hostium manus inciderem, ne qui me tanquàm omni perturbatione agitatum, & euersum prorsus, ac erectum à te, ac per nimia indignatione errore mentis affectum oppugnare consueuerunt, in calamitatibus meis exultent. Verebar præterea, ne uidentes pedes meos dimoueri, superba, & absona in gloriam tuam iactarent, Hoc enim significat, & prætereà nihil, nonnullos obloqui de sanctis, qui iam probati sunt, siquidem putant Saluatoris manum interdum minimè satis esse ad salutem, & eum, in quem sperauerunt, ad impetus ab illis illatos repellendos infirmum esse. quemadmodum Rapsaces Babilonius petulantissimè in Deum [Reg.10.] iactabat, An liberarunt Dii gentium terram suam de manu AEgyptiorum?

BASILII. *Quoniam in te Domine speraui*. Hæc sanè mihi acciderunt, quapropter factus sum, tanquàm surdus non audiens, & tanquam homo non habens redargutiones. Quare nihil inimicis respondebam, tanquàm ab ipsis superatus, non tamen animo despondi, sed collegi rursus me ipsum à peccato tanquàm morte resiliens, & confessionis medella ulcus meum sanans, & cicatrices meas ab insipientia mea putrefactas sanare cupio. quapropter in te Domine speraui; nō enim mihi ipsi fidens, neque ullam aliam preter te spem ob oculos ponēs, medellas mihi præscripsi. cum ergo in te speraui (spes autem non confundit) tu propterea exaudies me, quia uolens misericordiā tu es, & non uis mortem sed pœnitentiam peccatoris. [Rom.5.] Quia in te speraui, supplico tui auxilii compotem fieri, [Mich 8.] *ne quando supergaudeant inimici super me*, Nondum enim plenum est [Ezech.33.] gaudium illorum, planè autem gaudebunt, nisi misericordiam tuam fuero assequutus. [Psal.30.] Verum ne gaudeant super me inimici mei, qui olim dum pedes mei commouerentur, magna loquuti [Psal.27.] sunt, ad te confugi, & dico, non confundar in æternum, neque irrideant me inimici mei. & rursus [Psal.24.] dico. Ad te Domine clamabo, ne sileas à me, & similis fiam descendentibus in lacum. & reliqua in aliis psalmis uariè à me dicta in supplicatione ad te colligens præsens auxilium consequi opto. Nam & si pedes meos maximè commoueri contigit, cum olim cor meum conturbatum est, & dereliquit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum non erat mecum, non tamē

omnino

omnino euersus sum, nec tali casu corrui, qualem desertores, ac transfugæ solent, quoniam & tunc etiam cum pedes mei commoti sunt, & magna loquuti sunt in me inimici mei, ne etiam maiori super me gaudio complerentur confugi ad te, tanquàm ad portum salutis, qui etiam incurabiles apud homines animi ægritudines sanare potes.

1.Reg.16. THEODORETI. Hæc apertè magis docet Historia, nam cum Absalon patris iudicia criminaretur, & eos, qui causa ceciderant, in partes suas traheret, & uictos aduocaret: Dauid æquo animo ferebat. & cum Semei maledictis illum lacesseret, & manu, ac lingua ipsum feriret, silens Dauid iniurias, & contumelias. & conantem Abisai ab illo improbo pœnam exigere prohibuit, dicens. sinite ipsum ut maledicat Dauid, quoniam Dominus iussit ei, ut Dauid maledicat. Hac ego (inquit) tolerantia spem in te habebam, & meam tibi causam committebam, atque obsecrabam ne inimicis meis ludibrio essem, neue causæ meę iactura arrogantiæ, & iactantiæ illis ansam præberet.

NICEPHORI. *Et tanquam mutus*, subintelligito, eram, *redargutiones*, contradictiones, per quas malè loquentes redarguere solemus, *Quoniam dixi*, intra me ipsum enim, cum funderē preces ad Deum, dixi, cupere me exaudiri, ne quando supergaudeant, & delectentur super me inimici mei. *Et dum commoti essent pedes mei*, & cum iam auersum esset iter meum à uia diuinorum mandatorum, illi pudendam quandam cœperunt libertatem gloriantes, & iactantes uelle me interimere.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo est semper
Quoniam iniquitatem meam ego annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè

THEODORETI. Nam peccans flagello dignus factus, propterea suppliciis uolēs me Psal.50. subiicio, nam peccati doloribus stimulatus medicinam uehementer desidero. iccirco accusator mei sum factus, & ut in sanitatem restituar, diligentissimè curo. Tibi soli (inquit) peccaui, & malum coram te feci: sed illi cum multa à me beneficia recepissent, contrariis rependunt, & maiores meis uires adepti sunt.

DIDYMI. Promptus (inquit) & benè affectus sum animo ad flagella corpori illata suscipienda. Veruntamen dolor meus, ob admissa olim scelera, quo ego uehementer doleo, in conspectu meo est, meque uulnerat, ac flagellat. Potest etiam sic exponi. Quoniam dolor in conspectu meo dum, quæ perperam feci, defleo, & si flagellis opus erit, ut à peccatis eximar, ecce ad 2.Reg.26. ea iam paratus sum, hoc est promptè me habebo pro hac conuersione ad uerbera subeunda. Hic Ioel.2. illud apertè tangit, quod per Dauid in libro Regum dicitur, incidam in manus Domini, non in manus hominum. ipse enim bonus est, & ad misericordiam propensus, & celeriter ipsum pœnitet malorum, iuxta dictum sancti cuiusdam prophetę. illi uero, asperi, & immites, & iram suam in immensum extendentes, refugit autē, & recusat hoc, ut scilicet inimicis eius exultent super ipsum concussum, atque prolapsum. hoc enim illud, pedes commoueri latenter innuit; At Deo flagellanti subiici optabile putat, quamuis amarum, & ad hoc promptissimè se parat, ac munit. poterit quoque aliquis (ut arbitror) dicere, idoneam temperati animi demonstrationem esse, cum quis hoc grauiter ferat se præ ægritudine ad ea, quæ non licent transuersum ferri, ac rectis studiis libentissimè, & promptissimè incumbit. Hoc enim (reor) indicare euidenter potest, cum se ad flagella paratum dicat, & dolorem semper ante oculos habere, quo dolendi occasionem, scilicet peccatum intelligit, quod & uulnus mentis, & plagam cordis non dedecebit appellare, nam semper delictorum suorum uiros sanctos meminisse maximè decet. *Et dolor meus*, hoc est coaffectus in alios, cuius causa cruciatus fui semper meminit: nam ex iis, quæ passus est Paulus, (in- Heb.5. quit) tentatus potest etiam iis, qui tentantur opem ferre. quemadmodum uerò qui contra legem peccauit, prò quo hostiam offerre oporteat, sollicitus est circa ea, quæ prò ipso offeruntur, sic ego anxius sum prò iis, quæ ad pœnitentię opera præstanda spectant. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo*, Annuntiabo hic prò, annunciaui, & cogitabo prò, cogitaui seu sollicitus fui, similiter dixit. Nam interdum scripturæ diuinitus inspiratæ interpretatio ad temporum prolationem indifferenter se habet, non enim (inquit) ad pœnitentiam negligens nec ad lachrymas tardus, nec ad confessionem segnis extiti, sed recta quasi per uestigia delictorum supplicatio prò illis facta est. Adiuuant nos hoc non mediocriter, ut pœnitentiæ modos agnoscamus. is enim non habuit iniquitatem, nostra tamen delicta tanquàm propria pro- Matth.11. fitetur. & iccirco orando dixit. Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, nam licet confes- Luc.3. sio pro gratiarum actione accipiatur, prò nostra tamen à peccatis liberatione gratiarum actionē fecit

fecit, cum Iudæos improbaret, qui illum tanquàm peccatorem, & publicanorum amicum calumniarentur. Cœterum cogitare prò peccato est festinare ut opera pœnitentiæ absoluantur. Nostri uero generis peccatum suum appellat, nam ob eam causam in mundum in carne uenire sustinuit, sed propterea ueni ad horam hanc, ut qui conspersionis nostræ primitiæ fuerit, tanquã nouus Adam, 1.Cor.15. cupiens in se ipsum ueterem instaurare, prò cuius peccato cum sollicitus esset qua ratione ipsum expurgaret, hæc, & sequentia profert. cogitantis enim & solliciti erant uerba illa in Euangelio, Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut ardeat? illud enim is dixit, qui Luc.12. spinas nostras consumpsit.

ATHANASII. At qui dixit, cum non sim sine sensu peccati, sed de ipso continentèr anxius sim, uideo inimicos meos confirmatos, qui cum nihil iniuriarum à me passi sint, peccatũ meum exprobrantes, & illud in belli occasione contra me gerendi arripientes me persequuti sunt, iactantes quoque se iustè agere. quin & abhominabilis tanquàm mortuus apud eos factus sum, quocirca obsecro te Domine, non recedas à me, sed propera potius mihi opem ferre.

CYRILLI. Ego (inquit) lachrymas fudi, & cogitaui, & pœnitentiæ fletum adiunxi, quia debacchatus sum, & sacris legibus obstiti. qui uerò in me hostilia cogitant, uiuunt, & confirmantur super me. illud, *uiuunt*, hoc loco accipitur prò, uigent, ut possint prò arbitrio cuncta contra me statuere, siquidem nos quoque consueuimus de homine maximè strenuo, & uiuaci, & prompto ad agendum dicere, homo ille uiuit. Non enim iustus petiisset à Deo interitum inimicorum: Hoc enim abest à Deo, qui bonum uult omnibus.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam ego in flagella paratus sum:* Nam ea de causa in mundum ueni re perpessus est, quemadmodum ipse orans dicebat, quid? Pater serua me ab hora hac, sed propterea ueni ad horam hanc. Matth.27. *inimici autem mei uiuunt*. Iudæos intelligit, quorum causa tristabatur, quoniam in uitiis uitam ducebant, & contra eum inualescebant superbia inflati, nam cum ipse propter nos se humiliasset, (ut inquit Paulus,) & factus esset obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, illi humilitatis eius propositum ignorantes, superbè in ipsum ferebantur. Phil.2. Vnde, & qui ipsum iniquè oderant in multitudinem, & frequentiam excrescebant sacerdotum petulantiam intuentes. qui uerò essent qui eum iniquo odio prosequerentur, dictum est, qui uero anxius est prò peccato infirmatur, & recedit à deteriori uiuendi modo, secundum quẽ uiuebant, qui ob eius pœnitentiam cruciabantur.

ORIGENIS. Intima & profunda fidelis hominis docet, qui propter inimicorum prosperitatem in prouidentiam non inuehitur, nam licet illis prosperè omnia succedant, nihil (inquit) propterea minus cogito de peccato meo.

BASILII. *Quoniam ego in flagella paratus sum*. cum initio dixerit. *Domine ne in furore tuo arguas me*. nunc ait. *Quoniam ego in flagella paratus sum*, iram itaque ac furorem deprecatur, se tamen ad flagella paratum dicit. Prouer.3. Nouit enim quod quem diligit Dominus hunc castigat: Flagellat autem omnem filium, quem suscipit. Apoc.3. Heb.12. quapropter generosè flagella pertulit quæ post peccatum alternis & se consequentibus calamitatibus illi acciderunt, quæ Regum historia docet. *Et dolor meus in conspectu meo est semper*, Multos enim priorum peccatorum subdit obliuio negligentes, ac contemnentes tanquàm nulla sit de illis ultio habenda. sed qui Dei iudicium semper ante oculos habet creditque quod omnes sistemur ad tribunal Christi, ut quilibet proferat, quę per corpus fecerit, siue bonum siue malum, is semper anxius, & sollicitus est, & dolori animæ suæ mederi studens, Rom.14. ipse semet confitendo ad Deum accusat, iccirco dicit. *Dolor meus in conspectu meo est semper*, Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo, & sollicitus ero super pecca to meo, nam credentis animæ, ac de iudicio Dei uehementer persuasæ uoces istæ sunt.

NICEPHORI. *In flagella paratus sum*, promptùm me ad supplicia peccata fecere. *Et dolor meus*, & commissorum à me delictorum memoria, semper mihi inhæret, urgens nimirum ac stimulans, *Et cogitabo prò peccato meo*. hoc est, sollicitus ero de medicina peccati.

Qui retribuunt mala prò bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.
Ne derelinquas me Domine Deus meus ne discesseris à me.
Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.

ORIGENIS. Fieri non potest, ut dum uiuimus odio careamus, quando & IESVS Christus odio habitus sit, sed beatum est sibi ipsi conscium esse iustè odio non haberi.

HESYCHII. Vel CHRYSOSTOMI. *Qui retribuunt mala pro bonis*, hoc est cognati

gnati eorum, quibus uisus est restitutus, & claudorum, qui recti facti sunt, uel ciues, aut uicini, prò gratiarum actione conuitia in eum iactabant: quam uero ob causam id facerent, ostendit, quod sequitur. *Quoniam sequebar bonitatem*, iustitiam meam (inquit) benignitatemque ac humanitatem in occasionem calumniæ acceperunt, & iniustum ac Deo aduersantem me dixere, quoniam in sabbato infirmos eorum sanaui. *Non derelinquas me Domine Deus*. Hæc non prò se ipso, sed pro Ecclesia dixit, imò prò se ipso potius, nam Ecclesia unum esse cum ipso, sicut sponsus cum sponsa dignoscitur, id autem nouerimus ex iis, quæ sequuntur. *Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ*, Auxilium suum Ecclesiam uocat, ea quoque ratione uolens seruare imaginem Adæ. Nam mulier illi in adiutorium data est. Faciamus enim (Deus inquit) auxilium simile sibi. & ideo Paulus de Christo dixit, ea, quæ de Adam, & Eua dicta fuerant. scilicet. Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una, Deinceps addidit. Mysterium hoc magnum est, dico autem in Christo, & in Ecclesia. Quærit ergo ac petit, ut Pater huic attendat, & in hanc inspiciat, non quod impotens ille sit, & imbecillus ad opem Ecclesiæ suæ ferendam, sed optat Patri ostendere quantum inter Synagogam Iudæorum, & Ecclesiam gentium intersit & quemadmodum illi, quamquàm multi illis prædicauerint, atque adeo Christus ipse quoque astiterit, minimè tamen salui facti sunt. Gentes uero sola Saluatoris uoce audita seruatæ sunt. quare consequenter, & aptè addidit. *Dominus salutis meæ*, salutem suam rursus salutem gentium dicit, nam si crimina nostra sua fecit, cur non multo magis salutem nostram salutem propriam reputauit.

Luc. 2.

Gen. 2.
Eph. 5.

Ioan. 1.
Rom 9.
Eph. 3.

THEODORETI. His deinceps Absalon filium patris sententiam, & decretum calumniantem & iniustos ad se aduocantem ostendit, cumque filius parricida esse studeret, merito dixit, & proiecerunt dilectum, tanquam mortuum repudiatum, & quem iuxta legem naturæ diligere oportebat, hunc tanquàm putridum cadauer detestabantur, Hoc idem populo ingrato congruere potest. qui cum multa & magna beneficia à Dauid accepisset, superatis sæpe illius uirtute gentibus alienigenis, multo etiam sæpius in benefactorem ingratus fuit. Tot igitur doloribus circundatus te (inquit) Deum, ac Dominum meum supplico, ne tua me prouidentia destitutum sinas: uerum adiuua me, & salutem mihi gratificare.

BASILII. Meminit omnium inimicorum suorum, qui ipsum in peccatum pertraxerunt, & supplex, Deum inuocat, oratque ne ab ipso recedat, siquidem uidebat inimicos adhuc circa ipsum stantes, sibique imminentes, neque prioribus in eum ausis contentos esse, quapropter sollicitus ne iterum in eorū manus incidat, ualdè uigilanter dixit. *Inimici autem mei uiuunt*, non enim mortui sunt, nec semel quod uoluerunt operati abierunt, quare scriptum est, Neminem ante obitum dices beatum, Viuunt, sed & confirmati sunt plures super me, *Multiplicati autem sunt qui oderunt me, & qui retribuerunt mihi mala pro bonis*, qui quidem non quiescunt etiam nunc mihi detrahere, quoniam bonam, & salutarem uiam persequor, salutem mihi inuidentes, ea gratia supplico, ac rogo, ne derelinquas me Domine, nam fieri non potest, ut solus ego tot inimicis resistam. Tu igitur Deus meus ne discesseris à me, sed adesto mihi adiutor, & custos salutis meę.

CYRILLI. Multiplicatos præterea illos dicit, qui se odio prosequuntur. idque iniustè agunt tanquàm ex auersione diuina, nam hoc propter delicta illis accidit, qui laboribus agitantur, & in tentationibus uersantur, nam si contingat, ut Deus aliquem auersetur, & procul aliquis inueniatur ab oculis eius, a quo securitas omnis, & curatio proficiscitur, is est qui inuisus, & odio habitus est etiam ab iis, qui olim amici erāt, quanquàm nihil medium interiaceat, quod eos diuidat in contraria studia; hoc est enim (opinor) odio haberi gratis, uel iniquè. qui autem sint, qui oderunt iniustè, iterum per hæc perspicuum facit, inquit enim. *Qui retribuunt mihi mala prò bonis* Accusabant me non de rebus turpibus, & absurdis, sed de iis, prò quibus decebat, ut me commendarēt, scilicet quod iustitiæ sectator essem, Nam qui Deo aduersantur (ut dicebam) suos etiam ueteres amicos infensissimos inueniunt temerè contra se exacui, & nulla de causa, & iniquè in rabiem ferri, & oblitos beneficiorum, quibus ab iis, quos iniquè oderunt, affecti sunt, qui illud tantum spectant, ut ad indignationem prouocentur, & extrema illorum malitię opera accumulent. illos insuper opprimunt, & urgent, qui uices reddere, ac se tueri non possunt, & graues calamitates ferunt, sed cum minus idonei, & segnes sint, propterea ad se ulciscendos in illos crudeliter insistunt, sataguntque mala prò bonis rependere, os effrene ac dissolutum aperiunt, & à Diabolica lingua intemperanter effundunt uerba in calumniam eorum, quæ admiratione omni ac ueneratione potius digna sunt. detrahunt enim mihi quoniam bonitatem sequor, & iustitiæ partes defendo, nam iis, qui nos uituperare solent, nihil est ex nostris rebus, quod non calumniis,

luminiis, & insimulationibus aspergant, quin eximia quæque, & præcipua reprehendunt, & censuris, atque accusationibus perstringunt.

DIDYMI. Quatenus prò peccatis pœnitentiam agebam, carus illis esse debebam, sed illi præter quam quod me non dilexerunt, etiam tanquàm mortuũ fœtore abhominabilem me proiecerunt, sed licet illi me abiecerint, tu tamen non derelinques me, cum inimici homines, & Dæmones me undique circundent.


ATHANASII. Possunt homines, quos naturæ inopia ad Deum placandum impellit, hæc prò se ipsis orare. sed Christus qui secum Patrem habet, salutem hominum tanquàm propriam petit, qui & ipse quoque petitionem hanc secundum diuinitati coniunctã humanitatem tanquã suam sibi tribuit. Hoc uero fuit id, quod carni compactum, & affectibus obnoxium fuit, cum alioqui diuinitatem secum haberet, quæ petitionem illius ratam faceret.

NICEPHORI. *Inimici autem mei uiuunt*, uiuunt, hoc est seruantur, *Quoniam sequebar bonitatem*, bonitatem, idest innocentiam, & obliuionem iniuriarum calumniabantur autem me, quia illum ego sic se gerentem ulcisci nolui.

IN FINEM IDITHVM CANTICVM IPSI DAVID.

PSALMVS XXXVIII.

Dixi, custodiam uias meas, ut non delinquam in uia mea.



HESYCHII. Dictum est canticum ipsi Dauid in consummatione seculi uenturo iudici. Etenim uenturum interpretamur idithum.

ATHANASII. Idithum cum facer cantor esset, & prophetica gratia coronatus ad personam ipsius Dauid in peccato confitentis effingendam carmen hoc edit.

DIDYMI. Cum Dauid Rex arcam in Hierusalem deduxisset, sacros quosdam uiros cantores instituit, qui hoc ministerio, & ordine hymnos Deo concinerent, ex iis unus erat, & Idithum ut in catalogo, & enumeratione prædictorum cantorum in libris Paralipomenon scribitur. is ergo cum propositum psalmum in gratiam Dauid edidisset, eundem cecinit, uel à Dauid editum recitauit. Est uerò in proposito psalmo à pœnitentia ad uirtutem introducta persona, quæ ipsum enunciat. 1 Par. 16. & 16.

ORIGENIS. Illud, *In finem*, secundum alios interpretes pro uictoria, in uictorem, & uictoriæ authori, inscribitur.

ASTERII. Præscriptio nos in finem mittit. Quoniam in fine cantici dicitur. *Dimitte me, ut refrigerer priusquam abeam*, & amplius non ero. petit enim peccatorum ueniam, & sanctis repositum in futuro refrigerium consequi.

EVSEBII. Quæ in proposito carmine continentur magnopere ad ea, quæ in præcedenti psalmo habentur referri possunt: nam illum Dauid psallens in rememorationem ipse sibi applicauit, hunc uero cœteris etiam tradit. Quos cum grauiter, ut ille deliquissent, erudit, & docet, ut se simili confessione, ac penitentia sequantur, ac imitentur, nisi fortè spiritus sanctus per idithum admonuerit ipsum Dauid, ut hæc diceret. Nam idithum ipse prophetico spiritu insignitus erat, interim per ea, quæ proponuntur, docemur debere quemlibet secum ratiocinari, & colloqui, neque aliunde doctores attendere, sed per se animo, & cogitatione secum sermocinando hæc apud semetipsum efferre.

THEODORETI. Sunt ex interpretibus nonnulli, qui præsentem psalmum ipsi Idithum ascripsere, asserentes ipsum hunc composuisse. At inscriptio contrarium docet, psalmum esse Dauid. Traditum uero ipsi Idithum ad canendum. præerat enim Idithum choro cantorum. Transmittit autem nos In finem, quoniam humanæ naturæ deiectionem deplorat, & eius finem declarat. *Hæc eadem in Chrysostomo reperies cum sequentibus.*

rat. Portò magnus Dauid propositum psalmum dixit, cum fugeret filium Absalon, cumque Semei conuiciis impeteretur. Cœterum psalmus hic cum proximo præcedenti magnam iubet similitudinem.

Dixi, custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea.
Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccatum aduersum me.
Obmutui, & humiliatus sum, & silui ex bonis, & dolor meus renouatus est.

THEODORETI. Fugienti magno Dauid parricidæ filii tyrrannidem, Semei obuiam
uenit illi, & glebis, ac saxis in eum iactis, hominem quoque uerbis execrabatur, peccatorem,
& sanguinarium illum inclamans: sed diuinus Dauid solita utens philosophia, non modo nō
ultus est eum, sed unum ex ducibus suis prohibuit, ne iaculis in eum paratis uteretur dicens,
2.Reg.16. Dimitte eum, quod maledicat mihi. etenim Dominus illi dixit, ut malediceret Dauid, & quis
dicet ipsi. quare sic fecisti? Vt uideat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi Dominus bo
num prò eius maledictis in die hac. Cœterum uerba psalmi huius cum historia ipsa multum cō
ueniunt. inquit enim se magnam linguæ curam habuisse, ut qui nosceret membrum illud maxi
mè labile, & eam tanquàm uallo quodam semper communitam tenuisse, & præcipuè cum Se-
mei magis resisteret, licet iniuria nulla lacessitus ipsum peccatorem, & iniustum inclamaret. Tūc
enim (ait) *Obmutui & humiliatus sum*, conueniunt hæc ualdè cum iis, quæ in historia referun-
2.Reg.16. tur, sinite eum maledicere, quoniam Dominus præcepit ei, ut malediceret Dauid, ut Dominus
Rom.2. uideat humilitatem meam, & eripiet me hodie ex manu inimicorum meorum. Hoc etiam hic
dicit. Quoniam surdo omnino similis eram nihil audienti, & humilem, atque abiectum me ipsū
feci, inde lucrum expectans. *Et Dolor meus renouatus est*. cum ab illo conuitiis appeterer, pecca-
tum, quod admittere ausus sum, in memoriam reuocabam, & stimulis à peccato inflictis confi
gebar, reputans mecum ea de causa maledici mihi, & me tyrannide opprimi, & expulsum a re-
giis ædibus profugam esse cogi: Hæc congruunt cum historia, siquidem uerbá illa. præcepit
illi Dominus maledicere Dauid, peccati memoriam habent, quoniam propter peccatum illud ca
stigatio illi adhibita est:

ATHANASII. *Dixi custodiam*, euidens confirmati cordis demonstratio prò responsione ad eos, qui me conuiciis lacescebant, mihi ipsi memoriam peccati excitabant. Memoria autem peccati, tanquàm ignis circa præcordia mea exarsit.

HESYCHII. Docet hoc omnem Prophetam, & doctorem proprias uias custodire, sci
licet actionum cursus, & ingressus ita, ut non declinet in uitium, non aberre in lingua, dum di-
Eccl.7.18. ctis agat contraria. Verè enim lingua peccat, qui uerbo uitium damnat, opere astruit, ex quo il
lud consequitur, ut uitæ suæ institutione doctrina ementiatur. *Posui ori meo custodiam*, Non est
autem silentium omne pulchrum, sed illud tantum quod à sermone malo abducit. silentium hoc
Psal.140. iusti à Deo petunt, quemadmodum ipse Dauid aliàs dicit, pone Domine custodiam ori meo, &
ostium circunspectionis labiis meis. ostendens enim se à dictis nefariis silentium orasse, statim
subiunxit. Ne inclines cor meum in uerba nequitiæ. Verū quod hoc loco dicit, non est huiusmo
di. Vnde nec Deus ipsum imposuit, sed ipse sibi ipsi. *cū consisteret peccator es aduersum me*, Hoc est
Diabolus, is enim magna in nos multitudine coacta, diuinæ legis silentium suggerit, non potest
autem ille quicquam agere dum illam enunciamus. quod autem malum, & uituperandum (dicit
silentium) dicunt apertè quæ sequuntur, *Obmutui & humiliatus sum & silui à bonis*, Vide quod
4.Reg.15. primum per inobedientiam obmutuit, & postquàm obmutuit, humiliatus est, nihil enim æque
hominem deiicit, & deprimit, ac stupor sensuum, & inobedientia. Aut propterea siluit,
quoniam, à bonis, hoc est a meditatione legis, quæ boni magistra est, cessauit. Quare non imme
ritò renouatus est dolor peccati, siquidem uulnus a peccato illatum grauius est, cum a legis me
ditatione nos ipsos subducimus. Fit quoque depascens ulcus, tanquam nullo a diuinis præcep-
tis apposito medicamento, & ideo non stetit in silentio, sed cum se collegisset, ipsum abiecit, tan-
quam rem animæ perniciem afferentem. quod ostendens subiungit.

DIDYMI. Quoniam ferè omnis peccati initium a uerbo proficiscitur, tales sibi leges præ
scribit, ut non peccet lingua, nam si loquendo sine crimine se præstiterit, hoc etiam sequetur, ut
a peccatis, quæ operibus patrantur immunis fiat. Ex uerbis enim tuis (inquit) iustificaberis, & ex
Matth.12. uerbis tuis condemnaberis, & illud. Amen dico uobis, de quocunque uerbo ocioso reddenda
erit ratio in die iudicii.

ASTERII. Quoniam dicturus erat, *Notum fac mihi Domine finem meum*, quod nemo sanctorum quæsiuit, ignotus enim est cuiusque finis, sicut est seculi huius terminus. propter hoc dicit. *Custodiam uias meas*, idest desideria, quæ celeriter mouentur, nam si ea abiecerimus, non

pro-

ferentes, nec exprimentes uerbo, quod malè cogitauimus, non peccabimus in lingua. Cœterum non omne silentium bonum est, sed quod à turpibus, & malis abest cogitationibus.

DIDYMI. *Cum consisteret peccator aduersum me.* Peccator ipse Diabolus est, aut malus Dæmon, qui hominem comitatur. Nam cum quis secum decreuerit uias suas custodire, ut non peccet in lingua, & ori suo custodiam posuerit, tum peccator hostiliter insurgens, & aduersus pœnitentem consistens, priora illius delicta commemorat, & ea exprobrando in medium affert, quærens, ut qui à peccato abest, peccati rememoratione iterum in priora peccata trahatur, sic ergo inquit, cum peccator aduersum me consisteret, ad eius uerba obsurdui, & silui ab iis, quæ proferre cœperam bona, siquidem dicere cœperam de meo non peccandi proposito, uel de bonis dogmatibus illa explicando, quoniam non est respondendum iis, qui uerbis nos irritant.

ASTERII. *Vias meas.* Viæ Dauid sunt sermones eius, & doctrinę: Ne igitur aliquis ei diceret, qui alium doces, te ipsum non doces, qui dicis non esse adulterandum, & adulterium committis, iccirco dixi, (inquit) *custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Hoc cum Paulus significaret, Corinthiis scripsit. Misi ad uos Timotheum, qui uos commonefaceret uias meas. Rom. 2. 1. Cor. 4.

HESYCHII. *Et silui à bonis,* In tentationibus bona recedunt à nobis, & animus silet, nanq; animus ea loquitur, quæ noscit, & tacet illa, quæ ignorat. bona modo uocat uirtutes, & notiones, quæ in tempore eos fugiunt, qui tentantur.

DIDYMI. Ex alio exemplari. *Peccator aduersum me,* Adiectione articuli, peccator, aut Diabolus significatur, aut Angelus nequam homini comes, cum ego (inquit) de dogmatibus benè loqui cœpissem, uerbi gratia non oportere aduersus exprobrantes peccata irritantibus illorum sermonibus refragari, cum in sermonibus, quos de peccato habent, immorari tutum non sit, nam periculum est, ne iterum in id delabamur, uel simpliciter. Cum mecum sermones meos mente uersarem, ac nulla ratione peccare decernerem, is obstitit, aduersus me per ea, quæ mihi obiiciunt, ut hac commemoratione iterum ad peccandum prouocarer, ego uerò à sermonibus cogitationem meam continui, licet boni essent, subtrahens, nam peccator præcipuè aduersatur iis, qui statuunt in se non peccare. silui uerò (inquit) ne dolorem perceptum cum à peccatis eximebar, innouarem, propter ea, quæ mihi obiiciebantur.

EVSEBII. Cum (inquit) tentationibus urgerer, dum peccati author mihi insultaret, ego dicebam, *custodiam uias meas, ne peccem in lingua mea,* tum præterea, *posui ori meo custodiam, & obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Symmachus uerò sic interpretatus est. Custodiam os meum in freno cum non sim in bono, cum adhuc impius aduersus me consistat, elinguis factus sum silentio, tacui cum non essem in bono, cernis quomodo causam doceat, cur non ausus sit os aperire, dicens, *& silui à bonis.* uel, secundum Symmachum tacui non existens in bono, cum enim in bonis non sim, neque loquendi libertatem habens, recordatus sum dicentis peccasti, quiesce, quare tacui, cum non essem in bono, Non modo autem obmutui, & silui à bonis, sed *&, dolor meus renouatus est,* nam dolor animæ meæ & ulcus mihi à peccato inditum altius penetrauit, & contra conscientiam infixum renouatum est, dum author peccati crimen exprobrat, & me hostiliter aggreditur. Gen. 4.

CYRILLI. Non contradixit autem exprobrantibus iuxta Apostolicum præceptum, dixit enim sapientissimus Paulus, nemini licere malum prò malo reddere, uel maledictum prò maledicto, dixit autem cum alii nos execrantur, nos illis benè precamur, cum maledicunt, prò illis oramus. De Saluatore quoque Petrus ait, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè. illud uero, *à bonis,* uel à laudatione, prò: à malis: posuit, quemadmodum solemus uidentes appellare eos, qui oculorum uitio laborant à contrario sensu. Neque enim (inquit) unus ego ex illis existens, qui ad ferendam ignominiam consuetudine quadam nati sunt, qui uel inuiti opprobria dominantium ferre compelluntur, sed unus existens eorum, qui bonis omnibus affluunt, uti regia gloria coronatus posui ori meo custodiam: neque id illi stupore quodā accidit, sed propterea quod misericordiam consequi accuratè studuerit, seque ipsum in oculis Dei humillimè gerere quæsierit. 1. Cor. 4. 1. Petr. 2

NICEPHORI. Deplorat hic humanæ naturæ tenuitatem Propheta. memor eorum, quæ persequente illum Absalon passus est. *Dixi custodiam uias meas,* uias linguæ, idest sermones intelligit, *cum consisteret.* hoc est cum aciem instrueret, & bellum pararet, *obmutui, & humiliatus sum,* memor quod hæc mihi propter peccata mea teuenerunt tacui, & iniurianti non respondi, & ex bonitate cum illum ulcisci possem, nolui, *Et dolor meus,* dolor prò peccatis meis renouatus est.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea, exardescet ignis
Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.
Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi.
Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea quasi nihilum coram te.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Quemadmodum obmutuit silentio, & ferè mortuus, ac stupidus factus est, ita sermonum Dei meditatione concaluit, & ignem illi spiritus ministratio excitauit, probè uero meditationem non tam linguæ, quam cordis esse significauit, sic enim Deus per Ieremię uocem edixit. Dans dabo leges meas in corda eorum, & in mentes eorum inscribam illas. *Loquutus sum in lingua mea*, simul ac legem meditatus est, cœpit
Ier.3. calefieri, & illico ad sapientiæ studium deflexit. Finem uero ac numerum dierum, hoc est temporis longitudinem orat, sibi significari, non ut peteret aliquid ad eos adiici, sed ut sciret, quid sibi desit, sed quamobrem? Vt interea saluti suæ caueret, & consuleret, & si peccasset, ad pœnitentiam properaret, si autem iustitiam coluisset, ut eam retineret, & confirmaret, ut qui esset emigraturus, & coram iusto iudice sistendus. Veruntamen cum se ipse, ob huiusmodi petitionem reprehendisset, uide quid dicat. *Ecce numerabiles posuisti dies meos.* Cur (inquit) de dierum numero sollicitus sum? quotquot enim fuerint palmis conferuntur, palmum autem dicit palmæ extensionem, cuius mensura minima est, præsertim si ad præcipua Dei elementa perpendatur, cum uerè uellet humanam uitam extenuare, substantiam nostram nihil esse coram Deo dicit, non quod eam despiciat Deus, eius opifex, sed quod quemadmodum aquæ gutta, si cum mari comparetur, nihil fuerit, ita homo, si cum Dei substantia conferatur merito nihil esse inuenitur.

THEODORETI. Vel CHRYSOSTOMI. *Concaluit cor meum*, Symmachus hoc ita interpretatus est. Exaruit cor meũ intra me, & dum animo agitarer igne flagrabam, reuocans peccatum meum in memoriam igne mœroris æstuabam. *loquutus sum in lingua mea.* impetenti me maledictis nihil respondi, sed uniuersorum Deum rogaui, ut mihi uitæ finem indicaret, mortem ualdè cupiens. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Hoc rursus ita interpretatus est Symmachus: Ecce tanquàm palmos dedisti dies meos, & uita mea tanquàm nihil ante te. Finem autem cupio, sciens humanam naturam longæuam non esse, uita enim nostra tuæ comparata ne consistere quidẽ uidetur, siquidem tu principio, & fine cares, nostra uero uita quasi pugillis, & palmis mẽ
Psal.89. suratur, his autem humanæ uitæ breuitatem declarauit, ita & alibi dixit, Quoniam mille anni ante
Psal.101. oculos tuos, tanquã dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte. & alibi: cum cœli, & terræ meminisset, ipsi (inquit) peribunt, Tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent, & sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

ATHANASII. *Et in meditatione mea exardescit ignis*, in reminiscendo peccati mei, igne inflammabar.

APOLINARII. Et audiens (inquit) & mecum etiam cogitans temeraria, & maledica hostis uerba, & carnes quanta uerborum petulantia uteretur, cui ne loqui sanè conuenisset, prò cõtemptu, & lacescita iustitia exarsi.

DIDYMI. Qui non remissè, sed accuratè diuina meditatur propositum uersum dicet. *Et in meditatione mea exardescet ignis*, succenso ex huiusmodi meditatione igne, qui priorem malum habitum absumat. Ex uerbis peccatoris (inquit) qui aduersum me constitit cor meum igne succẽsum incaluit, quoniam uerò nihil ex huiusmodi cogitationibus loquutus sum, calor intra me stetit, & in meditatione meam exarsit ignis.

ORIGENIS. Qui perfectum uirtutis habitum consequutus est nullo modo conuitiantiũ uerbis mouetur. qui uerò adhuc proficit, dolet quidem, ac perturbatum cor habet, sed non adeo
Luc.24. ut à corde ad os uerba emittat. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* & meditans (inquit) diuina eloquia ardebam, quemadmodum, & Cleophas dicens, nonne cor nostrum ardens erat in no-
Ier.1. bis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Huiusmodi fuere uerba Hieremię unde scriptum est, Deum illi dixisse. Ecce dedi uerba mea in os tuum ignem. Huiusmodi erant
Act.2. linguæ super Apostoios Euangelium annunciaturos insidentes, nam uisæ sunt illis esse tanquã ignis, ut illorum sermo esset adurens, & auditorum animas inflammaret.

NICEPHORI. *Concaluit cor meum*, Iniuria & contumelia affectus præ ira intra me inflammatus sum, exterius huiusmodi iram non ostendit patienter utique ferens, *& in meditatione mea*, meditando (inquit) & reuoluendo praua opera, quæ commisi, & mala quæ patior semper me dolorum meorum ignis inflammabit; & animæ meæ incendium augebit. *Et loquutus sum in lingua mea*, erga inimicum tacui, ad Deum uero loquutus

loquutus ſum ſenſim,quietè,& quaſi ſuſurrans *notum mihi fac Domine finem meum*,cupio.n. uehementer finem uitæ,ut à malis liberari me ſentiam. *Et nu nerum dierum meorum*, ſignifica mihi numerum dierum totius uitæ meæ quotus ſit uniuerſus,ut connumeratis annis meis quoſcunque hactenus uixi,ſciam quod reliquum eſt. *Ecce menſurabiles po uiſti dies meos*,i.paucos numero:palæſte enim minima eſt mẽſurarum,conficitur autem coniunctione quatuor digitorũ,& eſt tertia pars palmi.palmares igitur dies ſuos uocat quaſi menſura modicos.ſciendum uero eſt mẽſuræ nomine interdum id quod menſuratur uocari,ut cum dicimus tritici medimnum & ulnam telæ. *& ſubſtantia mea*,& ad æternitatem comparata natura mea nihil eſt.

CYRILLI. Præ dolore concaluit,& non eſt loquutus.Me uirtutem eam, quæ clementia & malorum reminiſcentia continetur, meditante ignis exarſit in uiſceribus meis, nam moleſtiæ ſanctorum quoque corda inflammant, cæterum nihil iræ, aut indignationis ad ueſperam uſque protrahitur,& hoc illud eſt(opinor)quod dicitur,iraſcimini,& nolite peccare:nam omnino non iraſci maius eſt fortaſſè, quam ut illud præſtare poſsimus. Cæterum iræ dominari uel iram poſſe in melius à cogitationibus reſcindere ſanctis datum eſt,quod autem hæc ſit perfectæ uirtutis actio Solomon oſtendit,dicens,qui iram cohibet fortior eſt , quam qui ciuitatem expugnat, uel ſic: peccati memoria accenſionem, quæ ex animi deiectione oritur , operata eſt. Psal 4. Prou. 16.

ATHANASII. Illud, *in lingua mea*, ſonat ſubmiſsè,& tanquàm ſuſurrans,nec ad multos ſermonem proferens.Cæterum ſermo erat, interrogatio de diebus,qui reliqui illi eſſent:interrogabat autem ſcire cupiens an reliquum dierum ſuorum tempus ad pœnitentiam agendam illi ſatis eſſe poſſet.

DIDYMI. Ad peccatores quidẽ ſiluit,ad Deum uero loquutus eſt.loquitur autem in lingua ſua qui ſincerè,ſenſatè,& cum affectu uerba profert,nam qui doloſè loquitur,aliena lingua loquitur.Cum autem humanam uitam uiuere cœperim eiuſdẽ finem expecto,hic uero mihi ignotus eſt,proinde illũ mihi notũ facias,quando erit,ut annorũ numero percepto ſciam quæ à me fieri oporteat,quid egerim,& quid mihi ad pfectionẽ cõparãdã deſit. Vel ſic. quoniã qui cordatè,ac intelligenter agit,ad aliquem finem agit,qui ſcopus etiam appellatur,cuius præcognitionẽ habere oportet,ideo propoſito ſibi uitæ melioris ſcopo ſcire quærit , quiſnam ſit numerus dierum ſuorum,ut uitam ſuam inſtituat,& ſpeculationes ueritatis aſſequatur,ut ſciat quantum deſit ad ſcopum aſſequendum,tanquàm ſi quis quærat à magiſtro,quot ſint alicuius ſcientiæ Theoremata,ut ſciat & quid didicerit, & quid diſcendum ſuperſit.

CYRILLI. Ego quidem non conuenire illorum ſententiam dixerim , qui ſic interpretantur. Etenim dicunt, Dauid & ſanctus,& Propheta , cum prò remiſsione peccatorum accuratius ſupplicaret,non ab re, atque adeo importunè fortaſſe ſatagebat perdiſcere ,quantum ſibi deeſſet ad uirtutem conſequendam,cum prò delictis quæ in ſacroſanctas leges petulanter admiſerat, oportuerit ipſum miſericordiam potius implorare,non autem tam anxiè de uirtutibus ipſis, ac rectè factis ſollicitum eſſe . Quid igitur illhuc eſt,quod ait? cum diu (inquit) in ærumnis eſſem , & in longum plaga protenderetur , ex humana conditione loquebar , uerumtamen non apertè,ſed ſubmiſſè, & in lingua aiebam . O Domine notum fac mihi finem uitæ meæ, & numerum annorum meorum , nam ex collatione tuæ ſubſtantiæ, quæ ſemper exiſtit,cognoſcetur quid deſit mihi,hoc eſt quanto à gloria, & eccellentia tua diſtem interuallo: quippe qui fœno qui in agro eſt, ſimilis ſim , quod parum quidem floret,cæterum areſcit, propterea quod ad interitum properat .

EVSEBII. Symmachus ita interpretatus eſt. Calefactum eſt cor meum intra me,& dum mecum ipſe prætetita delicta memoria repeterem,igne inflammatus ſum . cum enim (inquit) ſubiret peccati recordatio , igne præ triſtitia accendebar , ab ipſa conſcientia inflammatus. *loquutus ſum in lingua mea,notum fac mihi Domine finem meum* , Quem finem poſt confeſſionem conſequuturus ſim noſcere peto , preſſus enim moleſtiarum onere. hæc dicebat, temporariam , & mortalem uitam propter miſerias ſuas longiſſimam forè ſuſpicatus ; quare mutationis ſuæ tempus notum ſibi fieri deſiderabat , ut ſibi animus redderetur libertate,& liberatione à tentationibus illi annunciata. Nam in ſequentibus dicturus eſt. *Aduena ſum apud te , & peregrinus, ſicut omnes patres mei , Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos* . prò quo Symmachus uertit , Ecce ut palmum poſuiſti dies meos . Alius quoque poſſet dicere, palæſtes hoc eſt contentioſos dies hominis appellari , quod certamine, lucta , & tentationibus pleni ſint . Deinceps his annectit . *& ſubſtantia mea tanquàm nihilum ante te* : prò quo Aquila interpretatus eſt , & latibulum meum tanquam non eſt in conſpectu tuo. Symma-

chus uero, et uitalitas mea tanquàm nihilum coram te, nam omne hominis uitæ tempus uel uitæ, ac seculis infinitis comparatum, tanquàm nihil est coram Deo. Quare alibi dictum est. Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Quin & omnis hominum conatus uanitas est uanitatum, & uniuersa uanitas omnis homo uiuens.

Didymi. Ex quo in uitam prodii, ad certandum ascriptus sum, ut initio quidem uita mea cū carne, & sanguine luctaretur. ubi uero à pueris excessi, & in uirum euasi, aduersus principes, & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum mihi certandum est. illud ergo παλαιστάς. idest certantes significat, quod in certamine posuisti dies meos, *Et substantia mea tanquam nihilum coram te.* Nūc hypostasis prò substantia accipi potest, ut quod dicitur, sit huiusmodi, substantia mea tuæ comparata ne esse quidem aliquid uidetur.

Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens.

Verum in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.

Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea, & nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea à te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me opprobrium insipienti dedisti me.

Cyrilli, & Theodoreti, Vel etiam Chrysostomi. Quare omnis (inquit) hominum natura diuites, & pauperes uaporibus similes sunt qui euanescunt, iidem temerè, & frustra ædificant, & diuitias comparant, & facultates congerunt, nihil tamen homines differunt ab iis, qui picturis exprimuntur, pariter enim tam horum, quàm illorum natura tempore labitur, & interit, nihilominus tamen inuicem concertantes homines perturbantur, dimicant, bella gerunt, mercaturam exercent, & omnis eorum uita fluctibus, & procellis agitata, periculorum plena est, & finem habet mortem, & qui labore, ac sudore multò diuitias congerunt, quis earum sit hæres futurus ignorant. Hæc ex iis, quæ illi euenere, beatus Dauid commotus, scripsit. Nam cum opulentum regnum, & illustre nimis ex hostilibus spoliis reddidisset, & ex tributis ab alienigenis pēsis ditissimum fecisset, nesciebat tamen impiam, & iniquam filii mentem, sed cum uidisset postea filium propter adeptum regnum nimium excreuisse, & repositas diuitias tanquàm proprias sibi uendicasse, in hanc admirabilem uocem prorupit. *Veruntamen uanè conturbatur, & reliqua, & nunc quæ est expectatio mea, & substantia mea apud te est*, Cum illis (inquit) uale dixerim, opem tuam expecto Aquila hypostasim expectationem dixit, prò eo quod est. Te expectans considero, & tuam expecto benignitatem, deinde aduersitatum suarum causam aperit. *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.* & Semei rursus mentionem facit. *opprobrium insipienti dedisti me*, quod maxi-
2.Reg.16. mè cum historia conuenit, Dominus dixit illi, ut malediceret Dauid. Quæ uero sequuntur, similiter iis, quæ dicta sunt, cohærent.

Eusebii. Vel iuxta Aquilam, omnis homo erectus, uel omnis homo stans iuxta Symmachum. Qui enim nunc, & præsenti tempore stat, quique mortalem hanc uitam agit, uanitas dici potest, nam nisi immortalitatis, & æternæ uitæ, ac regni cœlorum hominibus aliqua spes inesset, meritò uanitas quædam omnis homo uiuens reputandus esset.

Origenis, & Didymi. Scribitur etiam sic. Ecce ueteres posuisti dies meos, ut qui ad ueterem hominem ob similitudinem quandam referantur, ad ueterem inquam hominem, quem indui, & propterea substantia mea, qua substiti, nempe mea omnia ante fidem, tanquàm nihilum est coram te. *Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens*, Vniuersa animantia, quæ sunt super terram plantas, & similia uanitatem uocat, solus homo uiuens est, cum statim sit immortalis uitæ particeps futurus. Vel sic, substantia mea tanquàm nihilum ante te, quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna, quæ præterijt, & custodia in nocte. hoc est horæ tres, aut quatuor. proinde cum ipse quidem semper sis, substantia uero mea minima prorsus, atque contracta, & ut paucis absoluam, tanquàm nihilum sit in oculis tuis, ne permiseris eum, qui præ imbecillitate lapsus est diutius affligtari, neque item uniuersæ uitæ meę cursum in flagellis agere.

Athanasii. Homo (inquit) opprobrium est eorum, quæ sunt super terram, quando mūdanis curis agitatus uanitas habetur. uel sic: omnia, quæ sunt in uita nostra uapor tenuis sunt coram te, nam prò uanitate Symmachus uaporem dixit.

Hesychii, uel Chrysostomi. *Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens*, nō solum

autem hominem sed etiam uniuersa, uanitatem esse dixit. quemadmodum etiam exposuit Solomon, Vanitas enim uanitatum, & omnia uanitas, Ecclesiastę inscriptum est proemium. Non quod Dei creatura uana sit. Sed quia nos, qui in uanitate uersamur in rebus inutilibus, & incommodis uitam agimus. Diapsalma subiunxit propheta ideo fortasse, quod sermonem conuerterit. Nam postquam destitit humanam naturam deprimere, ostendit causam propter quam Deus eam honoratam fecit, nos autem damnat, ut qui re preciosissima abusi simus. ita enim dicit. *Veruntamen in imagine pertransit homo*, Habet (inquit) figmentum in se aliquid, quod facit, ut ei uideatur preciosum. quid hoc est? Dei imaginem, in qua ingreditur, cum qua in hac uita omni creaturæ uenerabilis incedit.

DIDYMI, & ORIGENIS. Omnis homo uiuens in imagine pertransit, uel quatenus id seruat, & retinet, quod est ad Dei imaginem, qui pertransit proficiendo, hoc in diuina imagine facit, cum sit conformis imaginis Filii Dei. uel quatenus similis est alicui animanti, uel equo amore furenti, uel belluæ alicui cuius mores imitetur. imago quoque dicitur mundus hic sensibus subiectus, imago inquam intellectualis mundi. liber ergo & sui iuris in hoc mundo pertransit homo, qui est imago. cum uero de communi homine superiora dixisset, mox de singulis, ut qui frustra in mortalium rerum studiis perturbantur, ita inquiens loquitur. *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea*, qui enim thesauros congregat super terram, ignorat, quisnam diuitias, quarum causa tantum studii, & laboris insumpsit obtenturus sit. Qui uero thesaurizat in cœlo, sibi non aliis Thesaurizans, nouit se diuitias suas possessurum, quæ illi auferri minimè poterunt.

ATHANASII. Quoniam in mundo hoc non ueram uiuimus uitam, sed eam, quæ tanquàm imago est, neque in iis, quæ uerè bona sunt, uersamur, ideo frustra humanis desideriis agitati perturbamur, & thesauros colligimus, quorum ignoramus hæredes.

HESYCHII, Vel CHRYSOSTOMI. *Veruntamen dixit*, ut ostenderet nos Imaginem Dei, quæ nos ad excelsiorem uiuendi rationem uocat, minimè despicere, sed circa terrena potius uersari, & quod thesauros congerimus ignorantes quibus eos colligimus, nam si quæ ad alimentum, & cibum pertinent, thesaurizamus, ea corruptioni, & excrementis colligimus, si diuitias, hostes sœpe earum hæredes fiunt, si superbiam, nobis damnum Diabolo uero lucrum comparamus. & quod uerum magis est non cognoscimus eandem nos Geennæ colligere.

ATHANASII. *Et nunc, quæ est expectatio mea*, Meritò se spem in Christo dicit habere, ut qui uitę huius angustias agnoscat.

APOLINARII. Nihil (inquit) habeo ego in me ipso expectatione dignum, sed apud te, & tua expectans præsentes labores in præmiorum futurorum spe patienter fero.

CYRILLI. Quis mihi dedit, ut & pati, & afflictionis tempore forti animo subsistere possem, nec ulla perturbatione agitarer, nec quicquam præ humana imbecillitate facerem, aut dicerem, nonne Dominus? *Quæ uero est mea substantia?* prò eo quod pertulit, & patienter sustinuit ea, quæ ab ira diuina cœlitus illata sunt, cum Deus in filios propensus, eum tanquàm Pater castigat) ad eligendum præstantiora compulsus est. enimuero licet Deus leni quadam cõmotione castiget, ipse tamen patientibus tolerantiam, & patientiam præstat. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, Constructio propositorum uerborum hæc est: Ab omnibus iniquitatibus erue me, quoniam tu fecisti, hoc est ipse me formasti, & tanquàm opifex humanæ naturæ inhærentem imbecillitatem perspectam habes. Alibi enim scriptum est: Nam corruptibile corpus aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit mentem multa cogitantem. Sap 9. Inueniemus præterea magnum Iob miseriis omnibus oppressum his uocibus utentem, Memento quod puluerem me formasti, & rursus: An non sicut lac me mulsisti, & sicut caseum me coagulasti, pelle, & carnibus uestisti me, ossibus, & neruis compegisti me? Iob.10. & Rursus Dauid ipse; recordare quod puluis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquàm flos agri, sic efflorebit, quoniam spiritus pertransiuit in illo, & non subsistet. Sancti nanque huiusmodi uocibus usi sunt, optantes omnium effectori Deo suorum delictorum obliuionem inducere obliuionem, & humanam pariter imbecillitatem, & labilem ad peccandum naturam præ se ferentes, iam ergò ueniam tanquàm satis edoctus petit.

EVSEBII. Symmachus uero sic proposita uerba tradidit. Nunc igitur quid expecto

Domine? expectatio mea in te est, ab omnibus impietatibus eripe me, uituperandum insipienti ne me tradideris. Elinguis effectus sum, ne aperias os meum, tu enim fecisti. quæ omnia cuus dixisset, subinde (inquit) nihil mihi deest ò Domine, nisi ut te expectem, & in te spes meas habeam, substantia nanque animæ meæ apud te est, quocirca oro, & precor, ut me ab iis, quibus opprimor malis, liberes, & ab iniquitatibus meis eripiar, in insipientem enim de quo superius loquutus sum, incidi, *Cum consisteret peccator aduersum me obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*, nam simulatque insipientiæ traditus sum, factus sum uituperabilis. iure igitur prò admissis sceleribus pœnitentiam agens obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, nam timor tuus compulit me obmutescere configens me propter ea, quæ peccaui, & mihi omnem loquendi libertatem eripiens. prò, *opprobrium insipienti dedisti mihi*, Aquila dixit. opprobrium defluenti tradis me. Symmachus uituperandum insipienti ne destinaueris me. Quinta editio, opprobrium insipient i ne tradas me. quod deprecationem ostendit peccatoris orantis ne opprobrium tradatur insipienti. quod si Dominus ipse peccatorem insipienti tradit, ut probris ab ipso afficiatur, hoc in eius utilitatem, qui probro datur, fieri dixeris, ut iis afflictionibus uehementiorem delictorum pœnitentiam agat, quod Dauid orabat, ne sibi contingeret, ut qui ea omnia à se ipso faceret, quæ grata Deo futura essent.

DIDYMI. *Et substantia mea apud te est*, licet substantia de subsistentia & hypostasi etiã dicatur, & ipsa à Deo tanquàm ab opifice procedit, sin ea intelligitur, secundum quàm sustinemus, hæc etiam est à Deo, qui dat nobis ut omnia, quæ molesta, & grauia nobis accidunt, patienter sustineamus.

HESYCHII. Vel CHRYSOSTOMI. *Et substantia mea à te est*, quoniam omnis nostra expectatio, & substantia in Deo est, ea quoque à Deo est, non uires faciunt, ut inuisibilium inimicorum insidias sustineamus, imo nec uisibilium, siquidem sæpe nobis propter hæc insidiantur, sed neque delitiæ, nec ulla corporis cura nobis ad substantiam, hoc est ad uitam acquirendã sunt satis, nisi ex Dei dextera. & quæ de inimici paratur uictoria, & ipsa etiam uita nostra hinc proficiscitur. *Opprobrium insipienti dedisti me*, Mirabile est quod hic assertur, non enim inquit opprobriũ insipienti mihi dedisti. sed dedisti me insipienti, igitur opprobriũ peccatorũ remissionem intellexit, quæ nobis ad exprobrationem aduersus Diabolum, ut inimicum, & aduersarium, & malis nostris gaudentem, data est, unde nec solum dixit *ab iniquitatibus*, sed ab omnibus iniquitatibus. Tunc enim Satanam licet uerè irridere, & probris appetere, quando benè prius purgati fuerimus.

NICEPHORI. *Veruntamen uniuersa uanitas*, uerè omnia humana bona falsa sunt, *omnis homo uiuens*, hoc est omnis humana uita, *uerum in imagine*, dictionem, *uerum*, hoc in loco posuit pari modo prò, uerè, seu certè, illud autem, *in imagine*, i. instar imaginis, & umbræ, *Veruntamen frustra conturbatur*, cœterum quod reliquum est, frustra homo fatigatur, & distrahitur. *Et nunc quæ expectatio mea?* Cœterum quæ in reliquum spes mea est? *Quoniam tu fecisti*, Quoniam tu ei præcepisti, ut mihi conuitiaretur, dicit enim, *Obmutui & non aperui os meum.*

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amoue plagas meas.
A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.
Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius, ueruntamen uanitas omnis homo.

APOLINARII. Nunc lacessitus maledictis æque fero, nec contra clamo, utpotè, qui benè nouerim Deum uelle me his opprobriis, & conuiciis exercere. sic ipse Dauid lacessitus maledictis à Semei, respondit, sinite. quia Dominus iussit ei, ut execraretur Dauid.

ATHANASII. Conuiciis impetitus tacebam (inquit) certò sciens te esse, qui me correctionis, ac disciplinæ gratia huiusmodi opprobriis subiecisti. *Quoniam tu fecisti*. inflictas illi à Dæmonibus pœnas, Dei esse dicit, tanquàm eo permittente, ut prò peccatis affligeretur. *A fortitudine manus tuæ*. Sępe ultricem potestatem manum Dei diximus appellari, qui cum acriter homines flagellat castigatus succumbit, quatenus huiusmodi est, scilicet imbecillis, nec uiribus ad flagella excipienda satis instructus: *in increpationibus*, cum me (inquit) propter peccatum argueres, corripuisti.

HESYCHII. Vel CHRYSOSTOMI. *Obmutui, & non aperui os meum*, Hanc taciturnitatem, & silentium Deus boni consulit. quando scilicet sustinemus, dum castigamur, & os nullo modo ad querelas aperimus, ad utilitatem nostram nos corripi à Deo sentientes. Hoc enim & Iob faciebat, cum ab amicis cogeretur hæc dicere, & ad Deum dixit, Manum ponam in ore meo semel loquutus sum, in secundo autem non adiiciam, sed cur semel tantum loquutus est? Quoniam iustitiam eius amici calomniantes, & accusantes eum, ut se de-

Iob.39.

se defenderet, compellebant. *A mone à me plagas tuas.* Non amplius (inquit) flagella tua perferre possum, sic à nimis forti manu flagellatus, ut nihil in me roboris reliquum. Proinde amoueri a se plagas cupit, non ut cædenti resistat, sed quasi iam purgatus, quod sequentia ostendunt.

EVSEBII. *A mone à me plagas tuas.* DIAPSALMA. In superiori Psalmo exhibuit se se correctionum flagellis tanquàm discipulus in magistrum benè affectus, ideo dicebat. Ego in flagella paratus sum. Quoniam uerò flagella multa, quibus cæsus, & malè habitus est, patienter tulerat, orat ut post hęc quiescere ab illis sibi liceat. atque hactenus flagella consistant. Et deinceps confitetur, dicens. *A fortitudine manus tua ego defeci.* De huiusmodi uerò manu superius dictum est. Confirmasti super me mannum tuam. Deinde docet Dei manum non frustra corripuisse, nec incassum flagellasse, sed in delinquentis utilitatem. Propterea dicit. *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem*, nam prò patrata iniquitate, ac admisso facinore, arguens eum, qui corripiendus est, flagella insuper, & supradictam manum tuam intulisti: Animam præterea correpti hominis depressam, ac extenuatam in utilitatem suam tabescere fecisti: nam quo tempore luxui se ac delitiis dedit, ad peccandum prolapsus est. Iuxta illud. Et comedit *Cant. Moy.* Iacob, & impletus, & dilectus recalcitrauit. Impinguatus, & incrassatus, & dilatatus est, & *Deut. 32.* dereliquit eum, qui fecit eum, & recessit à Deo salutari suo. Quamobrem ut spiritus saluus sit in die Domini, caro in interitum tradita est, qua castigata contabescit anima. tanquàm aranea. *1. Cor. 5.* extenuata. Ideò dicit: *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius, Veruntamen uanitas omnis homo.* Hominem rursus in hac mortali uita, temerè, ac frustra laborantem deflet.

ORIGENIS. Est & aliud flagellorum genus, de quibus quidam dicit. Quis dabit in cogitatione mea flagella, & in labiis meis sigillum astutorum, ut ne in ignorantiis meis parcant, & pec- *Eccl. 23.* cata mea non perdant me. Petit enim in peccatis flagellari cor suum. Beatum enim est post peccata à conscientia sua corripi, petit uerò plagas amoueri, tum quę per tentationes exterius adhibentur, tum etiam interiores, nam supra modum affligi interitus quidam est. Quod timẽs Apostolus dixit. Ne fortè qui huiusmodi est abundantiori tristitia absorbeatur à Satana. Pec- *2. Cor. 2.* cans uerò anima impinguatur. Huiusmodi enim est peccati natura: unde scriptum, impingua *Matth. 13.* tum est cor populi huius. Virtus uerò extenuat, & anima quod ad corporeum tendit, in nihilũ redigit, & puram eam, & incorpoream constituit. Impinguatur enim, caro efficitur anima peccatoris, quod ex eo petet. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, eo *Gen. 6.* quod caro sunt. Opus ergò Dei est animas mutare. Quod mysticè in Ezechiele manifestatur. *Ezech. 11.* Quando in lebete carnes proiiciuntur, & coquuntur. Et dicitur, coctæ, ac liquefactæ sunt carnes, & ius liquefactum est. Hæc uerò indicant, quod lebetes accensi nos accipient, ut quotquot animas carne obductas habemus, in illis proiecti maceremur. Comparat autem araneę quæcunque peccator texit, propterea quod facile scindi possunt, licet subtilia, & uana sint. Iuxta illud in Isaia. quod telam araneæ texunt. *Isa. 49.*

DIDYMI. Quandiù à peccatis eripi postulaui, non extabui. *Veruntamen uanitas omnis homo.* Insipiens tanquàm habeat opus tuum in potestate, contumeliis exagitatur.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.* Fortasse dicit propter iniquitatem, fortasse super iniquitatem, hoc est supra mensuram peccatorum flagella intulit. Nam & hoc ipsum Deus facit, ut tentationes partim nos à peccatis expurgent, partim cedant in occasionem præmiorum, & coronarum.

DIDYMI. *In increpationibus.* Ex his uerbis quoque addiscimus Dei flagella nihil aliud esse quàm redargutiones. Nam cum dicat: *A mone à me plagas meas*, illud infert. *In redargutionibus propter iniquitatem illas esse.* nam redargutionibus propter iniquitatem allatis eruditur homo eius anima tabefacta dum omnem carnis crassitudinem abiicit. Tum enim & araneam texere potest non materia exterius sibi subiecta, sed eam intus ex animo producens. Dictio quoque significare potest animi cogitationem malorum, quæ cogitatio diutius nequit subsistere. Quemadmodum in Isaia de peccatoribus dictum est. Telam araneæ texerunt, quando opera areneæ similia à redargutionibus propter iniquitatem auferuntur, & redarguti anima tanquàm aranea contabescit.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Aranea quidem nam tenuis est, & nil in ea facile occultari, & delitescere potest, ob pellucidam eius naturam. Quid siquid sit etiam ualdè tenue ac subtile dum araneæ tela liquescit, hoc est in tenuiores partes diuiditur, nullo modo occultabitur. Ita Deus nostras liquefacit animas, ut ne tenuissima quidem in nobis lateat cogitatio, cum

nos

nos planè mundare, & purgare uult. *Veruntamen uanitas omnis homo.* Rursus uitæ nostræ uanitatem nobis in memoriam reuocat: uerum licet dixerit omnis homo, non tamen iustum complexus est, iustus enim supra hominum uitam uiuit, sed intelligit sapientes, potentes, diuites, quorum studia sunt uanitas. At si iustum quoque complecti dixeris. hic item frustra est nisi Deus dirigat eum, & iustitiam iusti confirmet, non enim possumus per nos ipsos rectè agere. 2.Cor.3. Vnde etiam dicebat Paulus. Non uolentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.

Rom.9. THEODORETI, uel CHRYSOSTOMI. *Obmutui, & non aperui os meum.* Te .n. permittente ille debacchatus est, & ille quidem flagello similis erat, tu uerò per illud castigationem inferebas, iccirco silens flagella suscipiebam, illum quidem despiciens, te uerò in me animaduertentem respiciens. Ingeniosè autem, & quæ sequuntur apposuit. *Amoue à me plagas tuas.* Desiste obsecro demum à castigatione, nam plagarum multitudine ferè consumptus sum. *In increpationibus corripuisti hominem.* Non temerè aut inutiliter animaduersionibus usus es, sed redarguens peccata mea more medici secans, atque educens occultam saniem, in medendo quidem crucias, sed iis, qui secantur sanitatem procuras: *Verum frustra conturbatur omnis homo uiuens.* Quæ mecum mente uersans, homines cerno prò fluxis rebus, & momentaneis frustra turbari.

NICEPHORI. *In increpationibus.* In redargutionibus per tentationes factas erudis me, ac cordatum facis. Et hoc propter iniquitates, & non alia de causa. Et crebris tentationibus, & flagellis attenuasti animam meam, est autem aranea exile animal, cui nunc animam suam comparat, quæ à peccatis crassior reddi solet. *Veruntamen uanitas omnis homo.* Propter hoc temerè ac nullius frugis omnis homo infinitum, atque anxium capit laborem.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, lachrymas meas, ne sileas.

Quoniam incola ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.

Dimitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

THEODORETI, uel BASILII. Quare tibi Domino supplico exaudi me obsecrantem, & cum lachrymis deprecantem, hanc enim quam colo terram, non tanquàm propriam inhabito, sed tanquàm peregrinus, & cum similiter ac Patres mei exiguum tempus uixero, mortem obibo. Quare modicam mihi temporis usuram concede, ut priusquam ab hac uita recedam, paucos dies absque tristitia pertranseam. Hoc enim dixit illud. *Et amplius non ero*: id est, ad hanc uitam interitui obnoxiam non reuertar. Cæterum dignum est, ut magnum Dauid admiremur, qui in regno, opibus, & potentia constitutus, se ipsum inquilinum, & uiatorem appellat, ut qui prosperitati, ac rerum successui non fideret. Reuera enim sunt hæc sapientiæ plena, nam sapientia rerum naturam non ignorans, præsentem despicit prosperitatem.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Deprecatio est oratio cum supplicatione, quæ Psal.68. Deum ad misericordiam prouocat. ut cum dicit, Miserere mei Deus quoniam tribulor. Et. Psal.55. Miserere mei, quoniam conculcauit me homo. Et. Miserere animæ meæ, quoniam peccaui Psal.40. tibi, ideo deprecationi lachrymas quoque adiecit, siquidem preces huiusmodi proferre cũ lachrymis solemus. Orationem uerò exaudiri tanquàm simpliciorem precatus est. Deprecationem uerò, quàm affert, & lachrymas auribus percipi. Ipsas uidelicet Dei aures peruadere, ut uerba ipsa illius erga nos misericordiam comparent.

DIDYMI. Quoniam multis se adhuc indigere nouerat, petit, ut adhuc amplius in uita permaneat, ut se ipsum reficiat, ac in bonis perfectis oblectetur, siquidem nisi id assequatur, sed hinc abeat imperfectus, non erit, quod amplius perfici possit. Sic enim intellige illud. Exod.3. *Et amplius non ero*, non quod esse desinet, (nam immortalis, & æterna est anima) sed quod qui eius re uera est, amplius particeps non sit futurus. nam hoc uerè est esse, participem fieri illius, qui dixit. Ego sum, qui sum. cum illa dicantur non esse, quę non participent essentiæ istius. Secundum il- Hester 14. lud quod in oratione dictum est ad Deum. Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt. Huius essentiæ participem se fieri desiderans tempus sibi dari precatur, quo illo qui est, se recreet ut re uera sit.

ORIGENIS. *Exaudi orationem meam.* Causas narrat, quibus Dei misericordia dignus homo censeri debeat. quis enim est, qui incolam suum non misericordia prosequatur? Sed cur incola, aut aduena homo est? Quoniam quando iusserit Deus. homo migrat tanquàm de domo in domum, ab hoc seculo in futurum. Cæterum non ἐπίδημος quod simpliciter peregri- 2.Cor.5. num sonat; sed παρεπίδημον dixit. nam quàmdiu corpus incolumus, (Quemadmodum Paulus ait)

ait) peregrinamur à Domino. unde sancti, hinc emigrare festinarunt, ut cum Deo inhabitarent, quos patres suos, non iuxta carnem tantum, sed ob similes uirtutes Propheta nominauit. *Et amplius non ero*. nam peccatoribus perinde, ac non sint, dicitur. Erunt tanquàm qui non sunt. Et. Ea, quæ non sunt, uocauit Deus tanquàm ea, quæ sunt. *Rom.4.* Quare Dominum Deum nostrum subsequamur, eidemque adhæreamus, ut uerè esse possimus.

EVSEBII. Qui sæpe dixerat. Veruntamen frustra est omnis homo: hoc loco se aduenam, & peregrinum profitetur, & noscit aliam esse refrigerii uitam, quàm consequi optat, dicens. *Remitte mihi, ut refrigerer*. Cæterum peregrinum dicit omnem hominem, & cum fletu, & lachrymis supplex orat, probè noscens beatos esse, qui lugent, quoniam consolationem accipient: & qui flent, quia ridebunt. Sua insuper rectè facta describit subnectens. *Quoniam aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes Patres mei*. *Matth. 5.* Cæterum rarus est admodum, qui ad piorum patrum, & Prophetarum Dei imitationem non tanquàm indigena, sed tanquàm aduena hanc fluxam, & temporariam uitam peragere posit, in qua Dauid gloriabatur, qui uitam humanam tanquàm hospitium, ac itinerarium est arbitratus. *Remitte mihi*. Symmachus ait, recede à me, ut rideam, priusquam abeam, & non existam. Nisi hic mutatis in risum lachrymis pro tua benignitate risero, & mihi (dum uixero) peccatum remiseris, & quæ perperam egi condonaueris, ut refrigerium sentiam, & ipse me refocillem, cum ex hac mortali uita discedam, non erit, quod ullum habeam pœnitendi tempus, & nisi in uita, quæ apud te est, ueniam consequar non ero amplius, uerum eiectus similis ero descendentibus in lacum, ideo supplex hinc dico, ne silueris à me, ne quando sileas à me, & similis fiam descendentibus in lacum. *Psal.27.*

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. *Exaudi orationem meam Domine*. Veniam, & remissionem peccatorum implorat, in qua refrigerari beatum est. Sed inquit, *Priusquam abeā*, hoc est antequàm hinc recedam, nā si priusquā per pœnitentiam refrigerium accipiamus, recedere necesse erit, non exinde illam accipere poterimus. Quare? Quoniam non sumus amplius. nō quod eò deueniamus ut nō simus, & ab essentia excidamus, ut nōnulli existimant, sed amplius non ero, hoc est, non possum mutari. Qui enim est hic in peccato, cum per conuersionem mutatus fuerit, non est in ipso, nā per pœnitentiam mutatus est, & alius factus. Hoc autem facere nō possumus postquam hinc excessimus. *Eccl. 1.*

ATHANASII. *Non ero*, Scilicet talis, qualis essem, ex tua in me collata remissione, nam Dei remissio est animi perturbationum uacuitas, cum rerum, quæ uerè sunt cognitione.

NICEPHORI. *Ne sileas à me*, hoc est, ne negligas, indifferens hic quoque ut aliàs sæpe constructum est. *Quoniam incola ego sum*. Ego (inquit) si cæteris hominibus comparer accola quidem sum, & possessę terræ indigena, sed si ad te Deum meum suspicio incolam me esse fateor. Te enim iubente transmigrabo, & hoc mundo relicto ad alium ire compellar. *Amplius non ero*, in hac uita scilicet.

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

PSALMVS. XXXIX.

Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.



HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Ipsa Prophetiæ uerba necque hunc quidem Psalmum ad Iudæos pertinere ostendunt. nanque hostiarum, & holocaustomatum, & cæterarum legis oblationum, abrogationem continet. Hinc fortasse spiritus Psalmum, IN FINEM, inscripsit ipsi Dauid, ut eum, qui Dauid in finem uilus est, significaret, uel etiam populum, qui in fine ad ipsum Dauid Christum accessit, nam cum in consummatione seculorum aduenisset, saluum eum fecit. Dignum est autem ad Prophetiæ diuisionem attendere, cum Christus hic alia ex propria persona, alia ex persona gẽtium Psalmum in diuersa partitus proloquatur.

ATHANASII. Refertur canticum hoc, ex noui populi persona, qui ex miseriæ lacu eductus est. Deinceps introducitur Christi persona, qui gratias sibi agentes docet, quomodo se regere, & instituere debent. Demum & eorum persona inducitur, qui ex Israele crediderunt, rogantium se ab infidelitatis peccato liberari, & pariter exponentium, quænam sibi mala ob incredulitatem acciderunt.

THEODORETI. Et in hoc Psalmo etiam prædicit, quæ ad populum spectant, tanquã qui fuerit à Babylonio rege in captiuitatẽ abductus, & ex eorum persona loquitur gratias agens Deo, quod eius auxilio a seruitute sit redimendus, docens omnes qui ærumnis, & miseriis affecti sunt, si suam in Deo spem collocauerint, ab omnibus, quæ illos circunuenient, molestiis, facilè liberari posse. Deinde beatos illos prędicat, qui calamitatibus premuntur, modo ab omni turpi actione semoti, Deo innitantur, tanquàm ab eo solo iuuandi sint.

CYRILLI. Nonnulli asserunt hunc Psalmum prò gratiarum actione factum, postquam Dauid remissionem, ac ueniam consequutus fuit à Deo malorum, quæ propter peccatum pertulit. Cæterum interiecta est Saluatoris persona dispensationem prouidentiæ, ac promulgationem Euangelii prænuncians. Demum & alia persona inducitur, quæ peccata sua confiteatur, & eorum ueniam consequi suppliciter orat. Sed uidetur magis hunc Psalmum dictum esse ex persona noui populi, qui per fidem in Christum uerè ex lacu miserię, hoc est ex profunditate peccatorum sit eductus. Interim, & Christi persona interponitur, quæ mysteriorum profunditatem aperiat. Post hæc, populus ea, in quibus erat mala iterum recenset, idque ad maiorem Christi gloriam, qui eum ab illis eripuit.

THEODORETI, uel CHRYSOSTOMI. Nonnulli in beatum Ieremiam præsentem Psalmum dictum acceperunt. Alii in admirandum Danielem, ratione illa moti, quod & is, & ille in lacum coniecti sunt, porrò initium Psalmi de lacu mentionem facit. Sed illi uerbum unum attendentes, eam huic Psalmo intelligentiam dedere: Cæterum alii Psalmum captiuis Babylonem habitantibus conuenire dixerunt. Ego uerò hunc Psalmum scriptum esse arbitror typó quidem propter ea, quæ Dauid euenerunt. referri autem ad naturam omnium hominum. quę à Deo, & Seruatore nostro spem resurrectionis suscepit. In hanc autem sententiam ducit beatus Paulus, qui in Epistola ad Hebræos, aliquot eorum, quæ hic dicuntur, meminit.

NICEPHORI. Ex persona Ecclesię christianorum Deo gratias agit Propheta, prò mirificis donis, quibus à Deo gratis donata est, & ab aduersus insurgentes in se tyrannos opem petit.

Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.
Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.
Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.
Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.
Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino.

EVSEBII. cum tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem,

ſpes autem non confundat, meritò non ſimpliciter expectant iuſtus, ſed ſpem intendens, nec deſpe- Rom.5. rans ſalutem ſe à Deo conſequi, in patientia perſeuerat. & licet cum orauerit, ſtatim non exaudiatur, tamen ſperans expectat, & precibus, ac orationibus patienter inſiſtit. Quod ſi (ut Dauid accidit) in crimen aliquod labi illum contingat, fatetur illud, nec ignorat, quo malorum ceciderit. & ſi poſtea ſe ipſum cordatè collegerit ab errore, gratias aget, agnoſcens à quo profundo miſeriæ ipſum extraxerit, qui animæ illius medicus, & Saluator eſt factus. Iccirco dicet. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis.* Quod planè aſſequetur nam expectans expectauit Dominum. Tu uerò ſi miſeriæ lacum profundum peccati, & lutum fecis cænoſas corporis uoluptates appellaueris, in quibus anima prolapſa intelligitur, & quam demergitur, non errabis. qui uerò ex iis emerſerit, & à dextera Saluatoris extractus, deinceps greſſus animę in puro ſermone confirmat, aptè dicere poterit. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Porrò petram, quàm luto fecis appoſuit firmum, & benè compactum ſolidi ſermonis fundamentum appellat. ſuper quod qui firmatus fuerit, dicet. quis nos ſeparabit à charitate chriſti? tribulatio, an anguſtia? an perſequutio? an fames? & quæ ſe- Rom.8. quuntur. Non ſolum autem pedes ſupra petram ſtatuit, uerum etiam ambulare, & currere ſuper ipſam per honeſtarum rerum approbationem concedit. quare addidit. *Et direxit greſſus meos.* Dein conſequenter tanquàm à deterioribus ad potiora tranſlati, canticum uetus, quo ea deflet, quæ in ſuperioribus Pſalmis dicta ſunt deponit, nouumque Saluatoris ſui canticum reſumit. qui canticum nouum, & hymnum in os eius immittit. ueterem hominem cum actionibus ſuis exuens, & nouum induens, qui agnitione Dei renouatus eſt, poſtremo his omnibus per- Colo.3. actis pleriſque exemplar efficitur, ita ut cęteri mutationem illius uidentes benè ſperare incipiant, & à deterioribus in melius mutentur. Proinde dicit, *uidebunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Quid uerò uidebunt? hoc ipſum ſcilicet, quod in profundum malorum, & in lacũ, & lutum fecis uenerim, atque illinc Dei gratia extractus ſupra petram conſtiterim, & greſſus mei directi ſint. Quodque nouo cantico dignus ſim factus: Hæc nanque plerique intuiti, timorem Dei, de quo dictum eſt) initium ſapientiæ eſt timor Domini, reſument, & ſimilem ſibi Pſal.110. ſpem præſcribent.

THEODORETI, uel CHRYSOSTOMI. *Expectans expectaui.* congruunt, quæ hic dicuntur magno Dauid. quandoquidem præcedenti Pſalmo egregiè quadrant. in illo enim dixit. Exaudi orationem meam, & deprecationem meam, auribus percipe. lachrymas meas. Ne ſileas. Remitte mihi priuſquam abeam, & amplius non ero. Et ſuperius ętiam dixit. Et nũc quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus? Et ſubſtantia mea apud te eſt. Hic uerò tanquã uoti compos & admiſſa deprecatione ſua, dicit. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi,* nam ubi peccatum auerſatus ſum beneuolam mihi frontem oſtendit, & exaudiuit preces meas. Et quid fecit, ubi exaudiuit? *Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis.* Sic enim ſcriptura ingentia pericula uocare conſueuit. Quemadmodum etiam antehac aliàs diximus. Poſtquã autem à periculis eripuit, quid tibi elargitus eſt? *Et ſtatuit ſupra petram pedes meos.* non enim me moueri & circunferri permiſit. ſed fecit, ut mihi ſtabilis eſſet, & firma ſtatio. *Et direxit greſſus meos.* Et fecit ut abſque ullo impedimento currerem uiam ueritatis. *Et immiſit in os meum canticum nouum.* Non enim amplius flebilibus modis ſupplico, ſed propter accepta beneficia carmẽ canendo profero. Hæc uerò (ut dixi) typo & figura conueniunt non modo affectibus ipſius Dauid, & iis, quæ in illum collata ſunt, beneficiis, ſed etiam naturæ hominum inſigniter quadrant, quæ quidem natura in ipſum peccati profundum deiecta eſt, & ad mortem tranſmiſſa & per ſeruatoris noſtri humanæ naturę ſuſceptionem educta eſt, quæ accepta reſurrectionis ſpè dicit. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fęcis.* Lacus miſeriæ meritò dicta eſt mors, ut quæ interitu plena ſit. Lutum fęcis autem peccatum eſt, ut quod plurimum tetri odoris emittat, & rectum hominum curſum inhibeat. *Et ſtatuit ſupra petram pedes meos.* Super hanc enim petram (inquit) ædificabo eccleſiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Et direxit greſſus meos.* cum enim ab errore liberaſſet, diuinam ueritatis uiam oſtendit. *Et immiſit in os meum canticum nouum.* Prò impio enim Idolorum cultu, eum, qui Deus eſt, laudare didici. & ei offerre canticum non uetus, ſed nouum, & recentibus beneficiis conueniens. *Videbunt multi, & timebunt, ſperabunt in Domino.* Quoniam hæc dicit ex perſona eorum, qui ſalutem acceperunt, meritò dixit Propheta, quod qui bona nondum guſtarunt timebunt, ut qui nondum acceſſerint neque ſpem à Deo conſequendę ſalutis acceperint.

ATHANASII. *De lacu miſeriæ.* Ex profundo peccati, quod tanquàm lutum, in eo de-

tentos

tentos conspurcat.

DIDYMI. Locum miseriæ Idololatriam uocat, quod qui ex ipsa hauriunt, miseri efficiá *Ier.2.* tur, non enim uitalę quicquam inde hauriunt, quod Ieremias Iudæis exprobrando dixit. Foderunt sibi cisternas confractas, quæ non poterunt aquam continere. Lutum fęcis uoluptates intelligit, quoniam fex ipsa, & interitus corporum, & putredines sunt, utrique autem Christus gentes eximit, quas per fidem in ipsum, & Euangelii pręconium fecit.

CYRILLI. Addubitare hic posit aliquis, quomodo isti Dominum expectauerunt, uel quomodo planè exauditi sunt, qui ne ad ipsum quidem fortasse clamauerunt, ignorantes quis esset naturæ uniuersorum Dominus, & effector. Dicimus nos Saluatorem in uniuerso terrarū orbe homines per fidem cæpisse, irrito iam Diaboli imperio, & dissoluta malignarum potestatū feritate, & eum spiritali libertate decorasse quotquot per fidem in ipsum ad agnitionem ipsius uocati sunt. Veruntamen non solū gentium multitudinē, sed etiam ante illas, eos qui ex Israel san- *Eph.2.* guine fuere, reędificauit, nam Christus inseruit duos populos in unum nouum hominem, faciēs pacem, ac utrosque reconcilians cum Patre in uno corpore, (quemadmodum scriptum est.) Ambo igitur unus populus facti sunt, iuxta Saluatoris ipsius uocem: nam alias (inquit) oues habeo, *Ioan.10.* quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fient unum ouile, & unus pastor. Proinde quod ab una persona dicitur, id ipsum utrisque populis propter unitatis uinculum, quod in Christo peractum est, conuenire poterit. Quod autem Christi mysterium prænuntiatum sit iis, qui sunt Israelitæ cum lege, tum Prophætis sacrarum literarum peritis minimè obscurū est. *Ioan.5.* Nam Christus Iudęos alloquens alicubi dixit, si crederetis Moysi, crederetis & mihi, Ille enim de me scripsit, Expectabant enim Iudæi eum non ipsorum solum, sed etiam omnium gentium Saluatorem, ac redemptorem opportunè uenturum. Nam & iustus Simeon cum Christum adhuc *Luc.2.* infantem intuitus esset in templo, dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum uerbum tuum, quia uiderunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Quin & mulier Samaritis *Ioan.4.* cum loqueretur cum Christo, palàm ipsum professa est: Dixit enim: Scimus, quod Messias uenit, qui dicitur Christus, cum uenerit ille, nuntiabit nobis omnia. Dictum est præterea ab *Soph.4.* uno ex sanctis Prophetis, apud quem Christus suum ad nos aduentum annuntiat. Propterea expecta me dicit Dominus in diem resurrectionis meæ, in testimonium, quia iudicium meum ad congregandas gentes. Quare qui uenturi Saluatoris aduentum opportunè expectauerunt meritò dicere potuerunt. Sustinens sustinui Dominum, prò. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*, hoc est, uisitauit me: Nam Deus cum Dominus sit, nobis illuxit, & congregauit de lacu miserię scilicet à portis mortis, & illius corruptione, à qua etiam per Christum liberati sumus, qui incorruptibilitatem in se ipso, & primo naturam hominis transformauit, ac uti ab initio fuerat, instaurauit. *Et de luto fecis*, hoc est à mundi curis, & à fętenti crimine, ex iis enim ineffabili manu, & admirabili Christi omnium nostrum Seruatoris potentia extraxit. *Et statuit supra petram pedes meos.* Fortis enim sensus est iis, qui sunt in Christo, quemadmodum Paulus *1.Cor.2.* ait. Nos autem sensum Christi habemus. Cæterum alio quoque modo petra Christus omnium firmamentum, & lapis electus consideratur, qui in fundamentis Sion à Deo, & Patre positus est: in quo omnes ædificamur domus spiritualis, & templum sanctum in domicilium Dei in spiritu. *Direxit præterea gressus nostros*: didicimus enim rectos cursus cōficere, qui olim per obliquas & prauas uias ambulabamus. *Et immisit in os meum canticum nouum.* Hoc quoque ad ea dona, quibus à Christo honestati sumus, addendum est, non enim cuilibet sine discrimine fas est carmen laudis decantare, sed ne is, quidem qui huic insistit muneri, Deo gratus esse potest, nisi qui rectè, ac innocenter uiuere consueuit. Quoniam non est speciosa laus in orę *Eccl.16.* peccatoris: pro uetere cantico illo à Mose decantato nouum immisit in os meum. In nouis enim rectè factis nouum omnino canticum nec ueteribus illis consimile esse debet. Et prò cantico quod malis Dæmonibus, ac Idolis canebatur, edocti sumus cantica per spiritum sanctum resonare. *Videbunt multi, & timebunt.* Semper enim quodammodo qui nec dum crediderunt fidelium ęmulatores esse uidentur. & mores sequi tanquàm uestigia studentes ad lumen ueritatis accurrunt. hinc deinde diuinum timorem mente concipiūt, qui igitur (inquit) credentium imitatores facti sunt, & iam diuinum timorem conceperunt, hi quoque spe in Deo nixi bonorum suppeditationem ab ipso & solo quęrunt, cum olim & fortunæ, & genituræ ac fatis res nostras omnes tribuerent, sed & uidebunt (inquit) alio modo, prò respicient: Nam de gentibus Deus per Isaiæ uocem alibi dixit. Abducam cæcos in uiam quàm nescierunt, & semitas quas ignorauerunt, efficiam ut hi pedibus terant. Christus uerò Iudæis ait. Ego sum lux. Quin à

Patre

Patre missus est, ut cœcorum oculos aperiret. Videbunt ergò, hoc est respicient, &c.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. *Et statuit supra petram pedes meos.* Prius quidem pedes nostros supra petram, hoc est in fide firmauit: nam fides in Christum meritò petra infracta nominari potest, & ideo cum Petrus eam exposuisset, & dixisset. Tu es Christus filius *Matth. 10.* Dei uiui, ipse subiunxit. Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non praualebunt aduersus eam. Primum ergò pedes nostros in ea confirmauit, & tunc gressus nostros, hoc est actiones nostras direxit, per Euangelica præcepta docens nos, quomodo possumus ad uitam ingredi, & illud de non committendo adulterio rectè exequi, quod nè omnino quidem concupiscamus, de non occidendo uerò, dum nec irascamur quidem, & de non peierando, quando iurare planè cauerimus. *Et immisit in os meum canticum nouum*: quod uerò sit hoc canticum Lucas Euangeliorum scriptor declarauit dicens. Et repente fuit *Luc. 1.* cum Angelo multitudo cœlestis exercitus Deum laudantium, & dicentium, Gloria in excelsis Deo, & in terra, pax hominibus bone uoluntatis. Hoc canticum uerè est nouum; Iudæi enim illud minimè canunt, sed hymnum sola accepit Ecclesia, vnde id quoque habet in ore quotidie. *Videbunt multi, & timebunt.* Fortassè quod id quoque tunc accidit, Propheta significauit. nam *Luc. 2.* lux multa cum pastores circunfulsisset, timore affecti sunt, & cum in antrum peruenissent, uiderunt infantem, & in ipso tanquàm Domino sperare ceperunt. Quin etiam prædicantibus Apostolis, multi, qui signa uidebant, in Dei timorem, & in spem in ipsum adducti sunt: quemadmodum Philippis carceris custos, qui concusso carcere oratione Pauli, obstupescens baptizatus est, *Act. 16.* & cum credidisset, Dei miles factus est.

DIDYMI. Qui arbitrantur in scriptura nihil præterid, quod dictiones sonant, significari dicunt, quod qui à luto ereptus bonum consequutus est, supra sensibilem petram corporeos pedes sistit, sic Deo huius commodi datori gratias agit. Nos uero dicimus eum, qui à prædictis lacu, & luto liberatus est, solida, & inconcussa secundum uirtutem perfectione fundatum prædicta uerba annunciare, nam ita supra petram stantem sequitur, ut gressus eius à uitio ad uirtutem, & à mortalibus ad immortalia à Domino dirigantur, & ad omnem profectum perueniat.

ATHANASII. Canticum nouum Euangelicam legem dicit.

DIDYMI. Canticum spiritus nouitate consentaneum. Et fortè canticum nouum est sermo de moribus, & uirtute: Hymnus uero Theologia.

EVSEBII. Sublatis affectibus nouum canimus canticum innouata domo nostra. Hymnus uerò admiratio, & stupor est cum laude in factorum speculatione.

NICEPHORI. *Ex lacu miseria.* Maxima his nominibus pericula exprimebant antiqui. *Et de luto fecis*, hoc est, è limoso, & putrido luto. *Super petram pedes meos*; hoc est, supra securitatem fidei, & confirmauit me, nè in tentationibus claudicarem. *Et direxit gressus meos*, & uiam salutis ostendit mihi. *Canticum nouum*, nouæ gratię, & nouæ Saluatoris beneficentię conueniens. *Videbunt multi*, miracula, & portenta Domini, & illum ea facientem formidabunt.

Beatus uir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in uanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis; non est qui similis erit tibi.

Annunciaui, & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum.

APOLINARII. Quæ ad Christum perpessiones pertinent, omnes ad omnium salutem intentæ sunt: non enim illius tantum gratia peractæ sunt, neque in ipso solo consistunt: quare Paulus dixit. Nisi mortui resurgunt, neque christus resurrexit, nam nisi finis sequutus esset, cuius gratia christi resurrectio facta est, formidabile sanè, mysterium fuisset *1. Cor. 15.* mortis dissolutio, & animarum ab inferis ascensus, qui spem ueram in Deum affert. De qua spe Paulus loquitur, & cum ea fidem coniungit: & charitatem præbens eam in illum, qui tam magna largitus est, & qui in æternum bona protendit. Hæc (inquit) *1. Cor. 13.* tria, fides, spes, charitas. In hoc (inquit) hominis beatitudo sita est, si spem in Deo ponat, & æterna quærat, nec rebus citò perituris decipiatur, neque à uero bono, ad falsum declinet, siquidem falsum est quicquid per se acquirere homines existimant. Solum autem uerum est quod à Deo proficiscitur. quod etiam indicauit per omnes hominum administrationes, nam humana cuncta improbans bonum, quod ab ipso manat perfectum

ostendit.

EVSEBII. Qui Dei beneficentiam & gratiam expertus est, eam uniuersis gentibus prædicat, & uniuersale ex his, quæ sibi accidere, proloquium facit, docens omnes homines posse similia cum eo beneficia consequi: non enim (inquit) solus his dignus habitus beatus esse possum, sed hæc omnibus uia patet, nec eadem aliis peruia, aliis non item, nam quisquis spem suam in Deo fixerit, non excidet à beatitudine illa, qua ego quoque dignus effectus sum. Cæterum uanitas & insaniæ falsæ sunt studia quæcunque in temporariis, & uanas res insumuntur, siquidem uanitas uanitatum, & omnia uanitas. ut superius dictum est. Veruntamen uniuersa uani-
Eccl. 1. Psal. 38. tas omnis homo uiuens. Et rursus. Sed & frustra conturbatur, thesaurizat, & ignorat cui congregabit. Atqui falsæ insaniæ sunt curæ, quæ à plerisque frustrà, & inaniter capiuntur, quemadmodum etiam prudens insania est, siquis aduersus præsentem uitam insurgat, quod cum diuini Prophetę facerent, insanire pluribus uidebantur. At in huiusmodi stupore iustus glo-
Psal. 115. riatur dicens. Ego autem dixi in excessu meo omnis homo mendax. Et Apostolus
2. Cor. 5. cum hoc sibi accidisset aiebat, siue enim mente excessimus, Deo, siue sobrii sumus uobis.

CYRILLI. *Beatus uir, cuius est nomen Domini spes eius.* Nos planè sumus, qui Christiano nomine insigniti, ad hanc beatitudinem asciscimur, & hoc nomen bonum quod super nos inuocatum est. Quod si quis præter iam allata, uanitates, & insanias falsas, Idolorum cultum, & quæ à gentibus eximia iudicantur, dicere uoluerit, uniuersam inquam diuinationem, & quicquid externæ, & à fide alienæ doctrinæ sensum affert, non errabit. Scriptum est enim de qui-
Osee 9. busdam. Quod insaniam in Domo Domini confixerunt. Insaniam uerò diuinationem uocat. Plurimi nanque ex Israel pseudoprophetæ fuere, qui ex corde suo, non de ore Domini loquuti sunt. At ferendum fortasse fuisset si in Idolorum delubris tantum scelus admissum esset, quoniam uerò & in ipso Dei templo patratum est, quomodo non miserandum, & absurdissimum fuerit?

DIDYMI. Vanitates putandum est eum intelligere hoc loco studia circa humanam uitam. Insanias uerò falsas, doctrinas mendaces, & falsas Prophetias. Animaduertendum uerò est, quod quoniam insaniæ sunt quædam neræ, ideo illud, *falsas*, additum est. Nam fortè qui Prophetico spiritu aguntur, ueram insaniam, diuinatores uerò falsi tallam habent.

THEODORETI, uel BASILII. De huiusmodi uanitatibus in Psalmo præcedenti mentionem fecit Propheta. Veruntamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens. Et rursus. Vanè conturbatur. Igitur hic quoque beatos ducit eos, qui præsentia contempserunt, spem uerò in Deum præ omnibus habuerunt.

CHRYSOSTOMI. Vanitates intelligit Idolorum mysteria, & fraudes alias, & prestigia, quæ illi sapientiam nominant. Est enim uerè insania, & falsa insania cœlum metiri, & quæcunque gentiles uisis, & spectris apprehendunt. Apertè igitur Christianum dicit beatum, qui credidit ex gentibus, qui non respicit ad uanitates, & insanias falsas, sed spem in Deo ponit. Nobis enim pro omnibus satis est, quod digni habiti sumus, qui à Christi nomine Christiani diceremur.

THEODORETI, uel CHRYSOSTOMI. *Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua.* Miracula (inquit) quæ à tua potentia facta sunt omnem numerum, & omnem sermonem excedunt, siquidem non est, qui his quę facis, similia facerę queat. Sunt enim opera tua maxima, & illustria, & laudes humanas uincunt, quęcunque à prouidentia tua in omni tempore administrantur: quę in Aegypto, quæ in deserto, quæ à Mose, duce IESV, duce Samuele facta sunt, & quæ sunt his antiquiora, quæ in Abraham, quæ in Iacob, quę in Ioseph seruitute gesta sunt, & cætera, ne singula persequar. Sed quod modo factum est, his omnibus admirabilius est: non.n.unius tantũ hominis, nec unius gentis solũ, sed omniũ gentiũ salutẽ procuras, cũq; legalem cultum cessare fecisses, qui cultus Iudęorũ imbecillitati accõmodatus erat, nouã attulisti gratiam, quæ rationalem cultũ præscribit, per quã cæci corde, diuinum, ac intellectuale lumen suscepere, & qui olim claudi erant, rectè incedere didicerunt. & balbutiẽtibus lingua expedita, surdis aures apertę, mors soluta, & oẽ pręterea peccatũ sublatũ est, incorruptibilitatis gratia illuxit, atq; isthæc oĩa à Christo egregiè peracta sunt, quare & multitudinem mirabiliũ, & cogitationes Christi mollis esse cõparabiles dicimus. Sed quæ fuerũt Dei cogitationes? & admirãda in nos facta? Quod qui Deus natura erat hõ sit factus, & qd erat pmãsit, cui' rei cãm mysteriorũ ei' inspector

exposuit

exposuit dicens. Quia ergò pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse pariter eorundē particeps factus est, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. hoc est Diabolum,& liberaret eos,qui timore mortis per totam uitam obnoxii erant seruituti. Hęc(inquit) annunciaui,& loquutus sum testificans ea, omnem sermonem antecellere. Hæc eadem sanctos Apostolos & Euangelistas fecisse reperimus. Præsertim sapientissimus Ioannes qui præter mirabilia quę narrauit, legitur addidisse. Sunt autem alia multa quæ fecit IESVS, quæ non sunt scripta in libro hoc: Quę sanè si scribantur, nec ipsum arbitror mundum capere posse. eos, qui scriberentur libros. Ioan. 21.

ATHANASII. Quę (inquit) prouidentię ac dispensationis tempore fecisti, multa sunt, & admiranda, quę aliis quoque prædicaui. At prædicatio usque ad cœlum percurrit, ut qui crediderunt plures sunt, quàm numerari possint.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Non cœlū tantū, ac terrā atque alia Dei opificia,sed potius non illa tantum dicit: non.n.ait fecisti creaturas tuas, sed fecisti mirabilia tua. At quænam sunt mirabilia eius? Nempe quod Deus homo fieri dignatus est, cunq; opifex esset, luti, ac figmenti figuram accepit, quod sequens uersiculus testatur.

EVSEBII. Qui uariam, & multiplicē Dei sapientiam in creaturis cōsiderauerit,tam in uniuersum, quàm singullatim, tam in iis, quæ sensibus,quàm in iis, quę mente percipiuntur, stupore quodam immensæ eius potentiæ correptus dicere poterit. *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua.* Quod si rationes quoque prouidentiæ in rebus omnibus diligenter perquirat,qui bus cuncta administrat, cum eas se minimè consequi posse comperetit. dicet, *& cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.* qualis erat ille qui dixit. O altitudo diuitiarum, & sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius. & imperuestigabiles uię eius. in propositis Rom. 11. uerò opportunè Dauid has uoces protulit re ipsa doctus quòmodo noua quadam ratione seruatus est, hoc est diuinorum mandatorum obedientia. Nanque olim per Mosen iussum est, ut prò peccatis hostiæ, holocausta, & oblationes offerrent. Nunc uerò nouus salutis modus institutus est, qui absque hostiis, & holocaustis perficitur. Docet præterea innumera esse remedia salutis, quæ Christi gratia hominibus gratificata est,nec cogitationū Dei multitudinem prò dignitate dicere,aūt animo cōplecti licet. Hęc Symmachus uertens ita dicit. Varia fecisti tu Domine Deus meus prodigia tua, & cogitationes tuas,quæ sunt prò nobis, haud licet exponere de te.

DIDYMI. Cogitationes Dei uocat,supputationes (ut ita dicam) eorum, quæ Dei prouidentia fiunt: His igitur cogitationibus tuis, quis mortalium similis sit,nō inuenietur. Quoniam nullus est,qui sensum Domini cognoscat. 1. Cor. 2.

EVSEBII. Deinde prò, *annunciaui, & loquutus sum.* Symmachus uertit. Si renuntiās renuntiauero, plura sunt, quàm ut numerari possint. Etenim ex parte (inquit) cognoscimus,& ex parte prophetamus. Vniuersa quidem mirabilia tua innumerabilia sunt, & incomprehensibilia. Veruntamen in his, quæ percepi, hoc inueni, quod hoc tempore legales hostias, & oblationes, & sacrificia à Mose instituta noluisti. Sed pro illis aures meas, & eloquiorum tuorum obedientiam perfecisti mihi, ac prò holocaustis, & sacrificiis prò peccatis egò me ipsum tibi obtuli, & hoc est quod dicit. 1. Cor. 13.

NICEPHORI. *Nomen Domini.* Ipse Dominus, *Annunciaui, & loquutus sum.* Annunciaui (inquit) & docui, multa mirabilia tua: non tamen omnia: nam super omnem numeri infinitatem multiplicata sunt.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Quæcunq; Ecclesia didicit à Prophetis, annunciat,uel per Apostolos loquitur. Quod uerò ait, *super numerum*, id nimirū significat, quod ad dicendū restabat,nec esse dictum inuenitur,siquidē ex parte cognoscemus, & ex parte prophetamus,nec dogmata,quęad Christū pertinēt,nec miracula narrare ualemus,qđ Ioānes Theologus affirmat,qui post enarrata multa Christi miracula. Sūt aūt(inquit)multa quæ fecit IESVS quæ si scribantur per singula,nec ipsum arbitror mundum capere posse eos,qui scriberentur libros. 1. Cor. 13. Ioan. 21.

Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi.
Holocausta, & prò peccato non postulasti, tunc dixi. Ecce uenio.
In capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam Deus meus uolui, & legem tuam in medio uentris mei.

EVSEBII. Abs te uocatus, & promptissimè parens præsto sum, ut alacriter faciam uoluntatem tuam. Confido enim te hoc ipsum prò uniuerso holocausto sacrificio probaturum. Hoc uerò, *in capite libri scriptum est de me.* Vel iuxta Symmachū,in uolumine definitionis scriptum est de me. Hoc uerò cuiusmodi est,nisi ut pręferam uoluntatem tuam sacrificiis, & holocaustis,

& obseruem legem tuam, non ut uerba sonant, neque ut plerique præscripta à Mose custodiunt
sed *in medio uentris mei*. Vel ut Symmachus uertit: legem tuam intra uiscera mea sedulò cogi-
taui; Nam siquis est animæ uenter figura quadam ita nominatus, de quo in Euangeliis dictum
Ioan.7. est, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ salientis in uitam ęternam. In hoc ego (inquit) ab
dito, & recondito animę penu legem tuam seruare, & quæ de sacrificiis, & holocaustis præcepta
sunt, spiritaliter, & mente perficere uolui. Hęc enim grata tibi, & multò iucundiora esse existi-
maui, quàm quæ à Iudeis corporeo cultu præstabantur.

Didymi. *Sacrificium, & oblationem*. Cum author huius psalmi prophetica gratia orna-
tus esset, tanquàm ex bono cordis sui thesauro bona uerba profert. quę aptè congruere possunt
personę unigeniti Filii Dei, qui similitudinem nostrā indutus, & forma serui suscepta humanā car
nē mutuatus est. inquit ergo. Quoniā sacrificiū, o Pater, & oblationem noluisti, sed ne holocausta
quidē legis approbasti, *Ecce ego uenio*, assumpto corpore, quod ipse mihi compegisti. (Sancti. n.
Ioan.6. spiritus, & altissimi uirtus Deiparā Virginē obūbrabit,) *ut faciam uoluntatem tuā*. Hoc ex ęquo
illi respondet, quod palā à Christo dictū est: Quia descendi de cælo, non ut faciā uoluntatē meā,
sed uoluntatē eius, qui misit me. Versiculos aūt hos dici ex persona Saluatoris, epistola ad He-
Heb.10. bræos ostendit. inquiens: Quare in mūdū ueniens dicit. Sacrificiū, & oblationē noluisti, corpus
aūt adaptasti mihi. Quod argumentū præbet, ut totū psalmum sub Saluatoris persona proferri co
gitemus. Porrò cū umbræ tēpus præteriisset, quo hostias, & oblationes exigebat, cū Deus nollet
cultū sibi iisdem exhiberi, corpus filio ex uirgine coaptauit, quod non amplius holocaustomata,
& prò peccato approbaret Saluatore Patri dicente, *Ecce uenio*, ut exequar uoluntatem tuam, iu
xta quam & immolatus ipse, & prò peccato omnium oblatus, peccatum mundi sustuli, ut remis-
sione peracta non amplius opus esset hostia pro peccatis.

Athanasii. Hinc ipsius Christi persona Patrē alloquentis introducitur. Illud uerò, *in
capite libri*, hanc habet interpretationē. Volumen Hebræi legē appellant, Isaias uerò incarnatio
nis unigeniti mysteriū edoctus audiuit, sumē librum nouū, magnū, & scribe in eo stilo hominis.

Theodoreti. His congruunt documenta illa, quæ obsecrando affert Apostolis, Obse
cro uos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam,
Rom.12. & Deo placentem, rationabile obsequium uestrum: Nam pro sacrificiis legis pręcepit Deus ut
consecremus membra nostra: cum autem (inquit) hanc gratiam tuam perpexi, me ipsum ad te ad
Heb.10. duxi dicens. Ecce adsum, Hanc igitur uocem beatus Paulus in Christum refert, & congruenter
sanè. Siquidem nostræ naturæ primitiæ ille est, & illi primum nostra dicere conuenit, & num in
Math. 1. se ipso prius adūbrare, quę à nobis fieri decet. Sic ille primus accessit ad baptismū, nobis taciti in-
Mar.1. sinuans baptismi gratiam, Ita lauit pedes discipulorū proposito nobis miro humilitatis exēplo.
Ioan.13. Propterea Ioāni dixit. Sine modo, sic. n. cōuenit nobis implere oēm iustitiā, illi ergò par est, ut oia
nostra dicamus, qui illius membra sumus, tanquā primogenito multorū fratrū secundū carnem.

Chrysostomi. Hæc si Christus de se ipso dicit caput libri, Euangelium esse cogitabis,
atque adeo proemium cuiuslibet euangelici libri. Quoniam illorum principia capita nominare
Ioan.1. consueuimus. quid igitur de illo scriptum est in capite libri Euangelici? In principio erat uer-
bū, & uerbū erat apud Deū, & Deus erat uerbū. quibus alia connectens Theologus ait. & uerbū
caro factū est, & habitauit in nobis. Vniuersam Christi tū dignitatem, tū dispensationem, ut per
cipere poteramus, aperiens. Si uerò de Ecclesia caput libri dicit, fortasse intelligit psalmorū proe
miū in quo beatum illum prædicat, qui non ambulat in consilio impiorum, & non stat in uia pec
catorū, & non sedet in cathedra pestilentiæ Iudęorum, Sed secus decursus aquarum .i. propè fon
tes baptismi considet, siquidem Ecclesiæ populum manifestè sub figuris significauit.

Evsebii. Vniuersam diuinitus inspiratam scripturam unum caput libri nominauit, pro-
pterea quod ad scopum unum omnia intendit, quapropter rectè hortatur Solomon, non esse plu-
res libros comparandos, multitudinem, ut reor, errabundam sapientiam ostendens.

Didymi. Caput libri oēm scripturam diuinitus inspiratā siue legalem, siue propheticam
uocat, nam in ea scriptum est de illa uitę conuersatione, quàm Saluator noster inter nos habuit.
In capite autem dixit, propterea quod uniuersa in unum caput redigitur, caput autem illud est,
Saluatorem hominem factum esse, quod uoluerit facere Domini uoluntatem. Animaduerten-
dum uerò est, quod cum uoluntas ab alio cum alterius uoluntate concurrit, inditium est quod hy
postasis illa, quæ consulit, cum natura uolentis eiusdem est substantiæ.

Theodoreti. *In capite libri*. In uoluminibus prophetarum sacrorum hęc de me su-
perius prædicta sunt, *in capite*, Aquila & Symmachus in inuolucro libri dixerunt. Sic. n. diuina
uolumina in hodiernum diem communire consueuerunt.

CYRILLI. Et Propheta Ezechiel uolumen libri appellauit quasi uniuersam suæ prophetiæ complexionem. Perueni (inquit) uel ecce uenio dixit, ut faciam uoluntatem tuam, & eam ueluti legem quandam in me reconditam teneam. Sic enim (opinor) uelle illud, *in medio uentris mei*, quod in genuis manifestabo, siquidem scire nos oportet, Christum præcipua dogmata electis suis loquutum esse, nec de illis cum omnibus simpliciter, & promiscuè disseruisse. Nam Iudæis quidem in parabolis loquebatur. Sanctis autem Apostolis tanquàm mente purgatis, & qui perfectisimarum doctrinarum capaces essent. Vobis (inquit) datum est nosse mysteria regni, illis autem non. *Ezech.3.* *Luc.8.*

HESYCHII. Ventrem suum Ecclesiam uocat. Vnde & Ieremias de Iudeis peccantibus aiebat, Ventrem meum, uentrem meum doleo. insinuans Iudęorum Synagogam. At Christi uenter benè affectus est, integrosq; & sanos habet sensus, unde legem Patris in medio eius custodire pôt, hoc est integrè seruare, quippe qui præcepta oïa, quæ in ipsa scripta sunt, complectitur. *Ier.4.*

THEODORETI. Cum ad te (inquit) accessissem, omne studium adhibui, ut mandata tua exequerer, & ex uoluntate tua uitam meam formarem. Hoc autem, *in medio uentris mei*, ex translatione sumptum est ab iis, qui erga aliquem benè affecti sunt, optantibus cum in uisceribus propriis condere. Porrò hæc nec Ieremiæ, nec Danieli, nec beato Dauid dicere conuenit, nam quãdiu lex stetit, holocausta, & sacrificia offerebãt Deo. At propheticus sermo isthęc oïa reijciẽs rationalẽ hostiam præmonstrauit. Iccirco ex translatione dixi hunc Psalmum ipsi Dauid cõgruere, quoniã ille ex prophetiæ dono futura prçuidebat. & ad ea, uitã suã instituere optabat. cæterum hęc uerè conueniunt gentibus, quæ salute dignatæ sunt, & ab erroribus liberatæ.

NICEPHORI. *Sacrificium, & oblationem.* quæ sequuntur in personam christi dicenda sunt ad Patrem loquentem, & dicentem. Tu Pater in posterum legalẽ omne sacrificium reprobasti, uerum corpus mihi effecisti ex uirginis sanguinibus, ut pro hominum salute in sacrificium offerrer. *Tunc dixi, ecce uenio*, tum scilicet cum legalia sacrificia abrogasti, dixi ego, Ego uenio ad sacrificium. Dixit enim Pater uenit hora, *in capite libri*. conscriptiones Hebræi libros appellabant, & inuolutas cartas uolumina, inuolutis enim chartis scribebant. Ait igitur Saluator. In uolumine libri, prophetici nimirum scriptum est de mea dispensatione, hoc est, quę ad meam incarnationem pertinent, à Prophetis prædicta sunt. *ut facerem uoluntatem tuam*, superfluus est articulus, qui habetur in Græco τοῦ ut sepe aliàs. *Et legem tuam in medio uentris mei.* Et mandata tua in medio cordis mei, hoc est ex tota anima facere uolui, quæ mandasti. *Ioan.17.*

Annunciaui iustitiam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.
Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, ueritatem tuam, & salutare tuum dixi.
Non abscondi misericordiam tuam, & ueritatem tuam à concilio multo.
Tu aũt Dñe ne elongaueris miserationes tuas à me, misericordia tua & ueritas tua sẽper adiunt me.
Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut uiderem.

CHRYSOSTOMI. *Iustitiam tuam in Ecclesia magna:* non eam, quàm penitus euertit, sed eam magnam uocat, ut quæ non solum multitudine maior, siquidem per uniuersum orbem ampliatur, sed tanquàm ea, quæ potiora mysteria complectatur. nam non solum legem, & Prophetas ut illa, sed etiam Euangeliorum amplitudinem suscepit. In hac Ecclesia iustitia christus primum quidem se ipsum annunciauit, deinde uerò præcepta illa, quæ tradidit, quę non ab re iustitię nominantur, quoniam excellens quædam in illis iustitia prædicata est.

DIDYMI. Ecclesia magna est quę ex magnis, & perfectis conficitur, in qua ea, quæ per fidẽ IESV iustitia est prædicatur. hanc (inquit) ipse nosti, iustitiam inquã meam, ut qui illam approbas, & domesticam habes. Hanc igitur annuncians dicet, *Labia mea non prohibebo.*

CYRILLI. Non enim prohibuit, siquidem adhuc loquitur per sanctos Euangelistas, & per eos, qui per tempora sunt, doctores, quos etiam christi labia uocare posses, dicente Paulo: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur christus: De iustitia uero eius, quæ legali præstantior est, cognoscens dixit. Nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. *1.Cor.13.* *Matth.5.*

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Non.n. à nobis doctrinam suam prohibet, licet nos ea indigni simus. Quare non solum cum discipulis, sed etiam cum Iudæis, atque cum Samaritide, & cum pluribus item aliis peccatoribus loquebatur.

DIDYMI. qui honestè facta cognoscit, et loquentis iustitiã nouit, illã approbãs, hoc & in Isaia dicit. Nõ in abdito loquutus sum nec in loco terræ caliginoso, inuentus sum à nõ quærentibus me: apparui me non interrogantibus, dixi. Ego sum genti, quæ non credidit in me. *Isa.65.*

tota die expandi manus meas ad populum incredulum, & contradicentem. Per ueritatem uerò
doctrinam Euangelicam intellexit, per misericordiam uerò uiam salutis ab ipso traditę: conci-
lium autem multum illud, quod ex Iudęis, & gentibus in orbe uniuerso congregatum est: qui-
bus uerbis ostendit peccatorum remissionem factam per misericordiam.

ATHANASII. Iustitiam ab ipso pręclicatam intelligit, quæ est supra legem, & umbram.
Illud uerò, *Tu scisti*, prò, tibi uendicasti, dictum est.

Veritatem uerò intelligit eam, quæ ab umbra distinguitur: hæc quoque Theodoreto ascri-
buntur.

EVSEBII. Pollicetur beatus Dauid in Ecclesia, quę per diuinam gratiam congregata est
per orbem, Dei iustitiam, Prophetiæ ueritatem, & admirabilem salutem, & misericordiam se
prædicaturum. At fidelium cętus hæc quoque afferre posset, promittens se prò salute gratia-
rum retributiones daturum, conueniendo & concurrendo ad Ecclesiam, & labia in diuinas lau-
des mouendo ad iustum Dei iudicium celebrandum, & inexplicabilem Dei prouidentiam expli-
candam, & promissionum, quæ prædictæ fuerunt, ueritatem ostendendam. *A concilio multo*.
Symmachus in multitudine, Aquila uerò, & Theodotio, *in Ecclesia magna*, posuerunt, ut de
eadem Ecclesia eum loquutum fuisse manifestum sit. *Tu autem Domine, ne longè facias*. Cum
Ecclesia diuinæ salutis compos facta esset, iterum eadem prouidentia indiget, ob malorum ho-
minum, & Dæmonum insultus, de quibus in sequentibus mentionem facit. *Quoniam circunde
derunt me mala*. Quæ hoc loco narrantur, non repugnant cum iis, quæ modo exposita sunt.
Dan 3. nam & tres pueri summa uirtute prędíti, & triumphali corona insigniti orantes in camino dixe-
Tim.1. runt: peccauimus, iniq; egimus, deliquimus, & recessimus à mãdatis tuis, sic & admirabilis Daniel,
1.Cor.15. sic & diuinus Ieremias, sic beatus Isaias, sic sapiẽtissimus Paulus Christus.n. (inquit) IESVS uenit
in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum, & rursus: Nõ sum dignus uo
cari Apostolus, itaque hic Dei Ecclesia impiorum fluctibus agitata, non extollit se tanquã contu
max, sed quæcunq; eueniunt mala, ea peccatis, & sceleribus suis tribuit, & Saluatoris auxilium im
plorat. Cæterum nec omnino ex perfectis constat Ecclesia Dei tota, sed ignauos habet, & licen-
ter uiuentes, & uoluptatibus inseruientes, sed quoniam unũ corpus est, tanquàm ex persona una,
hæc & illa proferuntur.

ATHANASII. *Tu autem Domine*, cum Christus prouidẽtię, ac dispẽsationis mysteriũ do-
cuisset, introducitur ꝑsona Israelis in infidelitate ꝑsistentis, nã uelut qui diffidit de Dei misericor
dia, & propterea despectus, & omnibus calamitatibus circunuentus ad pœnitentiam reuertitur,
& magnificẽtiam implorat. significatur autẽ eorũ uocatio, quę in extremis tẽporibus est futura.

APOLINARII. *A me*, se ipsum dicens, Ecclesiã intelligit, nos uerò indigere magnificentia
ostendit, ut in gratia ꝑsistamus, & uehemens sit petitio magnificentiæ, quoniã non ad homines,
sed ad ipsum Deum tendere dicitur. Nã propterea rerũ diuinarum cõpotes homines fiunt, quia
Luc.22. Christus bonum illud, quod ad nos ꝑtinet prò nobis suscepit, quemadmodum ait. & ego dispono
uobis testamentum, sicuti disposuit mihi Pater meus? Aliter. Ad hęc ostendit Ecclesiã multas tri
2.Cor.1. bulationes ꝑpessuram; quę sanè postea illam adeò afflixerunt, ut de eius uita desperauerit, ut Pau
Psal.115. lus ait, cogitationes ipsas occupantes, ut ad desperationem adigerent, uti etiam psaltes ipse testa-
Prou.18. tur. Ego dixi in excessu meo, proiectus sum à facie oculorũ tuorum, nam qui in sublimia euehen
di sunt, oportet ut ad infima quęq; deprimãtur. quia (quẽadmodũ Solomõ dicit) Ante cõtritionẽ
exaltatur cor hominis, & ante gloriã, humiliatur: & huiusmodi beneficii sensus est ingentium ma
lorum experientia, quod indicant Israelitæ, qui multis in AEgypto malis oppressi sunt, ut libera
toris beneficentiam liberalius agnoscerent.

DIDYMI. Et aliter dicere posses, ò Saluator, *ne longè facias miserationes tuas à me*, eos mi
seratus, qui exemplo meo iuuantur: nã salutis maxima pars, nõ tã ex operibus, quã ex Dei miseri
cordia proficiscitur, sed & ueritas præcepta seruat, ne fraude, aut errore aliquo decipiar, nam ini-
quitates non secus ac hostes me ꝑsequuntur, dum eas effugere cogito, quod si me apprehende-
rint, uis oculorum animi impeditur, quo minus se capientem intueri queat. Fortassè uero perse-
quutrices iniquitates sunt nefarię ac malignæ potestates, quæ illas pariunt.

EVSEBII. Et aliter intelliges: cũ ante finẽ beatus nemo pręđicandus sit, meritò Apostolus,
1.Cor.9. licet & Apostolus, & uocatus, & electus Christi IESV esset, eũ non pudet dicere, castigo corpus
meũ, & in seruitutẽ redigo, ne fortè cũ aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hoc idem facit
ipse Dauid, utcunque Deum propitium plerisque habere uideretur, & fuisset de lacu miseriæ, &
de luto fecis liberatus, & super petram stabilitus, & dignus factus, ut caneret canticum no-
uum, hoc est ueram sacrificandi rationem, & Ecclesiæ Dei magnæ pręconii annunciandi

munus

munus accepisset, tamen ob humanæ uitæ imbecillitatem supplex orat, se à gratiæ, & magnificentia custodiri: nam præteritorum malorum memor petit, ne in eadem iterum delabatur. nã reminisci se à deterioribus ad potiora conuersos esse, gratos, & diligentiores nos facit, iure igitur in memoriam reuocat iniquitates suas, & docet eas aciem animi quodam tempore obtundisse, dum mentis uirtutem quasi caligine perfudissent. Cœtera supradictis cõsequenter aptantur.

N I C E P O R I. *Iustitiam tuam in Ecclesia*, iustitiam Euangelium uocauit, quia per Euangelium omnes credentes iustificantur, illud idem est, & ueritas, & salutare, & magnificentia. *Tu uerò Domine ne elongaueris*, quæ sequuntur deinceps ex persona Ecclesiæ fidelium dicta sunt, *Et non potui uidere*, nam tentationes obtenebrant oculos animæ.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.
Complaceat tibi Domine ut eripias me, Domine ad adiuuandum me respice.
Confundantur & reuereantur simul qui quærunt animam meam ut auferant eam.
Auertantur retrorsum & confundantur qui uolunt mihi mala
Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge euge.

D I D Y M I. *Multiplicatæ sunt super capillos*, Hoc est mala sensu caretia circa nos multiplicantur, quæ cum multa fuerint, priuant nos recta iudicandi ratione, & à corde derelinquimur.

C H R Y S O S T O M I. Virtus est panis animæ, qui cordi adhibetur: quod si hunc panem anima non comedat, cor deficit, & derelinquit nos: quod si etiam peccatorum multitudo accesserit, & adeo in numerum crescat, ut capillos capitis excedat, duplex deliquium erit, ac tum quoque languor subibit: nam quemadmodum corporis uenter à malis cibis relaxatur, & soluitur, sic etiam uenter animæ (is autem est cor) animo deficit, quando præ peccatorum multitudine cor rumpitur, & quandam quasi fluxionem expectat, Nam illud, quod de capillis dictum est, non omnino per hyperbolem dictum putamus. Quoniam etiam per ignorantiam multa peccamus, quin etiam quælibet actio in multa peccata discinditur: quemadmodum cœdes Abel in septuplum reputata est Caim. Lamech, uero septuagesies septies, Nostra igitur peccata accuratius à iudice pquisita capillos capitis supergredi possunt. Gen. 4.

A T H A N A S I I. *Et cor meum dereliquit me.* AEquè est ac si diceret, similis factus sum iis, qui mente, aut corde carent: Factus est enim populus stultus, & insipiens, & uecors.

E V S E B I I. Sentit adhuc circum se hostes multos animam suam hostiliter inuadentes, quorum causa propositas preces emittit, siquidem non desistunt eos, qui perfecti sunt, & qui supra petram ascenderunt, inuidia prosequi, iccirco se ab illis liberari poscit, & eosdem præterea confundi, & euerti quotquot animam eius quærunt, se uerò ab eius dextera communiri, conuertuntur autem, & pudefiunt (sic enim Symmachus uertit) qui quærunt animam iusti, postquam uerò omnes machinationes aduersus illum frustra adhibuerint, mox ueluti nihil ultra potentes desperata uictoria pudore suffusi discedent, ideo cum dixisset, *Confundantur, & reuereantur*, subiungit etiam illud, *Auertantur retrorsum, & confundantur*, qui uolunt mihi mala: namque cum nihil efficere potuerint, & de uictoria desperauerint, auertentur, & retrocedent: cumque profecti procul consisterint, nequitiæ suæ præmia reportabunt, ideò dictum est deinceps. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge, euge*, prò quo Symmachus interpretatus est, ah ah. sicut se habet Hebraica lectio. Vox enim est lachrymabilis, & misericordiam implorans eorum, qui uicti sunt retroque cessere, & dedecus suum retulere. Cœterum ex septuaginta, & Symmachi uersione dicentium, qui dicunt de me euge, euge, fortasse inimici hominis iusti, qui multas in eum insidias struxerint, uictores se in singulos dies forè sperantes dicebant, euge, euge. Verum cum hoc sæpe repetiuerint, nec quicquã facere potuerint, discedant (inquit) tandem aliquando, & confusionem suam secum ferant.

H E S Y C H I I. *Complaceat tibi*, hoc est benè, ac beneuolè de me cogitato, siquidem sola Dei benignitate, quæ bona uoluntas, siue complacitum dicitur à diuina scriptura, nostrum genus salutem consequitur. Vnde non simpliciter illum respicere, sed in auxillum suum petit, nam si alio proposito peccatorem inspexerit, ab intuitu iusti iudicis mulctatus interibit.

A P O L I N A R I I. Nam ne una quidem ad salutem facultas est Ecclesiæ Christi, nisi quę à Deo traditur: non arma, non opes, non murorum præcinctiones, non nulla in terris potestas, nec quicquam denique id genus in nobis est, ut olim Iudæis fuit, ut admirabile maxi-

maximè ſit,nulliſque aliis miraculis minus,inermes homines, imparatos, non ultores ab innumerabilibus gentibus oppugnatos ſubſiſtere, & gloriari, cuiuſmodi fuit rubi miraculum adu- Exod 3. ſti,ſed non combuſti: Atque hoc typus Chriſti eſt, qui per mortis ſupplicia uictor euaſit: uel Eccleſiæ, quæ quanquã multa grauia & moleſta patitur, non tamen diſſoluitur, *Qui dicunt mihi, euge,euge*, aut intellectualium clamorem intelligit, aut Scribarum, & Phariſæorum eius Matth 9. & 11. animæ ſaluti inſidiantium, & dicentium illi de Chriſto, interdum non eiicit Dæmonia niſi in Beelzebud principe Dæmoniorum, interdum uero, Dæmonium habet, potentia igitur Dei iuxta hæc diuina oracula Eccleſiæ oppugnatores in confuſionem ducit. Nam dum conantur Eccleſiam, quam Paulus, Chriſtum uocat, de mundo tollere, inanes redeunt, ac in dedecus, & ignominiam deſiſtunt, quemadmodum nonnulli ex nobis uiderunt reges, qui cum diutius fideles oppugnaſſent, prius inſanam cum Deo pugnam, & inanes eorum conatus profeſſi ſunt, mox in interitum abiere. Hoc uerò in uniuerſum ob Chriſti gloriam fieri conſtat, quæ ubi ſeſe protulit, & oppugnata eſt, illi de mundo prorſus ablati ſunt.

D I D Y M I. Cum ſub una tantum perſona, Chriſti ſcilicet, pſalmus hic proferatur, dicendum eſt illis, qui Dominum corpus ſolum geſſiſſe dicunt, uſurpantes illud, *Corpus autem perfeciſti mihi*, ipſum fateri ſe pariter animam habere, quam licet immortalis ſit, conantur tamē auferre, hoc inaniter cogitantes, quos orat confundi, & pudefieri.

C H R Y S O S T O M I. *Auertantur retrorſum*, hoc eſt terga uertentes fugiant, ut non amplius illi alios, ſed alii illos perſequantur, *Qui uolunt mihi mala*. qui ſunt, qui mala uolunt niſi Dæmones, qui initio nos uariis fraudibus, circumuenere. ſed quo pacto confunduntur? cum nos ab illis antea deceptos, ad priſtinam noſtram gloriam honeſtæ uitæ inſtitutis redire conſpexerint.

A P O L I N A R I I. Quemadmodum qui ad uirtutem feſtinant, in præceptis habent, ne ſe Luc. 9. retrò uertentes aſpiciant, ſi quidem periculoſum hoc eſt, ita qui in mala ferantur, feſtinent ſe conuertere, malum propoſitum auferentes, tunc enim & illud conſequentur, ut cum ſenſu confundantur.

H E S Y C H I I. *Ferant confeſtim confuſionem ſuam*, qui irrident, & inſultant malis meis. Confeſtim autem dicit, ne alii illis adhæreant, cum uiderint eos, qui ob noſtra mala lætabantur, quã primum confuſos diſceſſiſſe. quid uerò aliud per confuſionem ſignificat, niſi ſalutem noſtram pœnitentia comparatam? Atqui dicunt, euge,euge, illos fortaſſe intelliges, qui nos in turpes actiones compellunt, & conuertunt, quorum cum nos deteſtanda conſilia declinauerimus, ſtatim confunduntur.

D I D Y M I. Omnes quidem peccato carere optant, ſed ſi non poſſunt abſque peccato agere, ſaltem confundantur ſtatim ob ea, quæ perperam agendo petulanter dixerint, euge,euge.

T H E O D O R E T I. *Vt auferant eam*, ſi quidem non contenti ſunt uulnerare, ſed æternæ morti tradere concupiſcunt, Tu uerò eos in fugam uerte, & fac ut à uotis ſuis cadant (nam mihi mala ſtruunt, & his, qui inſurgunt, & irrident me, fructus ſit confuſio.

N I C E P H O R I. *Et cor meum dereliquit me*, ſic enim tentationibus attenuatus ſum ut cor habere non uidear, *Complaceat tibi Domine*, Velis (inquit) Domine me ab imperio tentationum eripere.

Exultent et lætentur ſuper te omnes quærentes te Domine, & dicant ſemper magnificetur Dominus qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.

Adiutor meus & protector meus es tu, Deus meus ne tardaueris.

T H E O D O R E T I. Cœterum quærentes te (inquit) & laudantes te, & ſemper diligentes perpetua lætitia impleto, & qui amoris tui mutationem non habent, neque ſentiant gaudii mutationem, non enim ſimpliciter amantibus gaudium precatus eſt, ſed his, qui ſemper, & continẽter amant, quemadmodum uerò ſuperius peccatorum meminit, ſic & ſe pauperem dicit tanquã opis indigentem, & diuino auxilio carentem, & hoc in primis aſſequi petit: Hæc autem potiſſimum beato Dauid conueniunt. Arbitror enim cum uaticinium illud, & gratiæ munificentiam præuidiſſet pauperem, & mendicum ſe appellaſſe, & ſuppliciter precatum eſſe ut diuina diſpenſatione ſibi perfrui liceret, nec Deus moraretur prædictam longè ante ſalutem, neque in longũ protraheret, ſed eam hominibus quàm celerrime impertiret.

H E S Y C H I I, uel C H R Y S O S T O M I. Qui in Domino gaudet duplici gaudio afficitur, tum quod futura lucratur, tum quod præſentium detrimentum non ſentit. Quare & Paulus gra-

tias in Christo duplicauit Gaudete(dicens)in Domino semper; iterum gaudete. Vnde & diuinus uates non solum exultationem,sed & lætitiam esse dixit in inquirentibus Dominum. *Phil.4.* Exultationem quidem propterea quod peccatorum onere leuati sunt:lætitiam uero,quoniam iustitiam acceperunt, modo si cœteris omnibus contemptis uniuersorum Deum sincerè inquirant. *Et dicant semper magnificetur Dominus*,in omnibus precibus,& gratiarum actionibus iubet Paulus, ut Deum semper magnificemus,dicens,semper gaudete,indesinenter orate, in om *1.Thes.5.* nibus gratias agite: sed quid inde nobis erit utilitatis? scilicet, ut Dei memoria,uoluptatum & dęmonum memoriam abiiciamus. quod meritò agunt,quicunque Christum salutare Dei diligunt: in ipso enim Pater salutem nostram operatus est.

DIDYMI. *Et diligunt salutare Dei*,Nam ubi quis quæsiuerit,& inuenerit Deum,uult etiã illum in se magnificari diligens' salutare Dei uel salutem,quę ab ipso proficiscitur, uel Saluatorem uerbum continenter illum non per aliquod temporis spatium diligentes. *Ego autem mendicus sum,& pauper*, cum uerò ad bonorum consequutionem se infirmum sentiat,eam sollicitudinem in Dominum tanquàm in curatorem suum reiicit.

ATHANASII. Qui quondam fuerat contumax Israel resipiscens inopem se, & pauperem uocat,quare ipse sibi Dominum spem proposuisse inscribitur.

CHRYSOSTOMI, uel HESYCHII. Mendicus & pauper homo est:cum ènim esset diues,& nobilis(Dei nanque lege ditatus erat, & affinitatem cum ipso ob regiam imaginem contraxerat)eo tamen inopię redactus est,ut eius paupertate ad multas generationes peruadente, deinceps tanquàm in paupertate nutritus,pauper nominaretur. Huius autem curam Deus suscipit,ut ait Diuus Ioannes,sic Deus dilexit mundum,ut Filium suum unigenitum miserit, ut sal- *Ioan.4.* uaret mundum, *Adiutor meus es tu Domine*,Non tantum Deus ut benignus,& clemens præstò est,& auxiliatur,sed tanquàm fortis,& potens debilibus,& infirmis uirtutem suam elargitur. protegit autem nos inprimis per mortem, & crucem. Vnde Propheta non cunctari Patrem,sed hoc auxilii Christi tempus adducere cupit,similia dicens iis,quæ in Euangeliis dicta sunt. Baptis *Luc.12.* ma autem habeo baptizari,& quomodo coarctor usque dum perficiatur?

ATHANASII. *Hunc exitum* (inquit) habebit Ecclesia, ut quæ prius pauper fuit, & mundana inopia grauiter premeretur, tandem potentia tua ditetur, & auxilio tuo gloriosa reddatur. Quod petit ne in longum protrahatur, & nihil ad eius petitionem moretur, iuxta illud, quod dicitur, ueniens ueniet, & non tardabit. *Abac.2.*

NICEPHORI. *Quærentes te Domine*,illud, quod in Græco est ἀγα, prò eo dictum est, in idem omnes,*Qui diligunt salutare tuum*,qui amant abs te,non ab hominibus salutem consequi, *Deus meus ne tardaueris*, ne cuncteris mihi opem ferre.

IN FINEM

PSALMVS. XL.

Beatus,qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus,
Dominus conseruet eum,& uiuificet eum,& beatum faciat eum in terra,& non tradat eum in manus inimicorum eius.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius , uniuersum cubile eius uertisti in infirmitate eius.



HESYCHII. Etsi frequenter psalmos, *IN FINEM*, inscripserit Propheta , arbitrari tamen oportet eum non temerè singulis psalmis hunc titulum apposuisse: sed quę nam causa fuit, ut præsentẽ psalmum ita prænotaret? quoniam quę ad finem dispensationis Christi pertinent, percurrit, quem sanè Christum non hic solum, sed etiam Osee 3. alius Propheta Dauid nominauit, nimirum Osee, qui post alia dicit. Reuertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, licet Dauid per multas generationes ante hunc Prophetam obierit, namque hic Ezechiæ regi uaticinatus est: quare nouum Dauid intelligit, ad quem conuersi sunt, qui seruati sunt.

THEODORI. Quæ quondam beato Ezechiæ euenerunt, & in hoc psalmo beatus Dauid prædicit, quomodo, & qua de causa, & propter quod peccatum ægrotauerit, & quid in morbo suo illi contigerit ab amicis. Deinde docet eum propter susceptam pauperum curam pristinam sanitatem recuperasse: omnes demum ad huiusmodi pietatis officia adhortatur.

APOLINARII. Connectitur & psalmus hic argumento cum superiori: nam Saluatoris persona, & passionis eius memoria, itemque resurrectionis prophetia, & in cœlos ascensus hic continentur: nam paulo antè dixerat: ego aût mendicus sum, & pauper, nunc consequenter quod ab eo dicitur, ad illum præcipuè referri potest.

THEODORETI. Nõnulli præsentem psalmũ ipsi Dauid, alii Ezechiæ ascripserunt. Vtrũq; dictum diuinum Euangelium accipiendum prohibet, nam Dominus cum Apostolis colloqu- Ioan.13. tus hæc dixit , si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea . Qui manducat meum panem leuabit contra me calcaneum suum: à modo dico uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. Cum igitur Dominus dicat, ut scriptura impleatur, & præsentem psalmum sibi, & non alii, congruere ostendat, rem adeo audacis, & temeritate plenam iudico, aliud argumentum huic psalmo minimè consonum effingere.

NICEPORI. De amore, & charitate in pauperes tractat, & in Christum refertur, deque Iudæ proditoris rebellione uaticinatur.

EVSEBII. *Beatus qui intelligit.* in psalmi progressu dicit. *Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem*, quod Saluator in euangelio secundum Ioannem cum di- Ioan.13. scipulis suis familiariter loqueretur tanquàm ex persona sua exposuit, dicens, si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea, & quæ sequuntur, Videte igitur psalmum accipiendum esse in personam Saluatoris, quare, *IN FINEM*, inscribitur trasmittens nos ad seculi consummationem, in qua, quę hic describuntur, impleta sunt, uel ad ea, quæ in extremis uerbis huius psalmi significantur. si igitur ad Saluatoris personam præsentia uerba referantur, cum hic dices beatum prædicari , qui 2.Cor.8. intelligere poterit, quamobrem paupertatem nostri causa susceperit. Nam cum natura diues esset, pauper propter nos factus est, ut eius paupertate diuites efficeremur, & cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, ut apertè Apostolus demonstrauit. At aliquis aliter fortassè intelligeret, super egenum, & pauperem, cum audiret ipsum in Euange- Matth.25. liis dicentem, Venite benedicti Patris mei , hæreditate præparatum uobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erã, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram , & uenistis Psal.39. ad me, quibus addidit. Quatenus fecistis ex his minimis fratribus meis mihi fecistis. Quod si ad Dauid referantur uerba hæc, consona dicit extremis præcedentis psalmi uersiculis, in quibus dicebat. *Ego autem mendicus, & pauper sum*, scilicet affectu inops sum, nam immensas diuitias aggessit ad templi ædificationem, attenuans se ipsum, atque demittens, deque se quàm humillimè animo

animo sentiens, uerè affectu pauper existens. Hanc ob causam præsens psalmus proximè præcedentem sequitur. quare nunc huiusmodi pauperem beatum prædicat. Cœterum illud, *pauperem*, neque in Hebræo, neque apud alios ponitur. est præterea quartus sensus psalmi huius: quo hortatur, ut humanè nos in pauperes geramus, scientes Deum, qui illos pauperes esse uoluit, in eo statu illos posuisse, tum ut eos per paupertatem exerceret, tum ut diuites probaret, qua mēte, & quo habitu animi sint, mites, an sæui, misericordes, an crudeles: est etiam quinto loco beatum agmen pauperum spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum, inter quos eos etiam, qui diuinè philosophantur, & diuinam paupertatem sequuntur, Saluator beatos esse dixit, quales erant discipuli, & Apostoli. Beatus ergò, qui intelligit super eum, qui hoc modo egenus est, & pauper: huius beatissimæ intelligentiæ fructum percipiet, quem fructum adducens dicit. *In die mala liberabit eum Dominus*, uel iuxta Symmachum: in die afflictionis, nam si ulla tentatio urgeat, uel calamitas, & infortunium accidat, quemadmodum ille intellexit super egenum, & pauperem, sic super eum opportunè Dominus intelliget, æqua illi mensura dimetiens, qua cœteris ipse metitus est. Matth.5. Marc.4.

ATHANASII. Per pauperem, Dominum intelligit, iuxta illud, cum esset diues factus est pauper propter nos. Moralem hoc loco doctrinam præposuit prophetiæ, ut ex psalmo utilitas utrinque proueniret, & illum beatum prædicat, qui intelligit super egenum, & pauperē hoc est, qui cogitat, quod huius rei gratia Christus eum esset diues, inops est factus, ut & nos in egenos tanquàm authoris, & iudicis nostri fratres, misericordes simus, sed quis fructus, quod lucrum ex hac misericordiæ affectione? *in die mala liberabit eum Dominus*, innuit autem diem iudicii labores, & dolores peccatoribus afferentem, in quā Dominus eos liberabit, qui misericordes in pauperes fuerint, nam fœnori dat illis humanitatem, ut ipse ab illis pariter misericordiam accipiat. & per Solomonem dicit. Qui miseretur pauperis fœneratur Deo. 2.Cor.8. Prou.19.

APOLINARII. Optimum est intelligere super eos, qui iustitiæ causa pauperes sunt in mundo. intelligentia hæc in eo sita est, ut diuites existimemus eos, qui hoc modo pauperes sunt. qui enim hoc modo diuitem, egenum autem propter nos factum cognoscit, & intelligit, uerè beatus est, namque omnis beatitudo Dei cognitionem consequitur.

DIDYMI. *Dies mala*, iudicii dies intelligi potest, in qua Deus misericors misericordem à supplicio liberabit. Fortassè uero & hæc præsens uita dies mala est, in qua ipse Dominus ab omnibus aduersitatibus liberat: Vel secundum Symmachum in die afflictionis.

HESYCHII. Non solum futura impertit pauperum amatori ab Geenna illum seruans, & iucundissimam illi uitam gratificans, sed & in hac uita beatum facit, quin etiam efficit, ut ab omnibus beatus prædicetur, & ab iis, quibus misericordiam impenderit, & ab iis, qui sciunt qualia, & quanta bona misericordi in futurum reseruata sint. Vnde nec in manus inimicorum, scilicet Dæmonum, illum tradit, nam quemadmodum oleum facit, ut Athletæ de manibus aduersariorum dilabantur, sic eleemosina, illos, qui eam exercent, declinare, ac effugere Dæmonas facit.

DIDYMI. *Dominus uiuificet eum*, uiuificabit eum ut ueram uitam uiuat, in terra mitium.

EVSEBII. Nam is adhuc etiam & in hac terra positus beatitudinem à Deo consequetur, cum interim cœlestia bona, quæ illi promissa sunt paulò post illum maneant. Symmachus dixit, *Conseruabit eum, & saluum faciet eum*, Tertiumque illi præbebit, nempe beatum faciet illum in terra, uel iuxta Symmachum: beatissimus erit, his infert, & non tradet eum in manibus inimicorum eius, prò quo Symmachus ait, & non exponet eum in animas inimicorum eius.

ATHANASII. *In animas inimicorum eius*, scilicet inimicorum, qui intellectu percipiuntur.

DIDYMI. Non traditur in animas inimicorum eius, qui talis esse perhibetur.

EVSEBII. *Versabit stratum*, liberans eum ab humana infirmitate, nam illi sanctitatem animæ gratificatur, licet anima morbo aliquo teneatur: ut Paulus ait. icciroo inter nos multi infirmi & imbecilles.

HESYCHII. Lectum doloris, diem mortis esse censebimus: mors enim propter iudicii metum peccatoribus dolorem affert, sed in tempore mortis pauperum amatori Deus opitulatur, iubet enim eum firmo esse aio, ut qui benignitatem Dei sit expertus. Versat præterea stratum

eius

eius in infirmitate omnino illi præstò cum sit, infirmitates uero tentationes interpretabimur: nã in eis omnes animæ ægritudines innituntur, sed tunc misericordis stratum omne uersatur, idest inmutatur, siquidem super terram per tentationes decumbere, in cœlo autem per mercedem *Ioan. 5.* misericordiæ immorari deprehẽditur: Aut fortè hoc loco Dauid Prophetico spiritu beatũ prædicat paralyticũ: ille enim intellexit super egenum & pauperẽ: intellexit .n. Christi potentiã, qui nostri causa pauper factus est, quare stratum eius in ipsius infirmitate uersauit, & idem super lectum doloris opem tulit dicendo, surge tolle grabatum, & uade in domum tuam. Hæc cum Propheta dixisset, ad Christi passionem sermonem transtulit.

ATHANASII. In melius (inquit) transferetur, & in bonam ualetudinem commutabitur, *Psal. 29.* est enim mos sacræ scripturæ conuersionem, prò immutatione ponere: ut illud. Conuertisti planctũ meum in gaudium mihi.

THEODORETI. Hoc uerbum, *Et pauperem*, inueni in nonnullis exemplaribus, sed ne- *2. Cor 8.* que apud Hebræum, neque apud Syrum, neque apud alios interpretes reperitur. Egenum uerò *Ad Phil. 4.* uocat uniuersorum Dominum, qui cum diues esset, (ut inquit diuus Paulus) egenus factus est, *Luc. 9.* ut nos illius inopia diuites essemus, & cum esset in summa Dei non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed se ipsum exinaniuit formam serui accipiens: & inuisibilium, & uisibilium Dominus non habet ubi caput reclinet, et ex uirgine natus cum lectum non haberet, in præsepi repositus est. Prophetæ igitur sermo beatum facit illum, qui huiusmodi paupertatem intelligere potest, & qui prò uiribus eum celebrandum curat, qui hanc paupertatem complexus est, Deinde beatitudinis fructum ostendit. *in die mala*, Diem malam afflictionis diem Symmachus dixit, & tacitè innuit futurum diem iudicii, terribilem, & peccatoribus infestum, & sincerum paupertatis illius iudicium pollicetur, à terribilis diei malis ipsum liberaturum. *Dominus conseruet eum*, non tantum futuris bonis perfruetur, sed in præsenti uita diuinã opem consequetur, illustris, & clarus reddetur, & inimicorum insidias euadet. & quoniam morti obnoxium corpus habet, & uerisimile est, ut in ægritudines, & morbos interdum incidat, etiam liberationem ab ægritudine pollicetur. Ab omni (inquit) infirmitate liberabit, & corporis morbos in bonam ualetudinem commutabit. Hoc enim uersasti in infirmitate stratum meum posuit, prò mutabis. Cum itaque eius remunerationem percurrisset, qui hanc admirabilem paupertatem intelligit, ostendit nobis eum, qui hanc habuit, & quomodo se in ea gesserit, ipsum docentem inducens, & quæ sibi obtigerunt, enarrantem.

NICEPHORI. *Qui intelligit*, idest qui quod decet, considerat, *in die mala*, tempora tentationum, & horam futuri iudicii peccatoribus grauissimam per diem malam intelligit. *Et ut uiuificet eum*, idest uiuere faciat, terram uerò frequenter ponit prò regione cœlesti. *super lectum doloris*, in quo morbo laborans afflictus diu olim detinetur, *uniuersum cubile*, per cubile decubitum intelligit: *uerusti*, hoc est uertes, & immutabis, ab ægro nimirum, atque infirmo ad sanum, ac ualidum, mutasti autem uniuersum, hoc est prorsus mutasti, *in infirmitate eius*, hoc est in tempore suæ infirmitatis.

Ego dixi Domine, miserere mei sana animam meam, quia peccaui tibi
Inimici mei dixerunt mala mibi, quando morietur, & peribit nomen eius.
Et ingrediebatur, ut uideret, frustra loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum

Ioan. 1. THEODORETI. Ego (inquit) pauper sum, qui spontè paupertatem suscepi, & sum a- *1. Pet. 2.* gnus ille Dei tollens peccata mundi, qui hominum infirmitates mihi uendico, qui peccatum nõ feci, sed pro humana natura, tanquam naturæ primitiæ preces offero, Animaduertendum est Symmachum non dixisse, *Quoniam peccaui tibi*, sed, & si peccaui tibi, *Inimici mei dixerunt*, inimicos Iudæos uocat inuidentes, & mortem machinantes, quod Euangelica docet historia, consilium enim (ait) inierunt, quomodo illum perderent, deinceps in Iudam prophetiam transfert, *Et* *Math. 26.* *ingrediebatur ut uideret*, Docet hoc Euangelia Dei, quod Iuda Iudæis dixit, quid uultis mihi da- *Mar. 14.* re, & eum uobis tradam? quærebant autem opportunitatem, ut illum traderet, hæc eadem uati- *Luc. 22.* cinium hoc dicit, *Et ingrediebatur ut uideret, frustra loquebatur, & egrediebatur foras*, ingressus enim & egressus simul cum illis mortem struebat: Deinde peruersam eorum conspirationẽ prædicit.

ATHANASII. Et prò peccato suo Dauid orat, ut qui unum se norit, ex his esse, qui in egenum, & pauperem crediderunt Rursus hominum peccata, qui prò hominibus passus est, sua esse dicit, & prò his à se ipso pro nobis misericordiam implorat, qui insipientium contemptum sui dissoluit, manifestata gloria sua, in se quidẽ per propriã uirtutem, in nobis uero per gratiã Christi.

DIDYMI.

D I D Y M I. Prò, *sana animam meam, quia peccaui tibi.* Symmachus dixit: sana animam meam licet aberrauerim abs te. si ex persona Dauid hæc dicantur, non est quod mireris, si etiam nunc id confiteatur, quod aliàs confessus est. si Saluator hæc dicit, is peccata nostra sibi propria fecit Christus enim prò nobis mortuus est, factus prò nobis maledictum, & qui non nouit peccatum, peccatum prò nobis fecit: Deinceps adducit quæ crucis tempore euenere, potes quoque dicere Christum prò discipulis suis hanc precationem fecisse, Gal.3. quos tanquàm eius anima existentes eo tempore ægrotare aut peccare contigit, cum omnes 1.Cor.5. ipsum reliquerunt, & abierunt. Petrus uerò ipsum tertium negauit, quæ cum ita fierent inimici, eum tanquàm uallo occludebant, mortem illi struentes, unde subinfert, dicens, *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius?* Viderant enim nomen eius magna uirtute plenum, etenim in nomine eius expellebantur immundi spiritus, curabantur morbi, & languores omnes. Cum ergò inimici eius tàm aspectabiles, quàm inaspectabiles putarent nomen eius æquè ac cœterorum hominum post mortem extinctum iri, dicebant, *Quando morietur, & peribit nomen eius?* Verum Ecclesia Christi, quæ secus ac aduersarii eius cogitat, ad eius personam in hymnis clamat dicens. Memor ero nominis tui in omni generatione, & unguentum effusum nomen tuum. Cum sibi persuasum habeat, quod Deus illi donauerit nomen, quod est super omne nomen, *Et ingrediebatur, ut uideret,* Hęc arbitror ipsi Dauid accommodari non posse, licet ea possint ratione aliqua aptari, quæ dicunt. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. ac: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius*, nam quis ille fuit, qui ad Dauid ingressus sit, ut uideret, & falsa loqueretur in corde suo? Deinde, postquam in gressus esset, & uidisset, & uana in corde suo loquutus esset, foras egressus cum aliis susurrauerit? Psal.44. Cant.1. Phil.2.

H E S Y C H I I. Vel C H R Y S O S T O M I. *Ego dixi, Domine miserere,* magnitudinem pariter, ac humanitatem Christi, illam ex natura, hanc ex uoluntate assumptam prophetia declarat, ego enim ait, Dixi, ego quis? qui dixit per Mosen, ego sum qui sum, & in Euangeliis, ego in Patre, & in Pater in me est, ego igitur qui æqualis cum Patre potestatis, & paris honoris, atque adeo unum cum ipso sum, cui dixi, *Miserere mei*, non quod ego misericordia indigeam, sed quod affectus, & ægritudines hominum meas fecerim. ideo subiunxit, *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, communem hominum animam suam, & peccatum nostrum pariter suum uocans. eamque per passionem suam sanari postulat, sed quid in hac re opus fuit unigenito ut oraret, cum ipse Deus esset, & passionem suam ipse perageret? An ut ostenderet ipsum æquè, ac nos imbecillitate carnis indutum esse? (non enim aliam assumpsit quàm nostram), & uoluntatem Patris in ipso perfici. *Inimici mei dixerunt mala mihi.* inimicos Iudæos appellat, qui Dominum pariter oderunt, & propterea interdum dicebant, Moriatur, & pereat nomen eius, id quod Caiphas dixit, præstat nobis ut unus homo moriatur prò populo, & non tota gens pereat, siquidem non eum mori solum, sed nomen eius interire cupiebant, ueluti nobis illam, quam habemus ab eo christianorum cognominationem inuidentes. Exod.3. Ioan.14. Ioan.10. Ioan.18

A P O L I N A R I I. Id in primis inuisibilibus spiritibus curæ fuit, ne de iustitiæ, quam in iniquitate detinebant, principatu expellerentur, iuxta illud: Hic est hęres: uenite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Math.21.

H E S Y C H I I, uel C H R Y S O S T O M I. *Cor eius congregauit iniquitatem sibi,* quam iniquitatem? proditionem sanè manifestam, nam ex multo tempore illam sibi congregauit, eamque secum ipse cogitabat: sed tunc illam manifestam fecit, cum Christus ipse causa salutis nostræ tempus esse permisit: nec enim aliter potuisset. Hæc Ioannes ostendit scribens de Iuda, dicit ei I E S V S, quod facis fac citius, ita ut Euangelicæ historiæ consentanea deinceps præsentis psalmi prophetia subiunxerit. *Egrediebatur foras,* unde egrediebatur? A Dominica cœna, hoc certè de Iuda Theologus ipse intelligens addidit, & ipse accepta bucella exiuit, erat autem nox. Quid uerò cum exiisset loquutus sit: Matthęus Euangelista nos docet, cum dixit. Abiit unus de duodecim, qui dicitur Iuda Scariotes ad principes sacerdotum, & dixit illis. quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, ut quæ sequuntur maximè quadrent. Ioan.13. Math.26.

D I D Y M I. Sic interpretamur hos uersiculos de Iuda proditore, *Egrediebatur foras,* scilicet Iudas, extra Saluatorem, & Apostolorum cœtum, ex quo magistrum suũ prodere in animum induxit, & simulando ingressum, tanquàm adhuc esset Apostolus, & domesticus, uanà loquebatur. Rabbi, hoc est magistrum, I E S V M uocans, iniquitatem in corde suo congerens:

noluit proditionis ullam excusationem illi reliquere. Hic supplantationem in IESVM magnificauit; qui cum uolentem frequenter supplantasset, hoc est fraudulenter, cum ipso egisset, ut pecunias marsupii furaretur, mox Dominum ipsum per proditionem supplantare aggressus est.

APOLINARII. Festinaut (inquit) iustum morte tradere, ignorantes mortem illius somnum quendam esse propter resurrectionem, nec eam uitæ interitum, sed in cœlos transitum afferre, iuxta illud, eleuata est de terra uita illius.

ATHANASII. Pacis hominem Iudam intelligit, propterea quod inter eius beneuolos, & amicos habitus est, ut discipulus eius esset.

APOLINARII. Resurrectio (inquit) erit, quæ conspirationem inimicorum contra me factam, & amicorum proditionem dissoluet. iam & discipulus ille insurrexit, qui pace illa quæ à me proficiscitur, dignus factus, & in credentium ordinem ascitus cibum meum pariter sumebat. Verum serpens esse deprehensus est, quoniam insidiari calcaneo meo uoluit, cuius, & Dominus ipse meminit, tanquàm hoc de ipso dictum sit, cum dicit. Vt impleretur scriptura: qui edebat panem meum, leuauit contra me calcaneum suum. Ioan.13.

DIDYMI. Nec conuenire hæc ipsi Dauid possunt, nam quo pacto sermonem iniquum, & hunc qualem composuerunt aduersus eum inimici eius? cur uerò præterea dictum est illud, *non adiciat, ut resurgat?* quare considera num sermo hic (si ad Christum referatur) in omnibus consentiat, & ea uaticinetur, quæ illi in morte sua euenerunt: nanque illi hostes eius siue uisibiles, siue inuisibiles tantum non dicebant: molestus est nobis etiam num ad uidendum, & insidias illi ad mortem struebat, sed proditor tanquàm domesticus ingrediebatur, ut uideret, & iuxta Symmachum, exploraret, curiosè obseruans quid ageret: nam tempus opportunum ad proditionem considerabat. Sap.2. Hæc autem mente ingressus loquebatur in corde suo, & iniquitatem sibi congerebat, tum Saluatorem occultans, tum latere sperans: extra uerò progressus coniungebat se cum scribis, & principibus sacerdotum, & Pharisæis non amplius in corde suo loquens, sed manifestè, & audacter differens. Deinceps occultè coacto concilio (inquit) Aduersum me omnes simul susurrabant, & sermonem iniquum aduersum me composuerunt, falsos testes quærentes, & mendacia in me componentes, ignari quod mors mea dormitio quædam est, omni enim dormienti spes est resurgendi. Quid uero mirum si contra me inimici mei tales artes excogitauerunt, cum qui mecum amicitiæ pacem habebat, in quo item sperabam me posse confidere, qui mecum conuiuabat, cum illis conspirauerit.

EVSEBII. Ex Symmacho habetur. quin & homo, qui mecum pacem habebat, & in quo confidebam edens mecum panem meum, & mea sequens uestigia, contra me magnificatus est, uel iuxta Aquilam. Magnificauit contra me calcaneum, Erat enim Iudas homo pacis Saluatoris, ut qui cum reliquis discipulis audierat, pacem meam do uobis: pacem meam relinquo uobis: Ioan.14. *In quo sperauit*, (inquit) uel secundum Aquilam confisus sum, uel, ut Symmachus ait, confisus fueram, siquidem, & illi æquè ac cæteris Apostolis æqualia gratiarum munera impertitus est, confisus in eo, & bonam de illo spem concipiens: propterea quod liberæ uoluntatis esset, non enim ea natura erat Iudas, ut saluari non posset: sed potuit, & ipse, si uoluisset, æquè ac cœteri Apostoli Filii Dei doctrina instrui, & eius bonus, & frugi esse discipulus, cumque conuiua tanti præceptoris esset, non tantum communem panem, cum Saluatore comedit, sed etiam illius, quo anima nutritur, particeps factus est. De quo dixit Saluator, ego sum panis, qui de cœlo descendi, & do uitam hominibus. Ioan.6. Hic igitur cum tanto honore dignatus esset, calces tamen quasi calcitrans extendens contra Saluatorem leuauit: ideo dictum est. *Magnificauit super me supplantationem*, Hebraica lectio, calcaneum, habet: & Aquila Hebraico inseruiens, calcaneum uertit, unde & Ioannes Euangelista, tanquàm Hebræus secundum hebræos dixisse Saluatorem tradit, non supplantationem. Ioan.13.

NICEPHORI. *Aduersum me cogitabunt*, hoc est curabant, & consulebant, *uerbum iniquum*, idest accusationem, quam contra me conflauerant. Dixerunt enim quod turbas in Cæsarem commouebat. *Nunquid qui dormit, non adijciet, ut resurgat?* Videas (inquit) nunquid, qui dormit ex suo dormit arbitrio, & expergiscitur. sic ergò tam facilè resurgam, quam facilè dormiui, *Etenim homo pacis meæ*, coniunctio illa *enim*, uacat, inquit autem non modo hostes mei, sed etiam ille, qui mihi amicitiæ nomine coniunctus erat, scilicet intimus, & dilectus, quem educaui, magnificauit, seu magnum conspiratione sua dolum parauit.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.
In hoccognoui quoniam uoluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me
Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

THEODORETI. Hæc omnia dicta sunt tanquàm ab assumpta natura, ut quæ crucem Ioan.12. sustinuerit. Nam ita precantem Dominum Christum in sacris Euangeliis audiuimus. Pa- Matth.26. ter salua me ex hac hora: & rursus: Pater si fieri potest, transeat à me calix istè, *Me autem* Heb.2. *propter innocentiam suscepisti,* nusquàm enim Angelos apprehendit, (ut ait diuus Apostolus) sed semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum. Quoniam ergò natura assumpta omni malitia exors extitit meritò dicit. Me *autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum,* siquidem firmam accepit coniunctionem, & fuit copula indiuidua, & gloria sempiterna.

DIDYMI. Dum populum alterum prò eiecto, & Matthiam pro Iuda contra educis, miserere mei, *sed & resuscita me, ut retribuam illis,* retributionem, quæ illi ornamento, & utilitati futura sit.

HESYCHII. *Tu autem Domine,* Atqui potestatem habeo dicebat, Christus, ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: ostendens pariter quod se Ioan.10. ipsum à mortuis excitare ualeat, uerum se ipsum facit, carne, & forma serui assumpta & orat ut ei misericordia habeatur, & ad uitam reuocetur, sed eius quidem uerba, nostri autem opera sunt, siquidem nos per unigeniti resurrectionem misericordiam cō sequuti resurreximus. Phil.2. quid uerò retribuit? non sanè mala, sed bona quidem, quemadmodum ipsi cum mali essent, prò Rom.4. bonis mala benefactori suo retribuerunt: sic ille cum bonus esset, pro malis reddidit bona, quod sequentia declarant.

CYRILLI. Illud, *Miserere mei & resuscita me,* iuxta humanitatis mensuram Christo accommodatur: nam si ipse secundum naturam est misericordia Patris, ipse etiam est resur- Matth.3. rectio, & uita, tanquàm in æqualitate, & forma Dei existens. Veruntamen necesse erat ipsum omnem iustitiam adimplere. Cœterum misericordiam, & resurrectionem non sibi magis, quā nobis indigentibus implorat, nam cum peccatum uenit, mors quoque in mundum introiuit, iustificamur autem per Christum, dum Deus, & Pater miseretur, est autem illud. *resuscita me,* uerbum humanitati cōueniens, sicut illud, *Et ego retribuam illis,* Deum decet. illis inquam inimicis: non enim dixit, retribues, sed tanquàm ipse futurus omnium iudex, secundum quod est, & intelligitur Deus, retribuam, inquit. Nam ipse ait, Pater non iudicat quēquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes filium uenerētur, sicuti Patrem honorant. Quod uerò ipse quatenus Deus, & Ioan.2. resurrectio, & uita se ipsum resuscitauit, ostēdit. Iudæis dicēs. Soluite templum hoc, & in tribus diebus reędificabo illud. quin & illos Romanis subiecit, ut manifestò appareat, illi retribuēdi potestatē traditam fuisse, posthæc etiam ex humanitate dixit, *In hoc cognoui, quoniam uoluisti me,* dū mei misertus fueris, dum me in uitam reuocaueris, *Quoniam uoluisti me,* hoc est dilexisti, profectò quidem si quid uoluntarium est, id totum in amore positum est. in ipso autem & nos quoque cum Deo, & Patre familiaritatem habuimus, ipse enim est pax nostra, ianua, & uia. Me enim resurgente (inquit) non gaudebit humanitatis hostis Diabolus, qui ob peccatum mortem induxit, cum uiderit ipsam in incorruptibilitatem commutatam, & illam, speciem, quemadmodum initio erat, reformatam, sublato peccato, & labe, quæ illi semper inhæret, inimici autem Christi proprii sunt principes sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi, qui ex pacto Iudæ argenteos numerauerunt: & Christum morti tradiderunt, sed non adeo gauisi sunt, ubi eius resurrectionem intellexerunt, *Me autem propter innocentiam suscepisti.* Tu qui omnium expectatio, securitas es, & susceptio, me (inquit) suscepisti, rursus ex humanitate loquens. ipsi enim primo, & soli innocens, atque immaculata hominis natura Deo, & Patri apparuit: non enim pec- 1.Pet.2. catum fecit Emanuel, nec inuentus est dolus in ore eius, Nobis ergò susceptionem, ac defensionem implorat. & hoc in se ipso naturæ humanæ conciliat. Nos enim sumus, qui in peccatum commouemur, nos qui in interitum ruimus, in Christo autem confirmati fuimus, & ante conspectum Patris constituti, & hoc *in seculum,* non enim aliquando faciē suam auertet à nobis, ut olim cum nobis peccatum dominaretur. post hæc psalmum claudit in gratiarum actione, uti quæ prò omnibus, & ab omnibus Deo, & patri agantur.

HESYCHII. uel CHRYS. *In hoc cognoui, quoniam uoluisti me,* At qui ipse, utpotè, qui præuidet, omnia scit. Cœterum cognitionem suam nostram uocat. Tum. n. Patris uoluntatem in Filio uerè esse cognouimus, quando non solum prò iis, qui peccauerunt, orauit: uerum ēt & tunc, cum resurrexisset, tria millia ipsi, & rursus quinque millia per Petrum, & demum alia

multa

multa per Iacobum,& reliquum Apostolorum cœtum seruauit,& non est gauisus hostis, id est Diabolus super Christum,siquidem existimauit,quod licet Christus per crucem suam mundum seruauerit,crucifigentes tamē suos perditurum,sed ille nõnullos ex illis primitias Ecclesiæ cõsti tuit. *Me autem propter innocentiam*, neque enim sicut alii sacerdotes,postquàm per aliquod tem pus sacrificasset,cessauit , sed propter innocentiam sacerdos prò nobis permansit in æternum, quod latius in epistola ad Hebræos Paulus,declarauit. Nam talis decebat ut esset nobis pon- *Heb.7.* tifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus , qui non habet necessitatem quotidiè,quemadmodum sacerdotes prius prò suis delictis hostias offer re,deinde prò populi. Hoc enim semel fecit se offerendo, lex enim homines constituit sacerdo tes infirmitatem habentes, sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum. Noster igitur cõstitutus est pontifex,quoniam erat ab omni peccato alienus.

ATHANASII. Si ex humanitatis persona hoc dicit Christus , hostem planè intelliges eum, qui mortem nobis comparauit , si ex persona ipsius Christi , principes Iudæorum intelligit , quod uero indoluerint , ex eo liquet , quod eius resurrectionem calumniati sunt.

EVSEBII. Innocentiam Aquila, & Symmachus simplicitatem, dixere, quoniam tanquàm ouis ductus est ad occisionem, & tanquàm agnus coràm tondente se mutus , & non *Isa.53.* aperuit os suum . Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, *1.Petr. 2.* sed innocentiam summam præferens , cum accusaretur,tacebat,cum falsis testimoniis urgeretur, non respondebat. quin , & dorsum eius ad flagella, & maxillas eius ad alapas exhibebat. Faciem uerò non auertit ab ignominia sputorum . propterea dicit,me propter innocentiam susce *Isa. 50.* pisti,& reliqua.

NICEPORI. *Tu autem Domine miserere mei.* illud, *miserere mei, & resuscita*, ad humanitatem, illud, *Retribuam*, ad diuinitatem referas. *Quoniam uoluisti me*, idest dilexisti, hostis uerò & Iudæus,& Diabolus est, *Me autem propter innocentiam* , idest puritatem,& mundiciam à peccato *Confirmasti me in conspectu tuo*,& stabilisti me(inquit)penes te.

Benedictus Dominus Israel à seculo, & in seculum, Fiat. Fiat.

EVSEBII. Vel iuxta Aquilam : Fideliter , Fideliter. iuxta uero Symmachum , Amen, *Ioan.1. & 3.* Amen. Vnde Saluator in uerborum suorum confirmationem illud usurpare consueuit. Amen Amen dico uobis. Cuius sensum apertè magis Aquila interpretatus est, Fideliter, Fideliter. Cœterum his omnibus Propheticus spiritus uocē gratiarum actionibus refertā emittit dicens, *Benedictus Dominus.*

APOLINARII. Egregiam in Christo innocentiam intelligimus omnis malitiæ puritatem,quam opifex noster ab omnibus ad hoc conditis requirebat , ut factore suo digni efficerentur,& in bono perseuerarent . Quoniam uniuersa opera Domini bona ualdè , sed ea quę *Gen.1.* rens in nullo filiorum Adam inuenit , sed in eo solo,qui ab Adam secundum carnem uerè oriturus erat,uerum similiter atque illi non est transgressus,sed diuinam sententiam cum carnis tegumento permanentem habuit,iuxta quod nox cœlitus testata est.Hic est filius meus dilectus , in *Matth.3.* quo mihi complacui.iam ante Dei mansio , & confirmatio est in cœlo,licet in quinto decimo *Marc.4.* psalmo prædictum sit post resurrectionem . Adimplebis me lętitia cum uultu tuo : Ascendit *Psal.15.* enim in cœlum ut appareret uultui Dei pro nobis, quod seiunctum erat , & interierat à principio in se ipso adducens, *Benedictus Deus*, Merito autem post egritudines hymnum obtulit,docens eum,qui prænunciatur,non solum hominem esse, sed etiam Deum,qui ante secula, qui interminabilem habet naturam.

DIDYMI. *Benedictus Dominus* est , quando adsunt,qui benedicant,benedictus autē hoc est dignus ut benedicatur.Cum Deus Israel in ęternum uere sit benedictus, Fiat.Fiat. Nõ quod precatio Deum benedictum efficiat,quemadmodum nec oratio dicentium,sanctificetur nomē tuum,nomen Dei sanctum facit,sed de his dictum est in superioribus.

ATHANASII. *A seculo, & in seculum*, A præsenti (inquit)usque ad futurum : A præ- *Matth.6.* senti quidem benedictio in Deum à nobis incipit,in futurum perficitur.ex parte enim cognoscimus, unde, & ex parte benedicimus . Cum autem uenerit quod perfectum est, euacua- *1.Cor.13.* bitur quod ex parte est , nam prouentu ad maiora accedente cessat quod ex parte est, icuir eo psalmorum cantor induxit . Fiat, Fiat, & precem geminat, siquidem beatum est hinc per fidem, & rectè facta benedictionem in Deum exordiri,& ita etiam eam coronare in futuro seculo,nam impiis & infidelibus Deum illic laudare nullo modo permittitur. Verum sciendum est nonnullos hanc psalmorum prophetiam in libros quinque diuidere,prinsquam usq; ad

presentem psalmum constituisse,nam benedictionem in Deum tanquàm corolarium continet. unde etiam sic sequentes quatuor partiuntur.

THEODORETI. Cum diuinus Propheta hæc fuerit uaticinatus,& inexplicabilem Dei benignitatem admirabilem prædicasset,cumque super eum intellexisset,qui uoluntariam paupertatem suscepit,canticum ipsi per linguam profert,ut ipse quoque beatum finem indipiscatur.


EVSEBII. Cum psalmorum liber in uniuersum in partes quinque diuisus sit,prima pars hic terminum habet, eaque à primo psalmo incipit, & in quadragesimo primo fine accipit. Tempus ergò monet, ut ad secundam partem descendamus,quæ à quadragesimo primo incipit & in septuagesimo primo finem accipit,ut manifestum erit.

NICEPHORI. *Benedictus Dominus Deus Israel*,Laudat Domini descensum, & incarnationem,ac demum orat, & uotis omnibus poscit eam quam celerrimè fieri dicens,Fiat,Fiat, quod orationis intensionem significat.

IN FINEM INTELLECTVS FILIIS CORE.

PSALMVS. XLI.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum,ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem,uiuum,quando ueniam,& apparebo ante faciem Dei.



THANASII. *Filij Core*, cantores sacri fuerunt, canunt autem canticum ab iis, qui illud composuerant acceptum : & quæ in extremis temporibus ipsi Dauid euenere, significant, induunt enim ipsius Israelis personam Christo per pœnitentiam, quam in consummatione seculorum acturi sunt, confitentes.

HESYCHII. *Filij Core*. Psalmorum hi quoque cantores erant, qui quos prænunciando Dauid psalmos fecerat, ab eo accipiebant. Psalmus uero ea fortè de causa, intellectus, inscribitur, quod Core proauus illorum malus fuerat, & simul cum Datham & Abiron aduersus Mosen inuidiam & factionem concitauit. Verum cantores isti uestigia proaui nequaquam sequuti sunt,sed neque illorum patres, unde euerso omni Core concilio, illi à Core iniquitate (ut decebat) recedentes seruati sunt. Hoc enim tunc temporis populo præcepit Moses,ne reliqui una perirent, uerum melius est ut psalmus in finem ad intelligentiam prænotetur,quoniam baptismum, qui in fine post Iudaicas expiationes institutus est,ante demonstrat. Ad baptismum uerò accedere sapientia quædam est, & eruditio. Siquidem ad baptismum accedenti,lauacrum hoc redemptionis precium fit à peccatis sine labore partum,& beatitudinis plenum. psalmus ergo eorum personam continet, qui huiusce gratiæ compotes fieri desiderant.

THEODORI. Et hic quoque beatus Dauid ea uaticinatur quæ populo in captiuitate detento contigere,& eorum personam assumens ea loquitur,quæ illos dicere congruum erat,cum reditum in patriam impetrarunt: siquidem cum spiritali, & diuina gratia deuenisset in considerationem eorum, qui à terra illis in hæreditatem à Deo promissa seiuncti erant, & loci memoria subiisset, in quo templum extructum erat, & in quo sacra celebrari solebant, ea, quæ ad illos pertinent sibi uendicat, & præ nimio animi erga Deum affectu prò illis de hac animi sui commotione sic clamat. Si uerò post hæc ubi reditum impetrarunt talia non dixerint, nihil propterea est à Propheta alienum, qui quæ illos dicere decebat, uaticinatus est.

EVSEBII. Primæ psalmorum parti quadraginta dati sunt, quæ modo sequitur unum supra triginta continet, quorum octo sunt filiorum Core, unus Asaph, & unus Solomonis,reliqui ipsius Dauid. Hos eos primum qui sunt filiorum Core consideremus. Compellunt enim nos Core Filii ex ipsa inscriptione ad intelligentiam, ne uerba inscriptionis

Psalmi huius temerè nobis occurrant: nam propheticũ nobis chorum inducit Psalmus iste dolentem ac mœrentem ob interitum populi circumcisi: & salutare auxilium in suam redemptionẽ enixe petit, & spe finem obsignat, cum dicat. *Sperans Deum, quoniam confitebor illi salutare uultus mei, & Deus meus*. Meritò igitur neque psalmus, neque canticum, aut aliquid huiusmodi prænotatur: (nam quę hic continentur, dolentium & afflictorum uerba sunt.) Sed, *In finem*, tantum inscribitur. Quoniam de futuris sermo est. Mosis tempore natus est Core: & eodem Num.16. tempore filii core in deserto fuerunt. Deinde cum core pater illorum seditionem in Mosen excitasset, periissetque cum omnibus coniuratis, accidit ut eius filii paternę impietatis expertes cũ patre minimè interierint, sed pœnitentiam agentes, & Deum cultu eximio uenerantes tantum apud Deum laudis meruere, ut Prophetica gratia digni habiti sint. Ex horum genere alter core eiusdem nominis cum superiore temporibus Dauid extitit, atque huius alii filii fuere, siue igitur hi, siue priores illi fuerint, populi captiuitatem ac Iudaicæ gẽtis in omnes nationes dispersionem, quæ multò post facta est, hoc Psalmo, quem exponendum suscepimus, uaticinatur. Nam in progressu dicunt. Et qui oderunt uos, diripiebant sibi. Dedisti nos tanquàm oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, & non multiplicasti in commutationibus eorum. Posuisti nos opprobrium uicinis nostris: Non enim hæc in Dauid exacta esse historia docet. Proinde *In finem inscripta sunt*. Et quoniam diuina intelligentia opus est, si quis ea noscere cupiat, quæ post tot secula uentura erant, ideo *in intellectu* Psalmus inscribitur. cęterum prò *Filijs Core*, Aquila & Symmachus eodem sensu, filiorum core interpretati sunt illorum esse prophetias dicentes, qui se Deum sitire, & eius, qui apud ipsum est, fontis desiderio flagrare professi sunt: de quo fonte dictum est. Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Psal.35.

Nicephori. Psalmus his ex piorum uirorum in captiuitate degentium persona dicitur. Potest etiam omnibus conuenire, qui propter Deum malè tractantur, & liberationem studiosè quærunt.

Didymi. Tres fuerunt filii core, quibus una cum aliis mandatum est ut diuinos psalmos concinerent. quos & cantores scriptura uocat, & horum nomina in annalibus paralipomenων posita sunt. hi ergo tres mente unanimes ut in omnibus coniuncti & conserti omnia, quæ hoc psalmo continentur, singulariter prenunciant.

Cyrilli. Non ipsi omnino componentes sed à uiris Spiritu Sancto actis accipientes, quibus ab eo, qui omnia nouit futurorum cognitio data est.

Theodoreti. cum populus peccasset, cum Dominus Babyloniis subiecit septuagenariæ seruituti damnatum: quare tanquàm ex persona plorantium, & libertatem desiderantium dictus est psalmus iste. Et quoniam inter eos nonnulli erant religiosi & pii, ut diuinus Daniel, ut mirabilis Ezechiel, ut uictores illi martyres Ananias, Azarias, & Misael, qui ardentissimè Deum amabant, & legitimum ac sincerum illi cultum pręstare cupiebant, iure sumpta eorum persona docet propheticus sermo longè antè, quæ eos, cum à calamitate liberarentur, dicere congruebat, ut prædictione oblectentur, & doctrina erudiantur. Præterea *In finem* psalmus prænotabitur: nam post longissimam annorum seriem, quæ hic dicta sunt, finem accepere. Apponit quoque *intellectum*, quoniam eo in primis egent, qui in calamitatibus constituti sunt. *Quemadmodum desiderat ceruus*. Aiunt ceruos uenenosas feras deuorare, & propterea in sitim uehementer accendi, & aquas magnopere desiderare. Cum uerò captiui illi, cum Babyloniis impiis, iniquis, & reptilibus bestiis similibus diu uersati essent, non sine causa se instar ceruorum Deum sitire dicebant, peroptantes à captiuitate liberari, & diuinum auxilium expectantes. Cupio (inquit) & sitio cultum Dei mei uiuentis: cæterum apparere ante faciem Dei nihil aliud esse intelligit, quàm ipsum ex legis præscripto colere: Huiusmodi autem cultus Hierosolymis circumscriptus est, & hæc non solum beatus Moses ostendit, sed tres beati martires Ananias, Azarias, & Misael in camino Dan.3. ignis Deum benedicentes. Aptè autem fortem & uiuentem Deum nominat præ inanimis, & immotis Babyloniorum Idolis.

Didymi. ceruus animal cum serpentibus inimicitias gerit, hos deuorare solet, si quando igitur eos deglutiuerit ob innatum illis uirus siti uehementer accenditur, propterea studiosè fontes inquirit, quibus temperet ęstuantem sitis ardorem: Tradunt etiam nonnulli ceruum se in aquis speculari cupientem fontes perquirere, ut maculas abstergat, quibus in ipso conflictu serpentum liuore inficitur: nam in pugna ipsa dum serpentes propulsantur, ceruum proprio sanguine conspergunt. Qui ergò sanctus est serpentes & scorpiones iuxta sibi à Saluatore traditã Luc.10. potestatem, interficit, & ulciscitur omnem inobedientiam, & tanquàm spiritalis ceruus diuinos

 aquarum

Ier.2. Baruch.3. Ioan.4. aquarum fontes inuenire festinat. Veluti Patrem dicentem, me dereliquerunt fontem aquę uiuæ: & Saluatorem, de quo dictum est ad quendam, dereliquisti fontem sapientię: & Spiritum Sanctum: de quo scriptum est, Qui biberit ex hac aqua, quàm ego dabo ei fiet in eo fons uitæ salientis in uitam ęternam. Fortasse uerò & omnis diuinitus aspirata scriptura fontes sunt Saluatoris.

Prouer.5. Isa.34. Deut.12. HESYCHII. Ceruus animal in sacris literis in laudem positum inuenitur: Nam Solomon, ceruus (inquit) amicitię, & pullus gratiarum tuarum uersetur tecum. Isaias uerò, illic occurrerunt cerui, & uiderunt alternatim, prodierunt numero, & unus ex eis non defuit. Moses cum de cibis legem ferret, sicut caprea (inquit) & ceruus comeditur, ita uesceris eo. Quoniam igitur narratur ceruum serpentes naribus expellere, & dentibus perdere, ac consumere, itemque post huiusmodi ferarum esum ad aquas confugere: cum nos inuisibiles serpentes dentibus animi, hoc est cogitationibus deleuerimus, tum ceruis meritò comparari poterimus: Nam fontes baptismi sitire incipimus, per sacramentum animas coniungere cupientes.

EVSEBII. Cornigerum, & mundum animal iuxta legem ceruus est: sed & serpentum ac reptilium omnium interfector, & desolator, & solitudinis amator, qualis est prophetarum chorus deserti amans: in montibus igitur, & specubus uersari prophetę dicuntur, & aduersarias omnes potestates destruere, quin & omnia non corporis, sed mentis reptilia interficere, ut qui potestatem habeant calcandi super serpentes, scorpiones, & super omnem inimici potestatem: porrò cornua gerebant, ut dicere possint, in te inimicos nostros uentilabimus cornu: Et mundi erant corde si qui alii, ideò ceruis comparati sunt, quod & sponsus ipse in canticis hinnulo ceruorum similis dictus est, atque apud Iob dictum est. Obseruasti autem menses ceruarum, & dolores partus earum ablegabis: Huiusmodi ceruos rationis participes Dominus pręparare dicitur in psalmo uigesimo octauo, dicens. Vox Domini præparantis ceruos. Hi ergò cerui deficiente illos fonte ob populi iniquitates, & Deo aduersante plorabant interitum populi ad Deum accedere cupiẽtes. Viuentem uerò Deũ dicit, propterea quod dictũ est, solus habet immortalitatem, ipsumque solum habere uitam in semet ipso: quare dicit apud te est fons uitæ, & hanc quidem aquam uiuã Saluator ipse qui fons est, ad preces prophetarũ instillans postea se exhibiturum docuit dicens. Qui biberit ex aqua, quàm ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ uiuæ salientis in uitam ęternam. Et rursus: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina è uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hanc igitur aquam cum sitiret prophetarum cætus dicebat. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum. &, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei?* Cum enim cernerent se procul à Dei intuitione distare quo minus eum facie ad faciẽ intuerentur. Hæc dicebant. Videntes præterea quod Deus suam prospectricem uirtutem à populo auertisset, suam hanc in terris uitam deplorabant, & orabant sibi licere assistere coram Deo: ideo dicebant. *Quando ueniam & apparebo ante faciem Dei?* Cæterum huiusmodi uocibus nequaquam usi fuissent, nisi omnino ab omni reprehensione & macula & omni angore conscientię purgati: nam qui propter peccatum sordescit, fugit faciem Dei, supplexque precatur in oratione dicens, auerte faciem tuam à peccatis meis.

(Margin: Luc.10. Psal.43. Cant.2. Iob.39. Psal.28. 1.Thim.3. Ioan.4. Ioan.7. Psal.50.)

CYRILLI. Alius dicit. Quoniam in præcedenti psalmo ex persona Saluatoris dictum est, Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis, nunc eorum, qui eum crucifixerunt, personam subiicit, qui intolerabilia passi sunt, cum manifestum sit ipsos demum in fine seculorum asciscendos esse: de illis enim Paulus dixit: Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insitus es in bonam oliuam, quanto magis ii, qui naturales sunt inserentur suę oliuæ? Hęc igitur Israel pœnitens ac dolens dicit. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* Ita ego sitiui & ardenter desideraui ad te proprius accedere iuxta bonam affectionem & sanctificationem per fidem in Christo. Et quem tanquàm hominem interfecerunt, resipiscentes eum uiuentem Deum nominant quàm aptissimè confitentes se Dominum uitę quantum in ipsis fuit, morti tradidisse. Porrò etiam apertè magis animi sui uotum ostendunt, se scilicet uehemẽter optasse per fidem quæ in Christo, & per Christum perfecta est Dei domesticos effici: Illud enim, *Quando ueniam*, desiderantium est uocationem illam, quæ postea futura erat, ut & ipsi perspiciantur, seu appareant ante faciem Dei Patris, hoc est coram Filio, qui est imago Dei inuisibilis, & character substantiæ eius. Etenim Israelitas modo esse in Dei auersione & odio conspicimus, quemadmodum de illis ait Isaias. cum extenderitis manus erga me, auertam oculos meos à uobis, & si multiplicaueritis orationem, non exaudiam uos: nam manus uestræ sanguine plenæ sunt: cum uerò Dei misericordia uocabuntur, ipsi etiam iustificati apparebunt ante faciem Dei, scriptum est.n. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.

(Margin: Rom.2. Col.1. Isa.1.)

HESYCHII.

HESYCHII. Vides hæc ad animam nondum illuminatam, sed illuminari cupientem referri? At quem Deum ipsa sitiat, fortem scilicet uiuum, qui in cruce fortitudinem, in resurrectione uitam ostendit, & tempus illud adesse desiderat, quo per lauacrum purgata corâm Deo possit assistere. Psal.33.

ATHANASII. *Ante faciem Dei.* Significat sermo hic eum ardere incredibili desiderio, ut tempus ueniat, in quo eorum uocatio fiat, ita ut & ipsi ante conspectum Dei, & Patris, hoc est, ante Filium manifestentur.

APOLINARII. Ex hoc considerantibus intueri licet quemnam inscriptio ad intelligentiam reuocet, hominem nimirum extra faciem Dei constitutum, ut desiderio afficiatur ad ipsam restitui. Meritò autem fortem quærit, qui infirmitate ceciderit, iuxta illud. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: Vnde a præsenti huius uitæ infirmitate decidere necesse est, ne quis exigua contentus uera fortitudine destituatur. Psal.6.

DIDYMI. Quoniam nouit in præsenti uita se per speculum Deo accedere, reposita facultate in futura ipsum facie ad faciem intuendi, orat tempus instare, ad quod ubi peruenerit, à facie Dei uideatur: cumq; lux futurorum bonorum umbram in uniuersum contineat, & solemnitates in quibus masculina à uultu Dei conspiciebantur, umbra sint, & similitudo futurarum celebritatum, orat se ad spiritalia festa peruenire, ut perfectè à Dei facie uideatur, quæ non alia est, quàm imago Dei inuisibilis.

NICEPHORI. *Quemadmodum desiderat.* Desiderare hic ponitur, pro festinare: *ad te Deus*, habitantem scilicet in Hierusalem. Putabant enim qui in Babylone erant se diuina præsentia illic ideo frui non posse, quia regio illa uniuersa Idolorum cultui deseruiret. *Sitiuit anima mea*, id est, uehementer concupiuit. Fortem uerò & uiuentem Deum dicit, propter infirmos, & mortuos Babyloniorum Deos. Vna uerò & eadem sententia est præsentis dicti, cum eo hymno, qui cælitus nobis ab Angelo demonstratus est, quem Græci τρισάγιον uocant, quo Deum laudare solemus dicentes, Sanctus Deus: Sanctus fortis Sanctus immortalis. *Quando ueniam.* In Hierusalem, & apparebo corâm te, adorans & colens te scilicet.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè: ubi est Deus tuus.

Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam.

HESYCHII. Dicuntur hęc ab iis, qui adhuc in impietate persistebant, ad eos, qui ab errore iam recedentes nondum erant sacramentis initiati, exprobrabant.n.ipsis tanquàm Deum non habentibus cum nihil diuinæ cognitionis ante baptismum præ se ferre possent, illi uerò opprobriis affecti tanquàm cibum continenter lachrymas habebant, ut prioribus maculis absterssis, apti ad futuram expurgationem constituerentur.

DIDYMI. Qui non temerè, sed ex animo lachrymatur prò uirtute acquirenda insudans, is lachrymis suis tanquàm pane uescitur, non modo in rebus optabilibus, quas diem appellat, sed et in aduersis, quas noctem uocat.

APOLINARII. Eum, qui oblitus est ad Deum reuerti, & Deum quærere stultum putat, ac exprobrat id facientibus, cum lachrymis præcedebam, & prò iucundo cibo in amarissimo luctu uersabar, iuxta illud, quod in lamentationibus dicitur. cibauit me cinere. à desiderio quidé non discedens, sed prò iustitia uituperata dolens indignabar. Necessaria igitur est malignorum turbatio & exprobratio: Quoniam quę propterea effunduntur lachrymæ, nullum iustis afferunt nocumentum: In his.n.posita est beatitudo iuxta illud, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Statim igitur & consolatio adhibetur. Thr.3. Matth.5.

EVSEBII. Qui Deum sitit, eiusque desiderio tenetur, ab humanis omnibus secretus, & solo necessario pane, etiam cum lachrymis utens, orando dicet, lachrymas sibi panem esse. Quoniam uerò prophetarum cætus intuebatur populum uniuersum esse, multorum perditionem pro prium damnum reputans luctum propterea & lachrymas effundebat. Atque adeò uiri Dei excruciabantur, ut propriis lachrymis pascerentur, ac in singulas noctes & interdiu panem ipsum relinquerent, & ora tantum fletibus irrigarent, Hæc tum pręsertim agebant, & ista perferebant, cum audirent populum ipsum, aut impios, qui inter eos erant, dicentes, Vbi est Deus tuus? Nó .n.consentaneum est, ut Babylonii hoc illis ita in singulos dies exprobrarent, sed infideles gentis suæ tanquàm frustra Deum colentes dum Prophetas reprehenderent, ac dicerent ubi est Deus tuus? quæ quidem cum à fratribus & cognatis, ac notis audirent, luctum protrahebant, ideo dicunt. *Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam*: non enim exterius animi mei turbationem

nem promebam, ſed intus in anima mea dolorem meum cęlans in me ipſo confuſus manebam, 2.Cor.1. quod cum Apoſtolo accidiſſet, dicebat, ſed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus: ita etiam modo aiunt. *Effudi in me animam meam*. Porrò perfectorum eſt hoc poſſe dicere: nam qui nondum perfectus eſt turbis plenus ab externis impulſibus extra ſe animam effundit, turpiter ſe gerens ab omnibus paſſim reprehenſionem referens, & tum uoce ipſa: tum uerbis quę proferuntur animam ſuam nudat.

THEODORETI. *Effudi in me animam meam*. Die noctuque nulla me lugendi ſatietas capit, ſed tanquàm cibum lachrymas effundo, cum audio quæ mihi de te opprobria fuerunt: nam me hoſtes derident, & prouidentiam curamque de me tuam tenuem & impotentem obiicientes; dicunt non poſſe eorum potentiam ſuperare: Icirco hæc continenter mente uerſans indefeſſum luctum habeo.

CYRILLI. Cum Iſrael à diuina miſericordia & tutela decidiſſet grauiſſimę illum calamitates exceperunt, Luc.19. nam Iudęorum ciuitates prædæ ac direptioni ab exercitu Romano traditæ ſunt, quæ Chriſtus illi uentura prædixerat, inquiens, cum uideritis circundari ab exercitu Hieruſalem, tunc dicere incipient montibus operite nos, & collibus cadite ſuper nos: cum hæc igitur Iſrael experiretur, nonnulli ex proximis ciuitatibus eidem (ut par erat,) illudebant, nanque cum bello premerentur, & in anguſtiis eſſent, uicinæ gentes illi inſultabant. Quare factum eſt, ut pro iucundis, ſuauibus, & neceſſariis, ſcilicet pro menſa & cibo flere mihi, ac inopinatum rerum caſum & captiuitatem amarè lamentari reliquum eſſet. At quorum dicit oportere meminiſſe? primum quidem ſe ſe Deum oppugnaſſe in eo, quod furore in Chriſtum lati ſunt, deinde ſalutis, quam per ipſum conſequimur, expertem, & inutilem quodam modo factum eſſe; qui ab omni ſpe bona delapſus tam diris calamitatibus attritus ęſt. Tertium quod cum idem ſibi eueniſſet, nonnulli eidem inſultantes clamabant, *ubi eſt Deus tuus?*

DIDYMI. Qui in cæteris omnibus decepti falluntur, errant quoque putantes Deum loco circumſcribi, ideo exprobrantes dicunt, ubi eſt Deus tuus. Et alibi. Cum huiuſmodi deſiderio triſtitiam quoque mihi attulit, & à comprimentibus me probris iactari permiſit, tanquã non eſſet qui mihi adminicularetur: Et ad hæc recordatio eorum, quæ in his locis acta ſunt, ad curam tuam de me ſuſceptam urgebat. Illud uerò, *Effudi in me animam meam*, prò eo poſitum eſt, prę triſtitia ac mœrore diſſoluebar.

HESYCHII. *Hæc recordatus*, quęnam? ſcilicet inimicorum opprobria. Cæterum memor conuiciorum non ſe in conuiciantes conuertit, ſed animam ſuam in ſe ipſum infundebat. Verum cum omnia acta ſua in memoriam reuocaſſet totam conſcientiam ſuam exonerabat. cur uerò confeſſione nobis opus ſit ſequentia uerba oſtendunt.

NICEPHORI. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ*, ſicut panis hominibus ita nobis lachrymę erant expetendæ, & illę ineuitabiles. *Hæc recordatur*. Hęc opprobria ſcilicet inimicorum dicentium mihi quotidie, *ubi eſt Deus tuus?*

Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.
In uoce exultationis & confeſſionis ſoni feſtiuitatem celebrantis.
Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare uultus mei, & Deus meus.

THEODORETI. Tabernaculum uocat Dei tectum, & poſt triſtia iucunda narrat, docetque celerem reditum conſequuturos fore, atque à diuina gratia deductos optatum ſolum repetituros, & diuinam domum inſtauraturos, & ſolitas ſolemnitates celebraturos, feſtiuoaque ſonos & ſpiritus concentum ſuis auribus percepturos: Iſa.66. Nam beatus Iſaias uaticinatur dum dicit, Et adducent omnes fratres ueſtros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Hieruſalem. Vaticinatur inquam eos cum honore multo reuerſuros omni ęſtus moleſtia abiecta. Quod & Aquila tacitè inſinuat dicens. Ingrediar in umbroſo præteriens ipſos uſque ad domum Dei in uoce laudis, & gratiarum actionis exultantes (inquit) & Deum Saluatorem laudantes, & in uia umbrarum refrigerium captantes, ita ad diuinam domum perueniemus tanquàm cum pompa, & triumpho reuertentes, cum uerò hanc prophetiam audiuiſſent, lætabundi aiunt. *Quare triſtis es anima.* Has (inquit) promiſſiones cum acceperis ò anima quieſce, & à mœrore, ac dolore deſiſte, & confirmata ſpe uaticinii euentum expecta, in quo cum te uideris ſalutem conſequutam fuiſſe, hymnos Deo ſalutis authori decantabis.

DIDYMI. Quoniam proficio adhuc, & nondum perfectionem ſum conſequutus (nam ut ſæpe dixi, tabernaculum eſt profectus nota) ideo turbatus ſum, cęterum tabernaculum ſecun-

dum

dum Deum extructum, mirabiliter ad domum Dei, hoc est, ad perfectionem confert, secundum quàm ibi ubi Deus est inhabitamus.

HESYCHII. Tabernaculum admirabile est legis tabernaculum. Tabernaculum quidē propterea iure dicitur, quod litera ad tempus duret. Admirabile uerò quia futuri figuram prætendebat: Domus Dei baptismus, nam Deus ipse Spiritus Sanctus in eo habitat, ut alibi Dauid asseruit, dicens, Dominus super aquas multas. Psal. 28. Via igitur & ordine quodam ad baptismum per eius admirabile tabernaculum, id est, per legem uenturum se dicit, ac per ueterem legem nouis mysteriis initiatum iri. *In uoce exultationis*. Nam quid adeò ad exultandum animam hortatur atque peccatorum confessio seruitutis iugo, ac pœnę timore liberata? Huius sonum lætitiam, & celebritatem inuehit: Nam Christus ait esse gaudium in cœlo super animam pœnitentiam agentem. Luc. 15.

EVSEBII. Cum exprobratores mei mihi (inquit) obiicerent, ubi est Deus tuus? præ nimio dolore contabescebam, & uerbis impiorum lacessitus uehementi animi angore conficiebar, cum alioqui apud ipsum cogitationes meas continerem, ne prosusus à diuina spe mihi reposita prolaberer: etenim manentem mihi exitum memoria repetebam: & benè noueram forè beatos qui lugent, quoniam consolationem accipient. Matth. 5. Quare cum mihi satis constaret me post huiusmodi molestias in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei transiturum in uoce exultationis & confessionis sonus epulantis, hæc recordatus sum, nec abiecta spe animum despondebam, sed intus penès me animam meam effundebam. Quoniam uerò hanc spem sibi præscripserat, meritò ipse se consolatur, & ait. *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam confitebor ei, salutare uultus mei, & Deus meus*. Se enim animo confirmabat & ad præsentes molestias generosè perferendas hortabatur. Verum cum Symmachus dicat. Quoniam introibo in tabernaculum, inuehar usque ad domum Dei cum uoce lætitię & confessionis multitudinis festos dies celebrantes, uel iuxta Aquilam, cum uoce laudis & gratiarum actione turbæ epulantis, ostendit, qualem exitum habituri sunt illi, qui cunque præsentis uitę calamitates constanter pertulerint. Siquidem hos suscipiet beatissimus finis, admirabile nimirum Dei tabernaculum, atque Dei intimum penetrale, in quod qui meritò inuecti sunt, & sublimes ab angelicis potestatibus elati, introducentur. Quæ planè cum sciret Apostolus dicebat. Rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. 1 Thes. 4. Tabernaculum Dei admirabile nominat discrimine alterius minimè admirabilis. Quale erat illud quod tempore Mosis in terra extructum est. Porrò autem admirabile tabernaculū existimabis quod sibi sancti uiri statuerunt in spe. Hoc uerò cœleste fuit, cuius similitudinem Moses in deserto construxit; de quo tabernaculo admirabili, diuus etiam Apostolus edisserens aiebat. Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera throni maiestatis in cœlis sanctorum minister, & ueri tabernaculi, quod fixit Deus, non homo: Heb. 8. quibus deinceps apponit, qui exemplari, & umbrę deseruiūt, sicut per oraculum responsum est Mosi cum perfecturus esset tabernaculum: Nam uide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. At hęc imagines quidem erant, & notæ cœlestium. De archetypis autem infert. Christus uerò assistens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, Heb. 9. neque per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Si uerò gaudium est in cœlis Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quomodo non meritò animę Deum amantis, quæ post difficiles huius uitæ exercitationes digna habita sit, quæ cœleste domicilium ingrediatur? uox erit lætitię multitudinis festos dies celebrantis, ac gratias agentis prò illis, qui salutem percipiunt. Quę cum uera esse persuadentur, qui edoctus est meritò sibi ipse dicit. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Vel iuxta Symmachum. Cur deprimeris anima mea, & turbaris contra me? Expecta Deum, quoniam assiduò confitebor ei salutare uultus eius. Vel ut Aquila uertit. Salutibus uultus eius: nam simulatque Dei tabernaculum ingressus fuero, & à sanctis Angelis in sublime perque cœlestem eius altitudinem euectus fuero, astabo coràm Deo, & salutari eius aspectu perfruar: quæ cum consequutus fuero, confessionem, & gratiarum actionem illi debitam continenter persoluam.

CYRILLI. Qui propter inimicorum conuicia deiecto, & languido animo sunt, non admodum parum bonorum spe recreantur, & mentem ad lętitiam erigunt, in eam quauis calamitate potentiorem perferunt, ut qui paulopost salutem aeuitant per Christum opportunè consequuturi sint, & unà cum cæteris sanctis regias ędes possessuri, ubi celeberrimo cætui, illi (inquam) qui continuis & incessantibus Dei laudibus celebratur, interesint: talis enim celebritas sanctos

decet.

Psal.83. decet. Quod diuinus uates alibi affirmat, dicens. Beati omnes qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. Admirabile autem tabernaculum & domum Dei uocat eius, quæ in cœlis Ecclesia est specimen terrenum templum. Accedam(inquit)in uoce exultationis sonus epulantium canens nimirum, & festos dies agentibus additum Saluatori Christo laudes decantabo. Si ergò diuinæ misericordiæ tempus (ait) seruatum est, ac futurum est, ut per fidem uocatio fiat, *Cur tristis es anima mea? spera in Deo*, confitebor enim illi, & ipse uicissim erit salutare uultus mei. Vultum uerò hoc in loco pro pulchritudine ponit: nam in credentibus in Christum diuinus decor elucet. Imprimitur enim illis per sanctificationem, & continentiam decor ille, sicut infideles turpitudo & deformitas quædam sequitur: non enim diuinam, & incorruptam sibique consentaneam habent pulchritudinem. Hinc diuus Paulus cum ad eos scriberet,

Gal.4. qui accepta fide legis iustitiam etiam obseruabant, inquit. Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis. Itaque cum Christus in nobis formatur, uultus animæ, hoc est, pulchritudinis ipsius salutem parit. Rectissimè autem Deum Emanuelem confitetur, licet illum aliquando persequeretur ac diceret, cur tu homo cum sis, facis te ipsum Deum? Sed ut qui iam eius aduentum agnouerit confessionem etiam afferens suum ipsius Deum appellat, & nobiscum pulchro nomine decoratur, ut sit, & appelletur Christianus.

ATHANASII. Ipse sibi met prænunciat, quod aliquando salutem consequetur, & diuinas retributiones unà cum reliquis sanctis percepturus: obiicit aût sibi seque reprehendit, quod indoleat, iens in Deum spe. Si ergò (inquit) o anima tempus obseruaueris, in quo per fidem uocatio nostra nos ducet cum festiuitatem celebrantibus in tabernaculum. *Quare tristis es anima mea*, licet doloribus implicita sis?

APOLINARII. Ne te (inquit) præsentia ad dolendum compellant ô anima mea, nec perturbent te, sed spes in Deum te consoletur: quoniam bona illa consequemur, prò quibus erunt gratię agendæ, salusq; nobis ex eius aduentu illucescet: quod iuxta Pauli sententiam est, reue-

1.Cor.1. lationem domini nostri IESV Christi, & regnum eius expectare. Hæc de futuris, deq; iis, quę promissiones in lege factas excedunt, intelligenda sunt. Et illud, quod à Paulo dictum est

Phil.1. prædicente melius esse dissolui, & esse cum Christo: Quæ uerò sequuntur ad narrationem tertristitiam afferentium pertinent.

NICEPHORI. *Quoniam transibo*. Illud, *quoniam* confirmantis est. Vaticinatur enim reditum, & locum tabernaculi templum uocat: domum uero Dei, adyta & penetralia. *Soni festiuitatem celebrantis*, prò solemnii positum est. *Salutare uultus mei*. Posterioris Dei beneficii memor illum blandè ac suauiter appellat, dicens ô salus mea, & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum inuocat in uoce cataractarum tuarum.

THEODORETI. Animam fingit secum per quandam quasi morum expressionem colloquentem. Nam cum dixerit, conquiesce à tristitia, cum bonorum promissiones habeas: ad hæc respondendo dicit, quoniã non temerè angor, & conqueror, nam patriæ terræ memoria excutit mihi lachrymas. Per terram Iordanis, terram promissionis intelligit. Et Hermoniim, montem paruum Hermon uocat, hinc per montem & fluuium omnem illam terram complectitur. Symmachus uerò ita interpretatus est. Anima mea liquefit, quando recordor tui à terra Iordarnis, & Hermonii à monte minimo.

EVSEBII. Atqui hæc sunt, quæ mihi in spe reposita, cæterum cum multi me homines mali ac perditi urgerent, & uexarent, non ego usque adeo commouebar, ut prolaberer, & manifestus fierem his, qui me perturbabant. Verum quemadmodum superius effudi in me animam meam, ita nunc etiam anima mea liquescit, cum tui me recordatio subit à terra Iordanis, & ab Hermoniim monte paruissimo: Abyssus abysso occurrit à sonitu aquę fluctuum tuorum: Porrò prædicta uerba hanc sententiam mihi uidentur continere. Cum post obitum Mosis IESVS

Ios.3. populum in promissam terram induxisset, ita sacerdotes Iordanem traiecerunt humeris arcam ferentes. Iordanis autem (ut ait scriptura) usque ad summas ripas implebatur, & in diebus messis tritici, & steterunt aquæ descendentes desuper, ut concretio quædam: quę uerò descendit, descendebat in mare salis, & omnes filii Israel transierunt per siccum in medio Iordane, dum aquæ partim quidem infra delapsa in mare salsum flueret, partim uerò, eà scilicet quę desuper descendebat, admirabili Dei potentia repressa retrò procederet, cumque undæ, quæ à Iordanis fontibus effluebant,

effluebant, quo decurrerent non haberent, extollebantur, & excrescentes conglomerabantur, aquis sese mutuo extollentibus, quod decursu prohiberentur. Tum sanè abyssus abysso occurrit, retardatis, & intumescentibus aquis. Cum igitur memoria beneficium illud, & patrocinium quod tum populus expertus est, repeto, meritò animo contabesco, cum nihil in nos tale prouidentiæ specimen factum sit.

S I N E T I T V L O.

P S A L M V S. XLII.

Iudica me Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta, & ab homine iniquo, & doloso eripe me.

Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.



EVSEBII. Psalmus hic apud Hebræos, & reliquos interpretes sine titulo est. Videtur autem pręcedentis pars esse; tum ex similibus in utrisq; uerbis, tum ex eadem sententia. Quare hunc quoq; Propheta rum cętus pro populo profert, qui cum nefariis gentibus traditus esset, rogat, ut & gentes pœnas luant, & populus ab hostium manibus liberetur. Quemadmodum uerò condolere iustí solent ob populi calamitates, eorum incommodis, & afflictionibus participantes, ita multitudo fructum percipit rectè factorũ à bonis uiris precantibus, & supplicãtibus prò ipsis, & uoces tanquàm ex uno ore emittentibus.

ATHANASII. Caret inscriptione psalmus hic, & eandem cũ superiori sententiam habet. nam qui ex Israel erant, rursus accedunt, salutem per Christum petentes, ideò dicit. *Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam*, nam ipse eos introducturus erat in montem sanctum, hoc est in cœlum, & ad cœlestes mansiones, quas etiam tabernacula nominat, & ad altare intellectuale, atq; idem iuuentutem eorum erat lætitia impleturus. Iuuentutem n. appellat animam eorum innouatam: quare & in cithara se illi gratias acturos pollicentur. Sæpe aũt diximus citharæ nomine corpus esse intelligendum.

THEODORETI. Titulum non habet psalmus hic apud Hebræos, ut qui habeat eandem cum præcedenti sententiam, siquidem qui supra loquuti sunt, iidem Deum obsecrant, ut iudex sit inter ipsos, & Babylonios, qui immanitate multa, & iniqua mente in eos usi sunt. Ideo eos gentem non sanctam appellat: & eorum regem dolosum hominem uocat, & iniquum. Hęc quoq; ad mirabilis Danielis uaticinium de ipso docet, easdem uerò preces repetunt, petentes se liberari ab hostium crudelitate, propter quam in tristitia, & mœrore perpetuò uiuebant. Illud uerò, *quare*, non increpantes dicunt, sed tanquàm ipsi participes essent alienæ transgressionis, & cum illis diuina prouidentia destituti: communem tamen pro omnibus precationem afferunt.

APOLINARII. Psalmus hic à superiori non seiungitur, neque inscriptione distinguitur, & eandem uim habet, nẽpe reuersionis ad Deum. Addit præterea ductorem lucis, quæ nobis per Christum illuxit, dicens: Ego lux in mundum ueni, ut omnis, qui sequitur me, non maneat in te- *Ioan. 12.*
nebris, qua irradiatione afflictos consolaretur. Quemadmodum præcedens rerum futurarum expectatione instantes molestias solabatur. Quoniam uerò & populatim, & uiritim pars iustorum oppugnatur, nec ea, quæ illis prò meritis conueniunt, consequi potest, nisi cœlestem iudicem, & pręsidem nanciscatur, ut qui non ius in aduersarios, quasi ex auditu dicat, sed ex scientia iudicium proferat, ob hanc causam, ex gente non sancta, & ab homine iniquo aufugium petit.

DIDYMI. Dominicę persone uox ista esse potest, quæ gentem non sanctam Iudaicum populum, hominem uerò iniquum, & dolosum Iudam intelligat. Animaduertendum est, cur non dixerit, à gente sacrilega, uel impia, sed *à gente non sancta*, fortassè ne à gente non sancta pœnitentiæ spem amputaret.

CYRILLI. In præcedenti Psalmo Israelis persona introducta est agnoscentis futuram sui uocationem & conuersionem in postremis temporibus, & optantis in posterum Deo per fidem in familiaritatem coniungi. in hoc uero psalmo gentium persona introducitur orantium per fidem in Christum seruari. & cupientium præterea causam exquiri diligenter, propter quam lapsi sunt. Quæ fuit diaboli, & immundorum spirituum fera cupiditas, hos enim gentem non sanctam appellant, uel sanè ministros impuritatis eorum Græcorum selectiores fabulatores, quos iniquos, & dolosos uocant, tanquàm deceptores, & mendaces.

Psal.50. ORIGENIS. Chistus postulat ut à Deo iudicetur, ad quem arbitror illud pertinere, ut uincas cum iudicaris, & similia. Potest autem Propheta hæc ex se dicere confidens, & sibi persuadens nunquam fore ut sibi iniuria fiat in iudicio, cum ipse nemini iniurius fuerit, sed potius lo cum iræ dederit. illud uero, *de gente non sancta*, si Saluator dicit per gentem non sanctam Iudæi intelliguntur. Si uero uir iustus, aduersarias potestates intelligit. Illud uero, *ab homine iniquo*, sic intelligas. Liberat Deus ab homine iniquo, & doloso, quando aliquis ad huiusmodi læditur. dicitur hoc à Christo recusante inter huiusmodi homines uersari tanquàm eum tribulantes. Illud uerò. *Quia tu es Deus fortitudo mea*, ipse solus Deus Christi, Christus autem nostri fortitudo est. At illud. *Quare tristis incedo*, eò refertur, cum assumpsit Petrum, & duos filios Zebedęi, & cœpit dolere, & tædere, & dicere. Tristis est anima mea usque ad mortem.

EVSEBII. *Iudica me Deus*. Posset aliquis dicere hæc proferri ab uno, uel altero qui inter Iudęorum populum iustus inuentus sit. is autem unus & rarus ueluti Ieremias, aut alter Ieremiæ similis deploret, & has uoces emittat orans se ab gente non sancta liberari. (Non sanctam gentem dicit eos, qui sunt ex circuncisione) *& ab homine iniquo, & doloso*, ne & ipse iniquus & dolosus fiat: Roget item Deum dicens, *Tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti*, in medio hoc populo me relinquens. Porrò proposita uerba Heliæ quoque aptari possunt, qui populum accusans dicebat. Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua demoliti sunt, & ego
3.Reg.19. relictus sum solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. Apertè uerò docet Ieremias in
Iere.5. stum quemlibet ex populo defecisse cum dicit. Circuite uias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inuenietis uirum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Deinde quoniam impiorum multitudo iusto molestiam exhibebat, propterea dicit, se uultu mæsto incedere. *Quare tristis incedo dum affligit me inimicus?* Aliter quoque. Cum inimici, & aduersarii urgerent, & gentes pręualerent iustus animo suspensus, & indignabūdus ob sceleratorum fœlicitatē cruciabatur. Quare suppliciter petiit, ut Deus illi iudicans, & causam eius iustè agens, aptum de illo iudicium proferens, pręmia, quæ pro illius rectè factis illi debentur, uniuersæ multitudini largiatur. & eius gratia liberet omnes de manu inimicorū, ut quemadmodū ipse infęlicitatis, & ærumnæ populi consors fuit, sic & populus prosperitatis eius & gaudii particeps fiat. Et quemadmodū qui in iudicio disceptant iudices obtestantur, ut audiant iura sua & causam intelligant, & iustè illi iudicent. Ita quoque uir pius his uerbis Deo dicit. Iudica mihi tuq; esto iudex meus, & iudicium hoc meum iudica, ac defende causam meam, ut aduersario deuicto & mulctato mea rectè facta ad uniuersi populi salutem conferam.

HESYCHII. Gentem non sanctam meritò dices quemlibet cætū peccatorū: & multò magis dæmonū, qui nos sæuitia multa aggrediuntur. contra quos orat propheta iudiciū fieri, ut & ipse coronā accipiat, & illi condemnentur: quia cū carnis expertes sunt carnalia peccant. cæterū & ab homine iniquo, & doloso liberari precatur: Formidabilis.n. est lingua dolosi, quę dolosis uerbis iustorū corda illaqueat. Porrò per hominē dolosum existimabis diabolū significari. dolosus aūt dicitur, quoniā dolis Adam circumuenit. Hominē aūt & Isaias ipsum uocat, dicit .n. sic.
Isa.31. Et cōsurget contra domū pessimorū, & contra auxiliū operantiū iniquitatē Aegyptius, homo, & nō Deus: & equi eorū caro, & non spiritus, & nō erit auxiliū. Ipse quidē uehemēs est, & à deceptis populis formidabilis. Veruntamē nos à Deo confirmati illum euadere poterimus .i. ualentes facti: sed quænam est fortitudo Dei? nisi legis ab ipso traditæ obseruatio.

APOLINARII. *Quoniam tu es Deus fortitudo mea*, tanquā qui nihil habeat aliunde, quo se firmū, & fortē sentiat, hæc dicit. & Deū fortitudinē suā fortitur. huiusmodi ēt est illud. Diligā te Domine fortitudo mea: Deinceps de resistentibus ēt loquitur. cæterū si à Deo est posse, meritò sequitur, ut qui non potest, à Deo sit expulsus, quod illi molestissimum accidit, qui hoc solum sibi auxilium tanquàm fundamentum iacit. Verum illud *quare* dicit, non quod sine causa, uel timore hoc Deus agat, (siquidem ad exercitium & certamen nostrum id fit) sed ut finem certaminis consequatur, qui sane finis per misericordiam reddi solet, cum ab eo, qui flentes

flentes consolatur, lugentibus solamen debeatur. nam Deum negligere uirum iustum, ab omni ratione prorsus alienum est. Vnde quicunque à Deo quærit, ait. Quare. Quasi dicat, Quoniam te tuos tueri decet, nec lætitiam hostibus præbere, quare igitur non perficitur illud? Sed, quare, quod à nobis dicitur, abundat. Quemadmodum illud: Vsque quo Domine obliuisceris mei, in finem? & illud: Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? nam & si ad tempus necessaria est afflictio, non tamen semper, & si per nos iusta de causa affligimur, ex Dei tamen misericordia auxilium consequi debemus, ut pacis fructum à Dei benignitate proficiscentem disciplina illis impendat, qui ea exercitati sunt. De Domino uerò præcipuè illud dicitur: Quare me dereliquisti, Quoniam nec ipse dignus erat, qui à se destitueretur, ideo celeste auxilium circa illius corpus, quod pro nobis patiebatur, celeriter apparuit. Psal. 12. Psal. 29. Matth. 27. Psal. 21.

NICEPHORI. *Iudica mihi Deus*, .i. iudex esto, *De gente*, .i. cum gente. Gens uerò non sancta Babylonii, & dæmones. homo uerò iniquus Nabucodonosor, & diabolus.

Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Nunc in tenebris delitescens, quæ sunt tenebrarum ago, & mendacis tyrannide opprimor: est .n. mendax omnis uitii pater: sed quàm lucem emitti precatur? Deum uerbum, & quàm ueritatem? nisi ut Spiritus eius adueniat, & quid addit?

DIDYMI. Quoniam Saluator lux uera est, & ipse ueritatem se esse dicit, qui ante aduentum eius ex uaticiniis didicerunt forè ut lux, & ueritas mundo affulgeret, orabant, ut lux, & ueritas per incarnationem eius emitterentur, ut ipsis ducibus ad montem sanctum, hoc est ad sublimiorem de Trinitate sermonem, & ad æterna tabernacula ducerentur. Cæterum lux substantia non aliud est à ueritate, utraque enim est Filius Dei, sed opinione differunt, quatenus enim ab umbris & mendacio liberat, ueritas est, quatenus uerò ab errore, & ignorantia, lux est. Ioan. 8. 12. Ioan. 14.

CYRILLI. In his illuminationem, quę per Christum Saluatorem nostrum illuxit, apertè ostendunt. Iuxta Dei promissionem per Isaiæ uocem factam. Ecce (inquit) adducam cæcos per uiam, quam nescierunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta. Dictum est præterea ipsi Filio, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, & aperies oculos cæcorum. Orant igitur Deum, & Patrem ut ipsis propriam lucem emittat, hoc est uerbum quod diuinitus illis ex substantia ipsius illuxit, quod ueritatem etiam appellantes, è falsis diis illud separantes, nam consentaneum erat eos à fraude ueteri recedentes, & ad uerum lumen properantes, his uocibus uti. Illud *deduxerunt*, dicunt prò deducent tempus pro tempore mutuantes. non enim tanquàm diuini luminis iam compotes, & qui ueritatem apprehenderint, per ea deduci contendunt, quin potius tanquàm in partem asciti sint luminis, & ueritatis deducerentur ad montem sanctum eius; & ad tabernacula ipsius: hoc etiam patet ex sequentibus, dicunt .n. Introibo ad altare Dei: Montem uerò sanctum Ecclesiam interpretantur, ita .n. sancti Prophetæ illa appellare consueuerunt, quatenus in sublimi posita, ut quæ mente percipitur, nec humile quicquam habet. Nam dignum est ut credentium in Christum multitudo quicquam terrenum sapiat, sed in cœlestibus eius conuersatio est, licet in terris ambulet. Isa. 42. Isa. 49. Phil. 3.

ORIGENIS. *Emitte lucem tuam.* Ego sum lux mundi Saluator (inquit) & rursus ego sum ueritas. Hoc in loco septuaginta mutauerunt tempus, & tanquam facta futura attulerunt. Alii uerò interpretes apertè magis dixerunt, Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam, quæ nos adducent, & deducent in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Et per tabernacula templum intellexit, per montem uerò, Sion, ad quem accedere postulat, ut consequi diuinam lætitiam possit. Lucem uerò, & ueritatem iustum, & salutare aduentum dicit, quemadmodum tenebrarum nomine calamitates appellauit.

THEODORETI. *Emitte lucem tuam*, & reliqua. Mutarunt hoc loco tempus septuaginta interpretes, futura tanquàm præterita asserentes. Verum alii clariorem interpretationem ediderunt. *Emitte lucem tuam*, & ueritatem tuam, quæ me deducent, & ducent in montem sanctũ tuũ, & in tabernacula. Opem tuá (inquit) imploro: nam per eam spero me à dura seruitute liberari posse, & ad patriam reuerti, ubi in templo tibi dicato legitimum cultum persoluam. Tabernacula enim Dei templum uocauit: Montem uero sanctum Sion: lucem autem ac ueritatem

iustum, & salutarem aduentum, nam quemadmodum tenebras calamitates, ita lucem ab iis liberationem appellat. Porrò ueritatem unà cum luce coniunctam postulant, tanquàm expetentes ut Deus suam, & Babyloniorum causam iudicet, certò noscentes Deum ueritate, non lenitate animi usum, eos quidem condemnaturum, se uerò ab eorum seruitute liberaturum esse.

HESYCHII, uel CHRYSOSTOMI. Fortassè prò monte legem intelligit, nam Dei lege nihil est sublimius: Tabernacula uerò præcepta dixit: in ipsis enim iusti habitant, sed uariis modis, dum quisque tabernacula uirtutum sibi construit. Cogitabis preterea Golgotha montem uerò sanctum, siquidem in eo sanctus sanctorum per crucem orbem terræ sanctificauit. Ta-
Matth. 27. bernacula uerò Bethleem, Sion, resurrectionem item, & assumptionem, frequenter.n. in ipsis, &
Marc. 15. mirabiliter inhabitauit, ad hæc.n. à uerbo Dei adducimur, & à spiritu, ut cum illis, (ut par est) de
Ioan. 19. inimicis uictoriam reportemus.

EVSEBII. Lumen tuum, & ueritatem, quæ penès te sunt, consequutus, à lumine quidem illuminatus, à ueritate autem tua manu ductus, deducar ad cœlestem montem sanctum tuum, & ad tabernacula tua, quæ illic sunt, de quibus etiam in superiori psalmo dicebat. Quoniam transi-
Psal. 41. bo in locum admirabilis, usque ad domum Dei. In uoce exultationis, & confessionis sonus exultantis.

NICEPHORI. *Lucem tuam.* Lucem appellat protectionem, & custodiam Dei: Veritatem uero uerum auxilium. Iuxta Anagogen uero per lucem, & ueritatem Christum intelligit. *Ipsa me deduxerunt*, hoc in loco tempus pro tempore positus est. Ipsa (inquit) in Sion, & in templum constituent. Iuxta Anagogen, Christus in cœlum deducet, & adducet fideles omnes.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea? & quare conturbas me.

Spera in Deo, quoniam adhuc cõfitebor illi: salutare uultus mei, & Deus meus.

THEODORETI. Hoc Symmachus ita interpretatus est. Vt ueniam ad altare Dei, ad Deum lætitiam uoluptatis meę, & cõfitebor tibi in psalterio Deus Deus meus, cupio autem in patriam reuerti, tuumque maximè optandum altare uidere opto, ac te super illud Domine intueri, qui omnis mihi gaudii, ac letitię author es. Illic uerò solitas laudes decantabo in cithara. nã in Babylone in salicibus suspendimus organa nostra, existimantes nos legem infringere, si alibi,
Psal. 136. quàm in loco tuo cultum tibi tribuissemus: *Quare tristis es anima mea.* Hinc manifestum est utrumque psalmum eandem sententiam continere. Qui huiusmodi uerbis usi sunt, se, ut optimè sperent, hortantur, uincantq; mœroris perturbationem, & à Deo salutem ueluti sine ulla dubitatione concedendam expectent.

EVSEBII. Porrò tanquàm tibi Deo consecrandus in penitissima loca penetrabo, & usque ad altare, & ad te Deum, qui spiritalem lætificas iuuentutem meam intrabo. *Per citharam uerò* corpus intelligit, per quod mens pulsari, & per sensus quasi per chordas harmoniam Deum decẽtem emittere consueuit. Cum ergo Prophetarum chorus has uoces emisit, palam orat, ut lumen eius, & ueritas Dei emittantur. quasi illud nunquam super terram uisum sit, nec ueritas hominibus innotuerit. Cæterum lumen emissum aliud erit à mittente, de quo dictum est. Erat
Ioan. 1. lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hoc ipsum præterea
Ioan. 14. Saluator docet, ex persona sua docens, Ego sum lux, & ueritas, & uita. *Quare tristis es anima mea.* Symmachus uerò sic uertit: quare defluis anima mea? & cur tumultearis contra me?
Psal. 39. Expecta Deum perpetuò nanque confitebor illi saluti conspectus mei, & Deo meo. Ex-
Rom. 5. pecta (inquit) ut & ipsa aliquando dicas. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Sed & spera in Deo, nam spes non confundit. Quid enim turbari, aut quid mœrore confici oportet, cum tam ingentia bona expectentur? Adhuc enim minimum temporis superest,
Abac. 2. quo qui uenturus est, ueniet, & non tardabit. & lumen emittetur, & ueritas adueniet, & quæ prædicta sunt finem accipient, & finis totius sermonis est salutare uultus. Ipse est Deus meus. Cum enim dignus factus fuero, qui Deo assistam, & salutare, de quo in omnibus scripturis copiosus est sermo, facie ad faciem intuear. Tunc confitebor illi tanquàm Deo meo, & salutari meo. Appositè ac probè sanè lumen cum ueritate coniunxit: nam quod sensilis ista lux est oculis corporeis, hoc idem est ueritas oculis animæ, naturam rerum aspicientibus, & nunquàm deceptis. Hi cum per ipsam rerum comprehensionem illuminati sunt, ueritatis cognitionem quoque acceperunt. Verbum ergo interpretatum

est illis luminis efficaciam, quæ ueritatem ostendit. unde iure, cum hęc discipulis suis traderet,
docebat dicens. Ego sum lux, & ueritas, & uita. Siue hæc dicant iis, qui sunt in Babylone, siue *Ioan.14.*
gentibus, quę nunquam crediderunt.

Cyrilli. Et qui ex gentibus sunt, aiunt se in tempore uocationis ingressuros ad sanctissimum altare Dei, in quo hostiam incruentam facimus, & pro composito thymiamate quasi cithara utentes, laudes Deo offerimus, cuius fructus est lętitia iuuentutis, quàm Deus mentem re
nouando facit. Exuite enim (inquit) ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria *Eph 4.*
erroris, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est sanctitate, & iustitia, de quo Prophe *Psal.102.*
ta loquitur. Renouabitur sicut Aquilę iuuentus mea, secundum quàm lętus aliquis efficitur, cũ opera pietatis exercet.

Didymi. Illud *Introibo*, non est ociosè dictum: nam qui à sensibili altari intelligibilis cogitationem sumit, ingreditur ad ipsum Deum, & hostias illi inuisibiliter offert, iuuentutem uerò intelligit eam, quę ueteri homini opponitur, nam solus ille, qui spiritu, & mente iuuenescit, cum nouo homine affinitate coniunctus est, & in nouitate spiritus ingreditur ad Deum, qui hanc lætificat iuuentutem.

Apolinarii. Citharę additione hilaritatem indicauit. acclamatione uerò geminata dilectionem. *Spera in Deo.* Hæc est consolationis admonitio, nam & si (ait) ob res præsentes mę rore afficimur, in posterum tamen gratias agemus, nobis interim per expectationem & tolerantiam præstolantibus, ut Deus, qui salus est hominum, à nobis ad ipsum respicientibus, mœrorem expellat.

Hesychii, uel Chrysostomi. *Introibo ad altare Dei.* Quodnam altare? pro *Heb.7.*
priè crux eius in uniuerso orbe terrarum. Hoc est uerè altare Dei. In ipso enim Dei uerbi sa- *1.Cor.15.*
crificium, qui prò nobis mactatus est, peractum est. illic nostra iuuentus meritò lætitia afficitur, per crucem enim ueterem exuentes, nouum Adam induti sumus, à quo nostræ substantiæ renouata iuuentus iure lætatur. Et quomodo oporteat ad hoc altare ingredi, iam audias. *Confitebor tibi.* Considera, quod per confessionem, & introire ad altare Dei, & renouari possumus, oportet autem confessionem in cithara contexere, hoc est in psalmorum compunctione, uel in mortificatione, uel in uirtutum concentu: nam mortificationem ipsi nerui, concentum uerò harmoniæ latenter insinuant. Illud uerò, *Deus, Deus meus*, primum cum articulo, secundum sine articulo posuit. ut docearis, nos Deum uniuersorum, nostrum pręcipuum Deum ob zelum & fidẽ nobis ascribere. *Quare tristis es anima mea?* cur luges (inquit) & turbaris animò? Adest enim (ait) gaudium, & tranquillitas, si ascenderis in spem, quæ in Deo sita est. Si uerò anima dicat, & quomodo possum sperare in Deo, cum errauerim? Audi rursus prophetam dicentem, quæ sequũtur. *Spera in Deo quoniam confitebor illi.* Vbi confessio est, illic magna spes est familiaritatis, cum Deo ineundæ, & propterea psaltes adiecit. *Salutare uultus mei, & Deus meus.* Vultus no-
ster sunt sensus nostri: hos cum Christus per mysterium incarnationis suscepisset, sanos fecit, nã *1.Ioan.5.*
prius à dęmonibus corrupti fuerant. *Eph.5.*

Nicephori. *Et introibo ad altare Dei.* Colens illum, & sacrificans. *Iuuentutem meam,* uigescens animi propositum, & summam promptitudinem iuuentutem uocauit. per circunscriptionem autem dictum est, *ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam*, id est, qui propositum eius cultus in nobis auget, iuxta Anagogen. per iuuentutem renouatio illa intelligitur, quæ fit per baptismum, cum exuto ueteri homine nouum induimus.

IN FINEM, FILIIS CORE IN INTELLECTVM.

PSALMVS. XLIII.

Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis.
Opus, quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.
Manus tua gentes exterminauit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.
Non.n.in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos.
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui, quoniam complacuisti in eis.
Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.



VSEBII. Sed nec et proposita uerba ex præscriptione Psalmum cõtinent, neque canticum, neque hymnum, neque aliud quicquam buiusce notæ, quoniam neque ea, quæ ad sententiam illorum pertinent, quicquam continent, quod sit eius considerationis, sed sunt supplicationes similes precedentibus, & eiusdem argumenti, quæ scilicet de lapsu Iudaicę gẽtis ex persona Prophetarum à filiis Core factæ sunt. Apertius nunc in hoc Psalmo sensum exponunt, cur superius conquesti sunt, nam calamitates, & mala percurrunt, quæ populo acciderunt. Vnde nos ad intelligentiam excitant, & ex inscriptione nos in finem remittunt, quoniam hæc in fine uentura sunt, quamuis ea, tanquàm iam uenerint filii Core prophetico spiritu diuinauerint. Per præcedentem ergò sermonem deplorabant, suasque calamitates, & ęrumnas Deo exponebant, in propositis uerò eadem quoque mala percurrunt.

THEODORETI. Cum Psalmus is quoque futurarum prædictionem contineat ad finem expectandum hortatur. Apponitur autem titulus, *ad intellectum*, ut intelligentes quæ scripta sunt, de quibus est prophetia, fructum inde recipiant. Macedonicam uero crudelitatem, ac sæuũ,
1.Mar.1. & ferum Antiochi Ephiphanis animum, Machabęorum etiam constantiam, & pietatem prædicit. Nam beatissimus Matatthias unà cum filiis zelo Dei correptus, tum innumeras Macedonũ copias, ingentem Elephantum multitudinem, ea tanquàm diuina ope destituta reputans imbecilla, cum paucis superauit, cumque Idolorum altaria subuertisset, diuinum templum expiauit, & pristinum contribulibus suis cultum restituit. Sed non ipse solum, uerum & filii eius post obitum ipsius precibus hostes fugauerunt, & diuino freti auxilio trophæa erexere. Ex ipsorum igitur persona prophetica gratia sermo habetur, multò ante docens, quibus uerbis eos, cum fuerint in periculis, uti debeant.

HESYCHII. Hi quoq; cantores erant, qui prophetiam, à Dauid canendam acceperant. Ad intellectũ uerò probè psalmus inscriptus est. Siquidẽ exhortatio est ad sperandum in Deo, & narratio eorũ, quæ ex Dei auersione mala prouenerint: Et quomodo ea si tolleràter ferãtur, cessant, dũ Deus ipse deinceps ad ferendã nobis opẽ excitatur. Quare meritò, IN FINEM inscriptus est, siquidẽ perfectorum est his studiosè incumbere, & ea continenter commeditari.

THEODORI. Post reditum ex Babylone, cum rursus Israelitę proprias domos habitarent, & fructibus patriæ terræ fruerentur, in seuiores calamitates impegerunt. Hinc enim Antiochus cognomento Epiphanes illos bello subegit, & Dęmonum suorum nomine in eorum tẽplo ara erecta, & aliis quoque in locis templis extructis Israelitas omnes sacrificare cogebat, & auitam legem perfringere. Et tum quidem ad id negotium exequendum missus ab Antiocho
1.Mar.1. quidam fuit, qui omnes sacrificare compelleret. Accessit tunc temporis sacrificaturus, & legem patriam soluturus Israelita quidam, eum Matatthias, qui tunc summus sacerdos erat, zelo, atque indignatione correptus accedentem interfecit ante oculos imperantis, & strenuè prò gente sua, & prò patriis legibus decertando, occubuit. Sic obiens principatum filiis suis reliquit. Iudæ tamen, qui Machabæus dicitur, summam potestatem tribuit, & tanquàm uiro forti belli negotia commisit. Hi prò gente sua bella gesserunt, & ex multis molestiis, & grauibus ærumnis liberati sunt: Et Antiochum ducem, ac hostium immanitatem, quæ deinceps sequuta est præside ipso Iuda Machabæo Iudæi superauerunt, à quo etiam qui sub ipso militarunt,

militarunt, Iudęi uocati sunt. Mos enim erat Israelitis, ut ab duce familiæ cognominarentur, ut Domus Dauid. Mala ergo illis illata ab Antiocho narrat.

ORIGENIS. Psalmus est ex persona eorum, qui erant in dispersione, uel eorum omnium gentium, sexcenti illi qui crediderunt accipientes uerbum Israel. sed & psalmus in futurorum prædictionem continens finis recordandum esse iubet.

CYRILLI. Cum eadem huius, & quadragesimi primi psalmi inscriptio sit, & similis utriusque sententia, planè quisnam sit psallentium scopus, dicendum est. Demus igitur illis personam eorum, qui in lege instituti sine reprehensione in ea uersati sunt, & uitam, quæ tum maximè cōmendabilis erat cum gloria traduxerunt, qualis fuit diuus Paulus, qui ex legis iustitia se irreprehensibilem fuisse dicit. [Ps. 1.3.] Sunt etiam nonnulli, quibus rectius uideatur hæc interpretari iuxta priorem expositionem, illam inquàm, quæ ab Eusebio Cæsareę tradita est, est ergò rōni cōsentaneū psalmum offerri uel ex persona sanctorum prophetarum. uel illorum, qui legis cultum inculpatè obseruauerunt.

EVSEBII. *Deus auribus nostris audiuimus*, Qui in captiuitate, ac in dispersione gentis fuere, hi non ea, quæ olim temporibus Mosis, ac sub IESV Naue facta sunt oculis suis uiderunt, sed tum ex traditione maiorum, tum ex diuinis scripturis hausta perceperunt. Aiunt ergò: quæ auribus nostris olim facta percepimus, similia poscimus etiam fieri temporibus nostris, unus enim atque idem Deus es, qui olim, & nunc, quæ agi possunt, efficere potes. *Manus tua*, proinde oramus te, & obsecramus, ut quemadmodum olim maioribus nostris, cum ab hostibus affligerentur, opitulatus es, ita etiam de nobis curam agas. quemadmodum uerò patres eorum, qui [Iosue.] hæc dicunt DUCE Iesu Naue uictores reddiderit, & quemadmodum exteras gentes, quæ regionem suam olim possidebant illi iuuerint, non est repetendum, cum hoc ab historia facilè peti possit. Cœterum non fuere (inquit) patres nostri, qui hæc præstiterunt, sed manus tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui, horum etiam nos indigemus, quæ licet sub uariis nominibus introducta sunt, ad unum tamē argumentum omnia referuntur, uerbum.s. salutare, quod in principio apud Deū Deus erat, ratione diuersorū propositorum manū Dei, & dexteram ipsius, & brachium, & lumen diuinæ scripturæ appellant, illud autem est sapientia Dei, iustitia, & [Ioan. 1.] sanctificatio, & redemptio, qui ergò propositas uoces emittunt, fatentur se à patribus didicisse, [1. Cor. 1.] quisnam Deus fuerit, qui olim illis in deserto præcesserit & qui per Mosen successorem hostes ac inimicos illis subiecerit, illud ergò ipsum lumen, & brachium, & dextera tua, quæ patribus adiumento fuit, protinus & nunc pariter illucescat. Docentur ergo qui ceciderunt, & sunt in dispersione populi non ignorare brachium Dei, nec dexteram eius, aut lumen, quod effulget ab eo, cuius adminiculo patres eorum uictoriam de hostibus reportarunt.

HESYCHII. *Deus auribus*, Sed quomodo aliter, quàm auribus audire possumus? Aures animæ intelligit, quibus occlusis nihil nobis exteriores prosunt: cum plerunque uocibus, ac uerborum sonis perculsi nullum dictorum sensum habemus, cum aliò conuersas mentis aures teneamus, per patres autem Prophetas intelligit, ut Mosen, & eos, qui deinceps sequuti sunt, qui nos opera Dei longè à memoria nostra, ope diuini spiritus edita, docuerunt, *Manus tua gentes disperdidit*: Forsan Chananæos dispersos intelligit, quibus expulsis Iudæorum populus prò illis illic inhabitauit, sed nos gentes, quæ recenter ad Christum accessere dicimus in hac prophetia intelligi, prius enim propter Idolorum cultum eiectæ, rursus ad uitam per fidem in Christum uitæ authorem plantatæ sunt, nam Patris manus unigenitus dicitur, qui per crucem simulachris inseruientes extirpauit, quos pater ad uitam conuersos inseruit, nam commune Patris, & Filii & Spiritus Sancti, opus est mutatio gentium. Ad sensum uerò, abiecto Israel, & [ordinatione] admissis gentibus, illę diuina institutione diuinis scripturis transplantatæ sunt.

ORIGENIS. *Manus tua gentes exterminauit*, Vitium & ignorantiam exterminauit, uirtutem uerò & cognitionem plantauit. Omnis enim plantatio, quam non plantauerit Deus, eradicabitur, [Matth. 15.] per gentes intelligit quatuor illas prouincias palæstinæ Getthæos, Azotos, Acharonitas, & Gazęos.

THEODORETI. *Auribus nostris*, Nos (inquit) Domine non fuimus miraculorum tuorum spectatores, sed didicimus à patribus nostris, quot olim miracula fecisti, cum quæ progenitoribus nostris promiseras, seruares.

DIDYMI. Qui diuinam scripturam calumniantur, tanquàm non accuratam, & disertam, inquiunt. quomodo fieri potest, ut quis alio sensu, quàm auribus audiat? At ignorant miseri quod non de auribus simpliciter, sed de humanis auribus hæc dicit, quæ quidem cum ratio-

ne,

ne,& mentis adhibitione audiunt. Quemadmodum si musici homines dixerint, musica præcepta musicis auribus commendare, sic & hi non ad aliud respicientes, sed communes aures separantes dicunt, *Auribus nostris*, quale illud est. qui habet aures audiendi, audiat, Patres Matth.13. nostri,uel patres iuxta institutionem annunciauerunt diuina opera,nel progenitores annunciauerunt ea,quæ à se gesta sunt. *Manus tua gentes disperdidit,& plantauit eos*, Hic Israelem intellige,qui ex quo Saluatorem prodidit,à Dei manu dispersus est,& gẽtes instructione diuina in scripturis diuinitus afflatis plantatæ sunt.

Osee 10. Psal.29. CYRILLI. Tanquàm de uite dicitur illud,*Transplantati sunt*,Vitis enim frondosa Israel,& uitem ex AEgypto transtulisti.

THEODORETI. Tu (inquit) Domine Chananæos cum reliquis gentibus hic expulisti, & patres nostros prò illis habitare fecisti, cœterum nec robori fidentes,nec armis utentes iis superiores facti sunt,uerum gratia tua in exercitum compulsi, hos quidem cæsos, hos uerò in captiuitatem abductos uiderunt, nam eos tua familiaritate dignatus es,hoc enim dicit illud, *Complacuisti in eis*, Dexteram, uerò auxilium, illuminationem, conspectum uocat.

HESYCHII, *Afflixisti populos*, Nempe Iudæos,testantur hoc,qui ab Hierusalem expulsi sunt, & ab omni paterna hæreditate eiecti, quamobrem? Quoniam tradentem sibi hæreditatem abnegarunt. *Non enim in gladio suo*, Rem quidem irridendam passi sunt, nam si propriis uiribus seruati essent,& hæreditate terram accepissent,uerè confidere potuissent se,à se parata,seruare posse,at hæc quidem non propriis armis, nec robore manuum compararunt,id autem ostẽdunt, quæ sequuntur. *sed dextera tua, & brachium tuum,& illuminatio uultus tui*, Hæc apertè Christum indicant, tanquàm eum, qui tum quoque Iudæorum populo bona tribueret. Bra- Isa.53. chium uerò Patris Christum uocat Isaias:Domine(inquit)quis credidit auditui nostro? & brachiũ Domini cui reuelatũ est? Annunciauimus tanquàm puerulũ coràm eo,& sicut radix in terra sitienti uidimus eũ,& nõ habebat speciẽ,neq; decorẽ,sed species eius in honorata,& despectus supra filios hominũ. Eundẽ quoq; dexteram uocari,& apud Dauid, & apud alios Prophetas in- Ioan.1. uenies:lumen enim ex uultu Patris procedens unigenitus dicitur, de quo Ioannes in Euangeliis clamat. Erat lux uera,quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Qui in salu Luc.2. te hominum sæpe sibi complacuit,ut cum in carne genitus esset,laudantes Angeli dicerent,Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, at Iudæi tũ non cognouerunt, ideò subiunxit,*Tu es ipse rex meus*, sunt hæc nomina differentia,unius tamen puri,ac simplicis su- 1.Cor.1. biecti:nam salutare uerbum,quod in principio erat apud Deum,& ipse erat Deus ex diuersis rationibus,& dexteram eius,& brachium,& lucem diuinæ scripturæ nuncupant. Quemadmodum & sapientiam Dei,& iustitiam,& sanctificationem,& uirtutem,iuxta illud. Factus est nobis sapiẽtia Dei,& iustitia,& sanctificatio,& redemptio.

DIDYMI. *Et expulisti eos*, Deus malè tractans eos,qui erant ex circuncisione, illos ex sacra legis disciplina eiecit. *Non enim in gladio*, Non enim qui ex gentibus credidere,lege belli uictores terram prædictam hæreditate consequuti sunt, sed gratia tua salutem habuere,dextera tua,& à brachio tuo,hoc est unigenito filio, illuminatio autem,quæ illuminat, uultus tuus est, *Quoniam complacuisti in eis*, ut saluares eos gratia, non ex operibus eorum, ne glorientur.

CYRILLI. Alius uultum Patris Filium uocat,est enim imago illius per omnia illi similis,& character substantiæ eius. Illuminatio uerò ab eo in mentem,& in cor immissa eorum,qui ad redemptionem uocantur,intellectus est,qui per se ipsum,per Spiritum Sanctum illuminatos, ad Deum ducit.

HESYCHII. *Tu es ipse rex meus*. Audiant,qui Christum in duo diuidunt,non enim hoc facit Dauid,sed ipsum regem,& Deum dicit. Regem quidem tanquàm ex semine Dauid, Deum uerò tanquàm uerbum ex parte salutis nostræ causa incarnatum; siquidem opus erat regem & Deum dici,cum iam constet diuinitatis dignitatem regnum sequi,quippe cum cœlesti maiestate dispensationem terrenã induere proposuit. uias autem salutis non Israel, sed ipsi Iacob, hoc est Diabolum supplantanti posuit. At cuius salutis uias illi substrauit ad Satanam supplantandum,nisi præcepta,quibus non à cœde tantum,sed abira ad cœdem impellente abstinere præcepti,nec adulteria solum,sed concupiscentiam ex qua fiunt adulteria abominari iussit,itemq; iusiurandum fugere, ut periurium eidem inhærens declinemus,ita enim anteuertentes eius insidiis aduersarium supplantare licet.

THEODORETI. Idem es(inquit)& nunc Domine similiter regnans, similiter potens, eandem

tandem potestatem habēs, tua uerò natura nulli mutationi obnoxia est: satis est uerbum ad salutem, Annue, & hanc populus consequetur. sic Symmachus explicauit, manda de salute Iacob.

CYRILLI. Symmachus, *Tu es Rex meus & Deus meus manda de salute Iacob*, conueniunt hæc iis, qui in populo uirtute præstabant, & prophetis, qui non propria uirtute, sed Dei gratia se saluos fieri profitebantur, nam uidentur sic fateri Domino, semper, & iisdem in rebus & similiter te habes, proinde cum dicat interdum, Auxiliator Israelis, omnipotens, & insuperabilis, & nō est, quod suspicemur eum quicquam de uirtute sua remisisse, nihil aliud cogitandum relinquitur, nisi propterea nos eiectos, & prolapsos esse, quod deliquimus, solamque auxilii spem habere à serenitate, ac benignitate tua, tu enim es, qui prius miracula edidisti, qui mandas salutes, id est qui polliceris: nam Deus Abrahæ pollicitus est, se posteros eius omnes seruaturum esse.

APOLINARII. Te (inquit) habemus regem, & Deum populi nostri saluti prouidentem, & hoc tibi curæ esse scimus, & tuæ confidimus uoluntati.

DIDYMI. *Qui mandas salutes Iacob.* supplantantes mala ut saluus fiat, Mandat Deus, uel Saluatori Christo, uel sanctis spiritibus, qui in ministerium mittuntur, propter eos, qui in hæreditatem salutem accipient, ut in subsidium celeriter eant, & præstò sint, scriptum est enim. quod Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus uiis tuis. Psal.90.

NICEPHORI. *Deus auribus nostris audiuimus*, opus tuum à patribus nostris audiuimus quod uirtute tua gentes à Palæstina terra deletæ sunt, & in ea patres nostros habitare fecisti. *Non saluaunt eos*, è bello externarum gentium. *Sed dextera tua, & brachium*, Dexteram, & brachium Domini diuinam potentiam appellat, illuminationem uero uultus uisitationem, & susceptionem, quoniam complacuisti in eis, idest quia benè uoluisti patribus nostris, εὐδοκία enim significat ἀγαθὸν δόγμα. *Tu es ipse rex meus*, Tu, qui illa operatus es, idem ipse es, & nunc, qui olim fuisti, similiter regnans, similiter potens. *Qui mandas salutes*, per hæc celeritatem, & facilitatem diuini explicat auxilii, satis est enim solum uerbum tuum, ad saluandum populum, qui te cognoscit.

ORIGENIS. *Non enim in gladio suo*, In nobis est unà cum Dei uirtute benè ac honestè agere, dignos uerò haberi spiritali cognitione non est in nobis.

In te inimicos nostros cornu petemus, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.
Saluasti enim nos de affligentibus nos, & qui oderant nos confudisti.
In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum.

EVSEBII. Illi ex populo, quibus cum res fęliciter agebatur, cum uirtute præstarent, & prophetæ quoque hæc dicere potuerunt fatentes, non propriis uiribus, neque arcu, aut gladio, sed ne potentia quidem cornu ipsorum salutem sibi comparasse. Porrò cornua Danielis scriptura regna uocat, At sanctorum cornu ipse Dominus est. ideò dicit, *In te inimicos nostros uentilabimus cornu.* & alibi dictum est, protector meus & cornu salutis meæ, ipse ergò cornu est, quęris quomodo alibi dictum sit. Confessio eius super cœlum, & terram, & exultabit cornu populi sui, perinde ac si alius esset, qui prædictum cornu exaltaret: proinde considera, num Dominus ipse, qui est uerbum Dei, cornu populi esse posit: qui uerò ipsum exaltat, sit Pater, qui genuit ipsum, cum enim se ipsum usque ad mortem depressisset, mortem autem crucis, propterea Deus maximè illum extulit, ut ait Apostolus. Hoc ergò cornu suo, & rege freti profitentur se non arcu, aut gladio, neque uirtute propria, sed regis sui potentia hostes superaturos. Deinde quoniam regem, & cornu Dominum ipsum consequuti sunt, meritò asserunt, se minimè inimicorum potestate fore, sed hostibus superiores futuros, namque hoc indicant, dicentes. *Saluasti nos de affligentibus nos, & qui oderant nos, confudisti*, & quoniam inimici quidem dedecore confusi sunt, ipsi uerò non prò uiribus, sed cornu sui potentia seruati, meritò addunt. *In Deo laudabimur tota die*, uel iuxta Aquilam: in Deo gloriabimur, uel ut Symmachus uertit, Deum laudabimus tota die, *Et nomini tuo confitebimur in seculum*, Confessionem prò gratiarum actione usurpare scripturæ diuinæ consueuerunt: ut qui regis sui fortitudine seruati sunt, meritò dicant, se gloriari, canere, laudare, gratias agere, & confiteri. Hęc quidem ex persona cœtus prophetarum dicta sunt. quæ uero deinceps inferuntur, ipsi rursus sibi uendicantes calamitates populi per currunt. Dan 7 8. Psal.17. Psal.140.

DIDYMI. Quemadmodum belluis nonnullis in sui defensionem cornu Deus dedit, ut etiam offensas propulsare possent, ita sanctis cornua sunt potentia ac uires IESV, quibus qua-

ſi cornibus hoſtes ſuos petunt, quare omnia animalia, quæ cornibus utuntur, cum munda ſint, quatenus ad ſacras aras adducuntur, cibus ſunt iis, qui Dei pars, & hæreditas habentur.

EVSEBII.(ut dicunt) Animæ cornu mens pura eſt, quæ hoſtes rectè agendo, & quotquot in eam inſurgunt, & ſpiritali contemplationi aduerſantur, ſcientia, & cognitione quaſi cornu petit.

HESYCHII. Proprias non habemus uires, quibus cum inuiſibilibus hoſtibus decertemus, ſed aduerſus huiuſmodi hoſtes cornua crucis accepimus, de quibus dixit Abacuch, cornua
Abac.3. in manibus eius, in nomine autem Chriſti ipſos parui facimus, & uſquè adeò contemnimus, ut cum illi nos aggredi tentauerint, modo IESVM Nazarenum nominemus, illi tanquàm ab igne, & flagris fugientes diſcedunt, & contremiſcunt.

APOLINARII. Te(inquit) tanquàm cornu ad ulciſcendos hoſtes omnes habemus, & nomen tuum, quod in nobis eſt, proſternet inſurgentes, & qui ſe nos ſuperaturos ſperant, conculcabit.

THEODORETI. Quæ cornigera ſunt animalia naturæ munere cornua prò ſui defenſione habuerunt, nos uero ſalutis noſtræ cornua, & arma uictricia nomen tuum habemus, quo utentes hoſtes ſuperabimus, non enim arcubus, aut armis ullis confido, nam uirtutem tuam expertus ſum per te hoſtibus iam debellatis, iugiter autem oramus, ut ope tua ſubleuemur, & continenter beneficiorum tuorum multitudinem enarremus, hoc enim, *tota die*, prò, ſemper poſuit: Symmachus, per omnem diem, dixit.

ORIGENIS. Cornu animæ eſt pura mens, & actrice quidem uirtute hoſtes uentilat, per cognitionem uerò inſultantes, & aduerſarias poteſtates ſpiritali ſpeculatione deiicit.

CYRILLI. *Et in nomine tuo ſpernemus*, Nomen hoc loco prò gloria ponitur, ſiquidem poteſtatem dedit, Deus ut glorificetur: nam Deus Iſrael de manu AEgyptiorum liberauit, gloria, & honore ſe ornans, nanque ad Pharaonem dixit: ideò excitaui te ut oſtendam fortitudi-
Exod.9. nem meam, & ut narretur nomen meum in omni terra. Alibi etiam Deus per Prophetam
Oſee 1. dixit. Filiorum Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ipſorum: non autem ſaluabo eos in arcu, neque in gladio, neque in bello, nec in curribus, nec in equis, neque
Ezech.36. in equitibus, itemque: Non propter uos ego facio, dicit Dominus, ſed propter nomen meum.

HESYCHII. *Neque enim in arcu meo ſperabo*, Fortaſſe nec bellum ſenſibile armis rectè conficere poſſumus. Demonſtrarunt hoc Pharao, Siſara, Goliath, & huiuſmodi alii, qui copiis,
Exod.14. & armis muniti(ut ipſi putabant) uicti tamen fuere. Multò uerò magis intellectuale bellum,
Iudic.4. uirtutibus indiget, non enim opus eſt armis, aut uerbis ad uictoriam comparandam, & exer-
1.Reg.17. citum inſtruendum, nanque arcus, & gladios ſæpe Dauid ipſe malignorum linguas appellauit.

APOLINARII. Non enim(inquit) arcu & haſta inſtruor, & propterea ſpes mea non eſt in armis, quoniam neque patribus meis hæc ſatis fuerunt, neque ſuo robore bellicas res perfecerunt, ſed opus eorum omnem humanum apparatum ſuperauit.

HESYCHII. *Saluaſti nos de affligentibus nos*, Non modò nos ab hoſtium, & affligentium ſeruitute liberaſti, ſed etiam ipſos confudiſti, qui quondam in nos tyrannidem exercebant, & ſuo ſubigebant imperio; nam Idola, quæ prius colebamus, nunc igne abſumimus, errorem
Luc.23. tanquàm ſuperfluum; & mendacia ſubuertentes: confirmauit tamen in me ſores noſtros
Ioan.8. latronem ſeruans, adulteram iuſtificans, & ubi abundauit peccatum ibi contulit gratiæ uber-
Rom.5. tatem.

APOLINARII. *Non in arcu meo ſperabo*, priorem doctrinam dicit, ad calamitates, quæ poſtea ſequutę ſunt, propulſandas non parum potuiſſe, didicimus enim, quod ſalus, & liberatio noſtra de manu inimicorum abs te profecta eſt, ſcimuſque illorum uires illis in confuſione uerſas eſſe. *In Deo laudabimur*, Non in uirtutibus noſtris, quando nonnulli ſunt, qui nullas omnino habent: nonnulli uerò non ſufficientes habent, ſed in Deo, in quem credentes laudabimur, & iugum Dæmoniorum ſeruitutis excutiemus. *in nomine tuo*, hoc eſt, in Chriſto tuo, nam ipſum ad confeſſionem prò fiducia poſſidemus, cum ipſe noſtras iniquitates, & peccata portauit: & prò
Iſa. 53. nobis paſſus eſt iuſtus pro iniuſtis: quemadmodum Petrus expoſuit, relicto nobis aditu pœ-
1.Pet.3. nitentiæ, & confeſſionis. Diapſalma meritò prophetiam excepit, nanque à gratiarum actione ad humilitatis, & contritionis uerba cantor deſcendit, quod eſt pſallenti perutile, ut & triſtia cantici

tici frænum:& læta consolationem,& exortationem habeant.

DIDYMI. Dixit, *tota die*, uitam in Deo intelligens, quæ in animi tranquillitate,& Dei cognitione posita est.

APOLINARI. Propter hoc(inquit) semel in te toto tempore gloriamur, & nomini tuo gratias agimus, in quo etiam salui facti sumus, quemadmodum & per Ezechielem dicitur, non propter uos ego facio uictorias Israel, sed propter nomen meum. Ezech.36.

ORIGENIS. *In Deo laudabimur tota die, Beatus tota die in Deo laudatur*, ob eius uitam scilicet quæ & affectionum turbis caret,& Dei cognitione locupletatur, qui uerò laudatur ob artem aliquam mala, ut qui in ea præstet, siue in hæreticis & prauis progressibus proficiat, aut in aliis falsis doctrinis mendacibus, is non tanquàm beatus laudatur,& fortasse si laudatur, non tota die laudatur.

NICEPORI. *Ventilabimus cornu*, idest profligabimus, tractum ex metaphora animalium, quæ cornibus certant, ad aduersantium sublationem. *Et in nomine tuo*, tantum dicentes, Deus Israel, spernemus inimicos nostros, & contemptibiles reddemus. *in Deo laudabimur*, gloriabimur semper,& omnino, *Et in nomine tuo*, præpositio, *in*, uacat, inquit enim nomini tuo gratias sẽper agemus.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in uirtutibus nostris.
Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderant nos, diripiebant sibi.
Dedisti nos tanquàm oues escarum, & in gentibus dispersisti nos..
Vendidisti populum tuum sine pretio, & non erat multitudo in commutationibus nostris.

HESYCHII. Rectè & appositè dictum est illud, *Nunc autem*, ut intelligas ad tempus durare quæ iustis odium,& confusionem esse existimantur, quæ gloriam,& regnum illis in futurũ præstabunt. quare nec in potentiis, hoc est in uirtutibus eorum ad opem ferendam egressurũ Deum esse dicit, ut cunctante Deo illis opem ferre, auxilium differri putantes probati maiora & illustriora præmia consequantur.

APOLINARII. *Nunc autem repulisti*, Verum spes ipsæ (inquit) firmæ, quæ ac in concussæ erát, à quibus nullo casu recedebamus, nunc propterea, quæ accidunt, contrariæ sunt, nam pudore(inquit)abiecto abs te destituti sumus, quo nostris exercitibus præsente, pudor etiam ille, qui hostibus nostris inerat, nos circunstetit,& uicti sumus ab iis, quos uiceramus, & direpti ab iis, quos diripiebamus, in hoc enim inprimis declaratum est imperium, quod Israelitis à Deo euenit, in quo qui deprehensi sunt, superantur, quemadmodum homini comprehensum fuisse, mortis occasio extitit: ostendens non esse immortalitatem nisi à Deo.

THEODORETI. Hæc à te olim facta fuere, nunc autem protectione tua destituti sumus,& in confusione uersamur: neque à gratia tua ut ante in diebus antiquis deducimur. *Non egredieris*, Videlicet non eris dux exercitus nostri, non dedisti nobis, ut hostes uinceremus, ut solebas, nam procurationem tuam non habentes, nos quidem terga dantes fugiemus, At hostes ipsi res nostras abripiunt, Porrò nos tanquàm oues a pastore destitutæ ab inimicis tuis destruimur,& qui mortem declinauimus, huc & illuc acti in seruitutem abigimur. *Vendidisti populum tuum sine pretio*, sic Symmachus uertit. Vendidisti populum tuum sine substantia, non multum fecisti precium illorum. Hæc quoque per Isaiam Prophetam Deus dicit. qualis hic liber repudii matris meæ,& cui uenditor existens uendidi uos? Isa.50. Ecce in iniquitatibus uestris uenundati estis, Isa.52. & in peccatis uestris dimisi matrem uestram: & rursus: Gratis uenundati estis, Rom.7. & sine argento redimemini, & Diuus Paulus, scimus enim quia lex spiritalis est, ego autem carnalis uenundatus sum sub peccato, quod hoc quoque loco uiri admirabiles dicunt: quoniam cum nullum precium ab hostibus recepisses uendidisti nos, sed propter peccatum tradidisti.

EVSEBII. Quoniam multitudo uniuersæ Iudæorum gentis in multis, ac uariis impietatibus,& iniquitatibus attrita non erat à corpore Prophetarum aliena, meritò quæ multitudini euenerunt, propria efficientes qui superiora attulerunt diapsalmate interiecto ad indicationem mutationis eorum, quæ dicenda sunt, inducuntur. Patres igitur nostri(aiunt)nunciauerunt nobis, auribus nostris audiuimus qualia,& quanta magnifica in diebus eorum opera edideris, nunc uerò talia oculis non cernimus, imò iis contraria cernimus. Tu enim Deus qui Patres nostros olim tutatus es, propter iniquitates nostras repulisti nos, & qui in te pridem iactabamur, & gloriabamur, omni ope destitutos, & desolatos confudisti, in conflictu aduersus hostes nos deseruisti: neque enim egressus es in uirtutibus nostris, uel iuxta Symmachum, in exercitibus,& ob id, *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, Vel iuxta Symmachum. Statuisti

nos

nos postremos cuiuslibet inimici, *Et qui oderunt, nos diripiebant sibi*, Dedisti nos tanquàm oues escę, & in gentibus uentilasti nos: Vendidisti populum nulla substantia, nec magni eos æstimasti, posuisti nos illusionem cum derisu iis, qui sunt in circuitu nostro, fecisti parabolam inter gẽtes, commotionem capitis in tribubus. Tota die uerecundia mea ex aduerso mei est, & ignominia conspectus mei tetigit me. A uoce exprobrantis, & blasphemantis, à conspectu inimici, & punientis se ipsum: Hæc iuxta Symmachum Prophetarum chorus in supplicationem ad deũ percurrit, perturbationibus, & affectibus populi in se susceptis. perspectum est ergò in propositis uersibus, quamobrem antea defleuerint.

ATHANASII. *Nunc autem*. Nobiscum olim commilitabas, & simul ad bellum egrediebaris, nunc uerò non solum nobiscum non conuenis, uerum etiam auertisti nos, ut iis etiam, qui nos oderant, direptioni simus. Hæc uerò Prophetarum chorus dicit, populi calamitatibus in se tanquàm propriis assumptis.

DIDYMI. Non prorsus ob peccatum repellit Deus, sed aliis de causis, quas ipse nouit, non enim omnis, qui retrorsum conuertitur, hoc uituperabiliter agit, sed siquis mala fugiens, ad ea rursus se uelit conuertere. quod si aliquis Sion, hoc est uirtute relicta, ad uitium, quod Babylon dicitur, accedit, is retrorsum conuersus beatam rem aggreditur. Cœterum qui proposita canunt, quoniam apud hostes fuere ad posteriora conuersi, in ignominiam lapsi sunt.

HESYCHII. Hoc iusti omnes, cum ad utilitatem & profectum tentantur, pati solent, & ad hostes proprios frequenter conuerti, ac confugere compelluntur, quemadmodum Dauid cum eum Saul persequeretur ad exteras nationes confugit, iusti pariter ab iis, qui eos oderint, *Heb.10.* corporeis opibus interdum spoliantur, ut facultatum direptionem, cum gaudio, (quemadmodum Paulus ait) suscipientes præstantiores diuitias, & ueram substantiam indipiscãtur. Interdum uerò intellectualibus diuitiis priuantur, ut spiritalium diuitiarum magistri in illis conseruandis, & prò illis uehementius decertando euadant. Vti Paulo, qui ab ipso persequutiones passi sunt, isti discipulos Domini euaserunt, *Dedisti nos ut oues*, Hęc propriè de Apostolis, & martyribus di*Matth.10.*cta sunt, quibus etiam Saluator ipse dixit: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum isti enim tanquàm oues ad uescendum paratas inter gentes in martyrii tormentis dispersi sunt.

DIDYMI. Qui hæc dicunt sancti quidam esse uidentur. Huic simile est illud: tanquàm *Isa.53.* onis ad occisionem ductus. Dati sunt tanquàm oues ad uescendum, facti cibus illis, qui sermones, & uitam in utilitatem suam profuderunt. Quin & inter gentes à Deo instar seminis ad culturam iacti dispersi sunt, ut gentes in similem frugem conuertentes in eundem habitum inducerent: neque enim accedendum est illorum sententiæ, qui dicunt Dei partem prædę modo dispersam esse.

Luc.26. APOLINARII. *Auertisti nos retrorsum*, Angustia (inquit) animo correpti sumus, cum eos, qui nos deuorant tanquàm oues ulcisci nequeamus, Angustia inquàm illa, & imbecillitate, quam Moses interminatus est eos inualituram esse in iniquitatibus positos dicẽs. Et terrebit eos sonitus folii uolantis. Et in captiuitatem (inquiunt) abducti miseram uitam ducimus, & qui olim de gentibus erepti eramus, & terram sanctam obtinebamus, nunc inter gentes dis*Gen.3.*persi sumus, honorifica autem fuit hæc resolutio, sicut in hominis formatione illud, Terra es, & in *Isa.63.* terram reuerteris: sic quoque Isaias de populo ait. Facti sumus quasi à principio, quando non dominareris nostri neque inuocaretur nomen tuum super nos.

ORIGENIS. *Auertisti nos retrorsum*, Antè quidem uirtutes, retrò uerò uitia esse dicuntur, quare iubemur fornicationem fugere, hospitalitatem uerò amplecti. *Vendidisti populum tuum, sine pretio*, peccatis enim uenditi fuimus, à quibus nos redemit.

ATHANASII. *Vendidisti populum tuum*, hoc est ad ignominiam nos exposuisti.

DIDYMI. Non accipiens sanè eos ex populo uendidisti, sed propter peccatum (inquit) *Isa.10.* quæ fecerunt mancipia hostibus facti sunt. Venundati sunt, (ut Propheta dicit) in peccatis eorum.

Rom.3. APOLINARII. Gratis uenundati estis, ut etiam dicit Isaias, inquiens eos uenunda*2.Petr.12.*tos esse propter peccata, quemadmodum & Paulus de homine dicit. Ego autem carnalis sum uenundatus sub peccato. quod etiam comminatus est Ieroboam regi, & populo, qui cum eo erat, per Sameam Prophetam, eos futuros seruos Susachim regis AEgypti, & quid intersit inter Dei seruitutem, & seruitutem regum terræ cognituros.

NICEPHORI.

NICEPHORI. *Et non egredietur Deus in uirtutibus*, hic etiam tempus pro tempore ponitur, & non egressus est (inquit) cum exercitibus nostris, *Conuertisti nos retrorsum*, qui olim consueuisti hostes nostros uertere, & nobis robur & uictoriam præbere, nunc contraria fecisti. *Diripiebant sibi*, nostra scilicet bona. *Dedisti nos tanquàm oues*, ad occisionem scilicet, *Et in gentibus dispersisti nos*, quotquot mortem effugimus ab eo malo liberi in seruitutem abacti fuimus, uel exules facti. *Vendidisti populum sine pretio*, Tanquàm inutiles, & uiles seruos, prauos enim ac mácos seruos solemus sine pretio tradere, atque eorum emisionem luroo putare, sic & tu nos inimicis nostris tradidisti.

Et non erat multido in commutationibus nostris:

Posuisti nos opprobrium uicinis nostris subsannationem, & derisionem his, qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem in gentibus, commotionem capitis in populis.

Tota die uerecundia mea coràm me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

A uoce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici, & persequentis.

CYRILLI. Alia scriptura dicit, & non fuit in uociferationibus nostris multitudo, iubilus seu uociferatio uox est, qua uictores uti solent statim parta uictoria. Quoniam uerò accidit, ut pauci fuerint, qui hoc præstare consueuerint, dicimus non esse multitudinem in uociferationibus eorum. Victi igitur & rapti sumus ab hostibus, qui facilè numerari possunt, non enim fuit multitudo in uociferationibus eorum.

HESYCHII. Non enim fuit multitudo, quando martyres uictores persequutores suos clamoribus persequebantur. Non erat quidem multitudo, cum nondum multi essent, qui crediderant, sed plures metuebant Sanctam religionem in studio martyrum profiteri.

EVSEBII. *Sine pretio*, Symmachus, non magni illos æstimauisti.

ATHANASII. *Posuisti nos opprobrium*, quæcunque in Christum illi fecerunt. in illos reciderunt, uituperarunt, uituperati sunt: irriserunt, irrisi sunt: in Christum capita mouerunt, in eos alii similiter fecerunt.

HESYCHII. Vicini nostri Iudæi sunt, qui iidem circa nos sunt propter legem, & prophetas: hi cum martyres uiderent tormentis affici, uituperabant, ac irridebant eos, ut qui frustrà in Christum sperarent. *Posuisti nos in similitudinem*, AEquè autem à Iudæis, & gentibus irridebantur martyres, ac Iudæis quidem in cantilenam, gentibus uerò in imaginem tormenti erant, ut terror, & auersio cernentibus essent, ne Christum confiterentur, aut tyrannorum imperium detrectarent, ne iisdem suppliciis afficerentur, capitis uerò commotionem in populis dicit, nam Iudæorum populi mouebant in eos capita sua ut olim fecerunt in Christum.

ATHANASII. Demum quæ in Christum fecerunt, eadem illis reddita sunt, uituperarunt, uituperati sunt, irriserunt, irrisi sunt, capita mouerunt in eum, capita in eos mota sunt.

ORIGENIS. *Et confusio faciei meæ*, Nos ipsos ueremur cum mente peccamus, homines uerò cum operibus delinquimus. *A uoce exprobrantis*, Hoc dicendum est ad eos qui in persequutionibus succumbunt.

APOLINARII. *Posuisti nos in similitudinem*, similitudo isthæc est, ut in imprecationibus fiat de illis mentio, quemadmodum Ieremias in falsos Prophetas dicit, & assumetur ex eis Ier.29.
maledictio omni transmigrationi Iudæ, quæ est in Babylone dicentium, ponat te Dominus sicut Sedechias, & sicut Acab, quos frixit rex Babylonis in igne prò eo, quod fecerint stultitiam .21.
in Israel. Hæc autem nunc meritò præcipuè patiuntur tanquàm oues deuorati, quoniam Christum tanquàm ouem ad occisionem duxerunt. Venditi autem gentibus quoniam Dominum argento tradiderunt, ac quodam modo proditum in mortem licitati sunt. & irrisi, quoniam Dominum crucifixum irrisere, subsannarunt, risumque & capitis nutus fecerunt.

DIDYMI. *Tota die uerecundia*, in prædictas (inquit) miserias per uitam incidimus confusi tota die dedecus ante oculos habemus, atque etiam confusio faciei nostræ operuit nos, ut non audiamus fidenter facie animæ nostræ reuelata Dominum intueri.

HESYCHII. Ex persona totius Ecclesiæ populi hæc dicta sunt, quæ continenter reminiscitur eorum, quæ per errorem committuntur, & ob id confusá se dicit, ac ignominia faciei suæ se operiri. quæ autem illi confusionis causa insignis? certè obloquentis uox, & irrisio exprobrantis.

DIDYMI. *A uoce exprobrantis*, & more insanientis, & obloquentis tota die in conspectu suo confusionem uidens: Ab inimico uerò urgente, qui aspectum suum formidabilem ostendit, ignominia faciem illorum operuit.

HESYCHII. Meritò obloquentem Diabolum appellauit, qui alia prò aliis, ut nugatores solent, loquitur & fideles uituperat, quod neque propter iustitiam, neque ut probatè coronentur hæc sustineant, sed quoniam per eius seruitutem deserunt & DEO accedentes militant, quod quidem & peccatores facere, qui ad pœnitentiam accedunt, consueuerũt, cũ quibusdam tentationibus ad uirtutem ulteriorem exerceentur, uituperans eos tanquàm non tentatos, nisi uoluptates & uitam in peccatis positam relinquant, sed considera tu quid prudentes, & moderati homines deinceps inferant. *Hæc omnia uenerunt super eos.*

THEODORETI. Per uicinos & eos qui in circuitu sunt, alienigenas uocat Idumæos, Moabitas, & Ammanitas, & alios finitimos, quibus ludibrio facti sunt, cum bello infestati sunt. Cœterum maxima discrimina, & narrantes, & audientes capita mouere solemus, sic prę stupore facere coacti. quin & cruciatus cruciatibus conferre solemus, & dicere hunc talia passum, qualia illum, hoc & in hoc loco deplorant. Quoniam hominibus similitudo facti sumus, qui nostri causa capita mouent, hi quidem lætantes, illi uero magnitudinem eorum, quæ acciderunt, admirantes. *Tota die uerecundia mea.* Cum uerò hos bellum inferentes, illos irridentes, & subsannantes uiderim, pudore suffundor, & integros dies in fletu consumo. Deinde qui Antiochi laqueos euasere, & qui retia impietatis transilierunt, propriam uirtutem narrant. *Hæc omnia uenerunt.*

NICEPHORI. *Et non erat multitudo*, Nõ erat inimicorũ multitudo, quãdo hostes in signũ uictorię exultantes, uociferationibus utebantur, nam pauci numero erant, qui nos in seruitutem abduxerunt. *Posuisti nos in parabolam* in exemplum gentes, quibus seruimus, nos adducunt multarum calamitatum, *Et obloquentis.* execrantis, & blasphemantis, *A facie inimici*, superbè & tenue me adeo respiciunt inimici, ut ex aduerso eos intueri non audeam.

Hæc omnia uenerunt in nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.
Et non recessit retrò cor nostrum, & declinasti semitas nostras, à uia tua.
Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

THEODORETI. Porrò tot periculis circunuenti, & penè obruti præceptorum tuorum minimè obliti sumus, nec legem tuam transgredi ausi sumus, neque à priori proposito destitimus, *Declinasti semitas nostras à uia tua*, Symmachus ita edidit. Non declinata sunt à uia tua ea, quæ nos dirigunt. Vt uerò septuaginta sententiam explanemus, ita intelligendum est. Multis (inquit) & omnis generis malis nos obduxisti, quę nos à uia tua auertere potuissent: nos prætere à impiis hominibus seruos fecisti, qui nos crudeliter tractarunt, & internicinas pœnas exigũt: Vmbram enim mortis pericula ad mortem ducentia nuncupauit.

EVSEBII. Quemadmodum impiè quondam populo agenti in deserto, ac propterea exterminatori Angelo tradito, Thuribulum accipiens Aaron, incensum prò populo obtulit, & propitius factus est DEUS multitudini propter sacerdotis oblationẽ, sic prophetarum Chorus, & qui in populo innocẽter uiuũt, rationabilẽ cũ precibus hostiã prò populo mittẽtes persoluunt, dũ propria rectè facta instar odoratæ hostiæ prò populo uniuerso proferunt: nõ. n. consentaneum est, ut populus hæc dicat, neq; ii, qui propter impietates suas hostibus traditi sunt, sed quemadmodum populi perturbationes in se ipsos prophetæ susceperunt, & easdem se perpessos dicebant, ita in omnes sua rectè facta communicantes, reiiciunt: siquidem benè nouerant se membra esse corporis totius, & consentaneum erat, ut uno membro malè affecto, uniuersa membra simul paterentur, & rursus, si unũ mẽbrũ gloria afficeretur, omnia membra simul lætarentur. omnia ergò (1.Cor.12.) quæ prædiximus, perpessi sumus, sed nihil horum à tui memoria nos auulsit, & iniquè non egimus in testamento tuo, uel iuxta Symmachum: nec subdolè tractauimus testamentum tuum, *Et non recessit retrò cor nostrum*, prò eo uerò, quod dicitur, *Et declinasti semitas nostras à uia tua.* Symmachus manifestius uertit dicens, neque declinata, uel transposita sunt, quæ nos dirigunt à uia tua, sed tu quidem, *Nos humiliasti in loco afflictionis*, uel iuxta Aquilam: confregisti nos in loco in habitabili, & coniecisti nos in umbram mortis, nos uero quanquam mors ipsa nobis immineret, non mandauimus te in obliuionem, nec ista tecum fœdera uiolauimus.

ATHANASII. Iam diximus Prophetas esse eos, qui ex populi persona supplicationes mittunt, eorum mala, & calamitates, quæ illis propter peccata euenerunt, tanquàm propria reputantes.

HESYCHII. *Hæc omnia uenerunt super nos*, Deinde quomodo hic dicimus eos Dei non oblitos fuisse, aut in eius testamento nihil iniustè fecisse, aut retrò corda sua non remisisse, postea tamen odium, & auersionem, & iræ damna, & offensiones perpessos fuisse, aut. n. mentientur se nihil iniustè in eius testamento egisse, aut de diuinis iudiciis querelas non medio

cres

eres facient,quod immerita supplicia patiantur. Dicendum igitur est,quod cum iusti sint,ac legis obseruatores, & tanquàm ex semine Israel orti,miserandæ multitudinis sibi mala uendicant, aut illorum,qui in Christum concitati sunt,prò illorum sceleribus supplicantes,scientes uniuersorum Dominum,uel multorum interdum peccatorum propter paucos iustos misereri.

DIDYMI. Vox est eorum, qui perfectam fortitudinem consequuti sunt, nam cum multæ, ac uariæ in eos offensiones inuectæ fuerint,cogerentque propè eos Dei obliuisci, illi tamen contra in memoriam reuocabant, ut quilibet diceret in tribulatione memor fui Domini.

APOLINARII. Hoc,idque solum,ad spem reuocationis eorum,qui derelicti sunt,reliquum est,quod etiam prophetia præuisa dicit,quod non transierunt ad mores gentium, iuxta Idololatriam,quam confinxerant, neque prorsus à uia illis tradita pietatis,qua tenditur ad unū Deum,declinarunt,quanquam ita depressi essent,& in potestate hominum illos ad mortem usquè affligentium positi essent. Quod quidem egregiè obseruatum est,ab Anania,Azaria,& Misaele,qui ignem perpessi sunt,ne impiam illam adorationem admitterent. Iudæis quoq;,qui hoc tempore derelicti sunt,hoc idem modo quodam contigit, nam ad Idola non accedunt,licet morbum circa Græcanicas incantationes non prorsus abiiciunt.impietas tamē qua usi sunt in Christum,sic nocentissima illis esse deprehenditur,ut quanquam non sint Idololatræ ut prius, ita tamen seruiunt,ut ante non adeo durè seruierint. Dan. 3.

ORIGENIS. *Et iniquè non egimus in testamento tuo,* Iniquè agit in testamento, qui secundum illud non uiuit. *Et non recessit retrò cor nostrum,* illi enim ante quam grauia ulla uiderent claudicarunt, & impegerunt, nos autem post multa mala stetimus, & in recta sententia perstitimus,quid ergò est,iniquè non egimus in testamento tuo?hoc est,non iniquè fecimus circa ea,quæ credidimus,sed cum omni diligentia seruauimus,*& non recessit retrò*,ut fecit uxor, Lot,uelque facit,qui manum ponit ad aratrum,aut potius ut illi,qui corda sua ad AEgyptum conuerterunt.

ORIGENIS. *In loco afflictionis,* locus afflictionis est humanum corpus,& huic proximus mundus,in alienis & externis nos esse fecisti,quod nos proprium cultum perficere permisisti.

ATHANASII. *Hæc omnia uenerunt super nos,* Hæc aiunt,quoniam eum impiè egerint in Christum,expulsi sunt,etiam quo minus ex lege sacrificare possent.

HESYCHII. *Et declinasti semitas nostras,* non quod uiam suam Deus à uia iustè agentium abesse patiatur, sed hoc illi existimarunt,cum cernerent se tentari,quamobrem? ex sequentibus audias.

CYRILLI. Illud, *Declinasti semitas nostras,* sic quoque intelligere poteris, cum Israel Christo non pareret,renuit quoq; per legitimū cultū probari,mutata est enim legis,umbra & figuræ in ueritatem uersæ sunt. Hoc quoque per unum ex Prophetis dixit,de Hierusalem. Ecce ego sepiam eius uiam sudibus,& obstruam uiam eius,& semitam eius non inueniet. Non enim Osee 2.
Iudæorum synagoga omnino uiam nouit,cum Christum non habuerit,& modos,quibus à Deo probaretur,uel Deo placeret,amiserit.

DIDYMI. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis,* locus afflictionis campus terrestris est,in quo humiliantur,qui corporis mortem subeunt.

HESYCHII. A quibus (ait) humiliati sumus in loco afflictionis.idest in tentationibus,in quibus omnes afflictiones continentur. *Et cooperuit nos umbra mortis,* intelligit pericula, quæ iustos sæpe ex multis locis inuadunt,esse Dei desertionem,quam qui Iudicis sapientiam ignorant,iustorum offensionem esse suspicati sunt.sed qua re freti tanta dicendi libertate,ac fiducia iusti utuntur?si obliti,& reliqua.

NICEPHORI. *Nec obliti sumus,* ut alterū Deū inuocaremus, *Et iniquè non egimus,* nō trāsgressi sumus legem tuā,in legē.n. iniustè agit,& iniuria ipsam legē afficit,qui illā trāsgreditur. *Et nō recessit retrò,* quēadmodū lex ad anteriora ducit,sic iniquitas retrò cedere facit. *& declinasti semitas nostras,* Multis nos grauibus,& molestis rebus erudisti,nō auertisti aūt deductionē nostram à lege tua,nō.n. prorsus nos dereliquisti. A cōmuni dictū qd negat. *Et operuit nos:* Vmbra modo quodam exemplar imitatur:umbram igitur mortis,morti similes afflictiones uocauit.

Si obliti sumus nomen Dei nostri,& si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

Nonne Deus requirit ista?ipse enim nouit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die,existimati sumus sicut oues occisionis.

Exurge,quare obdormis Domine?resurge,& ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis?obliuisceris inopiæ nostræ,& tribulationis nostræ.

Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra uenter noſter.
Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

THEODORETI. Hanc uirtutem Macabæi, & ſocii Matatthiæ, ſeptemque adoleſcentes cum matre, & Eleazaro ſacerdote præſtiterunt, quod ſe nullis illecebris demoliri permiſerunt, & tormentis nullis ſuccubuere, ſed uerum Dei cultum ſincerum, & illæſum ſeruauerunt. Idolorumque inuiſam adorationem detrectarunt. & hæc (inquit) tu noſti Domine, nam tibi non ſolum externa, ſed intima cordis cogitata manifeſta ſunt. Cæterum eſt, quod animaduertatur ſermonem duas perſonas prætuliſſe: nam cum dixiſſet, *Nonne Deus requiret iſta?* ipſe enim nouit abſcondita cordis, ſubiunxit. *Quoniam propter te mortificamur tota die.* Hanc pronominis mutationem & Hebræus agnoſcit, & interpretes reliqui poſuerunt: ſomnum uerò patientiam uocat, nam ut dormiens nil ſentit eorum, quæ fiunt, ita idem patiens habet, cum iniuria afficitur, & conuitiis laceſcitur. Exurgendi uerò actum motum in uindictam nominat. Deinde eadem aliter narrat. *Quare faciem auertis?* Deſpicis (inquit) Domine, quæ contra nos fiunt, & ſimilis es auerſanti, & reſpicere nolenti, ſed obliuiſcenti, & propterea non curanti, nos interim egemus inopes diuitiarum auxilii tui. Ad terram uſquè incuruati ſumus, ita ut uenter noſter ipſi ſolo terræ adhæſerit, His uerbis magnam eorum depreſſionem, & hoſtium potentiam ſignificat. Propterea obſeruamus te Domine ut præſtò ſis, & calamitatibus noſtris finem imponas, & nos inimicis ſuperiores efficias. Verum hæc omnino Spiritus Sācti gratia prędixit, docens eos tribulationibus affligendos, ſed oportere eos aduerſos caſus uiriliter ferre, atque horum malorum ſolutionem ab uniuerſorum Deo expoſcere. Quemadmodū uiri illi admirandi fecerunt, nam & placabilem ſibi Deum precibus reddidere, & eūdem in bello ducem habentes, hoſtes fugarunt, & in priſtinam libertatem gentem ſuam reſtituerunt.

EVSEBII. Te (inquit) teſtem imploramus, teque iudicem, & inquiſitorem ſermonum noſtrorum, & mentis, quæ multos latent, cogitationum adhibemus. ipſe enim noſti, an tanta mala perpeſſi, & in loco afflictionis depreſſi, & ſub umbra mortis operti, ullam unquam nominis tui obliuionem cœperimus: quin in nomine tuo fiducia pleni gloriabamur, noſti quoquè utrū de tuo auxilio deſperantes ad Deum alienum acceſſerimus, ſublatis alii Deo manibus, ipſe quoque horum iudex es, noſti præterea cordis intima, & cogitationes ipſas, in quibus per dies ſingulos pietatis ergò mortificamur, quis enim animo reputat, ſe in ſingulis tentationibus mortem prò ueritate ſubiturum, hic potentia mortuus eſt. Hoc Apoſtolus etiam dixit, nam continuæ, ſeque mutuò excipientes perſequutiones, ac oppreſſiones mortē intentantes illum circunſtabāt. ipſe uerò in omnibus inſultibus obfirmato animo, uſque ad mortem decertare paratus erat; proinde dicebat ſe quotidie mori. In hunc ſenſum etiam ueteres illi Prophetæ, hoc idem per hæc propoſita uerba dicebant, in occultis enim noſtris mortificati ſumus tota die, quin etiam æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, cum enim nos ipſos ſemel quaſi in ſacrificium prò uniuerſo populo dederimus, cogitatione, ac uoluntate mortem ſubeuntes, etiam mactati ſumus, ut ipſe Deus teſtis es. Solus nanque noſti abſcondita cordis: Quoniam ergò tot, ac tanta mala perpeſſi ſumus, meritò fidenter te ad nos conuertimus, & tanquàm dormientem excitamus, ac dicimus. *Quare obdormis Domine?* Exurge, & ne repellas in finem, uel iuxta Symmachum. Quare ſicut dormiens es Domine, expergiſcere, & ne abiicias in perpetuum, nam quamuis ob peccata populi ex parte repuleris; te tamen obſecramus ne repellas in finem, ſed noſtra rectè facta prò uniuerſo populo ſuſcipias. *Quare faciem tuam auertis?* Symmachus ſic. Quare faciem tuam abſcondis? obliuiſceris afflictionis, & tribulationis noſtræ? Abſcondis quidem Deus faciem tuam, & auertis, ne uideas turpia, & abſurda & intuitu tuo indigna. Verum cum nos in prædictis rectè factis fiduciam comparemus: quare faciem tuam abſcondis? cum uerò tanta feramus & affligamur propter religionem, & cultum tuum, quare obliuiſceris afflictionis noſtræ, uel inopiæ, iuxta Symmachum. & ſi hæc rectè facta apud nos magna ſunt, apud te tamen inopia ſunt, parua, & minima, ideo rogamus, ne te ulla inopiæ noſtræ obliuio capiat ſed recorderis tribulationis noſtræ, quām propter te ſuſtinemus: & quoniam anima noſtra in puluere humiliata eſt petimus, ut noſtris infirmitatibus ignoſcas. Alibi etiam iiſdem uerbis Deum orat dicens. recordatus eſt quod
Pſal.102. puluis ſumus, homo ſicut fœnum dies eius. Quin & uenter noſter conglutinatus eſt in terra, ideſt terræ inhæſit, per uentrem animæ uim memoriæ ipſius intelligit, aut etiam mentis ſe-
Iſa.26. dem in qua diſciplinas, & præcepta & ſpeculationes congregat, in qua etiam ſuſceptis ſeminibus, concipit, & cum fructus ediderit, ſalutis ſpiritum parit. iuxta Iſaiam qui dixit. Ex timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritū ſalutis. Hæc cū ueteres illi

pro-

Prophetæ,& uiri ex populo uirtute prædìti tot flebilibus uerbis precati essent,liberationem quo què assequi petunt,quod etiam factum est. Adhuc enim illis loquentibus, Deus illos exaudiens, luctus eorum in gaudium cõmutauit.ideo deinceps,qui tot gemitus ediderant prò iis,qui muta tionem accepturi erant,uaticinatur,& cãticum prò dilecto canunt,per quem liberationem a ma lis,& animarum redemptionem optimus Deus,cum orantes audiuisset,uniuerso hominum generi largitus est.

H E S Y C H I I. *Si obliti sumus,* Non modo non aduersati sumus Deo, sed nec eius nominis,idest gloriæ,ac potentiæ obliti sumus, *Et si expandimus manus nostras,* Hoc est si Deus non est author,& Dominus creaturæ omnis,ad quem manus extollimus in precatione,qui cum futurus sit iudex ad exquirendum de omnibus examinari poterit,quem nihil occultum,sed nec cordis abscondita latent.exercet autem iudicium in nobis,cogitationibus inuicem se accusantibus, Rom.2. aut etiã defendentibus.De quo etiã Ioannes Theologus scripsit,etiam in conspectu eius suade bimus cordi nostro,quoniã si reprehéderit nos cor nostrum,maior est Deus corde nostro,& no 1.Ioan.3. uit oĩa. *Quoniam propter te mortificamur,* hoc est non iniquitatis alicuius causa,sed prò iustitia,ut peccato mortui uiuamus.Aut pp te mortificamur,ut ueritati testimoniũ demus.Gloriæ aũt id 1.Pet.4. erat patienti,quemadmodum Petrus Apostolus scripsit,Ne quis.n.uestrum patiatur ut homicida,aut fur,aut maledicus,aut alienorum appetitor,quod si ut christianus patitur, non erubescat, sed in hoc nomine glorificet Deum,sed quamobrem occisionis oues uocantur martyres? Quoniam primi quidem Deo hostias offerunt,Deinde quoniam cũ mansuetudine quadam ad martyrica certamina accedunt,non egrè ferentes,non exiliẽtes in suppliciis,qđ ouibus conuenit,dum inmolantur.Vnde hanc uocẽ Paulus quoq; in his,qui prò Christo tormenta patiuntur, in epistola ad ROMANOS usurpauit. *quare obdormis?* Hoc est cur tã diù tolleras,ut lenitas isthæc tua,qua Rom.8. in hostes uteris,somnus esse uideatur, *Exurge,* (inquit) non ut habitum immutet,(diuinitas.n. est immutabilis) sed ut potentiam suam exerat in auxilium nostrum, *Nec repellas in finem,* tam affligentes,ut ne patientes iniuriam tanquàm tentationibus prorsus expoliti pereant, & lacescentes iudicis lenitate abutentes,licenter suam augeant iniquitatem. *Quare faciem tuam auertis?* Auersa enim à nobis facie Dei,quis erit protector noster? quis memor erit nostrum,si qui benignus est obliuiscatur? cũ propter peccatũ pauperes facti simus, & uitam in tribulationibus ducamus. quorũ utrũq; in Adami hæreditate dignoscitur,ideo subiunxit. *Quoniã humiliata est in puluere.*

A T H A N A S I I. *Si obliti sumus nomen Dei nostri,* Hoc(inquit) tanquã ex prophetarum *pso na,qui post postremũ casũ,non amplius in Idololatriã ciciderunt. *Quoniam propter te mortificamur.* simile hoc est dicto illi,lapidati sunt,dissecti sunt,in occisione gladii mortui sunt. queãdmo dum uerò qui populi peccata ut sua putant,ita propria bona rursus ad personam populi , tanquã Heb.11. si esset unum corpus,referunt.uel sic etiam: ob nostram in te(ait) infidelitatem,ad tantum malorum uenimus,ut similes simus iis,in quos mortis sententia lata est,& ouibus pariter,quæ ad cædem ducuntur.

O R I G E N I S. *Exurge quare obdormis?* Magnam Dei tollerantiam in eorum peccatis ferendis præstitam somno comparant. Dormiuit olim I E S V S in nauicula discipulorum , sed uehementius irruente uento discipuli eum excitarunt,docentes nos , spirantibus uehementioribus, Matth.8. cogitationibus,iræ,uel luxuriæ,uel gulæ,uel superbiæ charitatẽ excitemus,& iustitiam, castitatẽ, continentiam,humilitatem,& sapientię cognitionem. *Exurge Domine adiuua nos.* Christi præsentiam sibi dari precantur,eã scilicet , quæ in nouissimis diebus affutura est, ne à uitæ,quæ ab ipso manat,munere abigantur. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra,* Hæc dicunt quomodo cum eiecti essent,ne saperẽt quæ Christi sunt,in carnis prudentiã deuenere. Adiuua nos(inquiũt) & benignitatẽ tuã ac opportunum conuersionis tẽpus uerã fidem erga te cõfidẽtibus imptire.

D I D Y M I. *Humiliata est in puluere anima nostra,* quid si hæc figuratẽ dicantur,quod ostenditur huiusmodi est. quoniam puluere,qui ex uoluptatibus,& aliis animi perturbationibus efficitur,circundati sumus,propterea in puluerem humiliata est anima nostra,nobis humi repentibus,sed & in terram conglutinatus est uenter noster,nulla cœlestiũ rerũ esca nutritus, sed terrã tota die serpentum more comedimus,quod si ad allegoriam ista interpretari libuerit. Anima ingrediens corpus hæc dicit, humiliata est in puluerem anima mea,& eadem à beata uita cœlesti cadens,dum terrena sapit,dicet in terra conglutinatus est uenter meus,nã nihil nisi terrenum pa scit. Possent etiam hęc dicere de Saluatore , qui crucis tempore in corde terræ uersatus est, cur non resurgis liberãs nos,cur non & pretium redemptionis animam tuam prò multis tradis? Hęc Matth. 12. uerò prò nominis sui gloria facit.

C Y R I L L I. Futuram in nouissimis temporibus Israelis cõuersionem,& uocationẽ proposi

tis uerbis ostendunt, cunque precibus suis ad Deum latis addant illud, *propter nomen tuum*, palàm se indignos huiusce electionis profitentur, cum ignorantiæ suæ cornu contra Christum occurrat. Decet uerò ipsum misereri, & cum humanis lapsibus non omnino simul extendere iram suam, sed potius propter se ipsum misericordia uti: nam per unum ex sanctis Prophetis dixit. Non propter uos facio dicit Dominus sed propter nomen meum.

Ezech. 36. NICEPHORI. *Nonne Deus requiret ista?* .i. inquirit? *Quoniam propter te mortificamur*, nã cũ nõ possimus cũ Idololatris pacificè, ac tutò degere, pp te tamen sponte, ac proposito nostro mortẽ obire parati sumus, *Existimati sumus quasi oues*, quia .s. facilè neci expositi sumus, *inopia nostra*, per inopiam hic molestiam, & passionem ex consequenti significat, *Quoniam humiliata*, p circunscriptionem dictum, quoniam nos usq; ad terram humiles, & abiecti decumbimus, ut & nenter noster humi accubuerit, per hæc enim calamitatũ pondus ostenditur, conueniunt aũt ser mones huiusmodi etiam martyribus sancti, & omnibus, qui propter Christum affliguntur.

ORIGENIS. *Ad Deum alienum*, Deus alienus, est si aliqua non est cognitio secundum rationem essentiæ, aut si quis hanc cognitionem in se ipso habeat. *Nonne Deus requiret ista?* Hæc (inquit) nosti ô Domine, tibi enim non solum res, sed omnes cogitationum impetus noti sunt, *Existimati sumus quasi oues*, Paulus ait, quotidie morior propter uestrã gloriam, quã habeo in Christo IESV, Domino nostro. sed quare dixit. *propter te?* quoniam poteramus patrios mores

1. Cor. 15. mutare, & ab illis desiscere, sed magis elegimus extrema quæque pati, & patria instituta seruare, quam in pace & quiete degere, & à parentum institutis decidere.

IN FINEM PRO HIIS QVI COMMVTABVNTVR FILIIS CORE AD INTELLECTVM, CANTICVM PRO DILECTO.

PSALMVS. XLIIII.

Eructauit cor meum uerbum bonum, dico ego opera mea regi.
Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis.



EVSEBII. Qui tam amarè antea deflebant, prò ante actis gemitibus nunc carmina, & cantica aggrediuntur, dilectum Dei auctorem sibi à molestiis, & grauibus mutationibus extitisse significantes, quem etiam per totum canticum miris laudibus prosequuntur, sed quoniam hæc longa post tempora futura erant, merito propheticam, *In finem*, inscribunt, uel etiam, uictori, ob relatas de hostibus animi uictorias. Cœterum inscriptioni apposuerunt illud *Prò iis, qui commutabuntur*, nam & hi, qui hæc dicunt, è sermonibus querulis, & mœstitia plenis ad lætius carmen immutationem fecerunt. Alioquin ea, quæ in cantico habentur magna mutatione referta sunt. quando enim dilectus Dei se ipsum exinaniuit, & forma serui suscepta figura ut homo inuentus est, non paruam mutationem suscepisse uisus est & cum tamen quatenus deus immutabilis omnino esset, qui etiam per ipsum à Diaboli captiuitate exẽpti in libertatem diuinam asserti sunt, hi planè pulcherrimam mutationem acceperẽ. quapropter regina quoque his sermonibus inserta, iubetur populi sui, & domus patris sui obliuisci. Et filia Tyri exteræ nationis ad egregiam hanc mutationem inuitatur. Virgines item, & filii quidam prò patribus, populique confitentes Deo hac eadem mutatione digni habiti sunt. Quorum quidem omnium causa canticũ prò iis, qui commutabuntur, inscriptũ est. Cœterũ ex Aquila, sup lilis, ex Symmacho, prò floribus, titulũ habemus. nã qui immutati sunt, hi iucũdũ, & suauẽ odorẽ spirantes, & Ecclesiæ uerni flores facti, hoc modo nominati sunt. Proinde ad horum cõmẽdatiõnẽ additum est, ad intellectum, Atq; ut intelligamus quod sermo canticum continet prò dilecto, uel iuxta Symmachum cantio ad dilectum, ubi iam constitutus ea, quæ de dilecto

sunt

sunt dicta, omnia colliges. Velut in Isaia. Cantabo iam dilecto meo canticum dilecti uineæ meæ. Vinea mea facta dilecto in cornu opimo. In quibus uinea significat domum Israelis, hoc enim sequens sermo declarat. Dilectus uerò est unigenitus Filius Dei, cuius pars, & hæreditas prior fuit iam indicata uinea. Quoniam uerò dilectus omnis diligentem se habet, sermo per hęc apertè demonstrat uineā possessionem fuisse dilecti Dei, de quo præsens canticum pro dilecto, in scriptum est. In psalmis etiam dictum est, Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute Psal.67. multa, rex uirtutum dilecti, At hoc loco cum Domini Dei uniuersorum propriè, ac rursus dilecti, & tertio loco Euangelizantium dilectum, quibus superius dictum est, uerbum ab ipso Deo datum esse, manifestò mentio fiat, constat hoc de Saluatore nostro testimonium esse. in alio quoque psalmo dictum est. Et dilectus quemadmodum filius unicornium. His addatur etiā Psal.28. illud tanquàm omnium sigillum, scilicet Euangelium salutare, in quo paterna uox dilectum cœlitus hominibus demonstrauit, clamans, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Cū Matth.3. tot, & tanta de dilecto allata sint, perspicua planè, ac indubitata esse poterit proposita prophetia, quæ *Canticum pro dilecto* inscribitur. Quod uerò Christus hic fuerit, qui alius est à patre, qui unxit eum, sequens psalmi sermo in processu declarat. Hæc ergò ad inscriptionis explanationē dicta sint. Quæ uerò deinceps sequuntur, prophetarum idem chorus, qui priora illa narrauit, percurrit.

BASILII. Hic quoque Psalmus ad humanam uitam perficiendam institutus esse, & his qui cum uirtute uiuere proposuerunt, ad propositum finem conducere uidetur: nam proficientibus doctrina opus est, si modo perfectionem consequi uelint, quàm præstat psalmus hic cuius inscriptio est, IN FINEM *pro ijs, qui immutabuntur*. Latenter autem prò hominibus dixit, nos siquidem sumus, qui maximè omnium ratione utentium alterationibus, & mutationibus in dies singulos, ac ferè horas obnoxii sumus, nam nec corpore, nec animo iidem sumus nobis ipsis, sed corpus nostrum semper fluxum, & caducum in motu, & mutatione continenter uersatur, aut à paruo in magnum augescens, aut à perfecto sese imminuens, & contrahens. Non enim idem est puer, qui iam ludum literarium petit, & ad artes, ac disciplinas percipiendas idoneus est, cum infante recens nato. Alius item ab illo est sine dubio ephebus, qui iam iuuenilia tractare potest, & ab ephebo alius est uir, & firmitate, & magnitudine corporis, atque etiam rationis absolutione, ubi uero ad statum, & summum ætatis progressus fuerit, statim in peius labi incipit, sensim corporis habitu defluente, & corporea firmitate deficiente donec præ senio incuruatus extremum senserit uirium defectum. Nos itaque sumus, qui immutamur, & prudenter per hanc uocem nos homines psalmus insinuauit. Angeli enim nullam mutationem admittunt, nullus enim illorum puer est, nullus adolescens, nullus senex sed in quo statu ab initio creati sunt, in eo permanent integra, & immutata constitutione seruata. Nos uerò mutamur corpore quidem (ut dictū est) secundum animam uerò & interiorem hominē unà cum accidentibus rebus semper mentes, ac sententiam permutantes. Alii.n. sumus in lætitia, & cum rem benè gerimus. Alii in temporibus calamitosis, ubi cum præter uota quicquā acciderit, immutamur. In ira quoque ferinam quādam conditionem assumimus, circa libidines quoque immutamur brutorum more in uoluptates ruentes, equi furentes in fœminas fiunt homines, qui proximi uxoribus inhiant. & fraudulentæ uulpeculæ comparatur, ut Herodes. Impudens uerò canis uocatur, ut Nabal Carmelius. Vide uarietatem, & multiplicem immutationis nostræ diuersitatem. Admirare igitur illum, qui commodè nobis hanc appellationem adaptauit. Quapropter uidetur mihi quidam interpres eandem sententiam per aliam appellationem probè, ac rectissimè expressisse. Qui cū, prò, immutandis dixisset, prò liliis, dignitatem florum uelociter flacescentem, humanę naturę fragilitati, & fluxui comparandam putauit. Cum uerò dictio hæc, immutabuntur in futurum tempus inclinetur, perinde quasi in posterum, aliquando nobis hæc mutatio manifesta sit futura, consideremus nunquid resurrectionis rationem nobis innuat, in qua nobis immutatio dabitur. Sed mutatio quidem in melius, ac spiritale: seminatur enim in corruptione, resurgit in incorruptibilitate. 1.Cor.15. Vide immutationem? Seminatur in infirmitate, resurgit in potentia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spiritale: quando etiam omnis creatura corporea nobiscum immutabitur. Nā Psal.101. & cœli tanquàm uestimentum ueterascent, & uelut amiculum immutabit illos Deus, & mutabū Isa.30. tur. Tunc etiam sol septuplum maior se ipso erit, & Luna iuxta magnitudinem Solis, quæ nunc est. Quoniam uerò non omnibus scripta sunt oracula Dei, sed iis, qui secundum interiorem hominem aures habent, inscriptionem fecit, *pro ijs, qui immutabuntur*, nimirum iis (ut reor) qui sui ipsorum curam gerunt, & se in pietatis officiis continenter magis, ac magis exercendo proficiunt. Hæc enim optima est immutatio, quàm dextera altissimi elargitur, Quam beatus Dauid

Psal.76. egregiè sensit, cum gustatis bonis à proficiscentibus, se ulterius euexit. Quid enim ait? Et dixi nunc. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Quapropter qui uirtute progressus facit nunquam non immutatur. Cum enim essem paruulus, loquebar (inquit) ut paruulus, sapiebam ut paruulus, co-
1.Cor.13. gitabam, ut paruulus, quando autem factus sum uir, euacuaui, quæ erant paruuli. & rursus. Vir
Phil.3. factus non quieuit ab actione, sed posteriorum obliuiscens, ad ea uerò quæ sunt ante me extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernę uocationis Dei in Christo IESV. Immutatio igitur est cum interior homo in dies singulos renouatur. Cum igitur Propheta nobis de dilecto sit annunciaturus, qui curam salutis impartiendæ prò nobis in carne accepit, prò iis, qui hoc beneficio digni sunt hanc oden Filiis Core se tradidisse dicit. Est autem ode, sine carmen, & non psalmus, quia nuda uoce non consonante organo, sed concinna modulatione edita
Matth.3. est. Ode autem prò dilecto: An tibi dilectum exponam quomodo sermo is intelligit? an etiã ante meam expositionem memor evangelicæ uocis nouisti? hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Dilectus quidem Patri tanquàm unigenitus, omni uerò creaturæ tanquàm Pater benignus, & præses bonus. Porrò idem est natura dilectum, & bonum: Quapropter rectè diffinierunt quidam bonum esse, quod omnia desiderant. Non est autem cuiuslibet ad dilectionis perfectionem prouehi, & uerè dilectum cognoscere. Sed eius est, qui iam ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris, exuerit, & eum, qui ad imaginem illius renouatur, qui condidit eum, induerit. Nam qui pecuniam diligit, & circa fluxam, & caducam corporum pulchritudinem consternatus est, & gloriolam hanc magis æstimans consumpta dilecti potentia, in
Deut.6. quibus minimè decebat, ad uerè dilecti spectaculum excæcatus est. Quapropter (inquit) diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. At uerò uox hæc, tota, non ad alia partitionem admittit. nam quantum dilectionis ad hæc inferiora insumpseris, tantum tibi necessariò deficiet à toto. Propter hoc pauci ex omnibus amici Dei ap-
Exod.33. pellati sunt. Velut de Mose scriptum est, quod sit amicus, & de Ioanne: Amicus enim inquit
Ioan.3.15. sponsi stans gaudio gaudet. hoc est qui firmam, & constantem habent dilectionem in Christũ, hic ipsius amicitia dignus est. Quapropter iam perfectis discipulis Dominus etiam dicit: Non amplius uos dico seruos, sed amicos: nam seruus non nouit, quid facit Dominus ipsius. Perfecti ergo est re uera dilectum cognoscere, & re uera soli sunt amici Dei, & inter se ipsi sancti. Nul
Iac.2.de lus autem malus, aut indocilis amicus est. Siquidem in malè affectos amicitia non cadit. Qua-
Abraham. propter nihil turpe, & inconcinnum in amicitię concentum ingredi potest. Siquidem malum
Luc.12. non solum bono, sed ipsum sibi aduersatur. Iam uerò tempus instat, ut ad uerborum explanationem transeamus.

THEODORETI. Cum grauia & molesta diuinum oraculum iam percurrisset, læta deinceps & iucunda uaticinatur, & mœrentes consolatur, docens eos uictores fore, ac in uictoria permansuros, & auxilium à Deo consequuturos, donec dilectus filius ex ipsis secundum carnem proficiscatur, & nouam illam gentibus mutationem perficiat. Dilectum enim Dei Filium appel
Isa.5. lat. Siquidem Isaias dicit. Vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi. Hoc & ipse Pater in
Matth.3. Filium enunciauit. Hic est Filius meus dilectus in quo bene cõplacui. Hic per sanctum lauacrum gentibus mutationem largitus est. Et de iis psalmus prędicit, quos hortatur ut patrios Deos relinquant, & uetum Deum uoce laudent, cæterum, immutandos, Symmachus, flores, ap
Isa.35. pellauit. Aquila uerò, & Theodotio, lilia. Flores autem & lilia uer producit: spiritus uerò uer est Saluatoris aduentus, in quo secundum Isaiam lætata est antiqua solitudo, & tanquàm lilium floruit. De his prophetia hæc prædicit, omnium satorem, atque agricolam tacitè innuens, qui desertum mutauit in ubertatem.

ATHANASII. Propositum carmen dilecto, hoc est Christo Dauid affert, Christo inquã qui in postremis temporibus uenit, & immutationem fecit. Hoc est mutationem de Idololatria in Dei cultum. Meminit autem & filiorum Core, personam ad Apostolos remittens. Hæc uerò nos intelligere, & benè noscere oportet, quare, *In intellectum*, psalmus inscribitur.

CYRILLI. Canitur, IN FINEM, psalmus, siquidem narrationem, seu prænunciationem habet mysterii ad Christum pertinentis, quod in nouissimis sęculi perfectum est. Natura.n. nobis apparuit filius. Virtus uero carminis prò immutandis, & pro dilecto composita dicitur. Iudæos.n.& gentes immutari dicimus, ut in unum, eundemq; dilectum populum, ex utroque uocati coalescant: nam quemadmodum Paulus ait: Duos populos cõdidit Christus in unum no-
Eph.2. uum hominem.

DIDYMI. Scopus est proficientibus, & iis, qui se ab una ad aliam qualitatem immutant,

ad

ad optimum habitum dirigi, ex quo incorruptibiles,& immortales euadant. Propter hunc finem psalmus is inscriptus est. Pro iis, qui immutabuntur. hoc est filiis Core, qui immutati ex malis boni facti sunt. & ad intellectum omnia redigentes hoc carmen resonantes proferunt. Dilectus hic unigenitus Dei Filius est. Prò hoc igitur dilecti triumphale carmen canitur ab iis, pro quibus ille corruptionem in incorruptibilitatem mutauit.

Hesychii. Ratione factum est, ut psalmus is, In Finem, prænotaretur, siquidem mysteria continet, quæ in fine seculorum prò gentibus peracta sunt, nam gentes ab Idolorum cultu ad Dei cognitionem immutatæ sunt. *Filiis Core in intellectum*, non solum cantoribus, uerũ etiam uniuersorum Iudæorum populum: nam à parte totum denominat. His autem psalmus in intellectum inscriptus est, si quomodo gentes imitentur, & credentes intelligant: Erant enim non intelligentes, ut Moses dixit. Populus hic stultus est, & insipiens. Cæterum non aliter illis Deu.32. nisi per fidem in Iesum Christum intellectus inest. Vnde psalmus inscriptionem sumpsit. In intellectum canticum prò dilecto, scilicet Christo, ut cum crediderint intelligentiam acquirant. Hoc .n. testatur Isaias dicens. Nisi credideritis, non intelligetis. Isa.7.

Nicephori. *Immutandos*, intelligit Christianos, qui per regenerationem diuini baptismatis mutabuntur. Dilectum uerò Christum, Patri quidem tanquam Filium, nobis uerò tanquàm Patrem studiosissimum.

Hesychii. *Eructauit cor meum*, Dicuntur hęc ex persona Ecclesię, quæ Virginem Deiparam cor habuit. Nam quemadmodum cuiuslibet animantis præcipua pars anima constituta est, ita etiam uirgo Dei mater nostrorum omnium, & necessariorum mysterium est pretiosissimum, siquidem in ea tanquam in corde fidelium uita Christus habitauit, cum Deus esset, & uerbum. Ideo uerbum bonum appellauit, quoniam cum carne illum mater parturiens eructauit. sed cur nam prò parere, dixit, Eructauit? quoniam absque partus doloribus, tam facilè, ut nos eructamus, fętus editus est.

Didymi. Si ex persona Patris dicantur hæc uerba, sic intelligere poteris. Quoniam ego solus sum bonus, necessariò consequitur, ut uerbum ex substantia mea genitum bonum sit. quod si propheta loquatur, dices. Quoniam uir bonus, de bono cordis thesauro bonum profert, necesse est, ut qui spiritalibus cibis, qui multum bonitatis habent, nutritur, bonum uerbum eructet. Nam quemadmodum cum quis pomum comederit ructum mittit, qui pomum redolet, sic qui bona comedit, utpotè qui animam suam bonis alit, bonum uerbum emittit illud eructando. Math.12. Luc.9.

Apolinarii. Cum Israelitarum calamitates superius recensuisset, cumque malorum expiationem postposuisset, inceptam à gentibus gratiam, & ab illis acceptam, & rerum harum reconditarum mysteria narrare incępit, annuncians uerbum bonum de regis aduentu, qui istorum opera ad eius aspectum, & quasi auditum adducta inspicit, & his diuinam exhibet plenitudinem, quoniam uenit legis pręcepta impleturus, quę in hominibus uerè perfecta non erant. idq; diuina puritate, & communicatione sanctificationis quæ ab illo oritur. & præterea multa se eademque uelociter dicturum ostendit. *Lingua mea calamus scribę uelociter scribentis*. Hoc est lingua, quæ instar calami hæc perspicuè ac celeriter manifestat.

Origenis. Verbum bonum est, quod Dei uirtutem, aut cognitiam indicat.

Basilii. Iam uerò nonnulli ex persona Patris hæc dici putauerunt, de uerbo quod erat in principio apud eum, quod uelut ex corde, aut ipsis uisceribus (inquiunt) produxit, & à corde bono bonum uerbum processit: nihil uerò ad propheticam personam hæc referenda esse uidentur. nam quæ deinceps ab hoc dicto sequuntur, non æquè nobis expositionem de Patre manifestam reddunt: nam neque de sua ipsius lingua Pater dicit. *Lingua mea calamus scribę uelociter scribentis*: *Speciosus forma præ filiis hominum*: non enim ex comparatione ad homines. pulchritudinis præstantiam habet. Et progressus inquit, *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*: non enim dixit unxi te ego Deus: sed unxit te, ut ex hoc declaretur aliam esse personam loquentem: quæ igitur alia quàm prophetę? qui. Spiritus Sancti uim sentiens dicat. *Eructauit cor meum uerbum bonum*. Cum ructus sit occultus quidam flatus, qui ex feruore alimenti erumpentibus bullis exhalat, sanè qui uiuenti pane nutritus est, pane inquam qui de cœlo descendit, & uitam mundo dedit, & qui saturatus est omni uerbo prodeunte ex ore Dei, secundum consuetum scripturę modum anima sacris disciplinis erudita consimilem eduliis ructum emittit. Propterea quoniam spiritale, & bonum erat alimentum, uerbum bonum eructat propheta: bonus enim homo ex bono cordis sui thesauro bonum profert. Quæramus ergò & nos ad animarum nostrarum Ioan.1. Ioan.5.6. Luc.4.

rum

rum ſaturitatem alimentum ex uerbo: nam iuſtus (ait) comedit & replet animam ſuam, quo ex
ratione eorum, ex quibus alimur non uulgare uerbum, ſed bonum emittamus. Malus enim ho-
Prou.13. mo malis dogmatibus nutritus, eructat ex corde ſuo uerbum malum. Ne igitur prurientibus
2.Tim.4. auribus doctores tibi compares, qui morbum in uiſceribus tuis immittant, & malorum uerbo-
Matth.12. rum tibi ructum propinent, propter quæ poſtea in die iudicii condemnationem ſubeas. Ex uer-
bis tuis (inquit) iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. *Dico ego opera mea regi*. Hoc
quoque me in propheticæ perſonę ſententiam multum adduxit, hoc inquam. *Dico ego opera
mea regi*, quod ſignificat. Confiteor iudici, & accuſatorem præuerto propria mea opera defe
Iſa.43. rendo: nam præceptum accepimus, quod iubet, dic tu primus iniquitates tuas, & iuſtificaberis.
Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribentis. Quemadmodum calamus eſt ſcriptorum inſtru-
mentum, quod mouet periti manus ad eorum, quæ ſcribuntur, notas exprimendas: ſic lingua
2.Cor.3. iuſti mouente ipſam Spiritu Sancto uerba uitæ æternę credentium cordibus inſcribit, tincta non
atramento, ſed ſpiritu Dei uiuentis. Scriba igitur eſt Spiritus Sanctus, qui & ſapiens eſt, & do-
ctor omnium: Velociter uerò ſcribit, quia uelox eſt mundi motus: ſententias autem nobis in-
2.Cor.3. ſcribit Spiritus non in tabulis lapidęis, ſed in tabulis cordis carneis. Secundũ uerò rationem, &
collationem latitudinis cordis plura, uel pauciora inſcribit Spiritus, aut manifeſta omnibus, aut
ſubobſcura, iuxta puritatis pręparationem. Porrò propter uelocitatem eorum, quæ ſcribuntur,
plena omnis in reliquum terra Euangelio facta eſt. Cæterum quæ ſequuntur à proprio princi-
pio mihi ſumere uidetur, non autem cum præcedentibus adnectere, ſed ad ſequentia ad-
iungere.

Luc.5. ATHANASII. Quem uerbum nominauerat, eundem linguam ſuam appellat. Calamus
Luc.6. uerò ſcribæ uelociter ſcribentis dictus eſt, quod ſimul atque aliquid dixit, illico factum eſt ut il-
Rom.9. lud. Volo mundare, & confeſtim mundatus eſt. Et illud. Adoleſcens tibi dico ſurge; & ſta-
tim ſurrexit. Veruntamen uerbum abbreuiatum faciet Dominus in uniuerſo orbe: quem-
admodum autem Chriſtus quatènus Deus rex exiſtens per eius incarnationem ad regni princi-
patum accedere dicitur, ſic quæ ex natura ſua nouit, hęc eadem rurſus tanquàm Deus per aſ-
ſumptæ carnis diſpenſationem audire dicitur. Chriſtus enim rex eſt, cui Pater uoce ſua opera
dicit.

DIDYMI. Scribam uocat Dei uerbum, quod diuinas leges ſuas in mentibus inſcribat. Ca-
lamus uerò ſcribę uelociter ſcribentis, aſſumptum à ſe hominem uocat, qui ſcripturus erat Euan-
gelii uerbum in omni terra, hoc eſt in anima hominis.

THEODORETI. *Eructauit cor meum*. Nam ſpiritalibus uerbis nutritus, huiuſmodi ru-
ctus emitto, & talia uerba effundo. *Dico ego opera mea regi*: quem inſcriptio dilectum uocauit.
Exordium pſalmi regem appellat. Opera uerò prophetiæ ueritas ſermonis eſt, qui futura prædi
cit, inquit igitur ſe de ipſo rege uerba facere, docetque non humanis, ſed diuinis uerbis uſum eſ-
ſe, ſubiungens, *Lingua mea calamus ſcribæ*: nihil.n.ex me loquor, neque mentis meæ partus ul
los affero, alterius.n.uirtutis lingua miniſtra eſt, & ipſa quidem calamum imitatur, gratiam uerò
Spiritus uelocem ſcribam, per hanc, quę uult ſcribens. Sic propheta cum tacitè demonſtraſſet
eum, de quo loquitur, ſic prophetiam aggreditur. *Speciosus forma*, & reliqua.

EVSEBII. Prò, *Eructauit cor meum*: Symmachus dicit. Commotum eſt cor meum
uerbo bono. tanquàm enim alio ſermonem annunciante ſe auditu commotum dicit. In eo ue-
rò quod ait. *Dico ego opera mea regi*, non alium regem oſtendunt, quàm dilectum ipſum, cui
etiam quæ ſequuntur dicta ſunt. Huic enim (inquit) opera mea narrabo, uel ex Symmacho, &
Aquila, Iuſtificationes meas annuntio, porrò prophetarum chorus operum bonorum conſcien
tia fretus auſus eſt hęc dicere. Quod ſi etiam quænam fuerint opera prophetarum noſce deſide
Pſal.43. ras, id ex præcedentibus agnoſcere poteris in quibus dicebant: Hæc omnia uenerunt ſuper nos,
nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo, & rurſus: Quoniam propter te
mortificamur tota die. Ingens opus fuit etiam, lingua futura prædicere, & regi euangelicum cã
ticum miniſtrare. Pro, *Calamus ſcribæ uelociter ſcribentis*. Aquila, iuncus ſcribæ celeris: Sym-
machus lingua mea ſtylus ſcriptoris celeris dicunt. Cæterum eſt quod uehementer miremur
prophetam linguam ſuam non manum periti ſcribę, non ſcribam, ſed calamum ſcribæ uelociter
ſcribentis nuncupare. oſtendens propheticam linguam inſtrumentum alterius fuiſſe, nempe San-
cti Spiritus utentis ea, quæ ſanè ſcriba fuit, cuius ſtylus, & calamus erat prophetarum lingua,
ita ut alius ſit ſcriba uelociter ſcribens, nimirum Spiritus Sanctus: alius propheta & tertium
prophetica lingua, quæ calami, ac ſtyli locum obtinuit, cum ſit inſtrumentum Spiritus Sancti
utentis ea.

HESYCHII.

HESYCHII. *Dico ego opera mea regi.* Siquidem per confeßionem Dei gratiam lucramur. Dico ergo opera mea regi. ſolus enim ipſe peccata condonat. Quo pacto autem dico? uel qua innixus fiducia? *Lingua mea calamus ſcribæ.*

CYRILLI. Hic mihi conſidera uerbi Dei ex ſubſtantia Dei, & Patris generationem, non tanquàm corpus ex corpore, ſed incompoſitum, & materiæ omnis expertem, & mente ſolum perceptam, ut uerbum ex mente non partitione aliqua, ſeu diuiſione, quis enim à corde, aut mẽte uerbum ſeparabit, uerbum inquam, quod in ea mente, & ex ipſa, & cum ipſa eſt ſemper? Quis inquam ſeparabit, ita ut extra illam omnino fiat? Videtur enim uerbum quod in prolatione, ac per linguam emittimus aliud quoddam eſſe præter cor, in quo illud quaſi feruet, ſed uerbum Dei prouenit quidem ab ipſo, & eſt in eo, nec ab ipſo eſt alienum, neque enim fieri poteſt, ut mens uel cor uerbo aliquando careat. Sed nec uerbum eſſe contingit, quod non ex mente, & ad mentem, ſeu ad cor, & in corde fiat. Itaque cum cor, & uerbum exempli gratia in Deo ſuſceperimus, *Obſcurè dicta ſunt hæc.* oculos mentis noſtræ ultra ea, quę ſenſibus patent extendimus: & uerbi Dei generationem, quę Deum deceat, fieri credimus, quem Pater ex corde tanquàm uerbum eructauit. Ipſum uerò bonum appellat, & meritò quidem prę ſertim ſi propoſitum ſcopum intuearis. Cum enim prę inſita manſuetudine, & tranquillitate Deum decenti animo propoſuiſſet, ut ſalutis, & uitæ mundi cauſa ſponte exinanitionem ferret, neceſſe fuit bonum appellari, etſi nunc etiam lux in primis eſt, & uita, & ſapientia, & potentia. Iam uerò cum ineffabilis unigeniti generatio per prædictum uerbum ita præmonſtrata ſit, ſermo introducitur de incarnatione. Filius quidem (ut dixi) in maieſtate, & gloria diuinitatis exiſtit, poſtea quàm uerò ſemel exinaniuit ſemetipſum, & humanitatis affectus ſuſtinuit homini ſimilis factus, eſt ut eum, quę ignorabat, docere poſſet. Deus enim boni cuiuslibet cognitionem mentibus infundit, uel etiam ſapientum adhortationes eandem ſapientibus perficiunt. Proinde intuere in his Patrem incarnato Filio, q. dicentem. *Dico ego opera mea regi.* Tantum enim non pollicetur ſe illum docturum eſſe, quibus uerbis uti debeat, ut nos ad opera illius præſtanda inducat. Opera uerò Dei eſſe dicimus piam, & innocentẽ uitæ traductionem, & rectè factorum uirtutem, quæ à ſanctis par eſt præſtari, quę nobis per euangelicum præconium manifeſtata eſt: nam Saluator dicebat. A me ipſo nihil facio, ſed Pa- *Ioan. 8.* ter, qui miſit me, ipſe mihi mandatum dedit, quid me dicere, & quid loqui oporteat. Et rurſus: Verba, quæ ego loquor, non ſunt mea, ſed eius, qui miſit me. Scribit pręterea Ioannes ſapiens de ipſo, qui credit in Filium obſignauit, quod Deus uerax eſt, is enim quem miſit Deus, uerba Dei loquitur. Cum enim umbram legis expuliſſet, ſe ipſum ueritatem eſſe dixit, & docuit cultum *1. Ioan. 5.* Dei in ſpiritu, & ueritate, ne Iudæi putarent præter Dei uoluntatem uerba his de rebus ab ipſo *Ioan. 4.* fieri. Suas uoces per diſpenſationem (ut dixi) perſonæ Dei & Patris aſcribit. Meminimus autem Deum Iſraele in monte Horeb congregato pollicitationem de Chriſto feciſſe. Cum Moy- *Deut. 18.* ſi ſacrorum antiſtiti dixiſſet. Prophetam illis ſuſcitabo ex fratribus eorum ſicut te, & ponam uerba mea in ore ipſius, & loquetur eis iuxta omnia, quæ præcipiam ei. Alibi etiam Saluator ipſe dixit. Pater diligit Filium ſuum, & omnia oſtendit ei, quæ ipſe facit, & maiora etiam his ope- *Ioan. 5.* ra oſtendit illi, ut uos miremini. Quod enim opera Patris oſtendantur Filio, non abhorrere fortaſſè aliquis dixerit ab humana ſubiectione, ſiquidem hoc uidetur exinanitionis illius ſcopo conuenire. Cęterum Pater aptisſimè uocat Filium regem, ne humanitatis myſterium auferre quodammodo ab ipſo uiderentur inhærentem naturæ illius dignitatem, & ſuper omnibus excellentiam, nam & ſi ſerui formam induit, nihilominus tanquàm Patre rege genitus, Rex perſeuerauit, & in ſublimitatibus, iis nimirum, quæ naturæ diuinæ conuenirẽt, quæque omnem creaturam antecellunt, permanſit. *Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribentis.* Variis modis Deus Pater, uerbum ex ſua ipſius ſubſtantia nobis oſtendit. Linguam enim propriam ipſum appellat, quippe quod nihil aliud loquatur præter ea, quæ in ipſo ſunt: Nam & hoc idem lingua in nobis facit, cum ea, quæ in mente, & in corde reſident, externis proferat. Ipſum pręterea calamum uelociter ſcribentis eſſe dicit. Calamus namque uelocis ſcriptoris, quàm celerrimè in libellis aliorum uoces obſignat. Vnigenitum uerò uerbum Dei, hoc ipſum planè in fidelium cordibus pręſtat, ſpiritaliter illis imprimens, magnam, & ſapientem, & ueram Patris uoluntatem. Quæ autem ſit uoluntas Patris ipſe in Euangeliis perſpicuum facit, dicens, Vt omne, quod dedit mihi *Ioan. 6.* non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouisſimo die. Atque alio modo. Inſcribit enim in nobis bonam patris uoluntatem placitam, atque perfectam. Velox quippe eſt patris calamus, Lex enim quę per Moſen longo ambitu, ac multò circa literam inuolucro, obſcurè, ac uix oracula manifeſtauit. At Saluator & Dominus omnium de uniuerſa uiuendi ratione breuiter nobis *Luc. 1.* ſenſum (ut dixi) uoluntatem patris reuelauit. Eſt enim magni conſilii Angelus. Dixit prætere-

Ier.36. rea per prophetam quendam sanctum de iis, qui ad fidem uocati sunt. In diebus illis dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corda eorum inscribam eas. Ad eos quoque sapientissimus Paulus scribit. 2.Cor.3. Epistola nostra uos estis inscripta in cordibus uestris, quæ intelligitur, & legitur ab omnibus hominibus manifestati, quod Epistola estis Christi, ministrata à nobis, scripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis. Verum hic calamus præterquam quod uelox, & celer est, habet etiam cum decore pulchritudinem super filios hominum: Etenim legem Moses per Angelos ministratam maioribus nostris promulgauit. Loquebantur præterea prophetæ uetustioribus illis ea, quæ reuelante Deo cognouissent. *Speciosus forma præ filijs hominum*. At speciosus forma præ filiis hominum calamus Patris est. Quis enim ex sanctis cum Christo decertet? nullus omnino proinde sponsa etiam, quæ in cantico canticorum introducitur, Ecclesiæ personam gerere licet ipsa plena esset, & in scriptis sapientissimi Mosis sanctorumque Cant.2. prophetarum uersaretur, tamen sermonem Christi audire peroptauit, & dicebat. Ostende mihi faciem tuam, sonet uox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

EVSEBII. Secundum septuaginta interpretes illud, *Speciosus forma*, superiori uersiculo connectitur. ita ut sub uno uersu integrum oraculum comprehensum sic habeat. *Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis, speciosus forma præ filijs hominum*. Quoniam uerò, & Hebraica dictio, & cæteri interpretes superiorum uerborum sensu circunscripto, & ab alio principio Idē Basilius expositionem exorsi sunt, meritò nos quoque ex altero principio illud. *Speciosus forma præ filijs hominum*, attulimus. Aquilas ergò in hunc modum interpretatus est. Forma pulcher factus es à filiis hominum. Quinta editio: Forma speciosus factus es præ filiis hominum, Symmachus forma pulcher es præ filiis hominum, ut priora cantici uerba pro proœmio dicta sint. Cum enim prophetarum chorus sermonem pro dilecto annunciaturus esset, & pro ipso Oden cantaturus proœmio usus est, producens illud usque ad ea uerba. *Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis*. Hinc deinceps ex dilecti persona canticum exorditur, clamantque ad eum, speciosus forma pulcher es, uel: forma speciosus factus es cui charitas conciliatur præ filiis hominum. Quamquam enim unus & ipse in primis factus sis ex filiis hominum, & cum iis annumeratus sis, qui uitam in terris ducunt, non tamen alium oportet formæ tuæ comparare, quantum scilicet ad uirtutem pertinet. Ita enim neque Isaias his contraria dixisse uideri Isa.53. poterit. Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, sed species eius inhonorata, & despectus super filios hominum, illa enim crucem, & supplicium longè antea portendebant, quæ conuitiis, & contumeliis plena fuere. Idcirco propheta subiunxit. homo in plaga existens, & sciens ferre langorem, despectus est, & nihil reputatus. Porrò psalmus formam eius (ut dictum est) noncorporis, sed uirtutis appellat, nullam peccati maculam suscipientem. Post hæc deinceps dictum est. *Diffusa est gratia*.

BASILII. *Speciosus forma præ filijs hominum*. Speciosum forma Dominum appellat, quod ad eius diuinitatem contemplandam intendit, non enim pulchritudinem carnis commendat. Vidimus enim ipsum, & non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, constat igitur, quod eius claritudine inspecta, & eius splendoribus repletus, hac pulchritudine perculsus propheta ad diuinum spiritalis pulchritudinis amorem concitatus est: quæ ubi humanæ animæ affulget reliqua omnia turpia, & abiecta, quę antea diligebantur, apparent. Quapropter cum eum forma speciosum uidisset Apostolus, omnia duxit esse sterquilinia, ut Christum lucrifaceret. nā qui alieni sunt à uerbo ueritatis stultitiam uocant Euangelii prędicationem, scriPhil.3. pturarum simplicitatem in loquendo contemnentes: Nos autem qui gloriamur in cruce Gal.6. Christi, quibus ea, quę nobis à Deo donata sunt, per spiritum manifestata sunt, non in doctis huma1.Cor.2. nę sapientię sermonibus nouimus quod diues est gratia diffusa à Deo in doctrinis de Christo. quapropter eius pręconium breui per omnes terras penetrauit: nam diues, & luculenta gratia in Euangelicos præcones effusa est, quos etiam labia Christi scriptura nominauit. Quare in contemptilibus dictiunculis multam persuadendi, atque attrahendi ad salutem uim habet Euangelica prædicatio, & anima omnis homo inconcussis dogmatibus apprehensa est, per gratiam ad im motam in Christum fidem confirmata. Vnde inquit Apostolus, per quem habemus gratiam & Rom.1. Apostolatum ad obedientiam fidei. Et rursus: Abundantius omnibus his laboraui, non ego au 1.Cor.15. tem, sed gratia Dei, quę mecum est.

Ioan.1. APOLINARII. *Lingua mea calamus*. Boni Patris comparationem intueri licet. Hinc Gal.3. (Ioannes inquit) Lex per Mosem data est: Gratia uerò, & ueritas per IESVM Christum est. Cæterum pulcher etiam fuit. Calamus Mosis, qui nobis legem pædagogum scripsit. at non fuit

fuit huiusmodi ut in cœlis nomina nostra scribere posset.

DIDYMI. Ex scribentibus etiam nonnullos instituis, nam quemadmodum Euangelicus sermo, qui grano sinapis comparatur, si excolatur, maior fit supra quam dici potest ab hominibus, qui propterea quod citò pereunt, olera nominantur, sic quæ uerbum Dei suo scribit calamo, tempestiuè ipsas scripturas præter ea, quæ ab hominibus scribuntur, meliores ostendunt. cum ad cogitationes usque pertingant, & eorum animis pertinaciter inhæreant. Matth. 13. Mar. 4. Luc. 13. Psal. 36.

HESYCHII. *Speciosus forma*. Pulchri quoquè & iusti sunt: Vnde & spiritus ipse de Dauid inquit. Flauus cum decore oculorum non corporis pulchritudinem, sed animæ perspicaciam commendare uolens. Christus uerò speciosus non solum quatenus Deus, sed etiam quatenus ab omni macula mundam carnem habuit. 1. Reg 16.

APOLINARII. Præuidens Isaias exteriorem Christi formam. Despectus (inquit) supra filios hominum, & eius speciem secundum carnem inhonoratam uaticinatur. Dauid uerò diuinam speciem interpretatur, quæ etiam apud Isaiam declaratur dum dicit. Regem in decore suo uidebitis, atque hoc quidem ineffabilis gloriæ uim, & speciem, animo perceptibilem manifestat. Formę uerò manifestationem, quæ tum uerbis tum operibus facta est, prænotat, cū gratiam dicat in labiis eius effusam, quod & ex Euangeliis innotescit. Cum omnes mirarentur in uerbis gratiæ, quæ procedebant ab ore eius. Isa 53. Isa. 33. Luc. 4.

THEODORETI. Tu (inquit) quem regem uocaui, quem per inscriptionem dilectum nominaui, pulchritudine quidem omnem humanam naturam excellis, sapientię uerò fontes per linguam effundis, & hos non mutabiles, sed perennes habes. Idē Basilius

NICEPHORI. *Eructauit cor meum*. Cernens Propheta, quod magna de Christo sibi erant prædicenda exordio quodam utitur dicens: Sermonem bonum, ac salutarem se prolaturum. *Dico ego opera mea regi*. Profero (inquit) Christo regi opera mea, opera Prophetę sunt prophetię. *Lingua mea calamus*. Lingua mea manifestat spiritui, quę calamus scribit uelociter scribenti, sancto nimirum spiritui, calami cuiusdam uicem præstat, & eo tantum mouetur, quo spiritus illam direxerit. Scribam autem uelociter scribentem dicit, ut enunciationis facilitatem ostenderet. *Speciosus forma*. Ad Christum nunc intendit, & de uirtutibus assumpti loquitur. Speciosus (inquit) es ad animam referens, super omnes homines. quoniam & solus sine peccato fuit.

ORIGENIS. *Speciosus forma*. Sapientiam spiritalem, & uerbum Dei comparat cum sapientia mundi, & humano uerbo.

Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè

THEODORETI. Animaduertendum est uatem non diuinas sed humanas res Domini Christi demonstrasse: non enim hominibus comparasset Deum uerbum, neque hunc à Deo benedictionem accepisse dixisset. hic enim abyssus bonorum est benedictiones fidelibus effundens. Humanas ergo res Domini Christi per hæc uerba prędixit. Non est autem quod Prophetas aduersari sibi mutuo putemus. cum Isaiam clamantem audiamus: quod non habebat speciem neque decorem, & reliqua. nam illa crucem, & tormenta prędicunt, quæ uiolentia, & contumeliis plena sunt. Ideò Propheta subiunxit. Homo cum in plaga esset, & sciens ferre infirmitatem, uituperatus est, & non reputatus est, & sequentia, quę crucem ostendunt. Psalmus uerò pulchritudinem eius uocat, non corporis, sed uirtutis, & totius iustitiæ adimpletionem, quæ nullam peccati maculam contraxit, sed omni labe expers fuit. Isa. 53.

EVSEBII. *Diffusa est gratia in labijs tuis*. Moses quidem & Noe, & si quis alius iustus fuit gratiam sanè inuenit aliquā in conspectu Dei, & assequutus est, & in dilecto paterna omnis gratia effusa est, erat enim Pater, qui loquebatur in Filio. Vnde & Virgini, quæ transitum eius ad homines ministrauit, gratia plena dictum est. In ipso enim complacuit habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, quamobrem omnes sancti de plenitudine eius acceperunt. Col. 1. Ioan. 1.

ATHANASII. Dulciloquus. n. Dominus est dicens. Ego ueni ut uitam habeant, & abūdantius habeant. Et: Ego sum panis, qui de cœlo descendi, & uitam do mundo. Ioan. 10. Ioan. 5.

BASILII. *Benedixit te Deus* (inquit) *in æternum*, constat, quod hæc ad humanitatem referenda sunt, secundum profectum quem faciebat, sapientia, & ætate, & gratia. & secundum hanc scilicet etiam uirilium factorum præmium ipsi datum esse gratiam intelligimus. Simile Luc. 9.

autem huic est. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Cui consimile est, & illud Philippensibus à Paulo scriptum.
Phil.2. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, quare Deus ipsum exaltauit. Quare manifestum est, quod de Saluatore homine dicuntur. Aut quoniam Ecclesia corpus est Domini, & ipse caput Ecclesiæ, quemadmodum labia Christi eos esse diximus, qui cœlesti uerbo inseruiunt.
1.Cor.3. Velut Paulus in se ipso habens Christum loquentem, & si quis ullus illi est uirtutis consimilis: Sic etiam reliquæ corporis Christi partes nos singuli credentes sumus. Qui igitur datam Ecclesiæ benedictionem ad Dominum refert, non errat. Benedixit ergo te Deus, hoc est partes tuas, & corpus tuum impleuit bonis suis in æternum, hoc est in infinitum.

DIDYMI. *Diffusa est gratia.* Qui sermones IESV audiunt, ii gratia repleti dicent hæc uerba. Verum pro sermonibus frequenter labia dici ostensum est. Illud uerò, *diffusa est*, gratiæ ubertatem demonstrat.
Ioel.2. Huic consonat illud. Effundam de spiritu meo super omnem carnem.
Rom.5. Et illud. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, namque hoc loco spiritus abundãtia, & charitatis diuitię significantur. Ergò propter hanc diffusam in labiis tuis gratiam, Deus tuus tibi in perpetuum benedixit, & benedictionem attestatus est.

HESYCHII. Labia Christi fuerunt Apostoli. In ipsis enim Euangelica gratia personuit,
Act.2. super hos affluens uberrimè spiritus gratia effusa est. quando apparuerunt ipsis dispertitæ linguæ sicut ignis.

CYRILLI. Sanctorum Prophetarum chorus Dei & Patris priora illa loquentis reuelationem assumit, & quasi sermonibus Patris applaudit, & mente mysterium ueneratur, & præ ingenti pietate clamat. Quoniam cum forma tibi supra filios hominum pulchritudo etiam inest, gratiam in labiis tuis effusam esse fatemur, ac propterea Deum tibi in seculum benedixisse. Illud uerò, *benedixit*, dictum est, prò, benedictum fecit. nam nos, qui credimus eum continen-
Psal.23. ter laudamus, perpetuò uero laudabitur Deus, qui uerax est. Et Filius Dei super omnes, atque
Phil.2. idem est Dominus gloriæ. Sin autem dicat aliquis filio donum à patre dari, ut à nobis glorificetur, hoc etiam perpendedum est. nam quemadmodum statim ac factus est homo, dedit illi Pater nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est IESVS Christus, ita etiam benedictus cum sit tanquàm Deus, donum habere dicitur, ut benedicatur ab omnibus. Et hæc est exinanitio. quę enim habet tanquàm Deus eadem naturaliter, ac humano more accipere dicitur. Alio quoque modo dicere licet. Oportebat, ut Filius, qui factus est homo, & se-
1.Cor.15. cundus Adam appellatur, in secundam radicem positus iis, qui sunt super terram, benediceretur à Patre tanquàm homo, ut uis maledicti, quæ illi, qui ex terra, terrenusque erat, seu primæ radici humanitatis, hoc est Adam, irrogata fuerat, tolleretur. quemadmodum .n. in primo Adam maledicto obnoxii facti sumus, sic benedicti sumus in Christo, qui gratiam sibi tanquàm homini traditam in omne genus transmisit. Atque hoc ipso cantor lætus incantabat, benedicti nos à
Psal.113. Domino, qui fecit cœlum, & terram.

HESYCHII. *Benedixit te Deus.* Quem (oro) nisi Ecclesię populum? Siquidem ad Christum tanquàm caput fidelium corpus refertur, quòd planè per gratiam super Apostolos effusam, perpetuam benedictionem accepit.

DIDYMI. *Accingere gladio tuo.* Quoniam quę ad generationem pertinent, circa femur fieri solent, & circa illud idem turpes libidines oriuntur, planè opus est Dei uerbo, quod gladius acutus appellatur, ut circa femur succinctum intemperantes amputet uoluptates. Saluator igitur secundum hominem formam optimæ institutionis construens, prò absoluta, & perfecta castimonia gladium accingere circa femur suum, formam, & pulchritudinem habens ob insi-
Gen.24. tam immunitatis peccati uirtutem. Quod uerò femur sit prædictorum symbolum patet. Etenim Abraham cum ad desponsandum filio uxorem seruum mitteret. Pone (dixit) manum tuam super femur meum. Et adiurabo te per Dominum Deum cœli, & terræ. Vbi fortasse qui ex ipso secundum carnem Saluator futurus erat, intelligitur. Sci-
Ioan.1. licet uerbum caro factum, uerbum enim gladius, caro autem femur esse potest: propterea quod à femore carnis principium habet. Is uerò ad quem sermo factus est, omnem infirmitatem reiiciens, potens est, & diuinitatis splendorem, pulchritudinem & decorem habet.

CYRILLI. *Accingere gladio.* Domine (inquiunt) apud pulchritudinem tuam, quæ sit

...er omnes est, & incomparabilis accinge gladium, non illum quidem alienum, sed tuum potius, nihil enim extrinsecum aduentitium dicimus Christo accedere, ut propria, & quæ Deo conueniunt illi accidere meritò cogitentur. Illius ergo gladius esse dicitur quia potens est, & Dominus potentiarum, & ab alio nequaquam potentiam sumit, sed propriam illam, & naturæ inditam, cum reliquis deitatis insignibus coniunctam habet. Est utique ille speciosus diligentibus eum. Et iis qui manifestationem eius cognouerunt, quique mentis oculis præstantiam eius, ac diuinam pulchritudinem intueri possunt. Gladium uerò femori accinctum habet, ut perturbet hostium acies, uel incredulorom ignauiam perterrefaciat, ultionem illis, atque supplicium minitans. Hoc enim psaltes alibi [illegible] dixit. Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suum intendit & parauit illum, & in eo parauit uasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

ATHANASII. *Accingere gladio.* Vnigenitum excitat ad pugnam prò nobis suscipiendam. Deinceps cum gladium dixisset, militarem illi habitum ascribens, femur etiam attexuit Psal.7.

BASILII. *Accingere gladio tuo.* Arbitramur hæc ad uiuum Dei uerbum per figuram referri, ut carni coniungatur, quod efficax est, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad animę, & spiritus diuisionem, iuncturarumque, ac medullæ, & discernens cogitationes, ac consilia. Nam femur symbolum est eorum, quæ circa generationem fiunt. nã dictum est. Hæ sunt animæ, quæ uenerunt ex femore Iacob. Quemadmodum igitur uita est, & uia, & panis, & uitis, & uera lux, & innumerabilibus aliis nominibus Dominus noster IESVS Christus appellatur, ita quoque gladius dicitur, discecans illam animę partem, quę ægritudinibus, & affectibus subiecta est, & mortificans libidinosas motiones. Deinde quoniam Deus uerbum carnis imbecillitati coniungi uoluit, additum est. *Potentissimè.* nam maximæ potentiæ est Deum posse in humana esse natura. Non enim tanta est cœli, & terræ conditio, & maris, aerisque, & maximorum elementorum generatio. Et si quid super mundanum intelligi potest, & si quid sub terra potentiam uerbi Dei declarat, quanta est in incarnatione dispensatio, ac in imbecillitatem, & humilitatem naturæ humanæ deiectio. Heb.4. Exod.1. Ioan.14. Ioan.5. Ioan.15.

THEODORETI. Descripta dilecti specie ac pulchritudine, sapientiam, fortitudinem, & arma ostendit quibus aduersarios profligauit, ostendit. Et nos rem maximè admirabilem docet, nam eius formam, & arma, & uires demonstrat. Inquit enim. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* Et cum dixisset. *Intende, prospera, procede, & regna.* Statim subiunxit. *Propter ueritatem,* & reliqua.

HESYCHII. Gladium crucem uocat. hac enim tanquàm gladio usus duos hostes Diabolum, & mortem interfecit. Accingere ergo cruce in carne, quæ uerè hostes nostros superare pot[illegible].

N[illegible]CEPHORI. *Diffusa est gratia.* Gratiis omnibus referti sunt sermones tui. *Propterea bene[illegible]* P[illegible]pter eni[illegible] has uirtutes tuas te Deus laudari perpetuò fecit. *Accingere gladio.* Vindi[illegible]m in uirtute tua sume potentiam: hoc est propter innocentiam tuam diaboli tyranni[illegible]em deiicito.

Specie tua & pulchritudine tua, & intende, & prospere procede, & regna.

Propter ueritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tu[illegible]

ATHANASII. Species, & pulchritudo bellatoris diuinitas ipsius est, & supra omnes excellentia.

BASIL[illegible] Differentia est inter speciem, & pulchritudinem: nam speciosum dicitur, quod est ad aptum, & idoneum tempus ad proprium uigorem, & maturitatem completum, ut frumen[illegible] spe[illegible]sum dicitur, quod paratum est ad messem, & speciosus uitis fructus, qui concocti[illegible]nem suam ad maturitatem per anni tempus adeptus est, & idoneus ad iucunditatem ex eo pe[illegible]piendam. Sed pulchritudo est in membrorum compositione coaptatio, quæ gratiam tanquam florem emittentem habet. *Accingere igitur gladio tuo super femur tuum potentissimè.* Specie tua, hoc est in temporum plenitudine, & pulchritudine tua. hoc est speculationi apta, & considerabili deitate. nam illa uera est pulchritudo, quæ omnem humanam comprehensionem, & potentiam excedit,

cedit, & sola mente uisibilis est. Et cognouerunt illius pulchritudinem discipuli, qui-
Luc.8. bus seorsum ab aliis parabolas, explicauit. Vidit ipsius pulchritudinem Petrus, & filii
tonitrui cum essent in monte, fulgorem Solis splendore prestantem, & præmia gloriosi
Matth. 17. eius aduentus oculis suis haurire digni facti sunt. *Et intende(inquit)& prospere procede,& regna.*
Hoc est aggressus hominum curationem, intentam, & permanentem, & nunquam deficien-
tem procurationem habeas: namque hoc uiam, & cursum exhibebat præconio, & omnes
regno tuo subiiciet. Nec uerò nos moneat, quod imperando dicat, *prospere procede*,
Matth.6. siue prosperare cum ea sit scripturæ consuetudo, quod ita semper optandi modos effor-
met, fiat enim uoluntas tua, prò: utinam fieret. &: adueniat regnum tuum, prò: utinam
adueniret.

ATHANASII. Intende arcus tuos (inquit) & prospera eos, qui à te iustificantur, quibus
etiam imperabis, cum à tyranno fuerint liberati.

HESYCHII. Vult enim accingi specie, & pulchritudine, hoc est diuinitate ac huma-
nitate, ut alios quidem, hoc est affectus, prò nobis perferat, alios uerò tanquàm affectionum
Matth. 15. expers, deuincat. Vel etiam speciem, ac pulchritudinem benignitatem esse cogitabimus. ni-
Marc.7. hil æquè Deum decet, atque figmentum à se factum seruare. *Propter ueritatem, & mansue-
tudinem.* Nam propter ueritatem Christus Iudæorum hypocrisim arguebat: propter man-
suetudinem uerò cum tentaretur, tollerabat. cum alioquin perdere tentatores posset. Iusti-
tiam uerò peccatoribus ostendit, cùm eos seruauit, & diabolum, qui erroris præbuit argu-
mentum, condemnauit: ut prò iis etiam mercedem acceperit, ut feliciter prosperaret,
ac regnaret. Oportet autem hoc modo intelligere. prospere procede, ut ea homini-
bus restituas, quæ natura illorum euersu mendacio perdidit. Ipse namque ueritas es, &
ut omnes exemplo tuo modestiam, & bonitatem doceantur. Quapropter Dominus di-
Matth. 11. xit. Discite à me quod mitis sum, & humilis corde. Vnde cum afficeretur probris con-
1.Petr.2. ticuit, cum cæderetur, patienter tulit. Iustitiam quoque illis immittis, qui captiui sub peccato
detinentur.

BASILII. *Propter ueritatem, & mansuetudinem.* Rursus sermo ita formatus est, tan-
quàm Dominus hæc in mercedem accipiat, scilicet feliciter, ac prosperè agere, & regnare.
Psal.115. Oportet tamen sic intelligere. Quoniam res humanę mendacio inuolutæ, & inuersę sunt, quo
Ioan.14. ueritatem femines, regna inter homines, qui à peccato reguntur. tu enim ueritas es. *Et pro-
pter mansuetudinem.* Vt exemplo tuo omnes ad mansuetudinem, & ęquitatem, ac bonitatem
Matth. 11. perducantur. Quamobrem etiam Dominus dixit. Discite à me, quia mitis sum, & humilis cor
1.Petr.2. de, quin & ipsam mansuetudinem factis ostendit, quia cum malediceretur, non malediceba[t],
cum pateretur, non comminabatur. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, non columna nu[b]is,
Exod.13. non splendor ignis.

DIDYMI. *Intende, & prospere procede.* Intendens autem arcum tanquàm [illegible]s
sagittarius, prospera uulnerando eos, qui sternuntur ad diuinum amorem, legendum [illegible]
prospera, ita ac si diceret prosperitatem præbe, & præterea regna in iis, qui de[illegible]
sunt. Causa uerò cur ipse regnes, uirtutis perfectio est. quæ non in actione tantum [illegible]
in cognitione consistit. nam illud. *Propter ueritatem, & mansuetudinem, & iusti[tiam]* [illegible]
gnificat. nam regna inquit, ut cognoscatur eos ueritatem, & mansuetudinem, & iu[illegible]
fectè absoluisse, eos inquàm, qui sub tuo principatu degunt. *Et deducet te mirabil[iter dextera]
tua.* Qui omnia ex Dei prescripto agit, à potentia, quæ in rerum honestarum functio[illegible]
tur, & dextera nuncupatur, mirabiliter deducitur, eaque tanquàm itineris, duce ad S[illegible]
utitur.

THEODORETI. Apertè iam docet per hæc uerba. *Propter ueritatem, & man[su]e[t]u[di-
nem]*, & reliqua. Eius pulchritudinem, potentiam, arma, & uictoriam significari. Porrò p[ri]m
Matth. 11. etiam Dominum præstat audire, qui dicit. Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde,
Ioan.14. & inuenietis requem animabus uestris. Et iterum: Ego sum uia, ueritas, & uita. & ad beatum
Matth.3. Ioannem: Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem iustitiã. His immanissimi tyran-
ni principatum funditus euertit, mortem destruxit, & salutem credentibus largitus est. *Et de-
ducet te mirabiliter dextera tua.* Quoniam gladii meminit, consequenter dexteræ mentionem
facit. Dextera uerò eius, dextera consilia, quibus, ictus & impetus peccati non su-
scepit.

CYRILLI. *Prospera*, hoc est ad omne bonum directè currere fideles iube, & sic regna
in

in iis, qui fęliciter incedunt. nam Diabolus obiiciebatur, ne rectam uiam incedere possemus. quare primo intendit arcum, ut Diabolum longè propulset, quo coercito rectum iter peragere, & iugum regni Christi subire. Appositè igitur primum, *intende*, postea, *prospera*, tertium illicò, *regna*, dicunt. addunt illud, *Propter ueritatem, & mansuetudinē, & iustitiam*, quibus uirtutibus, nihil aliud (opinor) intelligunt: quàm Euangelicum præconium, quo Christo subiecti sumus. nam propter illud regnauit in terris. Est autem ueritas, quoniam figuras, & umbras legis antecellit, & nuda Christi mysteria nullis integumentis docet. Est etiam mansuetudine plenum Euangelium, expers enim est legis seueritatis: Nam Paulus ita inquit. Si quis irritam fecerit legem Mosis, sine ulla miseratione sub duobus, uel tribus testibus moritur. *Heb.10.* Sed & alio modo mansuetudine refertum est Euangelium: Mansuetos enim in Christum credentes beat, non ultores, & iracundos, nec eos, qui oculum prò oculo, pedem prò pede: manum prò manu repetunt. *Matth.5.* Sed percutienti dexteram maxillam alteram præbent, sequentes eum, qui dixit. Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. *Luc.6. Matth.11.* Quod si quis etiam ipsi Christo, in quo nihil (ut diuinam decuit naturam eius) cum mendacio coniunctum fuit, omnibus in rebus ueritatem inesse dixerit, itemq; summam, & mansuetudinem, & iustitiam astuisse, non hoc pręter id, quod rationi consentit, affirmauerit. nam & ueritas & iustitia Euangelicis oraculis omnino inest. nam Euangelica prędicatio sanctos, & immaculatos efficit. *Et deducet te mirabiliter dextera tua.* Diuus Paulus sublatis mentis suæ oculis ad diuinam contemplationem. O altitudo (inquit) diuitiarum sapientiæ, & scientię Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. *Rom.11.* Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Nihil enim omnino illi opus est, siue perfectam scientiam spectes, siue utilitatem, quàm iis, qui sub ipso sunt citra omnem reprehensionem affert. Quin se illi uti ducem quendam in rebus agendis præbet, solus nanque nouit omnia, & lux cum illo est, & in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & cognitionis absconditi. Quid igitur Christo dicunt sancti uiri? *Deducet te mirabiliter dextera tua.* *Col.2.* Non enim consultore tibi opus est ad procurandum orbis salutem. Satis enim est ad hoc præstandum dextera tua, non quod dexteram eius aliud quicquam esse præter ipsum, uel uires eius hoc in loco significent, sed perinde, ac si dixissent: Dextera tua id est magnificentia tua neminem alium præter ipsum cogitare oportet. ita quoque dixerint: dextera tua, hoc est potentia tua, solum ipsum, quasi per circunscriptionem significant. Nouit enim (inquiunt) nouit dextera tua, quosnam impetere gladio, & in quos ineuitabilem arcum intendere oporteat: Atque item quibus fęliciter incedendi facienda facultas sit, & quos iugo tuo subdere conueniat, ut te solum Deum, & regem Saluatorem, & redemptorem fateantur.

E V S E B I I. Adhęc quoquè ita intelliges. Primum opus dilecti gratia est, quæ secundum traditam prius à nobis intelligentiam, diffusa est in labiis tuis: Et alio modo quoque dices: Gratia & ueritas per I E S V M Christum facta est, siquidem omnia omnibus gratificans faciebat, dum aliis quidem peccata dimitteret, alios à morbis liberaret, aliis Spiritum Sanctum immitteret. *Matt.6.11.* Quamobrem illi iure dictum est. *Diffusa est gratia in labijs tuis*. His dictis, illi, qui se sub hostium seruitute positos defleuerant, opportunè deinceps dilectum obtestantur, ut ad se uenire maturet, ut hostilibus armis aduersetur propter oppugnantes hostes, ut illis profligatis, nos eximat ab illorum captiuitate. *Marc.2. Luc.5. Mar.1. Luc.4. Ac.2.8.10* Ideo dicunt, *Accingere gladio*. Elegans enim es, & formosus, ueruntamen præter speciem, & pulchritudinem tuam, cape arma tua propter nos seruos tuos, & femur tuum gladio accinge, & sic assumpta fortitudine tua intende arcus tuos: mox debellatis hostibus prospera, & regna. Porrò gladium dilecti uim eam existimato, quæ inimicos punit, ac delet. Viuus est enim sermo Dei, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Heb.4.* Atque alius quoque propheta secundum Ezechiel, gladii mentionem facit, ita dicens: Hęc dicit Adonai Dominus. Dic gladio, gladi exacuere, & irascere, ut iugules iugula acuere, ut ad uibrandum, & dissoluendum sis paratus. Et rursus. *Ezech.21.* Clama, & plora fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel: qui fugerant; gladio traditi sunt cum populo meo. & deinceps. Et tu fili hominis pone tibi duas uias, ut ueniat gladius regis Babylonis. Quibus gladium Nabucodonosor, qui in populum districtus est, gladium Domini esse dicit. Sed in Euangeliis habetur, quod Rex, qui fecit nuptias filio suo, eos, qui uocati ad nuptias uenire recusarunt, ac eos, qui seruos regios occiderunt, cędi destinauit; & im-

misso exercitu suo ciuitatem illorum succendit. Atqui regis exercitus Romanorum manum significat, quæ obsedit Hierusalem. Quoniam igitur huiusmodi gladio opus fuit aduersus eos, qui contra dilectum insurrexerunt; meritò prophetia ad eius personam conuersa inquit. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè, *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospera, & regna.* Mox adddit, *Propter ueritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Hæc item reliquis affinia perstrinxit. *Sagittæ tuæ.*

NICEPHORI. *Et intende, & prospere procede.* Adauge, & intende motum, atque impetum tuum, & uirtute perfice quodcunque cupis, & dominare omnibus, qui tibi restiterunt, propter uirtutes tuas, *Et deducet te mirabiliter dextera tua.* Et ad hæc te deducent rectè facta tua, uirtus tua nullius externę opis indigens. Admirabile uerò est, quod maledictum maledicto deleuisti, & per mortem mortem destruxisti.

Sagittæ tuæ acutæ o potens: populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

ATHANASII. Sagittas sanctos Apostolos uocat, qui cordi inimicorum regis regum uulnera inflixerunt. Huiusmodi uerò sagittæ ad cor penetrantes intellectuales hostes prosternere, & populos pedibus Christi, & regni eius iugo subiicere potuerunt. Cæterum uersiculi per hyperbaton dicuntur, ut sonent. Sagittæ tuæ, ò potens, in corda inimicorum regis.

DIDYMI. Potentis Christi sermones tanquàm tela peracuta auditores feriunt, ita ut Christi religionem rebus omnibus anteponant. His sagittis uulnerati Apostoli, omnia, quæ illis impedimento erant abiicientes illum sequi decentissimum iudicarunt. Sed & populi, qui prius in malè fida statione erant, quod in malis iacerent, his telis transuerberati, ceciderunt, hoc est illi subiecti facti sunt, & eius imperium acceperunt.

EVSEBII. *Sagittæ tuæ,* (quod per hyperbaton dictum est) sensum autem hunc in modum coniunges. Sagittę tuę acutæ in corda inimicorum regis. Primum enim dicit sagittę tuę acutæ fient in cor inimicorum tuorum; Deinde: populi sub te cadent. Dum hostes in sagittas tuas imprudenter inciderint. Tum enim populi parta libertate respirantes à malis, quę illos premunt, ad pedes tuos procumbent. Cæterum sagittas dilecti, quæ in cor inimicorum iaciuntur, occultas, & inuisibiles plagas contra principes seculi huius immissas interpretabere. Quibus sagittis Dæmones olim uulnerati dicebant. Quid nobis, & tibi est Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos? Christi quoque sagittæ sunt uirtutes: nam iustitia Christus
Math.8. iniustum ferit. prudentia imprudentem: temperantia intemperantem: castitate mœchum: fortitudine timidum, mansuetudine iracundum: & fide infidelem. Verum sagitta fidei ante alios emittenda est. nam ex Pauli sententia, accedentem ad Deum oportet cre-
Heb.11. dere.

BASILII. Sagittæ potentis acutæ uerba sunt scita, & perspicienter emissa, & quæ pertingant audientium corda, ferientia, & uulnerantia sensatus animas. Verba (inquit) sapientum uelut boum stimuli. Quare & psaltes cupiens à dolosis sui sæculi liberari, in
Eccl.12. dolosę linguę remedium, sagittas quærit potentis acutas. requirit etiam carbones desolatorios, ut quorum corda callentia, & dura spiritales uerborum sagittæ non contingunt, iis paratum sit supplicium, quod carbones desolatorios uocat. necessariò enim carbones desolatorii parantur iis, qui se desolatos à Deo constituerunt. Nunc igitur sagittæ tuæ acutæ: His uulnerantur animæ, quæ fidem suscepere, & in summam Dei dilectionem exarsere. Et cum sponsa pariter dicunt. *Vulnerasti cor meum.* amorę langueo. Beati igitur qui ueræ pulchritudinis intuitum amant, nam dilectionis uinculo tanquàm alligati, & cœlestia, & diuinum amorem complectentes, domesticorum, & amico-
Cant.2.et 5. rum obliuiscuntur. Familiæ item, & totius suppellectilis, ac corporalis uictus necessitatis obliti, soli diuino amori inhærentes languent. Intelliges quoque sagittas acutas eos, qui per totum orbem ad Euangelium inuulgandum, & disseminandum missi sunt. qui propterea quod acuti erant, operibus iustitiæ coruscabant, & subtiliter animos audientium penetrabant. Huiusmodi sagittę præmissę per omnes orbis partes, populos ad imperium Christi suscipiendum afficiebant. Quod uerò ad dictionem pertinet, uidetur mihi meliori consequutione per hyperbaton (hoc est per transgressionem)

uerborum

uerborum rèstitui posse, ut sententia sit hæc.intend, prospera,procede,& regna,& deducet te mirabiliter dextera tua, & populi sub te cadent, propterea quod sagittæ tuæ acutæ sunt in cor de inimicorum regis. Nemo qui Deo repugnat; nemo arrogans, & superbus subiicit se Deo,sed ii,qui ex fide subiectionem susceperunt. Sagittæ uero cordibus eorum, qui aliâs inimici regis fuere, illapsæ ipsos in ueritatis amorem trahunt, & ad Dominum rapiunt,ut cum sint Deo inimici per doctrinas sanctas reconcilientur.

THEODORETI. Perplexus est uerborum ordo,sic tamen intelligito. Tu,dum sagittas in hostes acuis, illos quidem rectè iaculando feris,& corda eorum uulneras, populos,uerò sub eorum tyrannide oppressos cultum tuum docebis,nam sagittæ tuæ acutæ,ô potens,in corde inimicorum regis,nam ubi eas infixeris,populi sub te cadent,debitum tibi honorem exhibẽtes. Iam uerò sciendum,quod ubi prophetia prædixit, quæ in humanitate Christi euenerunt, Dei uerbi quod humanitatem assumptit naturam ostendit.

DIDYMI. Inimici regis Christi sunt peccatores omnes: cum uerò in corde eorum sagittæ Christi infiguntur,ab inimicitia discedunt, & regem adorant:uel fortassè populi,qui steterunt in corde inimicorum regis secundum uoluntatem inimicitiæ suæ confirmati,ubi à sagittis transfixi sunt,ceciderunt sub Christum,& à corde inimicorum eius,hoc est ab hostili animo recesserunt.

NICEPHORI. *Sagitta acuta*, constructio per hyperbaton est, hoc pacto. Sagittæ tuæ acutæ ô potens in corde inimicorum regis infixæ sunt,& quod ait, *Populi sub te cadent*,per parenthesim iacet. Sagittæ Christi sunt Euangelici sermones,illustres, & maximè penetrantes,in eorum corde infixæ,qui antea Dei regis inimici fuerunt,sed Dæmonum quidem ad interitum, hominum uerò Idololatrarum ad sensum, & cognitionem Domini corda reuocantes. possunt quoque Apostoli esse Christi sagittæ.

ORIGENIS. Sagittæ Christi sunt actrices uirtutes,& iustitia quidem feriunt iniustum, prudentia insipientem,fortitudine timidum, temperantia intemperantem, patientia, iracundum,fide,incredulum.Emittitur autem ante omnes fidei sagitta,oportet enim primum credere,quod Deus est.

Sedes tua Deus in seculum seculi,uirga directionis,uirga regni tui.

Dilexisti iustitiam,& odisti iniquitatem,propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

EVSEBII. Quod speciosus,quod pulcher,quod plenus gratia,quod item benedictus,rex, & hostium uictor dilectus Dei est,ex præcedentibus nobis innotuit:quod uerò Deus sit,ex propositis addiscimus,ipse enim acclamat spiritus,*Sedes tua in seculum seculi*, & secũdum Aquilam, sedes tua ô Deus,in seculum, & ultra. Quoniam uerò ipsum regem superius appellauerat,meritò subiungit,*Virga directionis, uirga regni tui*, nihil enim prauitatis, nihil obliquitatis in eo est. *Eadē Theodoretus.* Ne quis uerò Iudaicè accipiat hæc,& suspicetur mortalem,ac temporarium regem esse, & plerisque similem dilectum Dei,regem æternum illum ostendit. Quippe cuius regni sedes à seculo permanserit,& in seculum seculi perdurabit, quod uerò hæc non ad Patrem, sed ad dilecti,& unigeniti filii personam dicta sint,in progressu manifestat,dicens, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem,propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, nam Deus à Deo unctus,qui alius esse poterit, quàm is, de quo Theologus in Euangelio scribit.& uerbum erat apud Deum, & *Ioann. 1.* Deus erat uerbum. Hic ergò Deus uerbum dilexit iustitiam,& odit iniquitatem,pro quo Aquila accuratius interpretatus est,dicẽs.Dilexit iustitiã,& odit impietatẽ:nã recto iudicio subditos sibi diligit,& aduersarios odit,ideo præstantiori quadam re,quã participes sui ungitur,oleo scilicet, quod oleum lætitiæ nuncupatur, & ungitur à Deo eodemque Patre suo,uel, oleo gaudii,iuxta Aquilam,uel(ut Symmachus uertit) oleo exultationis. Porrò cum plerique participes eius sint, uel amici,qui gratiam eius consequuti sunt, dicere etiam possent,participes Christi facti sumus. *Heb. 3.* Verum aliqui proposita uerba ita legunt. *Propterea unxit te ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*.& hac lectione usi sunt,qui Hebraicę dictioni attenderunt.siquidem Eloim Deüs Hebraicis literis nominatus est,quod quidem Aquila interpretatus est, o Deus,cum dixerit in principio:sedes tua ô Deus,in seculum,& ultra.Septuaginta,& Symmachus,sedes tua Deus,uerterunt. At Aquila Hebraicæ lectioni, quæ habet Eloim, inseruiens dixit, o Deus. Progrediens uerò deinceps,ubi Eloim repetitum est, cum dicitur,*propterea unxit te Deus Deus*,non amplius θεὲ, sed θεὸ interpretatus sit dicens, in hoc unxit te Deus Deus tuus,cum enim sibi constare oportuisset,atque hic itidem eadem dictione uti, & dicere θεὲ, sic interpretando, propter hoc unxit te o Deus,Deus tuus.

DIDYMI.

DIDYMI. Si hæc ad unigenitum Dei Filium relata sunt. Filius Dei odio prosequens crassantem ante eius aduentum iniquitatem, & diligens iustitiam ex fide eius præsentia ortam Patri beneplacito se tradidit, ut homo fieret, & oleo lætitiæ, hoc est Spiritu Sancto ungeretur.

CYRILLI. Considera hoc loco quomodo eum appellat Deum, qui humanam carnem assumpsit,& cœlestem illi sedem ascribit. Rex enim fuit, & in humana specie propriā dignitatē retinuit,rectitudinis uirgam tenens. Virga uero regni est insigne, nam Christus in iustitia regnat. *Isa.32.* Hinc sanctus quidam Propheta dixit. Ecce Rex iustus regnabit,& principes cum iudicio imperabunt.Proinde exemplo regum mundi huius,qui sceptrum gestare solent,orationis figura facta. Verum sciendum est ipsum quoque Christum pluribus scripturæ diuinæ locis uirgam nuncupatum esse.Quoniam uerò (inquit)cum Deus esses,aberrare nescisti,iustitiam enim diligis,& iniquitatem abominaris, cum ita natus fueris,ut naturam tuam nulla quantumlibet exiguas labes inquinare potuerit: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*,Vnctus est enim & *Heb.3.* in summum sacerdotem,& Apostolum confessionis nostræ,factus homo filius, ut nos adduceret Deo,& Patri odorem per fidem in ipsum suauissimum fragrantes. Vngitur autem oleo lætitiæ,ut cogitemus Spiritus Sancti gratiam nos ad lętitiam, & exultationem adducere : Nam etsi hoc in Christo factum esse dicitur,res tamen dispensatione plena fuit.est enim filius,qui Spiritum Sanctum subministrat:nam quæ Patris sunt,omnia eidem insunt. Suscipitur autem humano more Spiritus Sanctus à nobis,quando & ipse nostram induit naturam,nō aliquid sibi asciscens quatenus Deus,& uerbum cogitatur,sed in se ipso,& primo spiritum lætitiæ naturæ hominis concilians.ubi enim est diuinæ naturæ participatio,& gratia adoptionis,& promissio uitæ in seculum æternum,& in regnum cœlorum,ibidem prorsus exultare licet. Veruntamen præ par-*2.Cor.5.* ticipibus eius Christus unctus fuit:nos enim arrabonem spiritus in nobis ipsis habuimus:nam si-*Col.2.* cut Paulus ait,omnis plenitudo diuinitatis in Christo consideratus corporaliter , ideo non di-*Ioan.1.* cunt ipsum dare Spiritum Sanctum ex Patre, sed potius fatentur de plenitudine eius accepisse.

BASILII. Cum multa disseruisset ad humanitatem intentus, nunc ad sublimitatem maiestatis unigeniti sermonem uertit. *Sedes tua*(inquit) *Deus in seculum seculi*, Hoc est regnum tuū ultra secula, & omni intelligentia antiquius. probè uerò post populorum subiectionem Dei magnificentiam commendat *Virga rectitudinis, uirga regni tui*, iccirco ipsi propriam dedit appellationem, apertè ipsum Deum nominans, *Sedes tua Deus*, correctrix,& iudex est uirga Dei,in castigando autem recta,& non obliqua inducit iudicia,unde & rectitudinis uirga,uirga regni ip-*Psal.88.* sius dicta est, si enim dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint *Psal.22.* uisitabo in uirga iniquitates eorum. Vides iustum Dei iudicium,quo nō in quoslibet,sed in pec-*Psal.2.* *1.Cor.5* catores utetur? Hæc autem & consolationis uirga nominatur. Virga enim tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt : Hæc & contritionis uirga est: Reges enim ipsos in uirga ferrea,& tanquàm uas figuli confringes eos. Confringentur autem terręa , & lutęa ad eorum,qui reguntur utilitatem . quemadmodum etiam in interitum carnis traduntur,ut spiritus seruetur. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, quoniam typicam unctionem,& typicos reges,ac pontifices figurare oportet,caro uero Domini unguento inuncta est,Sancti Spiritus super eam infusione,quod lætitiæ oleum appellatum est. Vnctus est autem prętet consortes suos (hoc est super homines uniuersos,qui Christi participes sunt. Propterea quod illis particularis quædam spiritus communicatio data est: At super Filium Dei descendens Spiritus Sanctus,(ut Ioannes dicit)mansit super ipsum,probè autem Spiritus oleum lætitiæ appellatur, quo-*Ioan.1.* niam gaudium unus est ex iis fructibus qui à spiritu coluntur. Cum uerò sermo de Saluatore sit permixtus propter Deitatis naturam,& incarnationis dispensationem iterum ad humanitatem Dei respiciens inquit. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*, q.d. cœteri homines labore, exercitio,& studio sœpe ad bonum afficiuntur,& à malo se auertunt,at tibi(inquit) natura insita est ad bonum proprietas,& à malo seiunctio. Cœterum neque etiam nobis difficilè erit(si uelimus)& amorem iustitiæ, & odium iniquitatis concipere, nam omnem facultatem ad perfectionem dedit Deus animę rationali, sicut dilectionis, ita etiam & odii,ut per uerbum, & rationem directi uirtutem amplectamur, & uitium fugiamus, est quoque ut interdum cum laude odisse posimus. Nonne odio habentes te Domine odio habui? perfecto odio oderam ipsos.

THEODORETI. Quæ pertinent ad humanitatem rursus prosequitur, *præ consortibus tuis*, Symmachus, præ sociis tuis,nam paticipes eius & socii, & fratres sunt quoque iuxta humanita-

hitatem quotquot credunt in eum,ita & diuus Paulus ait, participes enim Christi facti sumus, Heb.3.
si fiduciam,& gloriæ spem usque ad finem firmam retineamus, & rursus: Vt sit ipse primoge- Rom.8
nitus in multis fratribus. Eodem modo Sancto Spiritu unctus est,non quidem ut Deus,uerum
ut homo, nam quatenus Deus Spiritum habet eiusdem substantiæ,quatenus uero homo ueluti
quandam unctionem cœlestis Spiritus munera accepit. Eodem quoque modo iustitiam dile-
xit, & iniquitatem odit. Nam hæc ad propositum mentis nostræ pertinent, non ad natu-
ralem facultatem, quatenus uerò Deus uirgam æquitatis, & uirgam regni, habet.

H E S Y C H I I. Quanquam homines regnent in terris,hoc tamen ad tempus faciunt,
nec in omnes accipiunt potestatem: at regni Christi nullus est finis. Testatur autem Daniel, Dan.7.
qui uidit ipsum filium hominis in omnibus ad Patrem uenientem, cum huiusmodi in figura à
nobis assumptus est dicens.potestas eius potestas æterna quæ non præteribit,& regnum eius nõ
corrumpetur.

A T H A N A S I I. Rectitudo in diuinis literis iustitiam significat. Dicit ergo.Hi, quibus Christus imperat,uiam iustitiæ ambulare discent. Cum natura humana iustitiam deserendo,& iniquitatem diligendo mutationem sensit. Hanc ob causam unigenitus Dei Filius factus est homo, ut in se hominis naturam corrigeret, ut iustitiam diligerent, & iniquitatem odio prosequerentur. Et hæc incarnationis uerbi causa fuit, quapropter dixit, *Propter hoc unxit te Deus*, propter hoc, quale? nisi ut qui tui facti essent, misericordiam assequutis lætitiam impertires, ut ad iustitiam amplectandam, & iniquitatem fugiendam instituerentur.

A P O L I N A R I I. *Vnxit te Deus Deus tuus*, tanquàm in puro uase (inquit) diuino oleo unctus est,quod ex naturæ proprietate,non participationi congruebat,nec gratiæ, uti participibus eius concessum est. At Deum quidem Christum uocat,eum uerò qui ungit,Patrem appellat,non propterea detrahes illi humanam coniunctionem, neque habitum uerbi ad carnem,quo unctio Spiritus antea sanctificata est,carne etiam mox sanctificata per Spiritum,qui in principio præsens erat,& rursus aduenit. Etenim à principio Spiritus Sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi,& rursus. I E S V M à Nazareth,quem unxit Deus Spiritu Sancto, & potentia. si uerò hoc dictum est tanquàm Spiritus ex proprietate non conueniat formæ naturali, propter exercitationem unctio facta dicatur,sed ubi quis poterit exercitationem ostendere?quis disciplinæ labor apud Christum,ita ut laborum eius præmium sit sanctificatio, & laboriosæ disciplinæ, sapientiæ Spiritus accedat? & pugnæ aduersus uoluptates,tolerantia, & fortitudo per spiritum obsignetur? patet igitur hoc dictum esse tanquàm naturę consequens, non tã
quàm in præmium laboris retributum:nec quod Spiritus tanquàm merces homini datus sit:quã Multa sunt
quam & hoc fieri potuerit(gratiæ enim non præmio Deus Spiritum impertit)sed quasi Deo si hic obscure
mul,& homini proprietas ex ipso, & in ipsum apparuit,quẽadmodũ nos homines Deo propriũ dicta.
ascribentes dicimus: propterea confitebor tibi in gentibus Domine. Cum uerò participes di- Psal.17.
xit, causam pariter unctionis indicauit,nam ut unctio per communicationem, & participationem fieret,ideo ipsa per participationem aduenit: nam quatenus ad Deum spectat, ipse non indiguit unctione,quia sua natura sanctus est, sanctus natus,& corpori sanctitatem indidit,atque hęc h[illegible]ana species ad integram ætatem perficitur, sed quoniam hoc in nobis non erat:neque hanc nos homines ex natura sanctitatem præstare poteramus, sed dono potius, atque cœlesti gratia opus erat) ideo Spiritus super Christum descendit, ut ex se ipso in nos ad participationem Spiritus sanctificatos affinitatem ostenderet, quam ex corpore nobiscum contra[illegible].

N I C E P H O R I. *Sedes tua Deus in seculum*, quoniam Christus homo, & Deus est, ideo interim de di[illegible]a,interim de humana eius natura prophetia loquitur,*Virga regni tui*, sedes regiam dignitatem ostendit. Virga iudiciariam potestatem, *Proprerea unxit te Deus*, Audias & a[illegible]ump[illegible] h[illegible]m[illegible]m, quoniam unitur Deus:inquit igitur. propter hoc Deus (cum Dei unione scilicet) unxi te Deitate,qui natura Deus tuus est,ut omnia prædicta facias. Vnxit autem te præ participibus tuis,hoc est cum quibus aliquid commune est. Christo autem in nomine omnes [illegible]ge[illegible] communicant, qui omnes Christi idest uncti appellãtur, nec reges tantum sed sacerdotes,& prophetæ:nam cui ex illis Deus secundum hypostasim unitus est? Oleum uerò unctionem uocauit. Exultationis autem unctio,quoniam diuinæ natura gaudium parit,& affert lætitiam ineffabilem.

Mirrha & gutta,& casia à uestimentis tuis,à domibus eburneis,ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

A T H A N A S I I.

ATHANASII. Vnigeniti uestimenta intelliges potentiam, magnificentiam, & gloriam, iu- [*Psal.92.*] xta illud. Dominus regnauit decorem Indutus est, indutus est Dominus fortitudinē & accin- [*Cant.1.*] xit se. Ipsa uerò gloria, & magnificentia nobis suauitatis fuit odoris, tanquàm genus omne odoramenti, & Thymiamatis, iuxta illud, quod alibi dictum est. Vnguentum effusum nomen tuum, & illud. in odorem unguentorum tuorum currimus, *A domibus eburneis*, Ornatæ, ac selectæ domus, templa item magnificè extructa βαρεις appellantur. Eburneas autem dixit, tanquàm affabrè factas, & pulcherrimas, per hæc etiam reges sanctos Apostolos uocat, qui simul cum Christo regnant. Filias autem eorum animas ad Dei cognitionem per illos adductas, quæ etiam templa sua, templa ornatissima construent in honorem Dei gaudio illum afficientes, quasi diceret. Lætitia te affecerunt Domine, regum filiæ à domibus eburneis, quas in honorem tuū præparauerunt.

DIDYMI. Vestimenta regis Christi, & sacerdotis, quæ indutus mortem subut myrrā spirare dices, nam huiusmodi odoramentum in tumulandis mortuis adhibetur, Guttam quoq; à myrrha stillantem, quod Christi mors, quæ prò aliorum salute, ac Diaboli internitione facta est, maius aliquid habeat. Casium quoque spirant ob ignitum eius eloquium: nam hoc genus odoramenti calorem inducit. Aptè igitur uestimenta Christi sunt, quæ [illegible] i lo d[illegible]nitus traduntur. Cum uerò unà cum aliis, id quoque assumpserit, ut post mortem [illegible] quam uict[illegible]r celebraretur, meritò dices, quod à uestimentis suis illa spirent quæ supra diximus. Huic [illegible]ud consonat. [*Cant.4.*] Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

DIDYMI. Etiam hoc alibi. Myrrha sepulturæ Symbolum est, quod & Ioannes Euangeli- [*Ioann.19.*] sta docuit, inquiens. IESVM sepultum fuisse à Ioseph ab Arimathæas, cum M[illegible]a & al[illegible]e. [*Basilii hæc sunt ut arbitror. 1.*] Gutta uerò & ipsa Myrrhæ tenuissima pars est, ipsa nanque arbor, quæ aromatis stacte app[illegible]latur, quatenus fluida est, in guttā soluitur, quæ autem pars crassior remanet, Myr[illegible]nu[illegible]cupatur, quarum altera quidem pars crucem, altera uero descen[illegible]ium ad infer[illegible]s ostend[illegible] [illegible] gutta ad imum descendit. Descendit autem ipse, ut se ipso omnia impleret. Cæteru[illegible]a cortex est quidam odoratissimus, qui in ligneo sarmento obtenditur. Num erg[illegible] sup[illegible] cis prò creaturæ utilitate susceptum significatum est per carnis dispensationem, q[illegible] gnum facta est? Hac de causa nobiles, ac generosæ animæ per descensum ad nos [illegible]um agnoscentes lætitia illum affecerunt, in fide, & charitate perfecta illius diuini[illegible] at[illegible] gl[illegible] tes. Huiusmodi uerò odoramenta, & aromata abundè suppetunt uestimentis c[illegible]ri[illegible]ti a mul[illegible]is ędificiis. βαρεις enim maximę domus appellantur, quæ, & eędem propter diuitias charitatis christi erga mundum (ut opinor) eburneæ uocantur.

DIDYMI. Reges autem hoc in loco appellare oportet eos, qui cum christo regnant, quorum ipse rex regum est. Horum filiæ sunt animæ, quas ipsi doctrinis imbuunt, atque [illegible]em Ecclesię, quæ cum sint filiæ in honorem eius, qui celebratur lætificauerunt regem chri[illegible]um. Domos elephantinas sublimes Theologias dicito. Dens enim Elephantinus est sermonis nota, nam dentes sunt uocis instrumenta βαρεις autem sunt magnæ domus. Quoniam e[illegible] g[illegible]onē suum ita magnificauerunt, ut d[illegible]mus maxima speculationum de christo fieret, multæ f[illegible] [illegible]egum à prædictis domibus Elephantinis christum lætificauerunt.

HESYCII. Manifest[illegible] hic crucem tangit, Myrrham siquide[illegible] illi [illegible] [illegible] [*Ioan.19.*] cten propter baptismum, & aquam dixit, quæ de transfixo latere defluxit. Casian[illegible] dit, ut discas, quod christi tormenta nobis b[illegible]ni odoris, & ueræ [illegible]itatis c[illegible] lerunt. Huiusmodi enim casia est, quare omnibus medicis in usu freque[illegible]ti [illegible] fuit quoque illud, *a uestimentis*, ut iis carnem significaret, in qua [illegible] [illegible] putandum est.

CYRILLI. christi uestimenta eos potes intelligere, qui proximi [illegible], & [illegible] in cute, & circa illum tum fide, & sanctitate, tum familiaritate spirit[illegible] eburneas dicunt Ecclesias significare βαρεις enim turres [illegible]mnes appellant [illegible] sias fieri dicimus potentia, & gratia christi, quam supra petram fundatæ sunt. [illegible] [*Matth.13.*] fuit, prò splendidis, ac preciosis. cæterum domus hæ ex eborę sunt [illegible] filiæ [illegible] discipuli sint filii regni, meritò etiam reges uocantur, facti sunt nauqu[illegible] p[illegible] [*1.Cor.4.*] quidem eas per Euangelium pepererunt dicente Paulo, in christo [illegible] uos genui. A uestimentis ergò & domibus omnis spiritalis bonus [illegible] igitur odoramentis *Delectauerunt te filiæ regum in honore tuo*, id est qu[illegible] te [illegible] ab illis honorari, nam simul ac uocati sunt, te honorare cœperunt [illegible] aromatibus legitimam unguenti compositionem olim factam fuisse, qua [illegible]

era uasa, & qui ad sacrificandum uocati fuerant, ungebantur.

THEODORETI. Prò *Domibus eburneis*, Aquila, & Symmachus, à templis eburneis dixerunt. Vestimentum autem eius aliter appellat corpus quemadmodum etiam diuus Paulus in epistola ad Hebræos illud uelamentum uocat. Abentes igitur (inquit) fratres fiduciam in introitum sanctorum in sanguine IESV, ea uia, quam initiauit nobis nouam, ac uiuentem per uelamen tum eius hoc est, per carnem ipsius. Myrrham enim crucis tormenta uocat. Hæc enim condendis mortuis mirum in modum prodest. sed Guttam, & casiam odorem uocat suauissimum à cruce emanantem, prædicit ergo cruciatus, quos in corpore passurus erat, ac omni fragrantia orbem uniuersum impleturum, ut errantes olim populos ad extruenda sibi magnifico, & regio ornatu templa excitet. Heb.10.

BASILII. Eadem Basilius dicit, quæ superius à Didymo dicta esse inuenimus, errorem fortasse illius, qui catenam fecit, ut nomen pro nomine scriptum inuenisset, aut fortasse scriptoris error fuit.

EVSEBII. Prò domibus eburneis, seu elephantinis, Aquila dixit, à templis dentis, templa enim hoc loco dictæ sunt Ecclesiæ sponsi, & animæ christo addictæ, quæque in rationali cibo habent uires omnes positas, ubi uero, & sermonum Symbola dentes, unde, & dentes, ipsius christi lacte candidiores esse dicuntur in ea, quæ de ipso est prophetia, oculi eius pulchriores uino, & dentes eius lacte candidiores. At secundum reliquos interpretes, templa eius, seu domus elephantinæ dicuntur, propterea quod ex elephanto animali mortuo ornamenta consequuntur, & qui in Ecclesia clari, & ornati habentur, non aliter splendent, nisi ex Apostoli sententia mortua reddiderint membra, quæ sunt super terram. Thren. Coloss.3.

ORIGENIS. *Filiæ regum.* Sancti discipuli regnum cœlorum accipientes facti sunt reges, quare animæ ab ipsis secundum uirtutem formatæ, dicuntur filiæ regum. Omnes uero animæ ipse fide & uirtute informatæ unam reginam facientes eam astiterunt à dextris christi Dei, & nūc manet Ecclesia Dei aurea uestiméta induta, ex parte cognoscens, & ex parte prophetans, cū aūt uenerit, quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est, tunc tota aurea uestimenta habebit. Naturæ autem rationalis uestimentum est multiplex Dei sapientia.

NICEPHORI. *Murrha, & gutta*, Vestiméta uerbi anima, & caro, quæ tulit prò nobis. caro tua (inquit) patietur, & anima tua ad inferos descendet. Descendit.n. gutta, Myrrha aūt corpora mortua inunguntur. Ex utrisq; uero suauissimus innocentiæ odor emanat. casia.n. od rem mittit, quæ propter lignum sarmentum crucem quomodo innuit. *A domibus eburneis*, per domus autem seu templa animam, & assumptum Christi corpus intelligit, quæ, & diuinitatis uestimenta superius appellauit. *Eburneis*, autem dixit, prò splendidis, splendorem nimirum uirtutis innuens, *ex quibus delectauerunt*, quorum causa scilicet mortis, & descensus ad inferos, & reliquorum cruciatuum lætificauerunt te fideles animę, dum te honorauerunt: quas quidem animas per baptismum cohæredes regni tui Apostoli tibi genuerunt.

Astitit Regina à dextris tuis in uestitu deaurato circum amicta uarietate

Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

EVSEBII. Filiæ regum Christi uidelicet, & Ecclesiæ suæ, animæ per se singulæ fuere, Hæc uerò regina mater filiarum, *Adstitit à dextris eius in uestitu deaurato circundata uarietate*, quæ autem hæc esse potest, præterquam uniuersalis omnis Ecclesia? quæ à finibus terræ usque ad extremum eius ex omnibus gentibus congregata est, quam ipse sibi super petram extruxit, ne inferorum portæ aduersus ipsam præualerent. At uerò magis propriè dixeris per hæc uerba cęlestem Ecclesiam significari, quæ mater est sanctorum hominum, qui sunt in terra: Hoc enim docuit beatus Paulus cum dixit. Hierusalem autem quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra: ipsam quoque uocat ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis: Hec uero perfecta Christi sponsa esse potest, cuius si Ecclesiam, quæ est in terris filiam esse dixeris, non errabis. Regina uero illa dicitur, quod iam cum sponso suo regnat: ideo à dextris regis adsistere dicta est, tanquàm sponsa illius existens, quæ susceptis ab eo seminibus concipiat, & claro incorruptionis amictu, qui planè spiritalis est, induitur, cœlestibus Angelicis potentiis circundata. Amictum autem hunc auratum præsens sermo nominauit. illud uerò, *circundata, & uariata*, neque in lectione Hebraica, neque apud reliquos interpretes legitur, ideo obliesco expunctum est. Heb.10.

Theodo-

THEODORETI. Cum de Ecclesiis uaticinatus esset, quæ Thalamorum, ac cubiculi nuptialis uicem gerunt, meritò ad sponsæ ornamentum explicandum uenit, & formam, & genus narrat, & congruentem illi admonitionem facit. Cumque per hæc magnificentiam ornamenti, ac eius eximium honorem ostendisset reginam illam appellans, & collocationem à dextris illi tribuens, consulit, & commonefacit eam, de officio, & decore eius. Cæterum hæc Iudæis nullo modo conueniunt, qui de maiorum suorum cultu, ac pietate gloriantur, qui per eos plurima beneficia consequuti sunt, nam eis præcipit, ut parentum pietatem sequantur, & minimè hortatur, ut maiorum suorum obliuiscantur. Verum quia gentium Ecclesia parentes, ac maiores Idolorum cultores habuit, ideo consulit, ne nllum paternæ cõsuetudinis uestigium in mente relinquat, & filiam ipsam nominat, eo quod acceperit Spiritum Sanctum tanquam spiritus quandam regenerationem. pollicetur autem si regis mandata custodierit, se regis beneuolentiam habituram, dicens, *Et concupiscet*.

ATHANASII. Regina est Ecclesia tanquàm facta regis magni sponsa: collocatio uerò à dextris honorem significat, quem in futuro seculo mira cum iucunditate consequetur. Vestitus uero uarius, fides, spes, charitas. Sed & aliam quandã splendidiorem uestem habet, nempe Christum ipsum, quicunque enim (inquit) in Christo baptizati estis, Christum induistis. Gal. 3.

DIDYMI. Anima, quæ regi Christo uerè copulata est, uel Ecclesia regina dicta est, & quia sponsa regis est, adsistit à dextris eius: statum uerò à dextris habere, & in uirtute, ac fide domicilium, ac firmitatem collocasse. Ipsa prȩterea uestes habet auratas cum Christum induta est. Circumamicta uerò, & uariata dicitur ob uarium sapientiæ Dei ornatum, & cultum, Nec est, quod nos offendat, si ipse sponsus est, & uestimentum: alia. n. atq; alia de causa, & ratione ita esse dicitur, quemadmodum, & pastor, & agnus, & alia infinita in Euangeliis huiusce notæ reperiuntur.

HESYCHII. Reginȩ uocabulo Ecclesiam intelligit, namque a dextris christi tanquam sponsa sponsi nuptiarum tempore assidet, aureum uestimentum gerens, Euangelio circundata, & uariata lege, atque prophetis. hȩc enim fuerunt illius indumenta, & uarietates.

BASILII. De Ecclesia loquitur, de qua in canticis didicimus, quod una est perfecta christi columba, quæ ad dexteram christi partem eos suscipit, qui propter bona opera illustres redduntur, separans eos a malis, quemadmodum pastor segregat agnos ab hædis. Cant. 6. Astat uerò regina ipsa sponsali uerbo in connubium animȩ data, cui non dominatur peccatum. sed quȩ christi particeps a dextris Saluatoris, in uestitu deaurato, hoc est in dogmatibus spiritalibus subtextis, & uariegatis concinnè, ac religiosè se exornat. Quoniã uerò non unius generis dogmata sunt, sed uaria, & multiplicia quæ rationes agendarum rerum, & naturalium, & speculationum sermones complectantur, ideo uariegatum esse ornatum sponsæ amictum psalmus ostendit. *Audi filia, & uide*, Mox Ecclesiam ad audiendum, & seruandum prȩcepta hortatur, & ea sibi filiȩ appellatione coniungit, tanquam qui per dilectionem ipsam genuit. *Audi filia, & uide*, Monet ipsam ut in speculatione mentem exerceat dum dicit, *Vide*, considera (inquit) creationem, & utilitate ex eius ordine percepta, ad creatorem speculandum ascende. Deinde erectam arrogantiæ ipsius ceruicem inflectens, *inclina*, inquit aurẽ tuam, ne decurras ad externas fabulas, sed uocis humilitatem in Euangelico sermone suscipe. *Inclina aurem tuam*, ad hanc doctrinam, ut obliuiscaris prauorum illorum morum, & dogmatum paternorum, quapropter obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Omnis enim qui facit peccatum, ex Diabolo natus est: Eūce mihi Dæmonum doctrinas; obliuiscere sacrificiorum, choree nocturnæ, fabularum ad scortationem, & omnem petulantiam inflammantium, propterea te filiam meam appellaui, ut patrem, qui teprius ad interitum genuit, odio prosequere reis.

CYRILLI. Cunctas orbis terrarum Ecclesias unam hic uocat, propterea quod unus est Eph. 4. Dominus, una in illis fides, & unus itidem baptismus salutaris, non enim dissensione diuiduntur, ita ut innumerabiles sint, sed una tantum sit, & nominetur. *Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam*, Nuptiarum prȩsides reginam sacris instituunt, & eam, quam sapientissimam efficere student, & ea illi narrant, quibus sponso gratissima sit futura. Sed & sermo quoque decentissimo procedit ornatu, prius enim audire nos oportet, hoc est auribus suscipere id, quod dicitur, & monita secretiora perferre, deinde ita perpendere quæ dicta sunt ac subinde aurem inclinare, hoc est ad obedientiam subiicere. Filiam appellat Ecclesiam, ut quæ per ipsos ad superiorem, & cœlestem sponsum id est Christum introducta fuerit. Nam Dei cooperatores facti sunt ministri Dei, humanam illi creaturam per fidem, & sacrum baptismum conciliantes.

EVSEBII.

EVSEBII. *Et obliuiscere populum tuum*, In his Sanctorum prophetarum sermo apertè significat Ecclesiam ex gentibus conflatam: non enim Israelitis dixit Spiritus Sanctus illud, *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*, sed hæc gentibus ad Deum per fidem accedentibus meritò dici possunt, siquidem imprudentes olim eramus, & filii iræ, patrem Diabolum appellantes, eratque uniuersa gens nostra impia, & Idolis addicta. Quoniam ergò ex huiusmodi gentibus hæc terrestris Ecclesia constituta est, iure illam sermo alloquitur dicens: *Obliuiscere populum tuum*, sic etiam olim Abrahæ dictum est. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & ueni in terram, quam monstrauero tibi. Gen. 12. Porrò hactenus à nobis obseruatum est oportere, ut qui ad ueritatis cognitionem conuertuntur, obliuiscantur quodãmodo prioris patris domum, & populorum eius: namque accedẽtibus ad salutarem baptismum, ac deinde ad exitum uitæ conuersis persuademus, ut clament. Renuntio tibi Satanas, & omnibus operibus tuis, & omnibus Angelis tuis, & omni pompę tuę, & religioni tuæ, quam uerò mercedem Christi filia, quæ hæc agit, inde referat, mox narrat inquiens. *Et concupiscet rex*.

DIDYMI. *Audi filia*, personæ mutatio facta ostenditur: Deus enim est, qui conflatam ex gentibus Ecclesiam alloquitur: & hãc uocat filiam suam. Inquit enim susceptis sermonibus meis ò filia, audi, & considera sensum illorum, illis utique credens, nam adhuc magis & magis cupies aures tuas inclinare ad eos excipiendos, & accuratius audire, & optare animum intendes. Te uerò interim capiat obliuio contribulium tuorum, neque amplius tibi curæ sint patrii mores: quin & obliuiscaris domum patris tui Diaboli, qui te per malitiam genuit.

NICEPHORI. *Adstitit regina*, Congregationem piorum dicit, quam sibi Christus despõsauit, quæ adstabit gloriæ eius sacro circumamicta baptismo, & gratia spiritus uariis ornata uirtutibus. *Audi filia*, & filiam, & sponsam uocat propheta ortodoxorum Ecclesiam. Filiam quidem ob baptismi regenerationem: sponsam uerò ob Euangelium, per quod eam sibi coniunxit. Audi ergò quæ dico, & uide omnia illa, quæ propter te passus est sponsus, aut quæcunque fecit admirãda, inclina aurem tuam præceptis illius, & obliuiscere gentis tuæ, prauę nimirum conuersationis illius gentis, & prioris uiæ, ac templi Diaboli patris tui.

Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum.
Et filia Tyri in muneribus, uultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.
Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta uarietate.

EVSEBII. Si enim expurgata priorum malorum obliuiscaris, & naturalem animæ pulchritudinem, quæ facta est ad imaginem Dei, resumpseris dilectũ Dei amatorem habebis. Nec ipsi licet sit omnium rex sanctorum dedignabitur Dominus tuus appellari, prò *adorabunt eum*, Aquila uertit, adorauit eum, Symmachus, & adora eũ, dignã te illius adoratione constituens: Cũ uerò illam uocat ad audiẽdum, & obseruandum quęcunq; præcipientur, nonnulli hac uocatione existimarunt illam amicam, & familiarem fieri, alii per præscientiam dicunt illam uocari. *Filia Tyri*, quomodo fimbriis aurẹis circumamicta est? Paulum dicentem audi. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. 1. Cor. 13. Cognitio enim ex parte in extremitatibus solis auri ornatum illi circumposuit. Cum autem uenerit (inquit) quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Cum uerò Ecclesia, quę hic in terris alitur in cœlestem illam mutata fuerit, tum abiiciet aureas fimbrias, scilicet cognitionem ex parte, & uestitu deaurato perfecta cognitione decorabitur.

DIDYMI. Propter hoc te filiam uoco (inquit illi Deus) ut quæ imperata sunt tibi, facias. Quoniam cum filius meus sit rex, pulchritudinem, quæ in te est, ad imaginem, & similitudinem meam factam concupiuit. Is autem rex non unus est ex æquabilibus tuis: ipse enim est Dominus tuus, non Angelus, non Archangelus, non ex mortalibus aliquis: nam omnes illum adorant. Quoniam uerò Dei proprium est adorari; scias Deum esse, qui concupiscit pulchritudinem tuã, qui & idem est Dominus tuus; præterea scies te magnam mutationem accepisse. Cum enim esses filia Tyri, & propterea superstitionibus esses imbuta, filia mea uocata es. ita ut omnes diuites ex populo conspectui tuo preces offerant, nam omnes, qui ex circuncisionis populo fide, & Euangelii ueritate diuites fiunt, ad te accedunt, conspectum tuum obsecrantes, & quod regis consors facta sis. Quemadmodum enim qui olim ex gentibus ad Dei cultum accedebant, apud Israel sacris legibus initiabantur conspectum illius obsecrantes: ita qui modo ex Iudæis pœnitentiam agunt, ad gentium Ecclesiam confugiunt, orantes, ut ab illa suscipiantur.

ATHANASII. Siquidem nemo, qui ad fidem illam, quæ est per Christum purus accedit, nisi prius omnium præteritorum malorum memoriam ex animo deleat populus rursus Ecclesiæ erant Idololatræ. Domus patris eius sapientes huius seculi, in quibus Satanas tanquàm in domibus habitat.

APOLINARII. Discesio à malignis gentibus pulchram sponsam,& optabilem regi ostẽdit: Hæc enim est pulchritudo nostra,& hac cohonestamur: hac Deo coniungimur, atque illa tã uehementer Dei studiosi,& amantes efficimur, ut tale eius desiderium esse dicamus, quale amantis de rei amatæ pulchritudine esse solet.

ATHANASII. Ab una Tyriorum gente significari gentium uocationem dico. Tyrios autem nominauit, propterea quod ipsi maximè piis institutionibus aduersati sunt.

BASILII. Si enim peruersorum dogmatum maculas obliuione deleueris, pristina pulchritudine tua recepta, amabilis, atque optabilis sponso tuo apparebis: *Quoniam ipse est Dominus tuus,& adorabunt ipsum*, Necessitatem uerò huius subiectionis declarat per illud, quod ait, *Ipse*
Phil.2. *est Dominus Deus tuus*, Adorabunt uerò ipsum omnes creaturæ, quoniam in nomine IESV Christi omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium,& infernorum. *Et filia Tyri*, in Chananitide regione, cuius metropolis est Tyrus, Idolorum cultus maximè regnabat: Eam igitur ad obedientiam exhortans psalmus & filia (inquit) Tyri ueniet aliquando cum muneribus: sed & uultum tuum adorabunt diuites populi: Non dixit autem te adorabunt in muneribus, sed uultum tuũ, non enim Ecclesia adoratur, sed Ecclesiæ caput Christus, quem scriptura uultum nominauit.

THEODORETI. *Quoniam ipse est Dominus*, Eius naturam,& regis dignitatem docet. Interpretes alii filiam ipsam esse, quæ adoraret, uoluerunt: Aquila enim & Theodotio, sic tradidere, & adorate ipsum. Symmachus uero sic. ipse enim Dominus tuus, & adora ipsum. Verum septuaginta docent reginam, quod non modo ipsi sponsus est Dominus, sed eos etiam, qui aduersari audent, qualis est filia Tyri, munera allaturos esse,& subiectionem ostensuros: nam nomine Tyri omnem impietatem significauit. Scripturæ enim mos est, totum à parte significare:
Isa.10. sic aliàs per Libanum omnis superstitionis cessationem prædicit. Nam Libanus (inquit) cum excelsis cadet: Porrò in sequentibus de pluribus mentionem facit, *uultum tuum deprecabuntur*, uultus Ecclesiæ propriè idem ipse Dominus est, quoniam caput est corporis, ipsum enim ait caput super omnes Ecclesias: Deinceps est sacerdotum ordo tanquàm Ecclesiæ facies, ueluti maiori dignitate insignitus. Cœterum est quod huius prophetiæ euentum uideas, cum homines diuitiis affluentes,& in maximarum dignitatum excellentia constituti Ecclesiæ faciem honore prosequantur. Quoniam uerò dixit reginam uestitu deaurato indutam esse, preciosa uerò uirtutis indumenta Athletas decorant,& propterea huiusmodi uestimentis utuntur, ideo post hæc ex ornationis pompam ostendunt.

DIDYMI. *Omnis gloria filiæ*, Esebon Esebon, si interpreteris cognitiones sonat. Porrò rex cogitationũ iustorũ est Dominus. Ita gloria filiæ Tyri, quæ laudatur, nõ aliũde nascitur, quã à rege cogitationum. Aliàs & ita scriptum habes. *Omnis gloria filiæ regis ab intus*. Christus non exterius sed interius secundum interiorem hominem regnat, unde Saluator ipse: Regnum meũ
Ioann.18. (inquit) non est de hoc mundo: non enim sensibus, sed spiritu regnat, intus uerò dicuntur cogitationes, quia uideri nequeunt. Sciendum est autem in pluribus scripturæ locis prò natura intellectuali aurum accipi, ut suo tempore ostendam. Quoniam igitur in uestimentis eius, quæ sunt uirtutes, sermo etiam de intellectualibus,& in primis de Trinitate attexitur, fimbriis aureis obuariam,& multiplicem Christi doctrinam uariatis amicta est.

HESYCHII. Admirari Ecclesiæ gratiam Propheta uidetur: Quoniam cum prius Idolis dona offerret, ipsa nunc ab omni creatura dona suscipit,& quam propter scelera in infidelitate patrata, oportebat pœnas luere, eadem à iudice sponso illius facto munera accipiat. Sed quænam munera? Hæc. Fides, spes, charitas, baptismus, pœnitentia,& reliqua huiusmodi, quæ ecclesia dono accepit. Ecclesiæ autem facies Christus est, quam diuites populi, Iudæorum iusti scilicet ut Abraham, Moses Helias Dauid deprecatur prò conuersione Israel orantes.

ATHANASII. *Omnis gloria filiæ regis ab intus*, Ornatus Ecclesiæ mente conspicitur,& mẽte constat, per fimbrias autem multiplices uirtutes significat.

BASILII. Postquam à ueteribus impietatis dogmatibus purgata est,& obsequens facta ueritatis decreto,& populi sui,& domus patris sui oblita, narrat Spiritus Sanctus res ipsius, & cũ uiderit eius puritatem in occulto, omnis (inquit) gloria filię regis, hoc est, sponsæ Christi, quę in posterum per adoptionem filia regis facta est, ab intus est. Hortatur sermo hic ut ad intima Ecclesiasticæ gloriæ mysteria deueniamus, cum sponsæ pulchritudo interna sit, atq; intus reposita,
Matth.16. qui.n. se patri, qui in occulto uidet, præparat,& adorat,& õia facit, nõ ut ab hominibus uideatur, sed ut soli Deo sit manifestus, hic oẽm gloriã intus habet, ueluti etiam filia regis, sed & fimbriæ aureæ, quibus tota circumamicta est, & uariata in internis sunt. Nihil quæras in externo auro,

auro, & corporali uarietate, sed amictum quendam mente concipias, qui dignus sit eum honestare, qui factus est ad imaginem conditoris: quemadmodum inquit Apostolus, exuto ueteri homine, & nouo induto, qui renouatur ad agnitionem secundum imaginem conditoris, & qui induit uiscera misericordiæ, bonitatem, humilitatem, longanimitatem, mansuetudinem intus amictus est, etiam secundum interiorem hominem ornatus est. Sed & Paulus admonet, induite IESVM CHRISTVM non secundum exteriorem hominem, sed ut mentem nostram amiciat memoria DEI. Arbitror aūt spiritalem uestē texi, cum uerbo doctrinę consentiens uita complicatur, nam ut in corporę uestis textura subtegmen stamini subtexitur, sic cum præcedenti uerbo consequentes actiones inducuntur, uenustissimus animæ amictus confici potest, quæ & uerbo, & opere uitam cum uirtute coniunctam habent. Fimbriæ porrò quæ à uestitu pendent, spiritales etiam ipsæ sunt, quapropter aureæ dicuntur esse, cum uerò uerbum maius sit opere, uelut fimbria quædam est à textura ad actionem, redundans. Col. 3. Eph. 4.

THEODORETI. Intus (inquit) habet uirtutis ornamentum uariisque diuini spiritus muneribus effulget, quoniam uerò diuersæ sunt Spiritus Sancti uires (nā diuisiones gratiarū sunt, sed idem est spiritus) data est fides in eodem spiritu, alii prophetia, alii donum linguarum. Ex multis autem hominibus, qui uaria Spiritus Sancti dona acceperunt Ecclesia cōflata est, non ab re aureis fimbriis gratiarum distributionem comparat. Fimbriæ autem inter se diuisæ sunt, & iterum conne ctuntur, nam ab eadem ueste pendere solent. 1. Cor. 12

HESYCHII. Aureas fimbrias meritò uocat secretiora uerba, quemadmodum enim à fimbria uestis ornatus, & ualor consideratur, ita non aliter mysterium intelligere possumus, quā ex mysticis uerbis, quæ in ipso dicuntur, quibus contectum est, & uariatum. Porrò contectum est, ne ab infidelibus percipiatur, uariatum uerò quoniam interim miracula eius tanquàm Dei, & opificis enarramus, interim cruciatus eius tanquàm pro nobis incarnati numeramus, hos atq; illa hymnis, & gratiarum actionibus celebrantes.

ORIGENIS. Omnis gloria Ecclesiæ nostræ in homine interiori conspicitur uariata secundum uirtutem, & scientiam.

NICEPHORI. *Et filia Tyri*, Idololatrię metropolis Tyrus, *in muneribus*. Cū mūeribus Christum adorabit *Vultum tuum deprecabuntur*, uultus uel caput Ecclesiæ Christus, quem deprecabūtur, hoc est, honorabunt, & supplicabunt principes, & reges, *omnis gloria filię*. Cū pulchritudinē, & ornatus reginæ audis, ne putes sensibilia, hæc, & externa dici, sed quæ intus, & in anima sunt. *In fimbriis aureis*, Fimbrias aureas mihi intelligas uelim uirtutes multas, ac spiritalium donorum uarietatem, quorum precium, & dignitatem per aurum insinuat.

Adducentur regi uirgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lętitia, & exultatione, ducentur in templum regis.

DIDYMI. Cum obstrusa dictio sit, aliundè sententiam eliciemus, in cantico canticorū, ubi animarum differentiam, quæ ad Christum accedunt, sermo interpretans dicit, septuaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. ut de illa dictum sit, uiderunt te filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ, & concubinę laudauerunt eam. Ex quibus liquet præter filias, quę adolescentulę, & reginæ & concubinæ dictę sunt, aliam esse ex his uerbis ostēditur, ex his animabus, quæ ad Christum accedunt, alias quidem nondum nuptiis aptas, alias uerò, quæ ad ipsum sibi iam coniunctum ingrediuntur. quę igitur ex iis ingenuæ mundum sex diebus conditum supergressæ sunt, reginę sexaginta sunt. quę uerò accepta circuncisione quæ octauo die peragitur ætate iam prouectę spiritum seruitutis habentes, octoginta sunt concubinæ, sed quę omnibus præstat spiritu electa ut columba sit, est Ecclesia gloriosa, nō habens maculam, aut quicquam huiusmodi. Hanc Ecclesiam, cum diuinus Propheta in pręcedentibus uersiculis commendaret, dicit post illam ductum iri sponso suo regi adolescentulas, quæ olim quidem pulchritudinem ætatis non habuerunt, nunc uerò, cum perfectę sint, in thalamum introducuntur, ut unà cum rege dormientes unius perfectæ sponsæ membra constituantur: quippè quæ non amplius (ut olim cum essent imperfectæ) ab illa sint alienę. Cant. 6.

HESYCHII. Non oēs uirgines Ecclesiam sequi possunt, sed eius proximę, quę ad regē meritò adducuntur. Virgines uerò ad Ecclesiā appropinquant, non prudentes solum, quotquot cū castitate eleemosynam, & uirtutes aliàs pręstant, nam reliquæ ad sponsum nō ingrediuntur. Quēadmodum uerus sponsus Christus testatur, sed fatuę meritò nominantur, quoniam eū magnū uirtutum fundamentum iecissent, eidem reliqua bona opera tanquā coronam non addiderunt. Matth. 25.

APOLINARII. Sponſa quidẽ regi proxima eſt, uirgines uerò proximè illas ſequũtur, ac ꝓ
cã in familiaritatẽ regis inducũtur, & tãquã ancillę adoleſcentulæ ſponſã ſubſequũtur. Hac rõne
iuxta carmen Solomonis aptiſsimè Iudæorum Synagogæ intelligi poſſunt, quæ ſecundæ, ac quo
Matth.19. dãmodo ſequaces fuere, iuxta illud erũt primi nouiſsimi & nouiſsimi primi. & illud: aduena, qui
Marc 10. *Deut.28.* eſt in te erit in caput, & tu eris in caudã, quoniã qui poſtremò legis aduẽtitii fuerunt, quatenus
ad familiaritatem cum Deo initam, nunc quidem ad congreſſum cum Deo primi exiſtunt, quod
patet ex iis, quæ deinceps inſeruntur.

THEODORETI. Quoniam non omnes ſummam perfectionem habent, ideo nonnullos
nomine ſponſę appellat, ut qui ſint omnibus numeris abſoluti, alios uerò uirgines uocat, ut eos,
qui acceptã fidẽ ſinceram conſeruauerunt: Eas tamẽ ancillas reginæ dicit, atq; in regium templũ
Ioann.3. ſimul cum ipſa ingreſſuras. Hanc differentiam nos Chriſtus in ſacris docuit Euangeliis dicens.
1.Cor.15. Multæ manſiones apud patrem meum. conſonant cum his uerba diui Pauli, quoniam enim per
hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, ſicut enim in Adam omnes moriun-
tur, ſic in Chriſto omnes reuiuiſcent: unuſquiſque autem in ordine ſuo.

BASILII. *Adducentur regi uirgines*, Domini ſponſam animæ quædam ſequuntur, quę
alienorum dogmatum ſemen non accepere, quæ ſponſam ſequentes adducentur ad regem. Au-
diant quæ uirginitatem Domino uouerunt, quòd uirgines adducentur regi: Virgines autem,
quæ propinquę ſunt Eccleſiæ, poſt ipſam ſequentes, & ab Eccleſiaſtica ordinatione non aber-
rantes: non quæ coactæ ſubierunt uirginitatem, nec quæ præ animi deiectione, aut neceſsita-
te caſtam uitam ſuſcepere, ſed quæ in lætitia, & exultatione ob rectè factum, & honeſtum in-
ſtitutum gaudent, hæ regi adducentur, & ad adyta concedendi facultatem habebunt, per
quæ profani pedes non ambulabunt. quam uerò magna ſit res in templum regis adduci,
propheta declarat orans prò ſe ipſo, & dicens Vnam petii, hanc requiram, ut inhabitem in
domo Domini omnibus diebus uitæ meę, & uideam iucunditatem Domini, & uiſitem tem-
Psal.26. plum eius.

EVSEBII. Filia, cuius ſæpe ſuperius meminimus, non ſemper in terris uerſabitur, ſed
opportunè transfertur: ueruntamen non omnis affatim huiuſce mutationis digna efficietur
ſed hæ ſolum, quæ ad primum gradum euectæ regi adducentur, ipſæ uerò ſunt, quæ puritatem
Ioan.3. in Chriſto ſequutæ, anima, corpore, ac Spiritu ſanctificatæ ſunt. Cœterum poſt primum ordi-
nem proximæ illius deducentur (multæ nanque manſiones ſunt apud patrem) Hæ uerò ſunt
quæ pudicitia, & uitæ caſtitate proximum uirginibus locum obtinent. quomodo autem de-
ducentur, oſtendit, dicens. *In lætitia, & exultatione*. Conſiderabis uerò quomodo hoc di-
1.Thes.4. ctum ſit Apoſtolica ſententia in conſilium adhibita, qua dicit, rapiemur in nubibus in
occurſum Domini in aera & ſic ſemper cum Domino erimus. Non enim ibunt ad re-
gem uirgines, ſed deducentur aliis eas ducentibus, nimirum ſanctis Angelis; qui eas ſublimes fe
runt, & in altum euehunt: ita ut ad cœleſtia perfacilè iter habeant. *Deducentur in lætitia, & exul-
tatione, ducentur in templum regis*, hoc eſt in domum regiam dignæ factæ regno cœlo-
rum.

ATHANASII. *Proximæ eius deducentur*, nam uirginitati proxima eſt continentia, quę
cunque igitur animæ continenter uiuunt, à turpibus abſtinentes actionibus, & ipſæ ſimul afferen
tur. Cœterum quæ afferuntur, lætitiam, & exultationem inuenient.

DIDYMI. quamuis multæ incorruptæ ſint animæ, quas uirgines uocare conſueui-
mus, omnes tamen regi non deducuntur, ſed quæ affectu proximæ, & uicinę ſunt perfectæ ſpon
ſæ. Aptè uero dixit, *deducentur*, nam quæ nullam colloquii cum ſponſo experientiam habent, ad
illum per ſe ipſas proficiſci non poſſunt, ſed eas ad illum deducunt, lex, & prophetæ monita illis
ſalutaria proponentes.

HESYCHII. Duplici gaudio hæ uirgines afficiuntur, lætitia ſcilicet, & ex-
ultatione, cum duplicem quoquè ſanctitatem pręſtiterint, corporis nimirum, & animæ,
in templum uerò regis meritò deducentur, quoniam proprium earum templum immaculatũ,
& purum regi conſeruarunt.

DIDYMI uel EVSEBII. Templũ domus Dei eſt; quoniã ergò domus, & thalamus regis
templum eſt apertè oſtenditur, quod Deus eſt rex, quare uirgines, quæ ad illum ducẽtur, in eius
templum introducuntur, ut eidem tanquàm Deo ſacerdotes, tanquàm uerò regi ſponſæ ſint.

ORIGENIS. *Proximæ eius*. Proximi noſtri ſunt aut omnes homines, aut qui non om-
ninò ſecundum dogmata conueniunt.

NICEPHORI. *Adducẽtur regi*, poſt cõſtitutionẽ Eccleſię, uirginitatẽ ꝗdẽ introducẽdã ꝓdicit,
ſed

sed non statim ab initio congregationis fidelium,atq; ideò dicit,*post eam*,i.aliquantò post tẽpore uirginitas instituetur,& tibi regi uirgines adducentur lætantes,& laborem, ac difficultatem uirginitatis prò amoris uehementia nihil existimantes,*proxima eius*, quæ in moribus Ecclesiæ conueniunt unius proximitate fidei,quæ in templum cœleste tanquàm uictimæ adducentur.

Prò patribus tuis nati sunt tibi filii,constitues eos,principes super omnem terram.
Memor ero nominis tui in omni generatione,& generatione.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum,& in seculum seculi.

BASILII. Quoniam superius præceptum est illi,ut populi,& patris sui obliuisceretur, in obedientiæ retributionẽ nunc prò patribus filios accipit tot,ac tantis dignitatibus excellentes,ut eos principes super omnem terram constituat, sed quinam sunt Ecclesiæ filii nimirum Euangelii filii,qui uniuerso orbi imperarunt?in omnẽ(inquit)terram exiuit sonus eorũ:&:sedebunt sup. *Psal. 18.* duodecim sedes,& iudicabunt duodecim tribus Israel,quod si quis sponsæ patres intelligat Patriarchas,& iam psalmi uerba ab Apostolis non discedunt:nam prò illis nati sunt ei filii per Christum, *Matth. 19.* *Luc. 22.* qui faciunt opera Abrahæ,& propterea ęquè,ac illi generati sunt. quoniam eadem quæ illi fecerunt,propter quæ patres maximis honoribus digni facti sunt. Principes uerò uniuersæ terræ sunt sancti. quoniam bono inhæserunt,cum ipsa boni natura illis comparat principatũ,sicut dedit Iacob potestatem in Esau.esto(inquit)Dominus fratris tui.qui ergò æquales patribus fiũt *Gen. 27.* & excellentiã super oẽs ex uirtutis exercitatione cõpararunt,& etiam ipsi filii sunt sponsæ Christi,& principes à matre,propria super omnem terram constituuntur. Tu uerò interim reginæ potestatem considera quantam habeat,cum illi integrum sit principes eligere,super omnem terram,*Memor ero nominis tui*, post omnia tanquàm ex persona Ecclesiæ sermo hic habitus est,quę uerò est Ecclesiæ memoria,nisi confessio populorum?

THEODORETI. *Prò patribus nati sunt tibi filii*,Dicant Iudæi quosnam filios habuerint qui uniuersæ terræ imperauerint. Hoc planè nunquam ostẽdent,quoniam nec imperarunt,nec imperant.sed extremã seruitutem sustinent,At diuini Apostoli cum Patres habuerint Patriarchas terræ marique etiam post mortem dominantur, tanquàm principes,ac duces quidam à Christo omnium rege constituti: & qui postea illos sequuti sunt,quos qui filios Ecclesiæ nominare uelit,non errauerit,illi inquam triumphantes martyres præfecti sunt,ut idem imperium regant,& omnes homines subiectos habeant,hos quidem spontè,ac amore id facientes,illos uerò timore coactos.*Memor ero nominis tui*,cum cantor hæc uaticinatus esset,pollicetur quolibet seculo suos homines,qui per tempora erunt,diuinum nomen celebraturos:ita enim tres interpretes dixerunt,propterea celebrant te in seculum semper:namque dum populi omnes orbis carminibus à me editis utentur,salutem ipsis concessam,& multò antè illis promissam discentes, te beneficii authorem,& elargitorem carminibus concelebrabunt.

ATHANASII.Quoniam dixerat illi,*obliuiscere patrem tuum*,modo dicit,*prò patribus*,quõdã tuis.i.magistris,erunt tibi filii. Filios uerò Sanctos Apostolos uocat,iuxta illud Domini dictũ.Filii uestri in quo eiiciunt? Aut ẽt hos Ecclesiarũ duces,qui Ecclesiæ quidẽ filii fuere,principes *Luc. 11.* uerò super oẽm terrã à Domino IESV constituti sunt,iuxta illud,qđ dictũ est.Eũtes docete. *Matth. 28.*

EVSEBII.*Prò patribus tuis nati sunt tibi filii*,Horum uerborum sensum cœteri apertè ma- *Marc. 16.* gis uerterunt.Aquila quidem cum dixit:prò patribus tuis erunt tibi filii.Symmachus uerò: prò patribus facti sunt filii tui.Porrò sermonis interpretatio hunc habet sensum.Filii qui in te, & à te orti sunt,prò patribus fient tibi,eos namque patres habebis, quos ipsa genuisti, considerabis autem sermonis perfectionem,animaduertens quomodo,exteræ gentes ad Ecclesiam Dei accesserint,& in ea regenerati filii ipsius fiant:& cum progressum fecerint,suscepto in eam præfecturæ munere,& sacris initiati patres eius constituantur. Quo uerò pacto illos prò patribus sit habitura,manifestè magis interpretatur dicens.*Constitues eos principes super omnem terram*.Hæc autem sermo dicit Ecclesiæ terrestri,quæ extremas orbis partes complectitur, super quam hęc Ecclesia Dei principes,& patres constituit filios suos.

CYRILLI. Christus duos populos in unum hominem condidit,faciens pacem,& recon- *Eph. 2.* cilians ambos in uno corpore patri.Ex his itaque illius Ecclesiæ plenitudo consideratur.Dicunt ergò illi prophetę,*Prò patribus tuis nati sunt tibi filii*,Porrò his uerbis Sãctorum Apostolorũ, & Euãgelistarũ uidẽtur sermonẽ facere:Etenim Abraham,Isaac,& Iacob,&,qui hos sequuti sunt, Iudæorum synagogæ patres fuere:postquã uerò Deus Dominus apparuit,sancti discipuli ab eo patres Ecclesiæ delecti sũt,& in priorũ locũ successerũt. Quo.n.ambigere aliquis poterit, quin Abrahã gẽtiũ,ac Iudęorũ pater extiterit?Israelis nãq; iuxta carnẽ,gẽtibus pariter p promissionẽ pater extitit.Dictũ ẽ.n.illi,patrẽ multarũ gẽtiũ te cõstitui:nã q ex fide iustificati sũt,eius uestigiis *Gen. 17.*

institerunt:& quoniam credentes facti sunt,cum eo etiam benedicti sunt,in ordine ergò patrum 1.Cor.4. discipuli sapientissimi Ecclesiæ præpositi sunt. sed præstat Paulum ad quosdam scribentem au- 1.Ioan.2. dire. Et si innumeros habeatis pędagogos in Christo tamen non multos patres. Ioannes sapiens quoquè illos,qui in Christum omnino crediderunt,tanquàm filios alloquitur.

DIDYMI. quoniam ad Christum ferè omnia huius psalmi uerba referuntur, hic quoquè uersus dicere poterit, prò iis, quos secundum carnem patres habuisti, hoc est iis,qui erant ex circuncisione,nati sunt ex eodem genere tibi filii,Euangelicum sermonem admittentes. Hos Math.28. autē principes constituisti super omnem terram dicens illis. Euntes docete omnes gentes,testes Marc.16. facti usquè ad extrema terræ.

EVSEBII. *Memor ero nominis tui*,Symmachus ait. Recordabor nomen tuum per omnem generationem,propterea populi laudabunt te in seculum assiduò.prædicta filia regis (hæc Phil.2. uerò est Ecclesia in terris) cum uim paterni nominis sensisset, (siquidem donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum) post factas illis promissiones fidem sermonibus habens,gaudio, & exultatione plena Hymnum magno Domino,qui eam hoc munere dignatus est, prò agendis gratiis emittit,& ait, *Memor ero nominis tui in omni generatione , & generatione*,quod ipsum quoque præstat.cum christiana nuncupata sit,& propterea Christi appellatione ornata glorietur.& quoniā ego filia tua memoriam nominis tui nnuquam intermitto ideo non ab re populi,quos dicto parentes habeo, singuli congregati confitebuntur tibi in seculum, & in seculum seculi.

APOLINARII. Hæc quidem regina Christo assidet,& cum ipso templum ingreditur, Hæreditatē uerò terræ,ac regnum Abrahæ promissum illis distribuit, qui corporeum ab ipso genus ducunt,rege,ac regina annuentibus,itaque quas adolescentulas dixit,nunc patres,ac filios esse prædicat,qui in filiornm ordinem coaptati tanquàm filii à matre hæreditatem acceperunt.

DIDYMI. Propterea populi gratias agentes confitebuntur, non in unum aut alterum seculum,sed in seculum seculi:non enim nunc arbitrio nostro permittitur in peccatis confessionem persoluere,semel enim non autem in seculum seculi ea perficitur, nam in hoc seculo tantum pœnitentiam agere,ac confiteri licet. quo si legas ut alius codex habet *memores erunt*, dictum est prò eo,qui abs te ad imperandum , electi sunt memores erunt nominis tui in omni generatione,& generatione,regnum tuum in omnia secula protendendo.

CYRILLI. Licet enim ab humanis desciuerint,adhuc memores sunt,& ita in sacris Christi liberis cœlestem doctrinam consignatam reliquerunt , & Deum ipsum in hunc usque diem prædicant.

ATHANASII.*Propterea populi*,eò quod ipsi nominis eius recordētur,tibi confitebūtur, & etiam propterea quod doceant nomen illud omnes nationes.

HESYCII. *Propterea*,quale istud est?quoniam de ipsis indeficiens mysterium peractum est. Confitebuntur autem in seculum,& in seculum seculi,duplicem quandam confessionem ordinauit : Vnam quidem præsentem,alteram nerò futuram,sed præsens fit ad expungenda debita eorum,qui peccata sua confitentur. Altera ad pœnam,& examen fiet:Nos ergo hac præsenti confessione futuram illam præueniamns,nt supplicium benignitate lucremur.

NICEPHORI. *Prò patribus tuis*, Ad Ecclesiam sermo est,obliuiscere (inquit) patres tuos,namque horum loco erunt multorum patres,qui à te per baptismum regenerandi sunt,*Cōstitues eos principes*,Vide Ecclesię potestatem,quæ sibi filios præsides & duces instituit in omni terra, nam discipulorum leges,& dogmata per omnem terram pertransierunt,nec tantum dum uiuerent principatum hunc retinuerunt,sed etiam post mortem,eorum enim præceptis,& monitis ubique gentium fideles obtemperant,atque ab eis diriguntur. *Memor ero nominis tui*,Ecclesia christiana hęc ad Dominum dicit.*Propterea populi confitebuntur*,quoniam tanta in me prouidentia usus es, fidelium populi, dum uiuent gratias tibi agent, non in præsenti tantū seculo, sed etiam in futuro,quod seculum seculi dicitur,quasi nobilius sit, & nullo fine concludatur.

ORIGENIS. *Prò patribus*,prò Abraham,& Isaac, & Iacob, & prò aliis reliquis , qui illi placuerunt in ueteri generatione,nati sunt discipuli,& nos,qui per ipsos credidimus,& eorū fidei, ac cognitionis hæredes extitimus, Hæreditas enim rationali animæ est cognitio Dei.

IN FI-

IN FINEM PRO FILIIS CORE PRO ARCANIS.

PSALMVS. XLV.

Deus noster refugium, & uirtus in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.



THANASII. Gentium uocationem, & spiritalium inimicorum eiectionem, & in abyssum depressionem præsens Psalmus designat. Quoniam uerò hæc tanquàm per similitudines allata sunt meritò, prò arcanis inscriptus est psalmus. Canunt uerò illum, qui in christum crediderunt: & præcipuè omnium Apostoli eius.

BASILII. Vaticinium de rebus, quę proximè ad finem uenturæ sunt continere mihi is psalmus uidetur. Quem finem etiam intuitus Paulus dicit. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri. 1.Cor.15. Vel quia actiones nostræ nos ad finem deducunt, singulæ ad eum, qui sibi proprius est. bonæ ad fęlicitatem, malæ ad æternam condemnationem. Porrò consilia in hoc psalmo à Spiritu Sãcto tradita credentes ad bonum finem adducunt: & propterea, *In finem*, inscriptus est, quasi doctrinarum comparatio ad beatũ humanæ uitæ finem referatur. *Pro filijs Core*, Core filiis quoquã is psalmus dictus est, quos nõ disiungit Spiritus Sanctus, propterea quod anima una, & una uoce mutuò inter se concentu sermones emiserunt. Ita ut nihil egregiè pręter alios quisquã ex ipsis uaticinatus sit: sed propheticum donum pariter ipsis datum, ob æqualem, & parem omnium inter se ad bonum propensionem: *Prò arcanis*, autem inscriptus est, hoc est pro occultis, & in mysterio cęlatis. Cæterum ubi ad singulas partes psalmi deueneris, occulta sermonum ipsorum addisces: Et illud quoquè scies non esse cuiusuis diuina sacramenta inspicere, sed eius tantum, qui concinnum, & benè aptatum annunciationis organum fieri potest: ut psalterii loco anima ipsa ab spiritu in ea operante moueatur.

EVSEBII. Cum Psalmus uaticiniis refertus sit, & ad futura tempora referatur, *In finẽ*, inscriptus est: uel ob uictorias de hostibus relatas triumphalis est: uel uictori Deo refertur. Prò eo, quod dictum est, *Prò filijs Core*, foris appositum est, *Filijs Core*, Psalmus enim istis dictus est. Vel ex Aquila, & Symmacho, est filiorum Core. Similis autem est hic præcedenti. Canticum iuxta Symmachum, sed illud quidem prò dilecto, hoc uerò quod præ manibus canticum est, *Prò arcanis*, quæ in ipso prædicuntur. namque abdita, & arcana, & quæ multos latent, uaticinatur. Cæterum uerba ex persona Apostolorum proferuntur.

THEODORETI. Quæ post longam temporum seriem futura sunt, prophetæ sermo prædicit. Ideoque, *In finem*, est ei titulus, admonetq; ut eorum finem attendamus. vaticinatur autem insultus in Ecclesia factos, & auxilium, quod postea de cœlo allatum est, & pacem, de qua nunc agitur. Fuerunt nonnulli, qui hunc psalmum in Og, & Magog compositum fuisse suspicati sunt. nonnulli uero in Achaz, & Phaceę. Alii uero in Ezechiam, & Assyrium. Sed distincta cuiusque loci interpretatio Deo duce ostendet psalmi sententiam nulli ex supra dictis uiris conuenire.

DIDYMI. Mos est obscurè dicta per dispensationẽ quandam arcana nominare. Secundum hoc enim, & Dei sapientia in mysterio abscondita est. 1.Cor.2. Thesauri sapientię, & cognitiones absconditi sunt dicti. Horum igitur arcanorum finis etiam tanquàm scopus est, uel ut rerum diuinarum cognitio indignos lateat, uel ut qui diuinæ cognitionis suscipiendę curam habent laboribus, ac exercitationibus se se dantes scopum consequantur.

HESYCHII. Non dicit filiis core, ne putemus cantores intelligi: Sed *Prò filijs Core*, An gentes innuit? nam core caluum sonat: Fuerunt autem gentes filii caluitii. nam, ipsi tum eorum patres omni uirtute nudati fuerunt: Eos quoquè absconditos dicit: nam filii fuerunt, qui Deum iuxta præscientiam nesciebant, unde in ipsis absconditum est mysterium: pro iis præsentem psalmum Dauid spiritu sancto dictante composuit.

THEODORI. Post Solomonis obitum diuisę sunt duodecim tribus Israel: Erat autem Iu-

dæ tribus unà cum sola tribu Beniamin, ex iis, qui ex semine Dauid per successionem regnabunt. Reliquæ uerò decem seorsum alieno imperio parebunt. Interdum quidem eorundem interdum uerò diuersorum subiectione oppressæ. Inter eas tribus Effraim præstantior habebatur: (ex hac enim Ieroboam, qui primus à uero cultu desciuit ortus est.) Huic metropolis Samaria fuit, quemadmodum iusti. ex tribu Iudæ Hierusalem metropolim habuere. Cumq; Achaz, duabus tribubus imperaret, Phaceę Rex Samariæ, seu decem tribuum unà cum populo suo Rasin Syrię, quæ iuxta Damascum est regem socium sui conatus sibi asciscens obsidere cępit Hierusalem, ut duarum tribuum imperium sibi assumeret. At Deus opem duabus tribubus attulit, cum Assyriorum regem unà cum Assyriis concussisset, & terrore eos percussisset, effecit enim ut re infecta domum reuerterentur, idquè non propter Achaz (non enim iustus erat, nec fecerat, quod placitum erat in conspectu Dei sui) sed ne posteritas Dauid deficeret. *Isa.7.* Hoc enim per Isaiam Prophetam (ut liber eius ostendit) pollicitus fuerat. Cum hæc igitur beatus Dauid multò post futura præsensisset, gratias agit ex persona duarum tribuum, & quod dignæ habitę sint beneficio Dei, & quod ab hostilibus inuasionibus mirabiliter ereptæ sint, quæ temporibus longè post futuris uentura sunt, prædicit.

ORIGENIS. Cum luxuriam fugimus, ad temperantiam confugimus, & pugnantes cum luxuria, cum temperantia pugnamus, si enim confugimus, refugium nominatur, si uerò cum ipsa pugnamus, uirtus.

CHRYSOSTOMI. Pulchrè dixit, *refugium*, ac potentiam ac uirtutem ostendit, quoniã interdum uincimus, interdum uerò stantes debellamur.

BASILII. *Deus noster refugium.* Auxilio multò indiget homo quilibet ob insitam illi natura infirmitatem, cum multa illi grauia, & molesta eueniant, ex omnibus afflictionibus refugium quærens, & tanquàm ad asylum, & tutum locum confugiens, aut ad summum quendam uerticem acutum & forti muro circumuallatum propter hostium insultus se recipiens. Ita confugit ad Deum tutissimam esse stationem reputans in eo permanere. quod igitur ad Deum profugium sit, ab omnibus confessum est: Verum ingentem errorem, & confusionem in eligendo seruatore hostis humanitatis inuexit. Hostiliter enim insidians, hos quibus insidiatur, rursus decipit, ut ad se tanquàm tutorem confugiant. Vnde duplex illis imminet malum, uel ut per uim capiantur, uel ut per fraudem pereant. Quapropter ad Dæmones confugiunt qui non credunt ueri Dei cognitione ipsos Diabolo confundente, spoliati. Veruntamen, & qui Deum cognoscũt, in discernendis rebus aberrant, dum inutilium rerum petitiones inerudite faciunt, & quędam tã quàm bona petunt, quæ sæpenumero illis damnum afferunt, & fugiunt quædam ut mala, quæ illis interdum multum prodesse possent. Exempli causa. Aeger aliquis decumbit, & morbi molestias fugiẽs sanitatem optat. Amisit pecuniam, męret ob iacturam, est tamen sępe utilis ęgritudo, ubi peccantem eruditura est. & sanitas nocens, ubi ad peccatum illam habenti quasi commeatus est quidam. Sic etiam pecuniæ quibusdam iam ad proteruitatem inseruierunt. Et paupertas multos ad malum paratos, ad modestiam reuocauit. Neque igitur confugias quò non oportet, nec defugias ad quem non oportet, sed unum tantum fugias peccatum, & unum ex omnibus in malis confugium tibi sit Deus. Ne confidite in principem, ne elati sitis ob diuitiarum incertitudinem, ne gloriamini ob corporis uires, ne persequamini splendorem humanæ gloriæ. Nihil horum nos seruat, omnia momento transeunt, omnia fraudibus plenissima. Vnicum refugium Deus. *Ier.17.* Nam maledictus homo, qui confidit in homine, aut in re aliqua ex humanis. Deus igitur nostrum refugium, & uirtus est, & potentia. Multorum igitur est dicere, Deus noster refugium, & Domine refugium factus es nobis. Verum eodem cum Propheta affectu dicere admodum paucorum est. Pauci enim sunt, qui res humanas non admirantes, sed toti ex Deo pendentes, & ipsum anhelantes omnem in eo spem, & fiduciam collocatam tenent. Et nos res ipsæ planè redarguunt, cum ingruentibus malis ad omnia potius, quàm ad Deum curramus. Aegrotus tibi filius, tu incantatorem inquiris, aut eum, qui uanas characterum figuras innocentissimi pueri collo suspendat: Aut postremò ad medicum, & medicamenta deuenis, eum, qui seruare potest, negligis. Si te turbarint somniorum spectra ad coniectorem curris, si hostem timueris, socium hominem alium quæris, & demum in qualibet necessitate redargueris, quod uerbo Deum refugium uoces, re autem ex uanis, & inanibus, & inutilibus auxilium quęras. Est autem iusto uerum auxilium Deus præclaris armis instructus, ad partem oppressam tuendam paratus. Sic adiutor noster Deus est, & auxiliatur omni militanti aduersus Diaboli inuasiones, ut qui *Eccl.17.* administratorios spiritus ad seruandos eos, qui tali indigẽt auxilio dimittat. Inuenit autem tribulatio omnem iustum, datur enim ad uitam instituendam, siquidem qui amplam, & spatiosam uiã

declinat,

declinat,arctam uerò,& angustam facit,is à tribulationibus inuenitur. Propheta interim ut de
re animata sermonem formauit,cum dixit,*In tribulationibus,quæ inuenerunt nos nimis*,Nam tan
quàm animalia nos deprehendunt, patientiam operantes, & per patientiam probationē, & per Rom.5.
probationem spem,unde etiam Apostolus inquit. per multas tribulationes oportet nos ingredi Act.14.
in regnum cœlorum & , multæ tribulationes iustorum,sed generosus & qui imperturbatè ex tri Psal.33.
bulationibus tentationem sustinuit,dicet,quod in his omnibus uictores euadimus per eum,qui
dilexit nos:& tantum abest,ut desperet,ac torpeat in tribulationibus,ut etiam tribulationum cu Rom.5.
mulum gloriandi argumentum sibi faciat dicens;. Non solum autem uerum etiam gloriantes
in tribulationibus.*Propterea non timebimus,dum turbabitur terra*, Magnum hic uates confiden-
tiæ in Christum firmamentum ostendit:nam & si omnia sursum ac deorsum ferantur, & si con-
cussa terra euertatur,& montes à propriis sedibus dimoti in medium maris transferantur, non
timebimus,propterea quod habemus Deum refugium,& uirtutem,& auxiliatorem, *In tribula-
tionibus,quæ inuenerunt nos nimis*,sed cuius cor ita intrepidum,cuius cogitationes adeò imper-
turbatæ sunt,ut in tanta rerum confusione mentem eleuet ad Deum,& firmata in eum spe, nul-
la in re perturbetur?Nos sanè hominis iram non sustinemus, aut cane nos impetente,aut aliqua
bellua irruente non respicimus ad Deum adiutorem nostrum in tribulationibus,sed pauore cor
repti,& consternati ad nos ipsos conuertimur.

T h e o d o r e t i. Cum psalmus hunc antecedens,de Ecclesia,quæ ex gentibus collecta
est,reginam eam forè prædixisset,cumque eius filios totius orbis principes futuros ostendisset,
nunc narrat,qui tumultus in primordiis prędicationis excitati sint ab aduersantibus,& oppugnā
tibus eos,qui fidem constanter tueri decreuerunt: Deinde narrare pergit,quo pacto eorum mul
titudo,qui persequutionibus infestati sunt,diuina spe fidēs appositos fluctus contempserit:nam
cum Deum circa nos tanquàm arcem inexpugnabilem habemus,nullas quātumlibet molestas,
& graues afflictiones sentimus; *Propterea non timebimus,dum turbabitur terra*. similia quædam Isa.40.
uaticinatus est diuus Isaias. omnis uallis implebitur , & omnis collis,& mons humiliabitur , &
erunt praua in recta,& aspera in uias planas:& uallem quidem uocat uacuas , & humiles gentes
celsitudine priuatas,quas sermo implendas esse doctrina prædicit. Montes uerò, & colles nomi
nauit Dæmonum delubra,quorum uarias , subdolas , & fallaces uires deprimendas,ac delendas
esse prænotat. quapropter hic quoquè prophetæ sermo demonstrat eos,qui in Saluatorem cre
diderūt,uociferari,nos nullam timoris procellam animo suscepturos,licet terram concuti,& Dę
monas in abyssum detrudi uideamus,prædicit quoquè eadem sententia Dæmonum impietatem
quæ olim grassata est , dominando , & montium celsitudini æquata plurimum per orbem inua-
luerit.

E v s e b i i. Aliter,præterea confusionem terræ,ac turbationem considerabis,si seruato-
rem dicentem audias. Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut ardeat?& rursus. Nō Luc.12.
ueni,ut mitterem pacem,sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & Matth.10.
& filiam aduersus matrem suam,& nurum aduersus socrum suam,& inimici hominis domesti-
ci eius. quasi apertè magis diceret:ueni , ut cuiuscunque inimicos domesticos illius efficiam.
Quid(oro)dicere oportet?urbes totas, populos item & cuiuslibet nationis gentes sublata ex illis
ueteri superstitione confusas esse: & Ecclesiæ filii,& præsides illius dum illæ turbantur, & con-
funduntur,dicunt,N*on timebimus*,sed Deum sibi uendicant dicentes,*Deus noster*, ad discrimen
eorum,qui apud gentes falsò Dii nominantur.Cum autem dicit, *Non timebimus,dum turbabi-
tur terra*, sat erat dicere solos homines turbari:sed quoniam inuisibiles potestates,& maligni Dę
mones salutari uerbo perturbati,& confusi sunt,meritò etiam de iis occultis, & aliorum oculos
latentibus obscurè significauit dicens,*Et transferētur montes in cor maris,sonuerunt,& cōturbati
sunt montes in fortitudine eius*. Cœterum hos nequitiæ montes,qui tantum animo cernuntur,
Ab Euangelica doctrina conturbari iudicabis: Nam cum Saluator lunaticum sanasset, disci-
pulis suis dixit . Amen dico uobis , si habueritis fidem , sicut granum sinapis, diceti sque mō Matth.17.
ti huic transi hinc illuc,transibit.nec quicquam erit,quod à uobis fieri non possit.Montem Dæ-
monium ante significatum montem appellans:quomodo autem mōtes in cor marium transfe- Luc.8.
rantur,ab Euangelio per Lucam tradito cognosces,ubi dictum est Dęmones rogasse Saluatorē, Iob.38.
ne illis imperaret,ut in abyssum abirent. Porrò maria diuina scriptura consueuit abyssum appel Gen.1.
lare,quemadmodum Iob dictum est. Venisti in terram maris , in uestigiis autem abyssi ambula-
sti. De hac abysso Moses etiam in mundi creatione loquutus est dicens, & tenebræ erant super
faciem abyssi . Verum ut hæc fiant, nos (inquit) non timebimus perstrepentibus,ac turbatis
aquis ipsis,& concussis montibus in gloria ipsius , supra hominum fidem euecta iuxta Sym-
machum.

machum: Porrò magnæ gloriæ accessus Saluatori fuit incrementum Ecclesiæ, & multitudo eorum, qui in ipsum crediderunt; & ab Idolorum errore conuersi sunt. Hæc enim non solum gloriam Saluatoris, sed & fortitudinem, & diuinum illius robur ostendunt.

HESYCHII. Graues, & uehementes nobis tribulationes adiectæ sunt. Ignorantia Dei, legis iugum, mortis metus, & futuri iudicii pœna, ab iis omnibus, quam primum in terris uersatus est, Christus nos eripuit, & adiutor noster meritò nominatur.

ATHANASII. Quoniam te adiutorem habemus, omnem ingruentem malorum turbam despicimus: nam terra uniuersa perturbata est Euangelii prædicatione incipiente; dum infideles aduersus eos, qui prædicationi credebant, insurgerent. Cor maris abyssos uocat. Montes autem aduersarias potestates: Dæmones ergò tanquàm eos essent in abyssos proiecturi, bellum in ipsos excitarunt. At huiusmodi hostes (inquit) non formidabimus.

ORIGENIS. Per mare, & montes hoc in loco naturas intelligit ratione præditas, in altum elatas & euectas Dei cognitione.

DIDYMI. Non subiectas sensibus terræ partes nomine montium intelligimus, sed malignas potestates, in animas à tempestatibus affectionum perturbatas transferri putandum est. Vbi salsedo quædam malitiæ, & amaritudo morum est, & Saluator ipse discipulis inquit. Si ha bueritis fidem sicuti granum sinapis, non solum quod de ficu factum est, sed & si monti huic di
Matth. 17. xeritis, tollere & iacta te in mare, nihil impossibile erit uobis. Cæterum mons à Saluatore ostē
Luc. 17. sus nihil aliud est, quàm aduersaria potestas: nam de Dæmone lunaticum agitante rursus dixit. Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis mōti huic ut transeat hinc illuc. Videtur enim
1. Cor. 13. perfectissimam fidem sicut grano sinapis comparare. nam & Apostolus (inquit) si habuero fidē ita ut montes transferam.

NICEPHORI. *Adiutor in tribulationibus*: Illa dictio, *ualdè*, ad dictionem illam, *adiutor*, referenda est. *Propterea non timebimus*. Quoniam huiusmodi auxiliatorem habemus, ne que si omnia sursum deorsum ferantur, trepidabimus: per hęc dicta excellentiam rerum grauiū & molestarum insinuauit.

INCERTI. *Refugium*, ab Idololatria, nam fides in eum tanquàm portus ab impietatis tempestate nos suscepit. *Virtus*, in eo siquidem uires accipimus ad uirtutum fructus ferendos, cum per fugam peccatum declinauerimus: quare meritò dictum est prius, refugium, quàm uirtus.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

BASILII. Terrę turbationem, & montium translationem dixit: mox quoquè maris commotionem, ac subuersionem affert: montibus in medium pelagus illabentibus. *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ ipsorum*, marium uidelicet. Maiorem autem turbationē fecerunt in aquas mōtes ipsi non collocati in mare: sed propria cōmotione multam agitationem aquis inducentes. Quoniam ergo terra turbabitur, & aquæ maris sonitus edent, & ex profundo ebullient, montes uerò transferentur & uehementem turbationem propter Domini potentiam patientur. Tunc (inquit) intrepidum erit cor nostrum. Propterea quod tutas, & firmas in Deo spes nostras habemus. Poteris quoque figuratè dicti huius sensum accipere, ita ut montes nominet eos, qui ob celsitudinem suam superbiunt, & Dei maiestatem, ac fortitudinem ignorant, & contra Dei notionem efferunt. Deinde ab iis expugnatur, qui cum potestate, ac sapientia sapientiæ uerbum profitentur, ac docent, & percepta inopia sua Deum timent, eiusque fortitudini se subiiciunt. Montes pręterea licebit appellare principes seculi huius, & patres percuntis sapientiæ, qui in Christi fortitudine turbati sunt. quàm in ipso crucis certamine illi, qui mortis habebat imperiū, ostendit: nam nudus tanquàm generosus pugil principatus, ac potestates deuicit, & de illis in ligno triumphans cum fiducia traduxit.

HESYCHII. *Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ*. Aquæ scilicet erroris in quibus purgamēta inquinationis plena, nec non alia fraude scatentia fiebant, & turbatæ sunt, & sonuerunt, sonue runt quidem illusis, ac in interitum demersis iis, qui illis aduersabantur. Turbatæ uerò sunt, quā primum gratia baptismi aduenit.

CYRILLI. Aquas personantes, atque turbatas gentium multitudinem esse cogitabis. So
Naum. 2. let enim scriptura diuinitus aspirata gentes aquarum nomine appellare: nam alicubi de Niniuę dixit. Niniuę instar piscinæ erant aquæ ipsius. Alius item ex sanctis prophetis dixit: Hæc dicit Dominus, qui imperat aquis multis, hoc est gentibus: regnauit enim Christus super omnes gentes.

tes. Montes illustriores fortasse mundi huius homines appellauit, qui inani gloria multum elati etiam turbati sunt: & contra sacrorum præsides insurrexerunt. Cæterum nulla eos Satanas exitiali affecit iniuria: nam cum initio sacrorum ministris repugnarent, mox ad Christi mansuetudinem accesserunt, ac Euangelicorum oraculorum facti sunt amatores: Quod etiam beatus Dauid admiratus est, cum dixit, Hæc mutatio dexteræ altissimi. *Psal.76.*

DIDYMI. Maligni spiritus, qui olim corpora, & animas tenentes impellebant, pauore turbati sunt. Hi montes cum se insolenter iactarent, cum eum uidissent, qui illos cum potestate expellebat, repentè in perturbationes inciderunt. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ecclesiam uel cœlestem Hierusalem intelligito. Hanc, cùm ciuitas sit, lætificat fluminis impetus: *Gen.2.* Fluuius est Dei uerbum, quod ex Edom delitiarum effluens, & omnem spiritalem paradisum irrigans, ad se omnes uocat dicens, si quis sitit ueniat ad me, & bibat. Impetus uerò illius sunt singulares doctrinæ uel conceptus, quos anima suppeditat. *Ioan.7.*

BASILII. Salsæ quidem aquæ uehementer à uentis agitatæ sonuerunt, & turbatæ sunt. At fluminis concitationes sine strepitu procedentis, & placidè iis, qui suscipere illas digni sunt, allabentes lætificant ciuitatem Dei. Et nunc iustus haurit aquam uiuentem: sed postea copiosius bibet, cum in ciuium ciuitatis Dei numerum relatus fuerit. Veruntamen nunc quidem per speculum, & in ænigmate bibit, propterea quod sensim diuinarum speculationum comprehensionem attingit: tunc uerò affatim inundans flumen suscipiet, quod totam ciuitatem Dei lætitia illuere potest. Quod uerò aliud erit flumen Dei, quàm Spiritus Sanctus, qui ex fide eredentium in Christum dignis accedet? Qui enim credit in me (inquit) flumina ex uentre ipsius fluent. Et *Ioan.7.* rursus: si quis biberit, ex aqua, quàm ego dabo illi, fiet in ipso fons aquæ salientis in uitam æternam. Hoc igitur flumen lætam reddit simul omnem ciuitatem Dei, aut eorum Ecclesiam, qui *Ioan.4.* uersantur in cœlis, aut spiritalem omnem creaturam à supermundanis potestatibus usque ad humanas animas ciuitates intelligere licet, quæ à Spiritus Sancti influxu lætitia perfunditur. Diffiniunt enim quidam ciuitatem esse firmam congregationem, quæ secundum leges gubernatur. Congruit hæc ciuitatis diffinitio supernæ quoque Hierusalem. nam, & illic est congregatio primogenitorum descriptorum in cœlis, atque ea firma propter uitæ sanctorum immutabilitatem, Et quæ secundum legem gubernatur. Illius itaque Reip. constitutionem, & omnem ordinationem perdiscere nullius mortalis naturæ est. Illa enim sunt, quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Præterquàm quod aliquot millia Angelorum sunt isthic, & conuentus Sanctorum in Ecclesia primogenitorum, qui in cœlis descripti sunt. De illa inquit Dauid. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Illi ciuitati per Isaiam promittit Deus, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem, *Isa.60.* & generationem, & : non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Eleuans igitur anima oculos ut dignum est ad res supernas ciuitatem Dei quærit. Quid uerò indignum cogitabit aliquis de illius ciuitatis beatitudine, quàm lætam reddit fluuius Dei. Et cuius artifex opifexque est Deus? *Sanctificauit tarbernaculum suum altissimus.* Tabernaculum fortè carnem Deum gerentem dicit, sanctificauit per coniunctionem ad Deum. Quare intelliges tabernaculum altissimi aduentum Dei per carnem.

THEODORETI. Actorum nos monet historia, quemadmodum Apostolis orbem peragrantibus; ciuitates turbationibus, ac tumultibus replebantur: Nam Demetrius Ephesum totam commouit. Hoc item Lystris ad Derbes factum est, Philippis rursus, Thessalonicæ, Athenis, ac Corinthi fluctus iidem à spiritibus erroris commoti sunt, à quibus agitati nonnulli aduersus sacros Apostolos clamauerunt. Sed ad nos quoquè peruenerunt, qui orbem conturbarunt, & hic adsunt. Hæc quoque prædixit diuus Abacuch. Viam enim (inquit) fecisti in mare equis turbantibus aquas multas. Equos autem sacros Apostolos, qui diuinum uehiculum facti sunt, appellauit: Nam super ipsis Dominus uectus multa, & uaria impietatis dogmata uelut quasdam aquas dissipauit. Hic uerò montes dæmonum agmen nominauit, propter superbiæ fastum, & insolentiæ fastigium. Aquas uerò sententias hominum, quæ more aquarum huc, & illuc facilè feruntur, & à mendacibus, & fallacibus spiritibus obsidentur. Fluuium uero hoc loco Euangelicam prædicationem appellauit: Et ciuitatem piorum statum, qui fluuii fluxibus irrigatur, ut fructus ferat. Hoc magis apertè interpretes exposuerunt. Fluuii diuisiones lætificant ciuitatem Dei. nam quemadmopum fons paradisi in quatuor flumina diuisus est, ita hoc flumen Dei multiplices habet riuos, & plures, quàm ut numerare possis, qui ad omnes homines deriuarunt: nam hic ad Indos, ille ad Hispanos peruenit. Alius Aegyptum, alius Græciam occupauit: & aliis

Hæc sunt in Eusebio. *Abac.3. in oratione.* *Gen.2.*

mandatum

mandatum est, ut Iudæam irrigarent aliis Syriam, & Ciliciam. nonnullis quoque exterarum gē
Abac.3. tium cultura credita est. Quod & beatus Abacuch prædixit. Fluuios enim (ait) scindes terræ:
hoc est per riuos terra diuidetur magni fluuii fluenta suscipiens: nam diuisiones huius flu-
uios nuncupauit, & quàm ciuitatem uocauit, hanc & tabernaculum nominat. Inhabitabo
2.Cor.6. enim (inquit) in ipsis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus dicit
Dominus omnipotens. Eosdem igitur dicit irrigari, & sanctificari à Deo omnium con-
ditore.

ATHANASII. Sanctus enim est qui in sanctis requiescit, habitãs in sanctis, qui sunt Ec-
clesia.

EVSEBII. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Diapsalma distinxit sensum eorum,
quæ dicta sunt, ab iis, quæ dicenda erant. Ideo quasi oratio ad alium ordinem transierit, Eccle-
siæ Dei quàm ciuitatem uocat, tranquillum statum latenter insinuat ob piam uitę traductionem.
Porrò ciuitas Dei cœtus est hominum secundum Deum uiuentium. hic uerò uniuersum orbem
terrarum implet: nam ab ortu usque ad occasum solis huiusmodi ciuitatem Dei consistere licet
intueri, quæ cœlesti uerbo in se scaturienti instar pluuiæ irrigante inmixa omni diuino gaudio im
pletur. Aquila uerò, & Symmachus. Fluminis diuisiones (aiunt) lætificant ciuitatem Dei. Cũ
1.Cor.12. uerò diuisiones audis, cogita Paulum dicentem. Diuisiones uerò donorum sunt idem autem spi
ritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones sunt operationum,
sed idem Dominus, qui operatur omnia in omnibus.

ORIGENIS. Ciuitas Dei, aut Ecclesia, aut anima rationalis est. Fluminis uerò impetus
sunt Sancti Spiritus dona.

CYRILLI. Quod uerò Christus in sacris literis fluuius sæpe dicatur, nemo est illorum stu
diosus, qui ignorat. Nam per unum de suis Prophetis dixit de nobis: Ecce ego declino in eos
ut flumen pacis, & quasi torrens inundans gloriam gentium. Aptissimè autem dixit, declino;
Isa.ult. quoniam iter seu uiam habuit ad eos, qui sunt ex sanguine Israel. Cæterum cum ipsi fidem pro
fecerint, & contempserint, & nihil pensi fecerint, ad gentes, ex incredulis Iudæis declinauit, no-
bis factus fluuius pacis, & torrens inundans.

EVSEBII. *Sanctificauit tabernaculum suum.* Symmachus: Sanctum tabernaculum altissi
mi. nam cum magna, & frequens sit ciuitas, præcipua quædam eius pars est, præ illis.n.qui sunt
in Ecclesia multò maior est reliqua multitudo: nam rari admodum sunt, qui sanctitati studeant,
Leuit.20. & præceptum illud obseruent, quod ait. Estote sancti, quoniam ego Dominus Deus uester san
Deut.26. ctus sum. Atque in his sanctis tabernaculum altissimi esse deprehenditur: & in illis solis locum
2.Cor.6. habet uox Dei dicens. Inhabitabo in eis, & perambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mi-
hi populus.

DIDYMI. Cum altissimus natura sit sanctus, communicat quoque sanctitatem, unde san
ctificat omnes, in quibus inhabitat, qui tabernacula sua dicuntur. Sed & tabernaculum altissimi
Luc.1. Dei manifestationem in carne esse poterit. Consonum est illud, quod natum est Sanctum uoca
bitur Filius Dei.

NICEPHORI. *Sonuerunt, & turbatæ sunt.* Omnipotens (inquit) nobis adminiculatur.
Sæpe enim marium fluctus fremuerunt, & efferbuerunt, & montes commoti sunt ab eius poten
tia. *Fluminis impetus*: Flumen Spiritus Sanctus est: impetus eius diuersa dona: ciuitas Dei fi-
delium cętus. *Sanctificauit tabernaculum suum.* Sanctificatum Dei tabernaculum Ecclesia
est, in cuius medio Christus est, qui ipsam immunem seruat à peruersione tentationum. Ideò
dicit.

Deus in medio eius, non commouebitur: Adiuuabit eam Deus mane diluculò.
Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna, dedit uocem suam altissimus, mota est terra.
Dominus uirtutum nobiscum; susceptor noster Deus Iacob.

DIDYMI. Quoniam Deus in medio eius est diuinitus illi auxilio præstito, facit ut in ipsis
exortæ lucis primordiis commoueri nequeat: dum radios prouidentiæ suæ extremos orbis fines
undequaquè complexos æquè diffundit. Etenim Sol iste sensibilis, ut primum super orbis no-
stris labrum emicuerit, manè nobis parit. At animæ ipsius manè iustitię Sol diuinę lucis exortũ
perficit, allato die illi, qui se suscipit: Nunc enim in ignorantiæ nocte uersamur, at ubi animum
nostrum apertum ostendimus, ut gloriæ splendorem suscipere, & à sempiterno lumine illustrari
Rom.13. possimus, tum planè digni efficimur auxilio Dei. Deus ergo auxilio erit ciuitati per exortum,
Mar.16. & manifestationem suam manè illi afferens. Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit.
Luc.24.
Ioan.20. Vel fortassè quoniam summo manè resurrexit Dominus, auxiliabitur Dominus ciuitati manè ma-

nè,

næ, uictoria de morte manè tertia resurrectionis die comparata.

THEODORETI. *Deus in medio eius non commouebitur*. Hoc etiam Dominus in sacris Euangeliis pollicitus est. Ecce inquiens uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et. Vbi duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Matth. 28. *Adiuuabit eam Deus manè diluculo*. Celerem ac uelocem suæ ciuitati Dominus uniuersorum Matth. 18. opem feret.

EVSEBII. *Adiuuabit eam Deus manè diluculo*. Aut matutinos illos conuentus, in quibus ubique terrarum per Ecclesias cogi consueuimus latenter significari arbitror, aut (si non hoc est) diuinum oraculum ad matutinas preces nos excitat, & compellit, ut eas tanquàm uitæ nostræ primitias illi afferamus. Nam eo tempore animus quietus in primis, & purus tanquàm sacerdos Deo sacra facere consueuit.

CYRILLI. Fertur & altera scriptura, quæ ita se habet. *Adiuuabit eam Deus uultu*. Intactam enim & incorruptam illi pulchritudinem seruat. Pulchritudinem inquam animi, si fortè contigerit illam ab aduersariis perturbari. quandiu enim inclusam fidem animo continet, & ornamenta sibi ex omni uirtute comparata circumuestit, tamdiu animi pulchritudine, qua Christus plurimum lætatur, præfulget. At simulatque ab honestate discesserit, illicò turpis, & deformis efficitur: quod ipsum Ecclesia (inquit) non patietur, seruat enim illius decorem.

DIDYMI. Deus in medio ciuitatis constitutus non commouebitur ob inhærentem sibi naturam, quæ nullis peccatis obnoxia fieri potest, nam commouetur ab iis, qui peccant. Vnde post Adæ peccatum inuentus est deambulare, & Zacharias dicit, ambulat in turbatione minarum Gen. 3. Deus.

APOLINARII. *Non commouebitur*. Inexterminabilem ciuitatem forè dicit, quàm diu Deus in ea fuerit. Diluculum uerò erit, cum præsens nox abierit, est siquidem nox donec tenebræ non auferuntur: Non tamen potestas omnis, & uis Dæmonum aduersaria deleta est, sed adhuc bellorum insultus contra iustos excitant. Cæterum uultus Ecclesiæ Sancti Apostoli cogitari possunt, & qui post eos consequenter Ecclesiæ præfuerunt; quibus uires, & neruos addidit ut constanter prædicationis munus susciperent.

BASILII. *Deus in medio eius*. Et cum Deus in medio sit ciuitatis, facit, ut immota sit, auxilium sibi à primis lucis exortibus ferens. Siue ergo supernæ Hierusalem, siue infernæ Ecclesiæ nomen ciuitatis conueniat, in ea suum altissimus sanctificauit tabernaculum. In medio autem ciuitatis est Deus æquales undique ad circuli extremitates radios emittens: Sic enim iustitia Dei conseruatur, qui eandem bonitatis mensuram omnibus distribuit. *Adiuuabit eam Deus manè diluculò*. Matutinum tempus uisibilis iste Sol facit, cum finitorem transgressus supra nos steterit. Sed animæ tempus matutinum Sol iustitiæ perficit, qui lucis spiritalis ortu diem facit in eo, qui illum susceperit. namque nos homines secundum hoc ignorantiæ tempus in parte uersamur. Cum autem præcipua parte animæ exposita, & expansa splendorem gloriæ susceperimus, & sempiterna luce illuminati erimus. *Adiuuabit eam Deus manè diluculò*: Cum efficiemur filii lucis, & nox à nobis discesserit, & dies appropinquauerit, tunc digni Dei auxilio facti erimus. Adiuuat igitur ciuitatem Deus per proprium exortum, & aduentum manè ipsi inuehens. Ecce enim homo (inquit) oriens est nomen eius. quibus ergò exorta fuerit lex spiritalis fugatis ignorantiæ, ac malitiæ tenebris, his matutinum tempus aduenerit. quoniam igitur lux in mundum uenit, ut qui ambulat in ea, non offendat, auxilium eius matutinum tempus affert. At fortè quia summo manè resurrectio erat futura, adiuuabit manè ciuitatem Deus, qui per uictoriam de morte partam tempus matutinum resurrectionis die tertia operatus est. Rom. 13. Zach. 6. Ioan. 3. Ioan. 12.

EVSEBII. Hic homines terræ incolas perturbatos, & orbis regna in Ecclesiam armata, & bellum aduersus Euangelicum sermonem instruentia inducit. quemadmodum igitur in prælio dum uincentium pars præualet, aduersarii perturbantur, & in fugam uertuntur, sic etiam sermone Euangelico uincente *Perturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna*. Vel iuxta Symmachum, euersa sunt regna. quin etiam dum ipse uocem emitteret, soluta est terra. Nuper enim cum sermo Euangelicus procederet, gentes, quæ ad ditam recenter instituebantur, suamque ueterem superstitionem persequebantur conturbatæ sunt, & reges illarum in Ecclesiam insurrexerunt. Verum quia Deus illius re-

fugium fuit, omnes euersi sunt. Cum nihil supra uocem suam Saluator dedisset. *Dedit enim*
uocem suam, & mota est terra. Quam uocem, præter eam, quę per prædicationem Apostolo-
rum emissa est? Iure igitur nos, qui diximus. *Deus noster refugium, & uirtus.* Eadem con-
fessione repetita, dicimus nos non uiribus nostris, sed Dominum potentiarum, qui omnia
nobiscum facit, tot opera præstitisse, atque eundem ipsum Deum Iacob susceptorem nostrum
fuisse. Opportunè hic etiam Dei Iacob meminit, ad eum nos remittens, qui à Iacob
Gen.32. in forma hominis uisus est. Luctabatur enim homo cum eo, qui etiam dixit, non uo-
cabitur ultra nomen tuum Iacob, sed Israel erit nomen tuum, quoniam præualuisti cum
Deo, & surgens Iacob uocauit nomen loci illius faciem Dei. dicens. Vidi enim Deum facie,
ad faciem. nam is, qui in forma hominis à Iacob uisus est, ipse est Dominus uirtutum, qui no-
biscum est, atque idem susceptor noster Deus Iacob: nam ope illius adiuti, quæcunq; superius
scripta sunt, omnia perfecimus.

THEODORETI. Quàm primum diuinum illuxit auxilium, hostes terga dederunt: re-
gna aduersantia ceruices inclinarunt, & salutare iugum susceperunt. nam Deus, & ipsa ueri-
tate, ac rerum approbatione, necnon omnis generis miraculis tanquàm uoce usus, suam
Gen.31.33. hominibus celsitudinem declarauit, & terrore illorum animos impleuit. Superiores igitur ho
stibus nostris facti sumus, cœlestium potestatum Dominum adiutorem habentes, qui Iacob
bello lacessitum hostibus potentiorem reddidit, atque ab Esau, & Laban insidiis liberauit.
Opportunè autem propheticus sermo de Iacob mentionem fecit, & cum ille primus gen-
Gen.49. tium uocationem prædixisset, dicens. Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femore eius, do
nec ueniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, meritò prædicendo ait, illorum
mutationem Deum Iacob, qui eam prædixit, effecisse.

DIDYMI. Gentes appellat dæmonum agmina Ecclesiam oppugnantium, quæ cum
Saluatoris aduentum in carne uiderent, aduersus eius Ecclesiam, commouebuntur, motu
exanimabuntur. Tum uerò sequetur, ut execranda regna, in quibus mors, & pecca-
tum regnarunt, inclinentur. Quod si regnum appellaueris eos, qui regnant, isti etiam
inclinati sunt ab errore ad agnitionem ueritatis, & à nequitia ad uirtutem conuersi: Nam
silente Deo res humanæ uidentur firmitatem, ac ordinem habere: contra uerò ipso uocem emit-
tente omnia terrena turbatione miscentur: Siquidem cum Deus menti inclamauerit, statim si-
quid terrenum illius est, commouetur. Quemadmodum uerò qui opera Abrahæ facit, filius
Gal.3. Abrahę dicitur, ita qui luctam Iacob imitatur, eius est filius, & à Deo Iacob auxilium
Psal.104. accipit.

CYRILLI. Si quis hæc quoque in alium sensum accipiat, nihil aberit à uera opinione.
Dominus enim uirtutum nobiscum factus est, quando iuxta, ac nos forma serui suscepta
Phil.2. habitu ut homo inuentus est. Quamobrem Emanuel etiam dictus est, quod interpre-
Matth.1. tantur, nobiscum Deus. Tum enim nos suscepit, & seruauit; & si quidem à pecca-
Isa.7. tis, & interitu liberauit, & fecit, ut ne ab inimicis tum corporis, tum animi uince-
remur.

ATHANASII. Pugnauerunt quidem gentes aduersus Ecclesiam, sed ta-
men earum reges inclinati sunt, hoc est uicti sunt; & aufugerunt, & demum ipsæ
quoque ceruicem Christo subiecerunt. Dicit enim Ecclesiam celeriter constructum
iri ab iis, à quibus euersa est: nam pulcherrimis eam donis auctam in sublime tu-
lerunt.

BASILII. *Conturbatæ sunt gentes.* Cogita esse ciuitatem, cui ab oppugnatoribus
insidiæ parentur, quàm copiæ multæ; ac reges obsideant, qui in singulas gentes impe-
rent. Deinde strenuum ducem, ac inuictum imperatorem aliunde subitò in auxilium
illi ciuitati adesse, ac obsidionem dissoluere, copias hostiles dissipare, ac reges illos in
fugam uertere; atque id facere, propterea quod uocem cum uirtute in illos ediderit, &
uocis uehementia eorum corda consternat. Quantam igitur uerisimile est turbatio-
nem excitari, dum gentes fugantur, & reges terga uertunt? quantum uerò clamorem
confusum, & strepitum indiscretum ex tumultuosa illa fuga extolli? Omnem uerò locum
perterritorum fuga repleri, ita ut passim per uicos, & ciuitates, quæ fugatos suscipient,
clamor, & commotio excitetur? Huiusmodi ergo Dei ciuitati auxilium, & defensio-
nem proponit in eo, quod dicit. *Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna, dedit uocem*
suam altissimus, commota est terra. Dominus uirtutum nobiscum protector noster Deus Iacob.

Vidit

Vidit incarnatum Deum, uidit ex Sancta Virgine ortum Emanuel, quod si interpreteris, sonat nobiscum Deus: Ideò Prophetico spiritu exclamat. *Dominus uirtutum nobiscum*. Ostendens hunc esse, qui Sanctis Prophetis, ac Patriarchis manifestatus est. Protector noster (inquit) non alius Deus præter eum, qui à Prophetis nobis traditur. Sed Deus Iacob, qui in oraculo ad seruum suum loquutus est. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. *Isa. 7.* *Matth. 7.* *Exod. 3.*

HESYCHII. Hæc tempore Pentecostes ingenti uoce de cœlis audita peracta sunt, cum gentes percepta linguarum uarietate in Apostolis, conturbatæ sunt dicentes inter se. Nonnè isti, qui loquuntur Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus unusquisque linguà suà in qua nati sumus? Inclinarunt regna Iudæorum, hoc est subiecta sunt, cum Apostolicam doctrinam percepissent. Tum terra quoquè à uiolentia, quæ adhibita est (licet hoc scriptor occupatus in aliis tacuerit) concussa est. *Dominus uirtutum nobiscum*. Nisi uerò fuisset nobiscum uirtutum Dominus, nunquàm res adeo admirandæ peractæ fuissent, & nisi nos non suscepisset, non diuitias, non sanctificationem, non puram spiritus communicationem effudisset. *Act. 2.*

ORIGENIS. Si anima rationalis audierit uocem Domini, commouebitur transiens nimirum à uitio ad uirtutem, ab ignorantia ad cognitionem Dei. Vbi (inquit) diuinum auxilium apparuit terga dedere inimici, & aduersantia olim regna resipiscentia diuino, & salutari iugo ceruices inclinarunt, nam Deus ueritate, & rerum testimonio, & miraculorum efficacia tanquàm uoce quadam usus suam hominibus celsitudinem ostendit.

NICEPHORI. *Adiuuabit eam Deus*. Adiuuabit eam Deus, quoties scilicet in periculis fuerit posita: nam quod ait, *manè diluculo*, seu (ut lectio Græca magis exposcit, diluculò ad diluculum) summam indicat celeritatem. *Conturbatæ sunt gentes*. Euangelii præconio commoti sunt omnes, his quidem ad fidem accurrentibus, illis uerò in fidem insurgentibus. *Inclinata sunt regna*, regna quædam, quæ aduersus Ecclesiam pugnauerunt, uicta sunt: quædam uerò per fidem ipsi subiecta fuerunt. *Dedit uocem suam*. Iussit tantum Deus, & tremuit terra. *Dominus uirtutum nobiscum*. Ecclesia hæc dicit, se ipsam cohortans, ac confidere iubens.

Venite, & uidete opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ.

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

BASILII. Absentes longius à uerbo ueritatis, ut propius ad agnitionem accedant, inuitat hic Psalmus, dicens. *Venite & uidete*. Nam quemadmodum in uisione corporea longa interualla obscuriorem uisibilium rerum perceptionem obscurant, & si uidentes propius accedant, claram magis cognitionem habent. Ita quoquè in mentis speculatione, qui non per opera fit propinquus, & Deo proximus, eius opera puris mentis oculis uidere non potest. Ideò, *Venite*, hoc est accedite primum, deinde, *Videte*, (dixit) opera Domini portantis similia, & supra hominum opinionem admiranda: à quibus perterrefactæ quondam hostiles, & sed tiosæ gentes ad quietem, & pacem conuersæ sunt. Venite filii, audite me. Et: Venite omnes, qui fatigati, & onerati estis. Paterna uox est, expansis ulnis ad se uocantis eos, qui hactenus rebelles extiterunt: Qui ergò uocationem audiuit, & propius accessit, & præcipienti adhæsit, uidebit eum, qui omnia per crucem pacauit, quę in terris, & quæ in cœlis sunt. *Psal. 33.* *Matth. 11.*

THEODORETI. Hanc ergò uirtutem, hoc robur meum cum uideritis ò mortales, & frequentem rerum mutationem perspexeritis, iamque ab ingentibus fluxibus, & tempestatibus tranquillitatem, & quietem illis, & pacis donum: discite iam ab ipsis rebus me Dominum esse uniuersorum, & omnium opificem: non Iudæis tantum, sed omnibus, quoq; gentibus potentiæ meæ celsitudinem ostendentem. Cum uerò Apostolorum chorus hunc sermonem audiisset, in aduersarios canendo exclamat. *Dominus Deus uirtutum.*

EVSEBII. Si quis transacta tempora diligenter animo repetat. Hæc omnia ad uerbum impleta fuisse perspiciet. nam ante Saluatoris nostri aduentum, regiones, & ciuitates à multis Principibus regebantur, & in singulis terræ angulis bella gerebantur, ut & agricolæ ipsi scutis, gladiis, & omni ad bellum gerendum armorum apparatu se exercuerunt. Verum post diuinam Saluatoris manifestationem Romanorum principatus, qui unius imperio cessit, pluribus gentibus cepit dominari: namque salutare Euangelium, quod cum ipso principium habuit, in omnes gentes percurrit. Alia quoque Prophetia finem

 habuit,

Isa. 2. habuit, quæ per Isaiam sic clamat. Et conflabunt gladios suos in aratro, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium, & hæc ad historiam quidem pertinent, & præsentibus uerbis significantur. Ad intelligentiam uerò, euersionem hostium mentis inuisibilium, lanceasque, & arma, & scuta, id est, hostilium potestatum simulachra inanimata facta esse prædicit: Hæc autem sunt Idololatriæ, seu immanes homines, & impiæ cogitationes, quæ ab inuisibilibus spiritibus in hominum mentes iniiciuntur, quibus animas quasi sagittis petunt, & tela ignita contra illas iaculantur, quę nec munitionibus circunseptæ, nec munitæ sunt.

DIDYMI. Spiritus Sanctus eos uocat, (qui perspicaciter cernunt) ad istorum operum considerationem, & dicit, *Venite*, uolens eos accedere, & uicinos fieri. Per uerbum autem, *Videte*, eos præparat, ut in ueritatem intentis oculis intueantur.

CYRILLI. *Quæ posuit prodigia*. Multa enim illustria, & splendida prodigia facta sunt, quæ non tantum Iudæis sed omnibus terrarum incolis per sanctos Euangelii præcones manifesta facta sunt, qui orbem uniuersum perlustrantes potentiam, & excellentiam Christi admirandam cunctis effecerunt, tum illa narrantes, quæ per ipsum edita sunt, tum alia in eius nomine facientes. Si quis autem dicat oportere eos, qui sunt ex gentibus, qui opera Dei nuncupantur, hoc est uisibilem creaturam intelligere, quæ multum habet in se admirationis, necprocul abest à prodigio, ut omnes sciant eum esse authorem, & opificem uniuersorum, non aberrabit à scopo.

HESYCHII. *Auferens bella*, non dixit , sed ; quasi malitię diaboli oppositus. Is è cœlis deturbatus, inimicitias, & bella in terris seminauit. At Christus cum pacem suam attulisset, bella sustulit, nec ea de uno tantum loco, sed omni terra penitus ablegauit.

DIDYMI. Vbi Christus aduenit, Diabolo, qui mortis habebat imperium, atque aliis potestatibus destructis bella sustulit usque ad extrema terræ, hoc est usque ad eos, qui ultimas terrę partes inhabitant, conterens arcum maligni, à quo agnita iacula iaciebantur. & scutum imbecillitatis, quod scuto fidei opponitur, combures igni.

BASILII. *Arcum conteret*. Viden' pacationem, & conciliationem Domini exercituum, quod secum habet Angelicorum delectuum inuisibiles potestates? Viden' fortitudinem simul, ac clementiam summi Imperatoris, qui cum sit Dominus potestatum, & omnes habeat Angelicorum militum turmas, nusquàm hostium quemquam sauciat, nullum prosternit, nullum attingit, sed arcus conterit, arma, & scuta comburit igne, & arcus quidem conterit, ne amplius ignita per eos tela immittantur. Arma uerò confringit, quibus cominus pugnamus, ut non amplius uulnera accipere propinqui possint, dum insidiæ ipsis struuntur, *Et scuta comburet igni*, denudans hostes à propugnaculis, omnia in inimicorum utilitatem faciens.

ORIGENIS. Arcum hic & arma, & scutum deterrimam constitutionem, & pessimas cogitationes intelligit.

NICEPHORI. *Et confringet arma*. Per arma intelligit telum omne, quo pugnatur cominus.

Vacate, & uidete, quoniam ego sum Dominus, exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Dominus uirtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Basilii Didymi, & Athanasii idem sensus. BASILII. Quantum quis extra Deum rebus aliis intendit, tanto minus ad Deum cognoscendum accedere potest: quis enim rebus humanis addictus, & distractionibus carnis se immergens, Dei sermonibus intentus erit? & tantarum rerum acumini satisfaciet? Nonne uides quod in spinas cadens uerbum à spinis suffocatur? Spinæ autem

Matth. 7. sunt canis illecebræ, diuitiæ, curæque rerum ad uitam pertinentium. Extra omnia hæc eum esse oportet, qui Dei cognitione opus habet: & ubi ab affectibus, & ægritudinibus animi uacauerit, ita demum Dei cognitionem suscipere. qui enim fieri potest ut cognitio Dei in illam animam subeat, quæ referta, & præoccupata fuerit rationibus, & argumentis aliundè quæsitis?

Exod. 5. Vidit quoquè Pharao soluti, & uacantis animi esse Deum inquirere: Et propterea exprobrauit Israelitico populo. Vacatis, & otiosi estis, & dicitis, Dominum Deum nostrum adoremus. Hoc igitur otium bonum est, & proficuum uacanti, & tranquillitatem; ad salutaria dogmata suscipienda inducit. Malum autem erat otium Atheniensium, qui ad nihil aliud uacabant, quam ut noui aliquid dicerent, uel audirent.

Act. 17.

audirent. Quod otium nunc quoque aliqui imitantur uitæ otio semper ad alicuius noui dogmatis inuentionem abutentes. Huiusmodi otium immundos, ac prauos spiritus mirum in modum delectat. Cum exierit (inquit) immundus spiritus ab homine, dicit, redibo in locum, unde exiui, & rursus ueniens reperit domum illam uacantem, & scopis mundatam. [Matth. 12. Luc. 11.] Absit igitur ut nos ocio nostro aditum aduersario demus: quin potius interiorem domum nostram exerceamus Christum ipsum in nobis per Spiritum inhabitare facientes. Itaque cum pacem largitus sit iis, qui hactenus ab hostibus turbabantur, modo dicit. Vacate ab iis, qui nos distrahunt, inimicis: ut quiete sermones ueritatis contemplemini. quapropter etiam Dominus inquit. Omnis, qui non renunciat rebus suis, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. [Luc. 14.] Vacare igitur oportet ab operibus nuptialibus, uacare à studiis diuitiarum, à gloriolæ cupiditate, ab inuidia, & omni in proximos prauitate, ut tranquillè se habente anima nostra, & nulla perturbatione agitata ueluti in quodam speculo purus nullis accedentibus tenebris fulgor, & splendor Dei contingat.

APOLINARII. Neque (inquit) eum à Deo reiecti gentibus traditi estis, temerè traditi estis, sed ut Dei potentiam cognoscatis, qui gentes omnes in uestram reprehensionem sibi asciuit, & prò una mundi regione uniuersum orbem suo cultui addicauit: ut in eorum lapsu (secundum Apostolum salus, & uocatio gentium contingeret. ad hoc, ut Israelem ad æmulandum [Rom. 11.] prouocaret.

EVSEBII. Pacato omni bellorum tumultu, & profunda pace omnibus orbis habitatoribus conciliata, meritò uult nos hac temporis occasione rectè uti, & otium istud ad animi profectum suscipere. Ideò dicit, *Vacate, & uidete*, neque enim diuinam cognitionem comparabit, qui non ab illis uacet, quæ illum in contraria studia abducere possunt. Hinc meritò Aegypti [Exod. 5.] rex istud ocium arguens, dicentibus Israelitis. Viam trium dierum ibimus, & seruiemus Domino Deo nostro, respondit dicens. Vacatis, & ociosi estis. itaque cum nollet eos Deo uacare, in luto, & lateritio illos afflixit. qui uerò principes nobis constituti sunt per omnem terram, clamant ut uacemus, fructum istius otii Dei cognitionem forè pollicentes. Loquitur autem Deus per ipsos dicens. cognoscite, quod ego sum Dominus, *Exaltabor in gentibus, exaltabor* [Psal. 75.] *in terra*. Olim nanque à Iudæis tantum cognoscebar. (Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius,) nunc uerò uos hortor, ut uacetis, utque discatis, & cognoscatis, quo pacto apud gentes omnes cum gloria extollendus sim, magisq; apud illas, quàm apud eos, qui me olim cognoscere putabant.

ATHANASII. *Exaltabor in gentibus*, Prædicationis uictoriam aduersus omnes gentes illi prędicit.

BASILII. *Exaltabor in gentibus*. Apertè dicit hæc Dominus de cruce sua, quemadmodum in Euangelio scriptum est. Et ego cum exaltatus fuero omnes traham ad me ipsum. [Ioan. 12.] Et quemadmodum Moses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis in terra. [Ioan. 3.] Quoniam igitur prò hominibus exaltari uolebat ad crucem, & prò omni terra exaltationem suscipere, ob id dixit. *Exaltabor inter gentes, exaltabor in tera: Deus uirtutum nobiscum, protector noster Deus Iacob*. Exultans ob Dei auxilium bis eandem uocem inclamat. *Dominus uirtutum nobiscum*, tanquàm insultans, & insiliens hosti propè perfectam animarum uostrarum in Dominum, & Saluatorem confidentiam, tanquàm nullum ab hoste detrimentum sensurus: nam si Deus prò nobis, quis contra nos? [Rom. 8.] qui Iacob uictoriam largitus est, & post luctam ipsum Israel [Gen. 32.] appellauit, hic est protector noster, ipse pugnat pro nobis. quiescamus nos interim, quia ipse [Eph. 2.] est Pax nostra, qui fecit utraque unum, ut duos crearet in unum nouum hominem.

THEODORETI. Dicant igitur qui Psalmum prò Gog dictum acceperunt, uel ipsi Achaz conuenire dictitarunt, quomodo hęc gestis illorum congruant. *Auferens bella usque ad fines terra*. Non.n. temporibus illorum bella pacauit. Nam regnantibus Og, & Magog, sola Palæstina [Ios. 13.] in pace degebat. Sub Achaz uerò, nec tota Palæstina, sed sola tribus Iuda quiescebat. [4. Reg. 15.] Nā Phaceę filius Romelię Assyriorum impetus passus est. At in aduentu Christi Domini prophetia finē, & euentū suū sortita est. Nā tetrarchię primum, & parua regna euersa fuerunt, propter quæ homines ne minimum quidem in pace degebant. Sed omnis ciuitas erat in armis repentinas incursiones pertimescens. At Saluatoris nostri Christi aduentu cum Romanorum imperium omnia regna sibi subiecisset, omnium hominum aures ad Euangelii publicationem præparauit, nam timore nullo tanquàm in regno uno terram omnem percurrerunt, & salutarem doctrinam hominibus attulerunt: Ac secundū historiā ita factum est. *Auferens bella usquè ad fines terræ. Arcū conteret, et cōfringet arma, & scuta cōburet igni*. quod si quis per figurā hęc uelit exponere,

Videbit belli contra Ecclesiam cessatonẽ, & pacem hominibus à Deo allatã, & prophetiæ euentum intuebitur.

HESYCHII. Id ita fiet, si Diaboli fraudẽ præuertentes, ad eũ accesserimus, qui manum præbere, & seruare potest. Et Iacob supplantatorem imitantes, nos quoque diabolum supplantauerimus, ut Deus noster, Deus Iacob, & protector noster fiat.

NICEPHORI. *Vacate, & uidete.* Quiescite à cõtinuis bellis tam sensibilibus, quàm intellectualibus, & meam potentiam cognoscite.

ORIGENIS. *Vacate, & uidete.* Nisi ab omni mundana cura purgatus fueris nequaquã Deum cognoscere poteris.

IN FINEM PRO FILIIS CORE.

PSALMVS. XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis.
Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.



THANASII. Ex persona sanctorum Apostolorum canitur hic Psalmus, qui gentes hortatur ut prò parta rectè factis uictoria, contra noxios dæmones exultent.

CYRILLI. Nonnulli ex sacris cantoribus Filiis Core omninò ministrarunt, qui & hanc supplicationem offerunt. Inscribitur enim Psalmus *Prò Filijs Core.* non quod prò illis omnino, sed quasi per eos fiat, quibus canendi munus imperatum est. Est autem sanctorum Apostolorum persona, quippè qui iussi sunt docere omnes gentes, & baptizare eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:
Matth. 28. Quoniam uerò quamplurima mirifica bona fides illis conciliauit, (nam per eam in adoptionem Filiorum Dei, & communionem Sancti Spiritus uocati sunt, & consortes diuinæ naturæ constituti, cœlestiumq; donorum gratia locupletati, sanctorum spei participes facti sunt) hac de causa & meritò iubent eos in maxima celebritate uiuere supra dicta uerba dicentes. Cuius celebritatis causa est, quoniam Christus per uniuersum orbem cognitus est eiusmodi esse, qui re uera est, nempe Rex, & Deus excelsus, atque terribilis. Rex uerò gentium dicitur, non quod tum regni principium habuerit, cum eas in ditionem accepit, sed quoniam cũ sit uniuersorum Dominus, atque idem rex tanquàm Deus eas ab immodica dominantium illis cupiditate ereptas sui regni imperio subdidit.

THEODORI. Tanquàm triumphalem hymnum emittens Deo Psalmum hunc prò
1.Mac.4. Macchabæis dixit. Cum enim post reditum a captiuitate multa pace fruerentur, ita in deterius quoddam impegerunt, ut ad Antiochum spontè sua accederent, & peterent licere sibi à patria lege decidere, & moribus gentium uiuere: quod eorum arbitrio permisit Antiochus, & Gymnasium illis, atque alia spectacula, quibus gentes utebantur, extruxit. Inter hos Mattathias solus legis zelator extitit, qui etiam strenuè pugnauit, qui & Antiochi milites debellauit, & gentiles, qui post templi, & altaris dedicationem contra se insurrexerant, & domesticos, qui se illis adiunxerant deuicit.

EVSEBII. Deficere mihi uidetur inscriptio: Non.n. prò Filiis Core, sed, aut Filiis Core, aut, Filiorum Core ex prioribus inscriptionibus inscribi oportebat: namq; & reliqui interpretes, & Hebraica lectio similiter se habet, ut in superioribus dictũ est. Et quoniã sermo apertè gẽtes hortatur, & nihil occultũ habet, meritò neq; inscriptio ad intelligentiã nos cõpellit, neq; de occultis habet: sed simpliciter psalmus, uel suauis modulatio, seu canticũ secundũ reliquos interpretes. At illud, *In Finem,* necessariò præponitur, quod uaticiniũ extremis temporibus sit implendum. Valde aũt cõsequenter Spiritus Sãctus præcipit post ea, quæ de dilecto prenunciata sunt ab eius præconibus, omnibus gentibus ut lætitiæ signa dent, manuum plausum, tanquàm in nuptiis, quæ cũ spõso, & spõsa celebrãtur. Iubilate uero Deo, tãquã prò rege, qui ob relatã de hostibus uictoriã laudibus, & benè dictis exornetur. Cũq; Saluator spõsã suã Ecclesiã redemit meritò Spiritus

Sãctus oẽs hortatur,ut ad celebritatem festinent. quare acclamat omnibus gentibus per orbẽ uniuersum dicens, *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in uoce exultationis*, causam uerò adhortationis docet deinceps inquiens. *Quo niã Dominus excelsus, terribilis rex magnus super omnem terram*, Etenim Dominus ipse altissimus prius in cœlestibus tantum regnabat, à terrestribus autem ignorabatur, quando penès Dęmonas imperium erat in homines, qui sunt super terram: Nunc uerò gratiam suam per dilectum super terram illustrauit, & altissimus ipse terribilis factus est illis, qui errore Idolorum obstricti sunt. Eos namque omnes insectatus est, & ab hominum cœtu procul abegit. Cum autem contemplando Deo uacassent, mox omnium gentium, quæ sunt super terrã rex magnus declaratus est: ideo sermo subditos hortatur, ut manibus plaudant, hoc est factis, & operibus, quasi uoces quasdã regno altissimi dignas emittant. iubetq; ut iubilent ei & in uoce exultationis, uti non solum bonis operibus, sed & rectis, atquè diuinis doctrinis ipsum laudent.

THEODORETI. Hic quoquè psalmus omnium gentium salutem prædicit, & contra hostes uictoriam comparandam uaticinatur.

ORIGENIS. Solent homines in uictoria manibus plaudere. quidni etiam nos plaudemus in uictoria illius, qui dicit, confidite ego uici mundum?

ATHANASII. Altissimus propter Ecclesiam factus, terribilis uerò contra hostes.

DIDYMI. Diuinum quidem oraculum hoc prædixit. Latenter uerò innuit Apostolorũ chorum, qui gentes omnes ad Dei laudes decantandas inuitent. Cæterum uictoriæ proprium est manuum plausus, & iubilum uincentium. Huius ergò psalmi argumentum cum superioris sententia consonat: nam ille post tempestates, & tumultus, tranquillitatem, & pacem prænunciat, & hic pariter uictores ut uictoriæ authori laudes afferant, hortatur. Quandoquidẽ (inquit) excelsus, & terribilis rex omnibus nobis ostensus est, manibus lætitiæ signum facite. At hæc Iudæis quondam solum nota erant, nunc uerò uniuerso humano generi propalata. Quoniam uerò manus prò actionibus frequenter in scriptura sumuntur, & Saluator noster antè aduentum suum diuersas gentes, secundum diuersas patrias constituerat: meritò postquàm aduenit ab omnibus gentibus plausum fieri iubet, hoc est concentum uirtutum earum, quæ in actione consistunt, quæ per manus significantur.

APOLINARII. Ad Israelem superior, ad gentes uerò hic psalmus refertur: gentes inquã quæ ad Hierusalem ascendunt, & conferuntur cum iis, qui ab Abraham genus ducunt. Gaudiũ igitur gentibus annunciat, & plausus prò uictoria: clamores item, & acclamationes laudibus plenas propter Domini manifestationem, quæ magno cum timore ex alto facienda est, prædicit, quoniam Dominabitur terræ iuxta uisionem Danielis tradens regnum sanctis suis, ut quidam *Rom.4.* Apostolorum successor ait. Apparebit in IESV mundi regnum, non quod ipse regnum illud in gloria sibi sumat, sed propriis, ac domesticis suis, qui per reginam electam sponsam in regno positi sunt. quemadmodum in Dauid dictum est. Constitues eos principes super om *Psal.44.* nem terram.

DIDYMI. *Iubilate Deo*, Non sat est ad salutem actionum concentus, nisi sit cum iis rectitudo mentis: ideo iubilationem in uoce exultationis cum plausu manuum gentibus indicit.

CYRILLI. Iubilabunt autem, tanquàm qui Christo auxiliante uicerint, & ab eos quõdam opprimentium tyrannide erepti sint.

HESYCHII. Excelsus est, qui in altis habitat; terribilis propter futurum iudicium. Rex magnus non dignitate solum, uerum etiam benignitate; unde & rex omnis terræ meritò nuncupatur: non modo enim iustis Dominatus est, sed & peccatoribus uiam salutis illis annunciando.

DIDYMI. Et etiam terribilis, quia uenerandus est, ut qui eum contemplantur reuerentiam illi præstent. *Super omnem terram*, non quod dubium sit, an insupernis regnet, sed circa terram dubitantibus nonnullis, an illi dominetur, propositus uersus declarat: & propter eos præcipuè, qui usquè ad Lunæ globum prouidẽtiam circumscribunt, ea, quæ infra sunt prouidentia regi negantes.

NICEPHORI. Personæ Apostolorum prædicit inuictum Euangelicæ prædicationis robur, *Quoniam Dominus excelsus*, Quoniam Christus altissimus ex diuinitate, formidabilis modo à signis, & miraculis, quæ singulis diebus operatur. *Et Rex magnus super omnem terram*, Hoc propter temporarios reges dicit, qui quàm minimæ orbis parti præsunt.

Subie-

Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.
Elegit nos in hæreditatem sibi, speciem Iacob, quam dilexit. DIAPSALMA

EVSEBII. Quod neque populi filiis Core subiecti, neque gentes sub eorum pedibus
stratæ fuerint, iam cuilibet compertum, & exploratum esse debet. Proindè hæc tanquàm ex per
Matth.28. sona Apostolorum dicta sunt: Nam cum illis Saluator præcepisset, ut docerent omnes gentes,
eius ueritate afflati ad omnes gentes ingressi, ad barbaras quoque nationes përuasere, & uniuer
sum terrarum orbem perlustrarunt. Hæc ergò ex illorum persona dicta sunt iis, qui prædicatio
nem susceperunt: quamuis Dominus ipse, quem prædicamus non corpore, nec carneis oculis
comprehendatur, tamen ex operibus ipsis, qualis, quantusque sit, perdiscite. An non cernitis
nos præcones quinam & quales simus, homines uiles, & idiotæ? At sermo per nos prædicatus,
adeo potens fuerit, ut mundum uniuersum compleuerit. Vnde ergò tanta potentia, quæ po-
pulos nobis subiecit? & gentes posuit sub pedibus nostris? populos quidem priores, qui
ex doctrina nostra fideles facti sunt; gentes uerò eos, qui in infidelitate permanserint, quas sæ
pe resistentes, ac cum nos, tum uerbum à nobis prædicatum oppugnare quærentes rex ma-
gnus subiecit sub pedibus nostris, ut peruicerimus eos, & super illos sub pedibus nostris stra-
tos ascenderimus, & nos quam primum illis uel inuitis in mediis eorum ciuitatibus, & prouin-
ciis Ecclesias Deo nostro construxerimus. Nobis autem selegit hæreditatem suam, quam di-
Psal.2. lecto suo pollicitus est dicens, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & pos-
sessionem tuam terminos terræ: Hanc scilicet Ecclesiam, quam selectam ex gentibus nobis Apo
stolis suis concredidit. Hęc autem electa est iuxta electionem, quæ ex omnibus gentibus non
generis successione constat. prò hæreditatem suam, reliqui hæreditatem nostram, uerterunt: nā
ut in ueteri populo, qui cum Iesu Naue fuerant, promissionis terram antiquis habitationibus
expulsis sorte inter se partiti sunt, ita etiam præcones regni Dei orbem uniuersum perlustrantes
Act.10. hostibus occultis, & inuisibilibus eiectis prædictos populos sortiti sunt. Hęreditatem hanc
pulchritudinem Iacob, uel ex Aquila: præstantiam Iacob, ex quinta editione: gloriam Ia-
cob, esse dicunt. Ecclesia enim Christi exultatio, & gloria fuit ueteris Iacob propter prædi-
ctiones, quas ille de gentibus fecit. Nam is dedecori obnoxius fuisset, nisi sermones eius
ueritas consequuta esset. cum uerò illos facta ipsa comprobauerint, gloria, & exultatio
fuit.

DIDYMI. *Subiecit populos nobis,* Totius Chori sanctorum: non minimè uerò Aposto
lorum uox est, illis enim populos, qui sunt ex circuncisione subiecit, & gentibus sub pedibus eo-
rum, principes illos omnium hominum, & magistros constituens, ac eligens hæreditatem suá.
Hinc dignoscitur nullum esse apud Deum personarum respectum, non aliud, quam pulchritudi
Act.10. nem Iacob diligentem: non est enim personarum acceptor Deus, siquidem in omni gente qui
timet eum, & exercet iustitiam, acceptus est illi.

APOLINARII. Cum nos (inquit) omnium gentium reges declarasset, hereditatem quo
que nobis dedit patrum nostrorum, Israeliticam scilicet regionem, quæ ab eo honorata est. Hæ-
reditatem uerò propriam nonnulli Israeliticam regionem dicunt, qui ex Israel Prophetæ sunt;
& Apostoli, quæ etiam ipsis secundum genus tributa est: quemadmodum & Ipse Dominus
Matth.1. non expers fuit successionis eius, quæ secundum carnem. Dilectam uerò eam appellat, non
quod apud Deum præ alia illa differre & excellere possit, qui nihil preciosum, aut pulchrum
magis habet in terra, sed quoniam terræ habitatores dilexit, qui pietatis in mundo primitiæ fue
re & dilectionem seruat in eos, & in terram illam, quam inhabitauit, qui nihil interiturum sed
omnia habet æterna.

CYRILLI. *Subiecit populos nobis,* Dicunt nonnulli per populos, & gentes tum Satanam,
tum eę, quę cum eo sunt, malignæ potestates significari; de quibus Christus dixit. Ecce dedi uo-
Ioan.10. bis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potentiam inimici. Mi-
rantur præterea Saluatoris benignitatem, quod quæ Israeli promissa erant, ea omnia credenti-
bus gentibus tradiderit, quod enim iis, qui sunt ex Israel ab Apostolis dictum est, uobis primum
Act.13. oportebat loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos uos iudicatis uita æter-
na: ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus. lætentur igitur tanquàm
Psal.104. à Christo acceperint, ut sint sors eius: & tanquàm in pulchritudine Iacob censeantur. qui Ia-
cob olim erat pars Domini. Et funiculus hæreditatis eius, intelliges quoquè quod præter gen
tes ipsos quoquè sub pedibus habuere, qui erant ex sanguine Iacob, nam etsi non omnis Iacob
credidit, totius tamen populi pulchritudo ad hoc concurrit, ut reliquias cogites. Sequitur enim
ut hoc putes, quoniam prudentiores ex Iudæorum cœtu crediderunt in Christum, tum ele-

ge

ge,tum ex prophetis mysterium de illo intelligentes, atquè ex miraculis, & sermonibus Christi. Etenim Nathanaeli Philippus dixit, quem scripsit Moses in lege, & prophetę,inuenimus filium I E S V M à Nazareth. Ad hæc ille.Potest à Nazareth aliquid boni esse. simul enim atquè audiuit Nazareth statim ad initia cognitionis, & certitudinis Christi se contulit,Hanc speciem Iacob esse diximus: Nam qui ita affecti sunt,ut ipse Nathanael,uerè Israelita, & in quo dolus non fuit,pulcritudo Iacob meritò dici possunt,& prædicari dilectos à Deo esse,quicunque unà cum illis sacrorum diuinis ducibus subiecti sunt. Ioan.1. Ioan.1.

O R I G E N I S. *Subiecit populos*,Dedit nobis potestatem calcandi super serpentes,& scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Luc.10.

A T H A N A S I I. Speciem Iacob appellauit prophetiam de gentium uocatione,de qua dixit. Et ipse erit expectatio gentium,ipsa quoquè dilecta est,& cui dilecta, nisi illi,qui animam suam prò illa posuit?Hanc igitur sibi dilectam,nobis(inquit)elegit.

T H E O D O R E T I. Prò,*populos*,Symmachus,reges,dixit,& prò,*Speciem Iacob*, Aquila,excellentiam Iacob, Chorus ergo Apostolorum par esse dicit,ut exultantes,& iubilantes omnium conditori Deo,qui nobis reges subiecit,& omnium gentium principatum nobis donauit,triumphalem hymnum offeramus. præterea speciem, & splendorem Iacob nobis in manus tradidit, non enim Iudæos omnes,qui uocantur Iacob,sed pulchritudinem Iacob,& præstantem excellentiam Iacob,eos inquam,qui fide ornati sunt,qui intrepidi fidem susceperunt, qui leue,ac suaue Saluatoris iugum subiere,hos dico,& elegit,& dilexit:His Apostolatus administrationem credidit.Cœterum est quod euentum prophetię oculis cernamus,cum uidere possimus eos, qui ex omnibus gentibus crediderunt,ante Apostolorum sepulchra prosterni,& pusillum puluerem illum ardore multo uenerari,ut secundum uaticinium Dauid perspiciant,& psallant,& laudent eũ qui nobis populos & gentes sub pedibus subiecit. Gen.49. Matth.11.

N I C E P H O R I. *Subiecit populos*, populos intelligit credentes ex Iudęis, gentes ex reliquis nationibus. Et rursus per hæreditatem suã eos, qui ex gentibus,& p pulchritudinem eos,qui ex Iacob,pulchritudinem uerò dicit,reliquias,& selectionem, nam quæ præstantiora sunt aliis,ea sibi rex reliquit.*Elegit nobis*.id est per nos.

Ascendit Deus in iubilo,& Dominus in uoce tubæ.
Psallite Deo nostro,psallite,psallite regi nostro,psallite.
Quoniam rex omnis terræ Deus psallite sapienter.
Regnauit Deus super omnes gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

T H E O D O R E T I.Cum omnia (inquit)Deus effecisset,primum quidem humanitatem assumpsit,& aduersarii tyrannidem euertit: Deinde in cœlos assumptus est,præeuntibus cœlestibus potestatibus, & Angelorum choris.his quidem ad inferiores clamantibus:Hic I E S V S, qui assumptus est à uobis,sic ueniet,quemadmodum eum uidistis euntem in cœlum. His uero sursum exhortantibus: Attollite portas principes uestras,& eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Has enim uoces iubilum,& clangorem tubæ uocauit,uelut quæ per orbem uniuersum percurrant. Act.6. Psal.23.

H E S Y C H I I. Ascendit,ubi erat prius: sed quoniam cum carne ascendit, meritò qui ubiquę præsens est dicitur ascendisse:Ascendit autem in iubilatione, hoc est in uictoria; quemadmodum ait Petrus. profectus in cœlum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & uirtutibus: Ascendit autem non in iubilatione solum, sed etiam in uoce tubæ: consueuit enim Spiritus Sanctus uocem Angelorum tubam nominare,qui assumpto Christo Apostolorum cœtui dixerunt, uiri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic I E S V S, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. 1.Pet.3. Act.6.

C Y R I L L I. *Ascendit Deus in iubilo*, Eos ostendunt, qui sanctos Angelos choros in cœlis ducentes imitantur in terris,& unam quasi lyram plectentes concinnum, & sonorum carmen gaudent modulari.quouiã cũ salutis nostræ munus explesset,ad Patrem,eundemque deũ ascendit,tanquàm primitię quædam factus humanitatis ad immortalitatem innouatæ. Hoc enim in Christo consequuti sumus,psallite ergo(inquit)& adhuc psallite,& hanc cum lętitia gratulationem perpetuam facite,*Ascendit enim Deus in iubilo, & Dominus in uoce tubæ.* Non quod alius Dominus,& alius Deus putandus sit: sed unus & idem est.Illum enim omnino cum Deus sit,imperii gloria sequetur,quemadmodum scilicet existentem natura Dominum sequitur Deum esse.Quoniam uerò iubili,& uocis tubæ mentionem facit,ad huiusmodi sensus ascendimus, quotquot quæ Christi sunt,cogitamus,& loquimur,Ascendit enim in cœlos, ut ante Dei conspectũ 1.Cor.15.

prò

prò nobis appareat. Verum supernis illis spiritibus nouum spectaculum fuit homo diuina gloria ornatus, & in illius excellentia uisus, quæ nullius sermone explicari potest, oportuit ergo cœlestes uirtutes à Spiritu Sancto mysterium hoc edoceri, ut cœlestes portas tollerent, aperteque scirent Deum humanam speciem indutum, ad gloriam eidem, & soli conuenientem, & naturæ illius inhærentem ascendere: Dixit enim, tollite portas Principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Sciscitantibus autem, & quærentibus diuinis illis spiritibus, atque etiam ambigentibus, quod planè nescirent, quisnam esset iste rex gloriæ, didicerunt eundem esse Dominum uirtutum, & Dominum potentem in prælio. Scribit præterea sapientissimus Paulus: Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo. Didicerunt ergò eidem iubilare etiam uirtutes intellectuales in quibus Spiritus Sancti reuelatio tanquàm unius tubæ sonitu igneus erat, quæ profundum incarnationis mysteriū reuelabat. Oportuit ergò ut hi, qui salui facti sunt, unà cum cœlitibus ipsis iubilarent, psallerentque assiduè, & perennes illi laudes afferrent. Atquè, cum illud (Ascendit) dicunt, illum & docent descendisse. Nam cum hoc sapientissimus Paulus sic intelligeret, ait, quod autem ascendit, quid est, nisi quod etiā primum descenderat in inferiores partes terræ? & rursus. Qui descendit ipse est, & qui ascendit, super cœlos, ut impleret omnia.

Psal. 23. Eph. 3. Eph. 4.

DIDYMI. Iubilum uox est nil propriè significans, quę aduersus cæsos, & profligatos hostes à uictoribus editur. Ascendit autem cum supra nostram cogitationem, & captum innenitur. Per nocem uerò tubæ uidetur magnitudinem, ac uim maximè sonoram dogmatum designare: nam uox tubæ prò manifestatione in Euangelio usurpatur, dicente Domino tu uerò cū facis eleemosinam noli tuba canere ante te: hoc est ne manifestaueris.

Math. 6.

ATHANASII. Quoniam Angeli ipsi ascendentem in cœlum hymnis prosequuntur, uos etiam gentes, quæ eundem cultum seruatis, psallite Deo terra Dominatori.

DIDYMI. Non lingua solum iuxta legis umbram, sed & spiritu secundum Euangelium psallite. An fortasse hac repetitione uerbi, *Psallite*, hoc incessanter, ac perpetuò faciendum esse præcipit? ea uerò psallendi geminatio, ad Christum regem referenda est; nam ut Deus est, rerum opifex est: & ut rex est, prouisor est: illi igitur, qui Deus, & rex est, indesinenter psallere oportet.

HESYCHII. Ter deo psallendum meritò præcepit, ut lingua, & mente, & spiritu psallamus, psallere uero sapienter ideo iubet, ne carminibus, & numeris nacantes, uim eorum, quę canimus, ignoremus, nequè æs sonans, aut cymbalum tinniens efficiamur, sed sciētes regem omnis terræ, hoc est totius humanitatis Deum esse, membra illi omnia tum corporis, tum animę subiiciamus.

1. Cor. 14. 1. Cor. 13.

CYRILLI. *Psallite sapienter*. Hoc est Christi mysterium intelligentes: dixit enim propheta quis sapiens, & intelliget hæc? & prudens & cognoscat ea? opinor etiam iuxta alium sensum proposita uerba oportere interpretari. Psallite namque, & glorificate, regnauit enim Deus sapienter super omnes gentes. illud uerò, *sapienter*, & ineffabili quadam dispensatione dictum est. siquidem Christi mysterium re uera sapientia refertum est.

Ier. 9.

DIDYMI. Psallentem cogitare oportet, quæ in cantico, proferuntur, non enim in collisione, ac carminis modulatione uersandum est iis, qui proficere student: sed intelligentia percipere quæ canuntur, opus est: nam eos, qui non ita psallunt, sed tantum uocis sonitum emittunt, reiicit Deus dicens. Discede a me, sonum uiarum tuarum, & psalmum organorum tuorum non audiam. Cœterum is sapienter psallit, qui præcepta Dei facit, & super iis cogitat.

APOLINARII. *Ascendit Deus in iubilo*, Diuinitatem in Filio distinctè, & apertè significat, hic enim est, qui ascendit: & hic, qui regat, atquè idem qui sedet in cœlesti throno cum ante ascensum in terra sedisset, congregans circa se gentium duces, ac optimum quemquam, ac præexcelsum ex hominibus ad gloriam cœlestem. Futurum eius aduentum significat, in quo sedebit ut iudicet mundum. Hoc simile est illi, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Sancti enim illius Apostoli principes populi constituti sunt, sedem uerò intelligit cœlum, sed ne corporeum aliquid cogitemus regnum à diuina scriptura per sedē ostēdi intelligimus. imperat enim angelis, & sedes eius facti sunt, qui credunt in eum, sanctificantes se Sancti Spiritus efficacia, & gratia, lætantes igitur dicunt, quod sicut in cœlo, ita in nobis regnat: per sedem quoquè intelligis regni eius firmitatem, & robur. inquit enim Angelus: & regni eius non erit finis.

Math. 19.

THEODORETI. Honore igitur prosequamini uniuersorum imperatorem hymnis cum cele-

Luc. 1.

celebrantes,& in cœlestibus tripudiis uersantes:nam hominibus suum ostendit imperium, & gentibus omnibus persuasit, se Deum, & Dominum esse in regalibus sedibus sedentem. Hoc autem *Deus sedet super sedem sanctam suam*, Apostoli sententiæ conuenit, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Porrò: *Psallite sapienter*, rectè appositum est,docet enim non lingua solum hymnos proferendos esse, sed etiam mentem ad eorum, quæ proferuntur, intelligentiam excitandam. Heb.1.

Nicephori. *Ascendit Deus in iubilo*,iubilum, & uocem intelligit Angelorum,qui cum Christo in ascensione præeuntes uictorem prædicabant, efferentes eum, & magnificantes, *Psallite sapienter*, non lingua tantum, sedet mente, *regnauit Deus super gentes*, regnauit, & secundum eius humanitatem, & ex uoluntaria subiectione illorum, quibus dominabatur, *Deus sedet super thronum*, thronum regiam, & iudiciariam potestatem: sedes uerò firmitatem significat. *Sanctum suum*, Sanctitas pura, ut munda ab omni acceptione personarum.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ uehementer eleuati sunt.

Theodoreti. Promisiones factæ Abrahæ patriarchæ finem habuerunt: promiserat enim Dominus in semine eius se omnes gentes benedicturum, ideo gentes illæ & principes earum Diis patriis derelictis cum Deo Abraham congregatæ sunt,& hunc proprium Deū uocant. Cœterum harum gentium uocationis ministri fuerunt Apostoli,qui miraculorum magnitudine sacrosanctæ religionis sublimitatem confirmarunt. Hos septuagnita uocauerunt fortes, Aquila scuta, Theodotio, & Symmachus propugnacula: quibus omnibus non solum ostenditur eorum potentia nemini mortalium subiecta, & inexpugnabilis, sed etiam tutela pro aliis suscepta declaratur: sunt enim tanquàm clypei, & propugnatores credentium facti,qui calamitatum impressione aciem frangi non permiserunt, sed fusis, fugatisque aduersariis,fideles de parta uictoria hymnos canere,& Deum laudare hortantur dicẽtes, *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis, quoniam Deus excelsus, terribilis rex magnus super omnem terram.* Gen.18.

Didymi. Principes populorum Apostoli sunt, uel Ecclesiarum præsides congregati cum Deo Abraham ut seruatos populos ad illum adducant, siquidem Deus illorum est, qui fiunt Abrahæ filii. At considera uum etiam Angeli populorum principes esse possint: de quibus dictum est. constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei, qui etiam congregantur cum Deo Abraham, quibus iam per fidem filii Abrahæ facti sunt, partes eorum, quorum principes existunt. *Fortes*, autem sunt ex hominibus, qui rectè instituti sunt. *Eleuati*, quoniam quæ sursum sunt, quærunt, hi siquidem diuina cognitione, & uirtute exaltati, & in sublimia euecti, Dii facti sunt. nam fortes terræ Dei possesio effecti, eleuati sunt. Deut.32. 12.d. filiorum Israel.

Athanasii. *Dii fortes terræ, in terra* (inquit) mitium, quæ sanctis asignatur fortes Dei uehementer exaltati sunt, & gloriæ mirum in modum aucti, ut ex oraculo illo didicimus, eos sessuros super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Matth.19.

Eusebii. Cum reliquis, quos ante diximus, populorum quoque principes in unam Ecclesiam coierunt, facti populus Dei Abraham, (sic enim Symmachus mirè interpretatus est) principes populorum in unum populum Dei Abraham collecti sunt: ueteres namque principes populorum Idolorum cultores, & omni superstitioni addicti, populus Dei Abraham facti sunt, & se cum illo coniunxerunt, Deum Abrahæ agnoscentes, & eundem precibus implorantes. Theodotio unus item,& ipse interpres peritissimus unà cum Symmacho, ita interpretatus est. Principes populorum congregati sunt, ut sint populus Dei Abraham. Quoniam Hebraica dictio, am, iisdem literis scribitur, quibus & populus, illud uerò, iam, significat etiam: cum dictum est enim, am Elon, quod si interpreteris, sonat cum Deo, uel populus Dei.

Cyrilli. Videtur his uerbis sancti discipuli, uel suam ipsorum prædicationem ostendere, uel quasi prædicendo sanctorum pastorum,qui post illos in Ecclesia futuri sunt, multitudinem nunciare. Principes enim populorum fuerunt primum ipsi,post eos autem alii deinceps magna prudentia præditi quam plurimi, qui & religionem eorum sequi, & diuinam, ac Euangelicam prędicationem ubique gentium inuulgare studuerunt. Isti ergò congregati sunt, hoc est conuenerunt, & conspirarunt ut una omnibus esset fides, & idem animus. Addere quoquè

Eph. 4. quoquè possem apud eos uulgo iactatum illud. Vnus Dominus, una fides, & unum baptisma, & unus, qui est super omnia termo in Christo eorum, qui rectè mysterium illius intelligunt. quod si aliqui ueritatem adulterant, atquè peruertunt, nulla illorum nobis est cura, quibuscum uersatur Christus: non nouus Deus, sed ipse, qui etiam Abrahæ primi parentis fuit. ita congregati sunt principes, quorũ à nobis nuper mentio facta est, congregati inquã cũ Deo Abraham. quod autem insignes, atquè illustres facti sint Christo præstante, ut tales essent, declarant, dicentes, *Quoniam Dij fortes*, hoc est robustissimi præliatores fortitudine spiritali prędiri, ac fraudibus aduersarii, & garrientium nugis resistentes. *à terra uehementer eleuati sunt*, id est non humiles, aut obscuri, aut despecti, sed quasi in sublimia per uirtutem euecti, & cœlestem, ac multis inuiam uitam agere cogitandi sunt. Aut fortassè cum eos à terra eleuatos dicat, significare uult eos, mentem non terrenis rebus implicatam, sed quæ sunt carnis despicientem, & superiora intuentem gerere: propterea quod & peritiam dogmatum, & uirtutem morum, & actionum assequi student.

NICEPHORI. *Principes populorum*, non idiotæ solum, sed & reges cum Christo congregati sunt, eius partis facti, qui sanè Christus & Abrahæ Deus erat, idèmque antiqui testamenti legislator Deus, qui etiam & noui. *Quoniam Dei fortes*, quoniam Spiritus Sancti auxilio fortificati Apostoli, Dęmones, & Tyrannos uicerunt, & terrena, ac mundana omnia superauerunt: A quibus & principes (populorum scilicet) & qui illis dominantur ad Christum deducti sunt.

ORIGENIS. *Super sedem sanctam suam*, thronum Dei Christus, Christi uerò natura prædita ratione. *Principes populorum congregati sunt*, qui cum Abraham congregati sunt, hi cognitionem Abraham habẽt, illud enim, *congregati sunt*, dictum est, prò, congregabuntur. A factis autem (inquit) omnium gentium principes, unà nobiscum congregati Deum laudabunt. Nam quæ apud nos supra opinionem facta sunt cogent undique omnes gentes in hymnorum & laudum decantationem eius, qui tot ac tanta nobis bona ostendit.



PSALMVS

PSALMVS CANTICI FILIIS CORE SECVNDA SABBATI.

PSALMVS XLVII.

Magnus Dominus, & laudabilis ualdè in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Benè fundata, exultatione uniuersę terræ, montes Sion, latera Aquilonis ciuitas regis magni.



EVSEBII. Priores tres psalmi, quibus Filiorum Core inscriptio, fuit, ęrumnarum, dolorumque plenos habuere sermones, quartus in lætiora uersus est, quare titulus illi, prò dilecto, fuit. Simili ratione quintus de occultis erat, sed & sextus pariter erat. Verum qui præ manibus est longè maiorem quam tres superiores theologiam continens, meritò canticum psalmi filiis Core prænotatur: nam alii una uoce inclamantes Deum hymnis laudum celebrabant: alii musicis instrumētis idem carmen pulsabant concentum carmini congruum facientes. Nomine autem Ecclesiæ laudes ad eum mittunt, qui hostes debellauit, & Ecclesiā suam ab amara, & dura seruitute liberauit, qui igitur hunc antecesìit psalmus præcipiebat gentibus ut plauderēt manibus, & Deo exultarent in uoce iubilationis, & ipsi psallerent, quoniam rex est omnis terræ Deus: & psallerent sapienter, quoniam inter gentes regnauit, oportebat autem ut quibus præceptum fuit, ut hoc agerent, modum modulationis, & psalmum ipsum tanquā à magistro perdiscerent. quocirca necessario sermo præsens hoc docet. proinde docentur & gentes quæ ab impietate ad Dei doctrinam conuersæ sunt, Dominum suum diuinis præconiis celebrare, ac dicere, *Magnus Dominus, & laudabilis ualdè*: Porrò qua ratione magnus dictus sit, protinus scies, si uel paulum cœlum suspexeris, & mundum uniuersum circumquaq; oculis perlustraueris. Iuxta Isaiā dicētē. Erigite in cœlū oculos uestros, & inspicite quis hæc omnia demonstrauit, à creaturarum.n. magnitudine, & pulchritudine aptissimè rerum factorem contemplamur. Nō est autē corporea mole magnus, sed incō- *Isa.40.* prehensibilis potentia, sapientia, adde & bonitate, clementia, humanitate, ac reliquis iis uirtutibus, quæ in illo esse cogitantur. Ideò dictum est, & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi. *Psal.39.*

ATHANASII. Hic quoquè psalmus in persona canitur Apostolorum, persequutiones, & uictorias, quæ in illis sequutæ sunt enarrantium.

HESYCHII. Psalmus propter compunctionem, canticū uerò quoniā cū compunctione iucunditas in eo coniungitur: Narrat enim admiranda opera Dei prò quibus celebritatem agere animam decet, tanquàm salutem consequuta, & simul ob Dei timorem compungi. Hoc autem non in omni psalmo distributum inuenies, sunt enim qui grauibus & molestis rebus tantum cōpunguntur, non tam Dei admiranda opera, quam communes peccatorum affectiones, & mala ferentes. Cœterum hanc inscriptionem in nonnullis codicibus, sic haberi inuenies. Psalmus cantici filiis Core secunda sabbati. Secunda in sabbati Dominicam diem dicit, quæ est post sabbatum: cui psalmi prooemium ualdè cōgruit: in ipso enim dicitur: *Magnus Dominus, & laudabilis ualdè.*

INCERTI. Cum beatus Dauid eam uictoriam prædiceret hoc psalmo, quæ sub Ezechia cōtra Assyrios parta fuit, auxilium Dei tanquàm ingens, & opportunum admiratur, & omnes ad agendas gratias prò iis, quæ gesta sunt prolixius hortatur, omnia proferens tanquàm ex eorum persona, qui tunc temporis fuerunt, ut eos loqui decebat.

THEODORETI. Et hic psalmus eodem modo eandem uictoriam prædicit, atq; Dei ciuitatis fortitudinem narrat.

ATHANASII. *Magnus Dominus*, Non in Iudæis solum magnus est Dominus, sed & in mōte sancto: Montem uocat Ecclesiam ob cœlestis doctrinæ sublimitatem.

DIDYMI. Magnus, & laudabilis ualdè non ubique ostenditur, sed in ciuitate Dei, hoc est in sancta Ecclesia Hierusalem cœlesti: ipsa enim ciuitas, non humili, non abiecto loco sita, non in concauo, & imò, sed in monte sanctissimo fundata est. Porrò hic mons sanctus est, uel perfecta uirtus, & cognitio Dei, uel Dei uerbum, non minus fundamentum, quam extructor est huius ciuitatis.

HESYCHII. Vbiquè sanè magnus est Dominus, multò uerò in Hierusalem, quæ me-

tropolis est miraculorum Domini,magnus ostensus est,ut qui in ea mortem destruxit, infernũ spoliauit,& mortuos liberauit. Laudabilis autem,quia creaturam omnem tam sursum,quam deorsum laudatione propria repleuit. At enim quilibet psalmus Domini prophetiæ causa conscriptus est,ita ut nunc etiam potiorem psalmi partem ad ipsum referri deprehendas. *Magnus Dominus,& laudabilis,* Magnus quoniam cœlum firmauit,terram formauit,lumina hæc magna Sol Luna,& stellæ, iussu illius orta sunt. Laudabilis ualdè,quoniam cum tanta dignitate præstaret, homo,ut hominem seruaret,factus est,quod autem hæc prò incarnationis mysterio admirabundus dicat,sequens uersiculus ostendit.

Ioan.10. CYRILLI. Porrò magnus propriè dicitur,quoniam à magno Deo,& Patre ortus est. Dixit enim.Pater,qui dedit mihi maior omnibus est,nam etsi hæc appellatio ad alia quoque refertur,& nonnulli spiritus tum eorum qui sunt in cœlis, tum qui super terram magni dicti sunt, ipsi tamen participatione,ac imitatione propriè magni cognominationem consequuti sunt.

EVSEBII. Magnus ergò Dominus,qui à gentibus Dæmones abegit, & regnum suum in terra firmauit,& qui omnia illa fecit,quæ superius commemorata sunt. Quin & laudabilis est non quidem apud omnes,nec in omni loco,sed, *In ciuitate Dei nostri,& in monte sancto eius,* nam qui extra ciuitatem eius sunt,cum ignari sint doctrinæ,quæ à Deo est,nesciunt eũ prò dignitate laudare. Quapropter nomen illud uenerandum ad inanimem materiem, uel et ad bruta genera animalium,uel ad elementa,terram,aerem,aquam,& ignem,uel ad partes mundi transtulerunt.

Psal.45. Leui.26. At ciuitas Dei nostri Ecclesia est, de qua superius dixit, Fluminis impetus lætificat ciuitatem

2.Cor.6. Dei. Et hæc quidem de terrestri Ecclesia, de qua dictum fuit,& inhabitabo in illis, & inambulabo,& ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, quod si hac ipsa præstantior alia ciuitas est,cuius artifex,& effector ipse sit,considera quomodò in ea magnus,& laudabilis excogitetur,& in ea,de ipsa disseratur. Vbi uerò terrarum hæc ciuitas extructa sit,psalmus docet,& ait, *In*

Heb.12. *monte sancto eius,* benè radicato,benè fundato,atq; etiam in exultatione uniuersæ terræ. Qualis uerò hic mons cogitari oporteat, magnus Apostolus docet. Accessistis (inquiens) ad montem Sion,& ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem celestem,& ad multorum millium Angelorum frequentiam,& Ecclesiam primogenitorum,qui conscripti sunt in cœlis. Hanc eandem esse ueram

Gal.4. Psal.46. Dei ciuitatem idem ostendit his uerbis. Quæ autem de sursum est Hierusalem,libera est, quæ est mater nostra. At mons Dei dignus ipsum est cœlum. Quoniam uerò & eos,qui in terra sunt homines,hoc regno non indignos existimauit(hoc.n.in superiore psalmo prædictũ est, regnauit

Matth.16. 1.Cor.10. Deus super omnes gentes) meritò etiam in terris ciuitas illi constructa est,pia.s.uitæ institutio, & respublica per orbẽ uniuersum,quæ potissimum uerbi prædicationi innititur. *In monte,* uerò hoc est in uerbo Dei,uel in Christo posita est. Etenim Ecclesia supra petram ædificata est, ipsa autem erat petra ,& fundamentum Ecclesiæ iuxta illum,qui dicit. Fundamentum.n.aliud nemo

Psal.31. potest ponere,præter id,quod positum est. Qui est Christus IESVS. Et exultatio est uniuersæ terræ,sic enim aliàs dicit de ipso beatus Dauid. Exultatio mea,libera me à circundantibus me , nam Christus est,qui tristitiam,& mœrorem omnem à nobis abigit,& lachrymas nostras abstergit.

Isa.25. Apoc.21. secundum prophetam dicentem,præcipitabit mortem in sempiternum, & rursus abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Et quomodo exultatio sit omnis terræ,perspicuò dictum est.

HESYCHII. Quæritur cur omnis creaturæ opifex in aliqua una ciuitate,& monte laudabilis à propheta dicatur? Respondetur: quoniã crucis mysterium ibi peractũ est. Ciuitatẽ uerò Dei Bethleẽ appellat mõtẽ uerò sanctũ Golgotha uocat. Laudabilis ergò utrobiq; & ualdè laudabilis factus est Dominus,illic quidem infans qui nullius est temporis, hic uerò carnis tormenta qui impassibilis est,sustinuit. Ne igitur hic intelligamus locum,& spatium quò unigeniti gloria circumscribitur,sequentia considerato.

ATHANASII,& HESYCHII. Extendit quidem(ait) exultationem per omnem terrã,

Ioan.15. nam per orbem uniuersum diuinæ suæ manifestationis exultationem,& gratiam dilatauit.

DIDYMI. Exultatio terræ uniuersæ,quæ altas,& firmas radices egit,non aliud est fortasse quam is,qui dixit. Ego sum uitis uera,ipse enim est exultatio uniuersæ terræ,author,& ministrator omnis exultationis.

THEODORETI. Et iam sæpe diximus,& nouimus ciuitatis appellatione,non ædificium,sed rectè institutionis uitæ statũ quẽdam à diuina scriptura nominari. Propterea nunc quoque asserit Dominum omnium conditorem,per ea magnum declaratum esse,quæ ab ipso circa ciuitatẽ peracta sunt. Quam insignẽ,& illustrem reddidit dogmatũ altitudo,tanquã in excelso, & edito loco positã: Nõ põt(inquit Dominus) abscõdi ciuitas supra mõtẽ posita. Hãc ait exultatio

Matth.5. nẽ uniuersæ terræ,benè,optimè, ac firmiter extruxit. Aedificauit.n.ipsã Paulo teste supra funda

mentum

mentum Apostolorum & prophetarum, cum eius angularis petra sit ipse Christus. IESVS. quin Heb.13. & beato Petro dixit Dominus. Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Hoc igitur, *bene fundata*, prò solidis fundamen- Matth.16. tis posuit, ut ipsa impauida, & inconcussa permaneat. *Mons Sion latera Aquilonis ciuitas regis magni*. Atquè etiam ipsam montibus circundedit, ut Aquilonis damna non sentiat. Nam ab Ier.1. Aquilone (inquit) accendentur mala supra oẽm terrã, & rursus, Aquilonẽ expellã à uobis. Cœ Ier.4. terum nomen Sion de superna ciuitate sumpsit Apostolus: Accessistis enim (inquit) ad montẽ Heb.12. Sion, & ciuitatem Dei uiuentis Hierusalem cœlestem. Montes ergò qui boream arcent, & ciuitatem salubrem faciunt, iure appellare potes Apostolos, & prophetas, & multiplices illorum doctrinas, & Angelos quoquè fidelibus præsidentes, inmittet enim Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

DIDYMI. Ignoro unde aliqui moti sunt, ut existimauerint ex propositis uerbis locum signi Psal.33. ficari, in quo Saluator cruci affixus est. Aiunt. n. Saluatorem in lateribus Aquilonis Sion, cũ illic esset Caluariæ locus, cruci affixum fuisse. Nos uerò sequentes multarum scripturarum testimonium, Aquilonem non alium esse, quam Diabolum dicimus, iuxta illud: surge Aquilo, & ueni Auster. Huius latera sunt perditi, & flagitiosi homines, qui satillitium Diabolo præstantes latera Cant.4. illius prius erãt, ad hoc per uirtutem conuersi innocenter uixere, ut non simpliciter Sion sed mõtes eius dicti sint. Paulus igitur quamdiu Ecclesiam Dei persequutus est fuit Aquilonis latus: conuersus uerò mons Ecclesiæ, quæ est Sion appellatus est. Et quoniam mulier latus hominis dicitur, & cum animæ, quæ Diabolo copulantur ob initam cum eo familiaritatem illius latera fiant, montes Sion per pœnitentiam factæ sunt, ut ciuitas ipsius regis magni Christi dicantur. Magnus autem rex dicitur, non ob corpoream molem, sed propter excellentem potentiam. Huius autem ciuitatis magnæ, & excelsæ quædam ædes sunt propriæ in quibus Deus cognoscetur, & ubi ciuitatis formam acceperint, similes erunt domui, quam ædificauit super petram, qui Dei sermonem audit, & facit.

EVSEBII. Hæc (inquit) latera Aquilonis uel gentes ciuitas dici possent magni regis, tan- Ier.2. quam in habitante in illis Deo per fidem. Ideo etiam latera Aquilonis sustinere dicitur, quoniã ab antiquis dictum est, Aquilone exardescent mala super omnes habitatores terræ. Quia uerò Dei regnum interius constitutum eos expulit, qui quondam latera Aquilonis obtinebant, & ollã succensam extinxit, meritò prædictus mons hoc loco ad latera Aquilonis pertingere dicitur, quandoquidem usq; ad Idololatras gentes diffusa est regis gratia. Cœterum quæ à nobis terræ pars incolitur, ab australi regione distincta boreale, uel Aquilonium latus nominatur. Ecclesia igitur, quæ montes Sion dici potest, & latera omnia Aquilonis compleuit, oculis cernitur. ideo dictum est, *Montes Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni*.

CYRILLI. Lex Mosis agnum mactari iussit ad latus altaris, quod ad Aquilonem uergebat Exod.36. ubi figura significauit, post immolationem in Iudæa factam Christum ad Aquilonias orbis par- Leuit.1. tes cõuertendum, & in posterum ad ipsas concessurum, & sui conspectum illis se daturum, iuxta id præsertim, quod in psalmis dictum est. oculi Domini ad pauperem respiciunt.

NICEPHORI. Secundum sabbati diem illum significat, in qua psalmus cantatus fuit. Sab- Psal.10. batum autem Iudæi totam hebdomadam uocant. Continenter autem gratiarum actiones ex eorum persona, qui Babylonica seruitute in Hierusalem reuersi sunt. tametsi omnibus etiam fidelibus aptari possit, qui ab Idolorum, & Dęmonum captiuitate ad cognitionem Dei rediere, *in ciuitate Dei nostri*. Dignus enim est ut laudetur in ciuitate Hierusalem, & in monte Sion, qui alias radices egit, hoc est benè fundatus est, cum sit lętitia uniuersæ terræ. Hęc autem dicit, propterea quod primum in Hierusalem Dei cultus radices fecit, & inde profecta sunt Euangelia, & totius mundi lętitiæ annunciationes. *Montes Sion, latera Aquilonis*. Non illepidè montem pariter ac ciuitatem aduocat. Latera autem, quæ transuersa sunt possunt dici montes Sion magistri, qui ex tranuerso Aquilonis sunt, ex quibus ex transuerso fertur, hoc est inclinat Boreas, id est, Satan. Ciuitas autem Dei fidelium congregatio est.

CHRYSOSTOMI. *Quod dicit huiusmodi est*, Magnus Dominus in ciuitate Dei nostri, in monte sancto suo benè radicans, hoc est, benè radices agens, & eam pulchrè firmans, ac stabiliens in gaudio, & lætitia totius orbis terrarum, Hoc etiam alius obscurè significans dixit, præscripto splendore uniuersæ terræ. Eam enim fecit splendorem, & lætitiam uniuersæ terræ. Illic enim est fons pietatis, & principia Dei cognitionis. Hanc ergò cũ talis esset, radicibus actis confirmauit, ac stabiliuit propter ornamentum totius orbis terrarum, propter exultationẽ,

propter gaudium totius terræ. *Fundatur exultatione uniuersæ terræ.* Aquila uertit pulchro germine, gaudio uniuersæ terræ. Hic quoque significat liberationem à bellis. Siquidem cum à Babylone reuersi, & à longa captiuitate liberati, terram receperunt, & multa bella euaserunt, prò his omnibus Deo omnium bonorum authori gratias agentes hos hymnos canunt. *Magnus Dominus, & laudabilis ualdè.* Magnum quidem dicunt, sed quàm magnus non dicunt, hoc enim nemo scit, & ideò subiunxit, *& laudabilis ualdè,* Non est enim finis eius magnitudinis. Quod autem dicit est huiusmodi. Oportet eum tantum gloria, honorare, & laudare, idque suprà omnem modum: laudare autem eum, propter hanc infinitam, & incomprehensibilem essentiæ magnitudinem, & propter summa eius in nos beneficia: Nam & uoluit, & potuit quæ uoluit. *In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Quod dicis? illic eius laudem concludis, qui est magnus, qui laudabilis, in ciuitate, & in monte? Non hoc dico inquit, sed quod nos antè alios eum cognouimus, uel propterea illud dixit, *In ciuitate Dei nostri.* uel uolens ostendere, quod per magnitudinem eorum, quæ ibi facta sunt ostensa est eius magnitudo, & gloria.

ORIGENIS. Mons uerò eius benè agens radices in exultatione non modo unius terræ partis, sed uniuersæ quis alius est nisi Christus qui in Patre radices habet, quo adueniente omnis terra exultauit, propter passim constitutas in nomine eius Ecclesias?

Deus in domibus eius cognoscetur cum susceperit eam.
Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in unum.
Ipsi uidentes admirati sunt, conturbati sunt, tremor apprehendit eos,
Ibi dolores ut parturientis in spiritu uehementi conteres naues Tharsis.

ATHANASII. *In domibus* βάρεις magnæ, ac selectę ciuitatis ædes illi esse possunt, qui in ea sunt uirtute præstantes, in quibus agnoscitur Deus eorum auxiliator, & à tentationibus eorum liberator.

CYRILLI. βάρεις turres sunt insignes, quæ in mœniū ambitu collocantur: Nihil ergò ab surdum, & à ratione alienum est dicere ciuitatis Dei, (quæ nimirum Ecclesia semel est dicta) turres esse Apostolos sanctos, aut eos, qui prò tempore fuerunt Ecclesiarum magistri, atq; doctores, hi tanquā turres cœteris eminentiores fuerunt. In his ergò quicunq; est per fortitudinem bonus cognoscitur, cum suscipiet eam. s. Ecclesiam: Nam superius dixit, Deus in medio eius nō
Psal.45. commouebitur: Adiuuabit eam Deus mane diluculo. Sic etiam nunc præsentiæ suæ signa exhibet iis, qui sunt in ciuitate sua.

EVSEBII. Hæc rursus præsentiæ Dei in prædicta ciuitate sua inditia profert, quemadmo-
Psal.45. dum iam dictum est, Deus in medio eius non commouebitur: Adiuuabit eam Deus mane diluculò: Turbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedit uocem suam, & mota est terra: Ita hoc in loco præsentiam Dei in ciuitate sua perspectam facit, dicens, *Deus in domibus eius cognoscetur,* cum susceperit eam, prò, *in domibus,* Symmachus, in regiis. tradit. Nam cum Deus non uideatur, cognoscitur tamen illius præsentia, cum obsessæ ab hostibus ciuitati auxiliatur. Turres uerò uel domus ciuitatis Ecclesiæ sunt, quæ per loca, & regiones distributæ sunt, cum magna sit ciuitas eius, qui ubiq; terrarum colitur, quorum medius cum sit Deus (iuxta illud, cum duo uel
Matth.18. tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum: Et: Ecce ego uobiscū sum usq;
Matth.26. ad consummationem seculi,) ex eius auxilio dignoscitur. post hæc inimicorum impetus, & conatus in eam significat, cum dixit. *Reges terrę congregati sunt, conuenerunt in unum,* Symmachus dixit. Ecce reges conspirauerunt, uenerunt simul, intelligit hostes pietatis, & diuinæ reipublicę inimicos, & eos, qui leges conscripserunt ad Dei Ecclesiam oppugnandam, sed quanquam omnem lapidem mouerunt, nihil tamen efficere potuerunt, quare inducit. *Ipsi uidentes sic admirati sunt, posteà conturbati sunt,* tanquàm hostes Dei constituti, & erant tanquàm in doloribus partus positi. In reliquū uerò de diuino iudicio sermonem antè oculos habuere. Ecce parturiit iniustitiā, concepit dolorem, peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam,
Psal.7. quam fecit. Reuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Hæc factis ipsis perfecta nos oculis ipsis uidimus, quæ consentaneū est posteris nostris dicta, neque auditu credita fuisse. Oēs.n. quotquot ex nobis Ecclesiā oppugnarūt principes seculi huius, & tyranni diuinis plagis contumeliose affectis, aliis corpora computruerunt, ita ut uermes ex adhuc uiuis eum fœtore intollerabili scaturirent, aliī ablatis oculis, & succensis ita in morbi sensum uenerunt, ut palinodiam cecinerint, & Ecclesiæ Deum magnum, & uerum, & solum esse Dominum sint professi, & magno studio impetrarunt oppugnatam olim à se ciuitatem instaurari, & coli. Quod uerò deinceps sequitur, *In spiritu uehementi conteres naues Tharsis,* Et secūdū Symmachum,

chum, per uentum uehementem confringes naues Tharsis, Animaduertes diligenter, quod naues Tharsis dictæ sunt magnas olim Solomoni diuitias attulisse, quemadmodū ex regū historia 1.Reg.10. didicimus, quare & nunc per contritas naues Tharsis, regum diuitias, & potestates abolendas esse significauit.

ATHANASII. *Quoniam ecce reges terræ*, Bellum pp Christi præconium illatum, siue à cōspectis regibus, siue ab inaspectabilibus Dæmonibus, qui quondā dominabantur, his uerbis significauit. *Admirati sunt*, & omnes extra se facti uidētes auxilium à Deo sanctis præstitum. Etenim excellentia uirtutis eius, qui salutem largitus est, admirationē, & stuporem illis iniecit. *Naues Tharsis* tanquā preciosis mercibus & copiosis onustis nauibus reges cōparat, At uehemētē illū spiritum, quo ipsos cōtriuit, uirtutes esse cogitabis, quibus cōtra Apostolorū hostes prœliatus ē.

DIDYMI. Reges, qui in ciuitate conuenerunt, & in ea simul congregati sunt, eodē animo, atq; cōsilio coniuncti sunt reges illi, qui secundum Deū regnant, qualis erat Abraham, cui nonnulli dixere, licet ad sensum nō regnaret. Rex à DEO es tu in nobis. Isti uidentes eos, qui olim erāt latera Aquilonis, ad tātā altitudinē cōscēdisse, ut essent mōtes Siō admirati sunt, stupore quodā correpti qđ tāta circa rationalē creaturā mutatio facta fuerit. Cū uerò ex improbis frugi ac sapiētes factos quis uiderit, huius mutationis admiratione correptus cōsiderabit rursus fieri posse, ut iterū sapiētes, & probi immutentur, & prolabātur. Huiusmodi cogitatio & iis qui in uirtute multū profecerint, pturbationē, & cōmotionē incutiet, ut ēt tremor præ timore illos inuadat. Cōsensū hunc, qui fit in locis impiorū deplorant iusti, & illis cadētibus timidi fiūt. *Ibi dolores parturientis*, In ciuitate regis magni par est animas esse, quæ ex spōso uterū gerāt, quæ cū semina ab eo ipsis iniecta formauerint, tēpus habeāt pariēdi, ut, & dolores partus, dū fœtus & matres edūt, patiātur. Potest etiā hoc nomen ὠδῖνες, quod, dolores transtulerunt, labores significare circa turbatos, atq; concussos, quos tremor inuasit. Ad intelligentiam uerò, & secretiorē sensum ita dices. Animarum naues corpora in scripturis frequenter dicta esse uidimus, quemadmodū & ibi: Qui descendunt in mare nauibus. Corpora hæc cū intereant, & natura sua mutationi obnoxia sint, à Psal.106. diuino spiritu uehementer in illa impingente, conterentur, hoc est destruentur, & in resurrectione, incorrupta, fortia, illustria spiritalia ex corruptis, debilibus, & abiectis fient. Atq; ea non simpliciter naues, sed naues Tharsis dicuntur, quod uerbum Græcè sonat, exploratio gaudii. Tunc.n. laudabiliter corpora conterentur depressa, & ferè enecta, cum qui illis circumamicti sunt, diuinā gratiam considerauerint.

THEODORETI. Vna est in uniuersa terra mariq; Ecclesia: Iccirco orantes, dicimus, prò una sancta catholica, & Apostolica Ecclesia à finibus usq; ad fines terræ. Rursus diuisa est ipsa per ciuitates, & oppida, & agros, quas quidem Ecclesias propheta domos appellauit, quemadmodum ciuitas quælibet plures habet domos inuicem seiunctas, una tamen ciuitas est, sic innumerabiles ac infinitæ propè Ecclesiæ in insulis, & in continenti reperiuntur, communiter autem omnes in unam rediguntur mutua & unanimi uerorum dogmatum consensione. In his ergò Ecclesiis uniuersorum authorē Deum apparere asserit, auxilium suum afferentem, quandoquidem, *Deus in domibus eius cognoscetur, cū suscipiet eam.* Deinde futuros insultus prædicit, & hostiū mutationem. *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt*, Nam concurrerunt reges tanquā bellū illaturi, sed cū Ecclesiæ bello infestatæ robur inexpugnabile uidissent, cōsternati sunt, *conturbati sunt*, cumque ait inconcussa Ecclesiæ fundamenta conspexissent, & prophetiæ ueritatem didicissent, timuerunt, & horruerunt, quemadmodum qui maris dorsum transmittunt, & à fluctibus, & procellis agitati, extremam perniciem expectant, hac de causa à bello, & incursionibus cessantes ipsi potentiam Ecclesiæ, quam expugnare credebant, prædicant, & exclamant.

DIDYMI. Illud ēt non ignorandum βάρεις: non solum domus, & turres, quæ in mœnium præcinctione continentur significare, sed ēt nonnullas naues, quæ scitè, & artificiosè contextæ sunt, Porrò sanctorum capita iis ipsis rursus comparari oportet, quod ad omnes ferè partes adnauigarint, & pietatis merces ad uniuersas gentes asportauerint, qualis fuit diuus Paulus ab Hierusalem usq; Illiricum percurrens, & prædicans Euangelium Christi. Alibi quoq; beatus DAVID Rom.15. dixit, in mari lato, ac spacioso naues ubiq; præteruehi, & draconem, qui formatus est ut illuderetur illi, naues sanctarum prædicationum latrices, & draconē, quem etiam uicerunt Satanam illis insidiantem appellans, dum Christum idoneum ad salutem auxilium illis ministraret. Psal.103.

ORIGENIS. *Quoniam ecce reges terræ congregati sunt*, ut idem omnes dicant, & non sint in eis schismata.

CHRYSOSTOMI. Dicit præterea quomodo suscepit eā, & defendit, Nā cū innumerabiles gētes eā inuasissent, (hoc.n. ostēdit per regū multitudinē) & nō modo inuasissent, uerū ēt cō- 1.Cor.1.

gregati acies instruxissent, res eiusmodi gestæ sunt, ut ipsi recederent obstupefacti ob ea, quæ tãto miraculo facta sunt. *In spiritu uehementi conteres naues Tharsis*, Hic mihi uidetur per hoc exẽplum, & uictoriæ facilitatem, & perturbationis ac horroris magnitudinem uelle significare: Nam hi quoquè cum magnam classem parassent, & ex longinqua aliqua & aliena regione uenissent, ueluti quodam uehementi spiritu, omnes ira Dei perierunt. & ideo locum quoquè significans unde uenerunt, subiunxit illud, Tharsis, uel hoc ergò dici potest, uel illud, quod antè dixi, quod quemadmodum naues Tharsis uehementior uentus irruens sæpe contriuit, ita etiã multitudinem illam Deus conturbauit.

NICEPHORI, *Deus in domibus*. Cognoscitur Deus in propugnaculis ciuitatis, quam ipse defendendam sumit, & ab expugnatione seruare suscepit. *Conuenerunt in unum*, unà in eum irruerunt. *Sic admirati*, sic, & prò eo, postquam uiderunt Christi potentiam, *illic dolores ut parturientis*, Afflictiones in iis erant, & dolores, & periculorum suspitiones, *Tharsis*, nomen unius inflexionis est, & loci nomen, ubi conspicuæ, atquè excelsæ naues fabricari consueuerunt. Intelliguntur autem naues Tharsis Apostasiæ, & Dæmones, quos in uehementi, ac ualido iræ impetu suæ conteret Deus.

Sicut audiuimus ita & uidimus in ciuitate Domini uirtutum, in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eã in æternum.

Suscepimus Domine misericordiam tuam in medio populi tui.

Secundum nomen tuum Deus sic & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua.

ATHANASII. Quam Domine salutem nobis annunciasti, eam operibus ipsis præstitam uidimus. Significant tempus illud, quo promissa impleta uiderunt. Vbi uerò nisi in Ecclesia, quæ est ciuitas Dei?

DIDYMI. Dum in hac uita sumus, de cœlesti ciuitate Dei, deque spiritalibus bonis, quæ in illa sunt, á sermonibus prophetarum, atq; aliis diuinitus inspiratis scripturis audimus. Cum uerò à terris ad illam Cęlestem Hierusalem ascenderimus, collatis iis, quę in ea uidebuntur cum illis, quæ olim audiuerimus, dicemus, *sicut audiuimus sic & uidimus.*

EVSEBII. Hęc quoq; ex Apostolorum persona dici possunt, qui quondam propheticas uoces tantũ audierunt, nunc uerò re ipsa comprobata cernentes, quæ prædicta audierunt, dicunt, *sicut audiuimus, sic & uidimus*, idcircò hæc dicentibus Saluator ait, Amen quippè dico uobis, quiá *Matth.13.* multi cupierunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, uestri autem beati oculi, quia uidẽt. cõuenire quoq; possunt hęc nobis cernentibus quæ in prædicta ciuitate non homo, sed Deus ipse fundauit in æternum, quę completa sunt, tum enim ostenditur quod eius fundamentum æternũ est, & quod à Deo iactum est, cum tot ac tantis ipsam oppugnantibus inexpugnabilis pmaneat.

THEODORI uel CYRILLI. Conuenerunt hostes Ecclesiæ tanquã illã oppugnaturi, sed cum eam inexpugnabilem uidissent, stupore correpti sunt, & ab oppugnatione cessantes clamãt. *Sicut audiuimus, sic & uidimus*, Nã nolentes prædictiones, quæ de illa factæ sunt, admittere, p nos ipsos earũ uidimus ueritatẽ, quoniã qui non crediderunt, hæc dicere nequaquã potuerũt. *in ciuitate Dei nostri*, etenim cũ Deũ uirtutũ simul Dominũ esse fateamur, firmã in nobis fidẽ habemus.

Isa.45. DIDYMI. Est aũt ciuitas Dei nostri quoniam ipse fundauit eã in seculũ. Saluator aũt est de quo hæc dicũtur, ostẽdẽs. n. ipse Pater: Hic (inquit) est, qui ædificabit ciuitatem meam, cũ ipse tãquã Deus sit artifex, & structor ciuitatis habentis fundamenta, quã & omnes iusti ingrediũtur.

Matth.16. ATHANASII. Simile est illi, quod à Domino dictũ ẽ. Ego super hãc petrã ædificabo Ecclesiã meã. *Suscepimus Domine misericordiam tuam*. Ventura prosequitur, nã psalmi personã ad gratias agendas tanquã ad celebrem prophetiam transtulit, illud aũt. *suscepimus*, prò, contemplati sumus, dictum est. Expectauimus (inquit) nomen Dei glorificatum in uniuersa terra, ac huiusmodi misericordia coniectantes non forè despiciendos eos, qui extra Israel sunt, quin in loco, & templo constituti, misericordiam tuam uniuersum orbem amplexuram sperauimus, scientes nomen tuum ad omnes pertingere, & in omnibus esse.

THEODORI. CYRILLI. Vel sic cogitauimus, uel constanter affecti fuimus, qđ misericordia tua ubiquè, atq; omnino aderit iis, qui sunt in medio templi tui: non enim dicimus *Agg.2.* eos, qui adhuc infideles sunt, donorum Dei participes forè, sed eos, qui iam crediderunt, ueteribus enim dictum est. Spiritus meus stetit in medio uestrum, confidite, & superius quoq; dixit, Deus in medio eius non commouebitur.

THEODORETI. *Sicut audiuimus*, Nam oracula de ipso admittere nolentes, & ipso rerum euentu eorum uidimus ueritatem. *Deus fundauit*, ipsius uox est. Et super *Matth.16.* hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Itaquè

Itaque cum diuinum uaticinium immutationem hostium declarasset, rursus prædicit, quibus uerbis, qui salutem consequuti fuerint, in benefactore laudando utentur. *Suscepimus Domine misericordiam tuam*. Accepimus planè auxilium tuum ò Domine promissionum tuarum ueritatem cernentes, tu enim dixisti, uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationē seculi. Matth. 28. *Secundum nomen tuum Domine, sic & laus tua in fines terræ*. Falsi Dii non habent uirtutem nomini respondentem, non enim sunt, quod uocantur: Sed nomen tuum ò Domine, opera ipsa sequuntur, quæ appellationis ueritatem attestantur. Iccircò tibi meritò ab orbe uniuerso hymnus affertur, ut enim omnium Deus est, sic ab omnibus laudatur. *Iustitiæ plena est dextera tua*. Iusta enim sententia prolata dissipati sunt hostes, qui contrà nos consurrexere.

ORIGENIS. Quęcunque audiuimus de Deo per fidem, ea per uitę puritatem cognouimus, creditorum probationem per affectuum carentiam accipientes.

DIDYMI. *Secundum nomen tuum*. Quemadmodum nomen tuum admirabile est in uniuersa terra, sic laus tua, iuxta illud. Laudis tuæ plena est terra: Fines terrę terminos, & extremitates esse intelligas, nec eos solum, sed qui à terra in cœlum permeant, ad quos nomen, & laus Dei peruenit. Psal. 8. Eccl. 42. Isa. 42.

THEODORI. Mos est diuinę scripturæ gloriam per nomen significare, bonum uerò illius nomen dicit iustè ac consequenter sequi gloriam Dei, nanque ab uniuersis terræ incolis secundum excellentiam suam laudatur. Sed quid ipsum nos quoque laudantes dicimus? Deus, quis similis sit tibi? Et rursus: quis Deus magnus sicut Deus noster? Et: Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu creasti: tua est dies, & tua est nox, tu fecisti Solem, & Lunam, atque ipsum (ut breuiter dicam) tanquàm Deum uniuersorum, & Dominum laudamus. *Iustitiæ plena est dextera tua*. Dei, qui est super omnes, laudem ab uniuersa terra illi allatam admirati sunt illi, uti quæ gloriæ, ac excellentiæ eius maximè conueniat. Sed & aliud quid præterea admirantur. Aiunt enim dexteram Dei & Patris iustitiæ, & Iusti iudicii plenam esse. quid uerò per dexteram Dei & Patris cogitandum est, præterquàm Deus unigenitum uerbum, uerè ex ipso genitum est. Hæc magna, & mirè excellens, & super omnia dextera Patris perniciosum Satanam iusta sententia abegit ab iis, qui sunt super terram, superatos uerò iam diù, atque sub ipso collapsos in libertatem asseruit, iustificauit enim eos per fidem, & à ueteribus delictis exemptos Deo, & Patri, sanctos, & immaculatos attulit. Porrò his fidem faciet Filius ipse sic inquiens: Nunc iudicium est mundi huius, nunc princeps mundi huius eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero omnes traham ad me ipsum. Itaque in sanctitate, & iustitia omnibus gentibus ingens admiratio concepta, & dextera Dei, & Patris summis laudibus exaltata, utque torpore oppressis opitulata sit, collapsos erexerit, & iacentes in tenebris illuminauerit. Psal. 34. 70. 88. 94. Ioan. 12.

HESYCHII. *Iustitiæ est plena dextera tua*. Non. n. secundum acceptionem personarum accipientibus bona distribuit, sed iis, qui accipere digni sunt, quando ob rectè facta iustis, propter pœnitentiam uerò peccatoribus elargitur.

APOLINARII. Hæc tua iustitia (inquit) non habet personarum acceptionem, ut Petrus dixit, cum uocationem gentium intelligeret. In ueritate (ait) comperio, quod non est personarum acceptor Deus. Cum uerò sapiens Israel in ueritatem inductas gentes conspexerit misericordiam intelligens nulla inuidia mordebitur, sed lætabitur iudicio Dei, quemadmodum tunc temporis Petrus, et alii Apostoli lętati sunt.

NICEPHORI. *Sicut audiuimus*. Audiuimus miraculorum, & signorum effectorem Deum in populo suo, hoc idem, & operibus modo in nobis factum uidimus. *Deus fundauit eam*. Hoc apertè de Ecclesia dictum est, aduersus quam portæ inferi non pręualebunt. Matth. 16. *Secundum nomen tuum laus tua*. Quemadmodum nomen tuum (inquit) diuulgatum est, & pertransiit in fines terræ propter opera tua admiranda, sic etiam diuulgabitur laus tua in enarrandis mirabilibus tuis. *Iustitia est plena dextera tua*. Eò quod de iniquis omnibus uindictam sumes.

ORIGENIS. *Plena est dextera tua*. Christus est dextera Dei iustitiæ plena, quare & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. 1.

CHRYSOSTOMI. *Sicut audiuimus*. Quæ enim (inquit) uerbis audiuimus, ea factis uidimus, uictoriam Dei, trophœa, curam, ac prouidentiam, & quæ opinionem superant, miracula nunquam enim Deus hæc facere destitit. Eius ergò est, liberare a periculis, & deducere ad Dei cognitionem. Oportebat enim & ex priscis narrationibus, & ex nouis factis doceri, ut obesiores, & rudiore ex iis, quæ fiebant, iis etiam quæ facta erant, fidem adhiberent, & duplex lucrum

referrent,

referrent, essetque illis auditio pro uisu. *Deus fundauit eam.* Quoniam dixit, quæ audiuimus ea & uidimus, dicit, & quid audierit, & quid uiderit. Quid ergo audiuit, & uidit? Quod scilicet Dei gratia firmam, & ualidam, atque inconcussam ciuitatem reddit. Hoc est enim fundamentum, hoc robur, hoc præsidium, hoc eam facit inexpugnabilem, non humanæ opes, non subsidia, non armorum uires, non mænia, non propugnacula & turres. Sed quid? Deus eam regit, & continet. Hoc enim eos doceri maximè oportuit. *Suscepimus Deus misericordiam.* Sperauimus, expectauimus, cognouimus tuam humanitatem, & clementiam. Quoniam enim dixit, fundauit, radicauit, muniit, ostendens tantam prouidentiam, non proficisci ex meritis eorum, qui eam assequuntur, sed procedere ex bonitate eius, qui illa facit; & simul uolens factum eorum cõprimere sic dixit, hoc propemodum dicens. Tuæ sunt misericordiæ, hæc præclara facinora, tuæ gloriæ, tuæ bonitatis. & ideo subiunxit. *Secundum nomen tuum Deus.* Laus (inquit) tua facit res adeo præclaras, magnas, & admirabiles, adeo excelsas, & gloriosas. Non enim ad mensuram curam gessisti eorum, quos beneficio afficis, nec propter eorum merita, sed pro tua magnitudine. Laus ergo tua, hoc est celebritas & famæ splendor, qui ex operibus ortum habuit, fecit ut præclara tua facta audirentur. *Iustitia plena est dextera tua.* Ostendit ea, quæ fiunt, non esse ex meritis eorum, quos beneficio afficit, sed ex sua ui, & natura, quoniam ipsa eius natura delectatur iustitia, lætatur benignitate, & clementia.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudææ propter iudicia tua Domine.

Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.

Ponite corda uestra in ueritate eius, & distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est deus noster in æternum, & in seculum seculi, ipse pascet nos in secula.

CHRYSOSTOMI. Quanam de causa hęc præcipit, circuire ciuitatem, numerare turres, curare ædificia, considerare eius decorem, domos, & palatia metiri, non opus est nostra interpretatione, sed oratio ipsa se ipsam explicat. Cum enim hæc dixisset, causam quoque statim adiecit, quàmnam? *Vt enarretis in progenie altera.* Quod autem dicit hoc est, impleamini gaudio, lætemini exultetis, at non leuiter, & obiter, sed accuratè, ac diligenter eius uires intelligite. Quoniam enim fuit diruta, quoniam radicitus concussa, & eius solum propemodum interiit, & desperarunt fore, ut ea in melius mutaretur, adeo ut dicerent. Aruerunt ossa mea, lassati sumus, consumpti sumus, nec expectabant fore, ut eam reciperent, eam tamen receperunt, non talem, qualem amiserant, sed longè meliorem, clariorem, atque illustriorem, maiorem, ditiorem, potentiorem, & magnificentiorem in ędificiis, in rebus uenalibus, in prouentibus, in facultatibus. Erit.n.(inquit) ultima gloria domus huius supra priorem.

Agg.2. CYRILLI. Qui ex omnibus gentibus ad ueritatis lumen peruenerunt, uehementer secum lætantur, ut qui misericordiam consequuti, & boni cuiuslibet participes facti sint, propter diuinam, & omnipotentem dexteram Dei, & Patris. Videtur autem cum altero populo quodãmodo collætari, tanquàm illi, qui ad Christi omnium nostrum Saluatoris agnitionem in tempore uocandus, sit futurus particeps beatitudinum, quas cum olim habuissent, turpiter abiecerunt. Hoc propheticus etiam sermo confirmat. Cum post hæc (inquit) reuertentur filii Israel, & querent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & stupebunt in Domino, & in bonis eius

Osee 3. nouissimis diebus. *Lætetur*, itaque dicunt, *mons Sion, & filiæ Iudææ propter iudicia tua Domine.* Iudicia inquam bona. Filiæ Hierusalem urbes circà ipsam, & sub ipsa positæ intelligi possunt, & sic interpretaberis, ut dicas montem Sion esse Christi Ecclesiam, filias uero eius sanctorum animas in ea educatas, uel filios Ecclesiæ, quæ in spiritu circuncisionem accepit, priore illa potiorẽ, & magis ueram, lex enim umbra fuit, & Christus ueritas.

THEODORETI. *Lætetur mons Sion*, Montem Sion uocauit eos, quibus Theologiæ sublimitas credita est. Filias autem Iudæę uocauit Ecclesias per orbem erectas, & fundatas tanquàm ab Apostolis, qui ex Iudeis originem duxerunt. Hortatur autem tam præcones Euangelii, quàm auditores ut lætentur, & exultent ob iusta iudicia, quibus salutem mundi operatus est.

EVSEBII. Quoniam dextera eius benefica, & affluenter omnia bona profundens ęquitate ac iustitia plena est, & non est personarum acceptio apud eum, non immerito cunctis gentibus

Act.10. Euangelium prædicatum est: Ideo dicit Apostolus, Non erubesco Euangelium, uirtus enim

Rom.1. Dei est in salutem omni credenti, Iudęo primum, & Græco, nam iustitia Dei in eo reuelatur, his deinceps consequenter annectitur. *Lætetur mons Sion*, Hic autem in superioribus etiam declaratus est, in quo Ecclesia fundata est, proinde Petro & mons Christus ipse fuit, Lætatur er-

go

go, & omni lætitia repletur in eo, tanquàm in structura magna, & inexpugnabili ciuitate, & unà lætatur iis, qui salui fiunt Dominus ipse, qui seruat eos. Quin & filiæ Iudæę exultent propter iudicia Dei. Sed quænam aliæ istæ esse possunt, quàm animę Apostolorum, & chorus discipulorum, & Euangelistarum Domini? Et Saluatoris nostri IESV Christi uniuersus, qui ex Iudæis conflatus est. Lætabantur enim, & omni lætitia, & exultatione replebantur propter iusta iudicia Dei, nam per eam salutare Euangelium omnibus gentibus, & omnibus hominibus prædicatum est. *Circundate Sion, & complectimini eam.* Quæ prædicta sunt omnia eius Theologiam continent, qui tot inter homines admiranda fecit. Quæ uerò nunc proponuntur, quorumdam personæ dicuntur, ut præhabitam Dei ciuitatem capiant circundãtes eam, & ut eam manibus complectantur, & undique cingentes custodiant. Sed quinam sunt, quibus præcipitur ut hæc faciant? Diuinę (reor) potestates, quæ ad Ecclesiæ Dei custodiam & piam eius administrationem excubant, sancti scilicet Angeli. Hos ergò Spiritus Sanctus alloquitur dicens. *Circundate Sion, & complectimini eam.* Vel iuxta Symmachum, Vallo cingite. Prò, *narrate in turribus eius.* Aquila, considerate turres eius, Symmachus, numerate, uerterunt. Nam ædificia eminentissima in primis, & munitissima urbis loca tanquàm potiora, & reliquis magis opportuna prædictis custodibus innumeratò tradita sunt, ut illa accuratè custodiant, & quem numerũ receperunt, eundem plenum, & integrum reddant. Cæterum illud diligenter considerato, quod uoce Saluatoris affertur, qua discipulis suis & Apostolis, qui tanquàm turres eminent, & reliquis structuris præstant, aiebat. Vestri uero capitis capilli omnes numerati sunt: nam qui eos ad *Matth. 10.* tantam sublimitatem euexerat, & turres Ecclesiæ suæ constituerat, ne quid detrimẽti ab hostibus *Luc. 12.* paterentur, maioribus illos custodibus, hoc est, sanctis Angelis commendauit. Hinc in actis *Act. 12.* Apostolorum scientes quemlibet discipulum Saluatoris quibusdam Angelis traditum esse, cum ancilla nunciasset Petrum astare, & fores pulsare, discipuli alii dixerunt, Angelum eius esse. Docet item Saluator de paruulis, qui sunt in Ecclesia dicens. Angeli enim eorum semper uident *Matth. 18.* faciem Patris mei, qui in cœlis est. Meritò igitur his ipsis presens sermo imperat dicens. *Numerate turres eius, & distribuite domos eius.* Iuxta Symmachum uerò, ponite corda uestra in circuitu eius & dimetimini regias: Hæc omnia facere custodes Ecclesiæ iubentur. Circuit .n. Angelus Domini timentes eum, & liberabit eos. Quas uero domos dicit nisi eas, de quibus superius dictum est. *Deus in domibus eius cognoscetur & suscipiet eam?* Porrò per ciuitatem quidem diximus significari totius orbis rationem quandam cum pietate uiuendi, per domos uerò eius singulas Ecclesias, quæ in multis orbis partibus constructę sunt. Has igitur Ecclesias iubet sermo per partes distribui: uult enim quemlibet Angelum certis separatis Ecclesiis præesse custodem. Postea his addit. *Vt enarretis in progenie altera.* Erat enim Angelorum posse Dei uirtutes inter uarias generationes enarrare. *Et quoniam hic est Deus, Deus noster in seculum seculi, ipse reget nos in secula.* Vos quidem excubitores, & tanquàm custodes gregis esse potestis, at pastor ouium alius fuerit. Quis hic obsecro? Præterquàm qui dixit, Ego sum pa- *Ioan. 10.* stor bonus? A quo pastore opportunè dicere poterimus. Dominus pascit me, & nihil *Psal. 22.* mihi deerit.

ATHANASII. *Filiæ Iudææ.* Iudæa confessionem sonat. Animæ uero, quæ confessionis habitu participes factę sunt, Iudææ filiæ sunt, Fortassè & diuinitus inspirata scriptura omnis à loco, in quo tradita est, similem cognominationem accępit, iuxta illud, Notus in Iudęa *Psal. 75.* Deus. Ergo Iudæę filię inherentes quantum fieri potest iudiciis Domini, quæ uera sunt, & iusti *Psal. 81.* ficata in semetipsa, exultabunt, & quoniam inscrutabilia sunt iudicia Domini, non exultant in præsenti, sed exultabunt cum facie ad faciem ueritati occurrent. *Propter iudicia tua Domine.* Quoniam cum causam gentium cognosceres, Dæmones infensum contra illos immisisti.

DIDYMI. Cum Ecclesiæ sententia sit ueritatis exploratrix, & propterea Sion uocetur, eam prudenter complecti decet, ut ueritatis dogmata tanquàm in circuitu perlustrantes ea intelligentia nostra circunscribamus: Et quoniam Ecclesia Dei propter insultantes hostes undiquè munita est, & instructas turres habet, è quibus facilè est aduenientes hostes prospicere, & explorare, necesse est eos, qui in turribus sunt, narrare. Cum his consonat illud. Super muros tuos *Isa 62.* constitui custodes die ac nocte, qui nunquàm tacebunt, in memoriam Dominum reuocando, hæc quoque sapientia è summis mænibus prædicatur. Ponite ergo corda uestra, hoc est, mentem prudenter adhibete ad Ecclesiasticam doctrinam, & seorsum singula diligenter inquirite. Porro domus eius sunt singulæ speculationes eius, in quibus dogmata pietatis inhabitant & quoniam prior generatio quæ ciuitatem, & uirtutem eius acceperat, praua, & adultera, maligna &

peruersa

peruersa propria uoluntate fuisse dicta est, ciuitatis uirtutem diligenter attendentes, & domos eius distribuentes cognoscite nos quæ ad sanctorum uocationem pertinent, quæ est altera generatio præter priorem, & narrate quod hic est Deus, qui prædicta mirabilia fecit, & abiecta priore generatione aliam, & alios populos uocauit. Deus autem idem semper est, & similiter se habet in seculum, &
Isa. 40. in seculum seculi, isq; pascet nos in secula, iuxta illud, quod dictum est. Et stabit, & intuebitur, & pascet gregem suum in fortitudine Dominus. Distribuite ergò domos. Quemadmodum.n. secundum logicen res in substantiam, & accidens, genera & species diuidun tur, sic est diuidere uirtutes Sion in domos eius.

THEODORETI. Sion deinceps piorum rempublicam uocat, hoc est Ecclesiam æcumenicam. Turres uerò ipsius homines appellat summarum uirtutum laude præstantes, & Angelorum uitam in terris imitantes, qui tanquàm turres, & propugnacula eam præcingunt, & custodiunt. Domos quoquè (ut superius allatum est.) Ecclesias nominat, quæ per urbes, & oppida, & agros diuisæ sunt, nam eandem, & unam uocat, & multas. Præcipit ergò diuinum oraculum, seu Spiritus Sancti gratia eos, quibus salutis præconium creditum est, circumire, & concursare, & turres doctrina communire, & reliquam ipsius potentiam stabilire. Præterea Ecclesiarum curam distribuere, quod & in quadragesimo quinto Psalmo dictum. Distribuite domos, ut hic quidem hanc Ecclesiam regat, ille aliam, & cuilibet quasi uineæ suus uinitor præsit, qui eam, ut decet, colat, & hoc non simul, atque iterum, sed in singulas ætates faciendum iubet, & propterea subiungit. *Vt enarretis in progen e altera.*

ATHANASII. Et quęnam erunt turres? nisi ii, qui per tempora ecclesiis præsidebunt? quibus Dei magnalia narrant Apostoli?

CYRILLI. Domus uerò uel turres Ecclesiæ Christi Apostolos, & euãgelistas dicimus: narramus enim in ipsis scriptis illorum memoriæ commendatis ac uocibus illarum sacra, & since-
Isa. 59. ra illorum disciplina utentes, ut simus iuxta illud, quod dictum est, tanquàm columbæ meditan-
Osee 4. tes. In memoria item habeamus Prophetam dicentem, accipite uobiscum sermones nimirum ex Spiritu Sancto, ex quibus licet addiscere mysterium Christi, nam res est uerè salutaris Dei meminisse, & lingua gloriam Deo concinere: nam psaltes alibi quoquè sic ait. Et lingua mea me-
Psal. 34. ditabitur iustitiam tuam, tota die salutare tuum. Pręterea Spiritus Sanctus palàm inclamat iis, qui per Christum iustificati sunt, ut aperiant ualdè mentis oculos, & ecclesiæ redemptorem qui est Christus IESVS accuratè considerent, ipse enim uirtus nostra est, & in eo sita est omnis.
Ioan. 15. Etenim nobis dixit, sine me nihil potestis facere: Christum uerò à creatura tum uisibili, tum inuisibili cognoscimus (est enim opifex rerum omnium, Deus nanque & Dominus, & æquè cum Patre regnans est) tum ab iis, quæ ab eo quo tempore mundo illuxit, peracta sunt: nanque omnem sustulit inimici potentiam, mundum seruauit, errantes per fidem iustificauit, & in adoptionem populos ab extremis terræ uocauit, idque tam sapientissimis disciplinis, quàm admirabilibus signis editis, quibus perspici potuit qualis, & quantus sit, ipsumque Deo ac Patre nihilo inferiorem esse: nam ubi equalis potentia per omnia similis cernitur, illic pariter eadem sit substantia necesse est. Domus rursus Sion uel Ecclesias nunc in primis appellari dicimus sanctos Apostolos, & Euangelistas: Hos quidem nos, qui post eos sacrorum præsides sumus tantum non distribuimus & partimur, dum ea quę rectè ac sincerè ab illis dicta sunt, assumimus ad ea, quæ dicimus comprobanda, uolentibus dogmatibus ueritatis fidem facere, uel moralem subditis populis sermonem exponere. Porrò hæc in progenie altera enarramus cum sacrorum disciplinam in posteros quoque transmittimus. Confirmatur autem eorum sermo qui mysteria tradunt semper, & in omni tempore, quoniam Deus nunquàm esse desinet, quin potius nobis perpetuò imperabit.

ATHANASII. *In uirtute eius.* Virtus Ecclesiæ sermones sunt ipsam confirmantes, quos præcipit, ut Apostoli sancti toto corde inuulgent. *& distribuite*, Quælibet (inquit) pars super gentes regnet. Diuiserunt (inquit) orbem terrarum duodecim Apostoli. *Vt enarretis in progenie altera.* Apostoli nanque enarrauerunt iis, quæ post sequutę sunt, nationibus per ea, quæ de Christo scripta sunt, reliquerunt. *Quoniam hic est Deus noster.* Distributionis causam perstringit. Propterea (inquit) distribuite, & docete, ut futurę post hanc generationes perspectum habeant, quod hic, qui populum pascendo pastoris officio fungitur (Dominum intelligit) is est, qui nos in futura secula pascet.

HESYCHII. Beatum est à Christo pasci, nulla enim fera pessima aggreditur eos, qui ab ipso pascuntur, tantumne lupi rapacitate, uel uulpes fraude, uel cameli iniuriarum memoria, uel leones rugitu facti, impedimento simus, quò minus à Christo pascamur, nanque oues tantum;

hoc est, innocuas animas, & eò sequentes quo pastor ducit, pascere sustinet.

Theodoreti. *Vt enarretis in progenie altera.* Oportet enim secundum quodlibet eas, quæ nos accepimus à priori sequenti seculo tradere, ita ut ad omnes ætates prædicatio salutis pertinere posit, omnes item homines cognoscant hunc nostrum esse, & Dominum, & Deum, & Pastorem bonum, & sempiternum: Quoniam enim dixit; *distribuite domos eius*, & pascendi munus ipsis tradidit, necessariò docuit unum esse pastorem bonum, qui animam suam posuit prò ouibus in æternum pascens, & pascens non modo oues, uerum etiam eos, qui ouium pastores dicuntur. Ioan. 10.

Origenis. Hæc expleta sunt in discipulis, qui sibi orbem diuiserunt, ut enarrarent quod Christus est Deus noster, qui nos pascit.

Nicephori. *Lætetur mons Sion*, Mons Sion catholica Ecclesia est. *Filiæ Iudææ*, uel confessionis, & fidei, particulares Ecclesiæ, & fidelium animæ. *Enarrate in turribus.* Narrate Christi uirtutes, & rectè facta. Sunt uerò turres, & domus Ecclesiæ particularia templa, in quibus præcipit Sanctus Spiritus, ut Apostoli sermones habeant de Christi uirtutibus. *Ponite corda uestra.* Plaudite simul in Ecclesiæ unionem, & robur. *Et distribuite*, distribuite unicuiq; nestrum turres eius, ut quisque opus sibi commissum commodè ædificare diligentissimè posit.

IN FINEM PRO FILIIS CORE.

PSALMVS. XLVIII.

Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram.
Quique terrigenæ & filij hominum, simul in unum diues & pauper.



Athanasii. Quæ ad diuinum iudicium pertinent hoc Psalmo omnibus hominibus prædicantur. Et dies, in qua omne opus in iudicium adducet. Possunt autem filii Core Apostolorum personam gerere, qui mysteriis mundum imbuerunt.

Hesychii. Nonnulli ex interpretibus prò In finem, Victori prænotarunt, nam psalmi exhortatio ad omnes pertinet, qua docentur non oportere diuitiis studere, gloriam non appetere, nec præsentis uitæ potentiam magnificare, sed illud magis quærere quo innocenter uiuamus, & qua ratione de acceptis beneficiis meritas Deo gratias habeamus, tanquàm inde perdurare, illorum fructus, ac permanere posit.

Basilii. Rerum humanarum finem gentiles, & externi quidam animo conceperunt, sed de fine sententias diuersas prætulerunt, alii scientiam, alii facultatem quandam actricē sibi proposuerunt, nonnulli diuersis modis corpore, & uita frui, & aliqui brutorum more uoluptatem finem esse prodiderunt. Nobis autem finis, cuius gratia omnia facimus, & ad quem tendimus est beata uita in seculo futuro. Hæc autem perficitur, cum nos à Deo regimur: namque hoc fine præstantior nullus ac melior ne cogitatione quidem inueniri potest. Ad hunc finem nos Paulus Apostolus excitat, cum dicit. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri. 1.Cor.15.
Hunc quoque Sophonias ex Dei persona loquens producit. Quapropter expecta me dicit Dominus in die resurrectionis meæ in futuro, quia iudicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei, in igne .n. zeli deuorabitur omnis terra, quia conuertam ad populos multos linguam ad generationem eius, ut inuocent nomen Domini, & seruiant ei sub iugo uno. Ad hunc ergò finem eorum psalmorum utilitatem referri arbitror, qui huiusmodi inscriptione prænotantur. Et cum hac sententia conuenit etiam iis, qui inscripserunt, ad uictoriam, seu, uictori. Cum enim absorpta sit mors in uictoria, & consumpta ab eo, qui dicit, Ego uici mundum, cumque omnia sint in Christo deuicta, & in nomine eius omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, merito Soph.3. 1.Cor.15. Ioan.16. Phil.2.

tò Spiritus Sanctus, quæ illic nobis reposita sunt, canticis uictoriæ, & triumpho dicati
prædicit.

ORIGENIS. Potest autem inscriptio ad cuiuslibet, uictoris in certaminibus uictoriam
referri.

EVSEBII. Oportebat ut filii Core cum priora commodè, & prò tempore exposuissent, &
annunciassent media, & ad hæc gentium uocationem prædicassent, & multa de Ecclesia Dei tradi
dissent, deinceps quoq; de præsentis seculi cōsummatione testari, deq; diuino iudicio, in quo Deus
s.Cor.5. omne opus in iudicium adducet, & omnes statuemur antè Dei tribunal. quarè necessariò om-
nes gentes aduocantur ad ea, quæ dicuntur audienda, ità omnes in uniuersum ad diuini iudicii do
ctrinam inuitat, dicens. *Audite hæc omnes gentes.*

THEODORETI. Diuinus Apostolorum chorus iam monuit gentes, ut uictoriæ canti-
cum Deo afferant: nunc quoquè easdem hortatur, ut ad fidem quoque uirtutem morum adiun
gant, & diuitiarum uanitatem, & mundi sapientiæ inutilitatem docet. Prædicit autem & futu-
rum iudicium, meritamq; & dignam retributionem. Quarè IN FINEM, Psalmus inscribi-
tur, quippè qui totius uitæ finem prædicat.

CHRYSOSTOMI. Magna quædam, & arcana nobis nunc est dicturus propheta: neque
enim quotquot sunt, ubique terrarum, ad audiendum uocasset, nec totius orbis theatrum exciuis
set, nisi magnum quid & præclarum, & tanti conuentus magnitudine dignum nobis esset dictu
rus: neque enim amplius loquitur, ut propheta, seu uelut qui Iudæis palestinæ habitatoribus præ
dicat, sed tanquàm Apostolus quidam, & Euangelista, ad uniuersam humanam naturam sermo
Rom.1. nem dirigit, lex enim uno orbis angulo unam gentem docebat. At prædicationis sermo ubiq;
Mac.ult. terrarum resonuit, sed ipsum extendit, ut qui tantam peruaserit regionem, quantam Sol præter
Rom.11. greditur. Illa enim erat tanquàm pędagogi quædam institutio, & ministerium mortis, & con-
Gal.2. demnationis. Hæc autem gratia & pax. *Auribus percipite omnes, qui habitatis terram.* Vide
2.Cor.3. concionatoris prudentiam, primum eorum animum excitauit, & erectos, atque alacres fecit ad
Ioan.1. audiendum, eò quod omnes simul uocauerit: deinde postquam uocauit, factum eorum, & inso
lentiam comprimit, ne propter multitudinem nimium efferantur, & sint nimis arrogantes. Ta-
libus enim auditoribus inprimis opus est, cum quis est uerba facturus, quę ad studium sapientię
pertinent. nempè contritis corde, ac compositis moribus, & ab omni elatione, ac tumore
liberis. quomodo ergò ferocem eorum animum compescuit: naturam in memoriam re-
uocans, nam postquàm dixit, *Gentes*, subiunxit, *quique terrigenæ, & filij hominum*, dixit sub-
stantiam ex qua principium est nostræ generationis, communem omnium matrem reuocauit in
memoriam.

BASILII. *Audite hęc omnes gentes.* Magnum sanè maximè & amplum auditorium est
eius, qui gentes omnes ad psalmi auditionem inuitat, & omnes, qui orbem habitationibus com
plent. Altissimo enim præconio hoc trahit (opinor,) & terrigenas, & filios hominum, & diui-
tes, & pauperes ad audiendum conuocat. Quæ specula tam edito loco sita, tantę super omnem
terram celsitudinis est, ut ex sublimi omnes gentes uideat, & totum orbem oculis collustret?
Quis adeò uocalis, & magnus clamoris præco est, ut quod à tot auribus percipiendum est, incla-
met? quis uerò locus est tam capax, ut ad concionem uenientes excipere possit? Qualis uerò
doctor, & quanta sapientia præditus, ut tanto consessu digna inueniat dogmata? Paululum expe
cta, & disces, quod digna sunt promissione quæ sequuntur. Concionator, & qui omnes ad audię
Psal.18. dum conuocat paracletus est ipse Spiritus ueritatis per prophetas, & Apostolos eos congregans,
qui seruandi sunt, quorum quia in omnem terram sonus exiuit, & ad fines orbis terræ uerba ipso
rum. Ideò dicit, *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Qua-
propter Ecclesia quoque ex omnibus studiis collecta est, ut nemo sit utilitatis exors. Tres sunt
uocatorum hominum coniugationes, quibus omne genus hominum comprehenditur, gentes,
& habitantes orbem: Terrigenæ & filii hominum: Diuites, & pauperes. Quem igitur extra
Bedè Eus.eb. auditorium reliquit? Alieni à fide nomine gentium uocati sunt, qui in Ecclesia sunt, orbem ha-
bitantes dicuntur. Terrigenæ sunt qui terrena sapiunt, & carnis concupiscentias sequuntur.
Filii hominum sunt, qui curam quandam, & exercitationem rationis habent (nam ratio hominis
propria est,) diuites, & pauperes per se facile dignoscuntur. Illi quidem modum necessariarum
rerum excedentes, hi uerò earundem inopia laborantes. Cum uerò medicus animarum non ad
iustos, sed ad peccatores ad pœnitentiam uocandos uenit, primum quod in omni coniugatio-
ne damnatum est, posuit: nam deterioris notæ sunt gentes, quàm qui orbes habitant, sed tamen
præpositæ sunt gentes ad uocationem, ut qui ægrotant priores à medico sentiant iuuamentum,

Rursus

Rursus terrigenę priusquam filii hominum positę sunt, & diuites antè pauperes, damnatus ordo, & qui difficilius seruatur, priusquam pauperes uocatus est: Huiusmodi.n.est medici benignitas, ut imbecillioribus prius opem ferat. Cæterum hęc uocationis societas pacis est conciliatrix, ut qui hactenus inter se ob studiorum diuersitatem dissensere, iidem congregatione, & conuentu ad mutuam charitatem assuescant. Cognoscat.n.diues, quod pari cum paupere preconio uocatus est, inquit.n. *Simul in unum diues, & pauper*, nam semoto præeminentię in inferiores respectu & abiecto diuitiarũ fastu hoc modo Ecclesiam Dei ingredere, neque igitur diues pauperem contemnat, neque diuitum potentiam pauper formidet, neque filii hominum terrigenas parui faciant, neq; terrigenę rursus ab illis alienentur, & consuescant gentes cũ his qui orbem habitant.

Matth. 19.
Mar. 10.

EVSEBII. Sic etiam intelliges. Quoniam ex gentibus alię quidem agrestiores sunt in solitudinibus habitãtes, alię ciuiles, quę cultas regiones colunt, necessaria distinctione usus est, & post communem gentium uocationem proprium agmen inducit, scilicet habitantium orbem: quare dicit, *auribus percipite qui habitatis orbem*, uel iuxta Aquilam, & Symmachum: qui lustrum habitatis, (sic.n.uocant urbes, & uicos, & domos, in quibus latent, qui in eis habitant) deinde terrę habitatores subdiuidit dicens, *Quique terrigenæ & filij hominum*, Quoniam non modo ingenuos, sed seruos etiam ad audiendum admittit, uel eos, qui agrestiorem uitam traducunt, ut qui nobilibus sunt orti natalibus, & educatione libera digni sunt habiti: Filios uerò hominum mansuetiores. Cæterum Symmachus ita uertit, & humanitas, atque item filii cuiuscunque hominis, ut priore loco omnes homines in uniuersum, posteriori uerò singuli denotentur.

ORIGENIS. *Auribus percipite*. Aures intelligit non eas, quas cum reliquis animalibus communes habemus, sed illas interiores, quibus audita percipimus: quemadmodum Saluator dixit: qui habet aures audiendi, audiat.

CHRYSOSTOMI. *Simul in unum diues & pauper*. Vidisti nobilitatem concionis. quid ni enim nobilitatem, quando propter authoritatem nequaquam arceat auditorem, sed uniuersa doctrina æquabiliter profundatur, & pauperi, & diuiti mensa communis exhibeatur. Nam ubi dixit quod omnes significat, eos uidelicet esse terrigenas, & filios hominum, & communem esse naturam ostendit, tunc quæ ex rebus ad hanc uitam pertinentibus uidebatur esse, differentiam, & inæqualitatem oratione reiicit, cõiter oẽs uocans: Est .n. cõis nostra natura, cõmuniter omnes uoco, cõmunis nostra mater, cõiter uoco. Cõmunis.n.nostra ciuitas est orbis terrarum.

Mar. 4.

THEODORETI. Planè compertum est sanctissimos prophetas solis Iudęis doctrinam attulisse, nunc uerò prophetię uox orbem uniuersum ad audiendum inuitat: Hoc autem propriũ est Euangelicę gratiæ. Nam Dominus omnium gentium salutem illis credidit. Euntes.n.(inquit) docete omnes gentes: constat igitur hic non Iudæos solum, neq; hic uel illis gentibus, sed omni generi acclamari. Sunt qui terrigenas Adam & Euam nuncupant, tanquam ex terra fictos, non autem ex coitu natos. At sermo is Ecclesię non conuenit. Siquidem Apostoli non eos excitant, qui uita functi sunt, sed adhuc superstites. Diuersa uerò uitæ genera innuit. Alii urbes colunt, alii agros, & uillas. terræ cultui dediti, & ex omnibus quidam sunt mansuetiores, quidam agrestiores, & hi quidem ratione magis diriguntur, hi uerò tanquam ferę solitudines habitant: nonnulli in curribus degunt: alii pro domibus umbraculis utuntur: Hos arbitror nominati terrigenas tanquã uilioris uitæ expertes. Dicit ergo. Vniuersi homines cuiuscunq; uitę, & instituti estis *Audite*: nimirum urbani, solitarii, mansueti, & feri, & cõmuniter oẽs, & seorsum singuli: ita .n. Symmachus interpretatus est: nã prò *terrigenis, & filij hominum*, humanitatem dixit, & præterea filii cuiuslibet hominis: prò eo, quod & in uniuersum humana natura audiat, quę dicuntur, & quilibet sigillatim fructum percipiat. *Simul in unum diues, & pauper*. Simul & uos, qui copia rerum affluitis, & uos, qui paupertate opprimemini, percipite admonitionem. Quoniam huiusmodi doctrina inter diuitem, & pauperem nullum discrimen agnoscit.

Mar. 18.

NICEPHORI. De futuro Iudicio sermonem habet.

Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.
Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.

THEODORETI. Quę a me proferuntur uerba, sapienter proferũtur: qui aũt Domini sermonibus, quę ad intima penetrant aures accommodauit, is hæc didicit. Quę igitur auribus percepi, hæc lingua offero: Hoc.n dicere intendit, se nihil propriũ loqui, uerum diuinę gratię instrumentum esse, parabolas uerò sermones uocat obscuritate inuolutos: nam cum Dominus per similitudines turbis loquutus esset, earum interpretationes seorsum Apostolis afferebat. Cum uerò hęc tanquam exordium protulisset, admonitionem deinceps aggreditur.

DIDYMI. Quoniam inter gentes, quæ ad audiendum uocantur, aliæ quidã terrenę sunt, &

ex terreno sensu,ac materiæ coniuncto natæ sunt,aliç uerò filii hominum per scientiam, institutum uitæ qui disciplinis, & sermonibus eximiis insistunt, non gregarios solos, & rudes homines, sed prudentes etiam uocat, cum dicit. Audite hęc, qui inter gentes terrigenæ, & filii hominum (Rom.1.) estis: nam magistri,non insipientium tantum, ucrum & sapientium sunt debitores.

BASILII. Cum(teste Paulo)corde creditur ad iustitiam,ore uerò confessio fit ad salutem, (Rom.10.) & utrorunq; in his actio perfectionem ponit, iccircò utraq; hic psalmus amplectitur tum operis actionē,tū cordis meditationē, nā siue bonū in corde non repositū fuerit, qūo proferet thesaurū per os,qui non posſidet occultū? siue qui bona cordis habet,ea non proferat loquēdo,dicetur illi (Eccl.20.) sapientia absconsa,& thesaurus inuisus,quę utilitas in utrisq;? Iccircò ad aliorū prouentū os meū loquetur sapientiā: ad nostrū uerò profectū cor meditatur prudentiā. *Inclinabo ad parabolā aurē meā.* cōmendat deinceps propheta personā suā. ne sermones eius tanquā humanū inuentū despiciantur. quę disco(inquit)à Spiritu ea uobis annuncio:nihil meū, nihil humanū dico. Verū quia (1.Cor.2.) propositionū,quę à Spiritu procedunt,auditor factus sum,qui Spiritus sapientiā Dei in mysterio nobis tradidit, aperio uobis,& manifestā facio propositionē. Cæterū nō alio modo,quā per psalteriū ea explico. Est aūt psalteriū musicū instrumentū sonū cōcinne reddens ad uocis melodiā. Spiritale aūt psalterium tū maxime aperitur,cū sermonibus respondentes actiones exprimuntur. (Act.1.) Et illi est spiritale psalterium,qui fecit,& docuit: Hic in psalmis aperit propositionem,qui dogmatum ueritatem,& præceptorum uim suo ipsius exemplo proponit. Vt igitur nihil inconcinnum, nihil iniucundū,in uita uel cōscientię testimonio fecit,ita fidēter sequētes sermones habet.

APOLINARII. Attingam(inquit)sermonem sapientis reconditum,quasi permiscens ęnigma cum cantico. Non dixit autem se ad parabolam os aperire, sed aurem inclinare, ut quia se potius Patris loquentis auditorem ostendere, quàm enarratorem uult, ut quia per os eius loquitur, (Psal.84.) quę dicuntur. nam in psalmo dictum est. Audiam quid loquatur in me Dominus.

HESYCHII. Queāmodū in iis,quę rumināt animalibus,quæ in lege quoq; munda nominātur,alimentū os in uētrē demittit,& rursus à uētre rēsumit,& emittit,& cōcatio quędā uentris, & oris esse inuenitur: ita sensati,ac intelligētes uiri, quæcunq; lingua proferunt,ea,ut probent,an utiliter dicantur,immittunt in cor,& rursus de quibuscunq; in corde deliberāt,& exquirūt, ea ipsa lingua,tāquā aurū purū,& purgatū per fornacē emittētes proferūt. *Inclinabo aurē meā.* Nisi quis mētis aures inclinet,& attēdat,nō pōt ea,quę in diuina scriptura p parabolā dicta sunt,intelligere.

DIDYMI. Quę in diuina scriptura dicuntur,in parabolæ modum proferri solent: qui ergò earum sensum cupit attingere,inclinet aurem interioris hominis in parabolā,unde & Saluator (Marc.4.) allatis parabolis subiungit. qui habet aures audiendi audiat. Ex ore igitur meditatus ante prudētiā in corde profero sapientiā: Tum.n.sine errore sapientē sermonē proferre possumus,cum mētē per prudentiā exercitatā habuerimus: qui uerò diuina didicerit is ea, probè aliis tradere poterit. quare ubi aurē se in parabolā inclinaturum dixit,eam se aperiturum pollicetur,hoc est exposi turū,& declaraturum,idq; per psalterium se facturum dicit:nā qui in animū induxit concinnè, ac numerosè,iuxta speculationem habitam, & considerationem adhibitam proferre, ac enuntiare, aperit in psalterio propositionem suam: Numeris autem ac modis sermo exornatur,qui uera pro dignitate profert. Is quoque fortassè quamlibet propositionem aperit,qui diuinos sermones,quę problemata sunt, in psalterio sensu,ac uirtute compacto factis ostendit.

ORIGENIS. Theodori, & Eusebii. Porrò hæc à sanctis Apostolis dici possunt. Parabo- (Matth.13.) las aūt hic ambiguos,& ęnigmaticos sermones intelligit: nā & Dominus per parabolas turbas al (Marc.3.4.) loquebatur.& earū interpretationem domi Apostolis explicabat:iccircò ex illorum persona superiores psalmi etiam dicti sunt: Cum igitur Apostolorum chorus sapientiā Dei.i.Christum. (Nā (Rom.1.) Christus uirtus Dei est,& sapiētia,)ferret in ore,dicebat,os meū loquebatur sapiētiā: quādoquidē de Christo disserētes uniuerso hominum generi ore proprio prædicarunt. Cęterū sensum eorum nihil aliud nisi intellectus meditabatur. nā ita auris eorum ad audiendum exacuta fuerat, ut Saluatoris nostri parabolas,quæ in Euāgeliis habētur,oēs quoq; ante ipsius interpretationē perci- (Matth.13.) perent. Eos.n.simul,ac parabolas protulisset Saluator noster,interrogauit dicēs: Intellexistis hæc omnia? dicunt ei, etiam. Cor ergò illorum meditabatur prudentiam: Deinde addit: *Aperiam in psalterio propositionem meam.* Ego.n.(inquit)uim mentis meę ad intelligendas Saluatoris parabolas cum intenderim,sensum in illis contentum consequi potui, & iis, qui hoc agere propter ruditatē nequeunt,occlusa reserabo, & propositiones,ac parabolas declarabo: Et hæc per psalterium meum,hoc est per corporeum instrumentum perficiā. Quod quidē instrumentum cum habitantis in ipso animę sit tanquā psalterium,traditum est illi,ut hymni in eo pulsentur Deo, & oēs sensus intēdat,mēbra singula,& partes corporis scitè mouēs. *Aperiā in parabolis propositionē meā.* quasi

quasi dicat: diligens rerum inquisitor esse consueui,& obscura, obstrusioraq; speculamina libenter addisco: quod si accidat, ut hæc ipsa aperire, hoc est multis manifesta facere mihi opus sit, hoc ipsum quoque cum uoluptate facio: non.n.ingratus à me fiet sermo, sed tanquàm psalterii canticum quoddam: Propositionem autem ait, tanquàm diceret, quę proposuero loqui. Porrò sanctorum uoluptate quodãmodo semper respersus est: Sic.n.sapientissimus Paulus alibi scribit: Ser- Col.4. mo uester semper cum gratia sit sale conditus, & gratiam auditoribus. Nemo uerò ambigere potest, quin ita uirtutis amantium animus sit semper iucundus, & gratus futurus.

CHRYSOSTOMI. *Os meum loquetur sapientiam*. Vide quomodo statim auxit orationem: Non erit (inquit) sermo meus de pecuniis, non de dignitatibus, non de potentia, non de uiribus corporis, non de aliqua re fluxa,& caduca. De sapientia disertis uerbis, non ex tempore dicturus sum. *Inclinabo in parabolam aurem meam*. Quoniam dixit, loquar sapientiam, ne quis putaret esse humanum quod dicitur, & ex corde suo meditata loqui, ne suspectam haberet eius inuentionem, per hæc ostendit diuina ea esse, quæ dicuntur, & si nihil proprium loqui, sed ea referre, quæ audiuit. Inclinaui .n. (inquit) Deo aurem meam, audiui ab illo, & quæ in mentem meã à superis demissa sunt, ea dico.

NICEPHORI. *Inclinabo in parabolam*, Sermonem ad uos habiturus inclinabo uicissim aurẽ animę meę, quę mihi à sancto spiritu suggeritur, hoc est in occulto sermone, cuiusmodi sunt prophetię. *Aperiam in psalterio*, manifestabo unà cum psalterii harmonia hunc sermonẽ meũ.

ORIGENIS. *Aperiam in psalterio*, Lætus psallit,& per psalterium aperit propositionem, per lætitiam uerò propositionem dignoscit. Est autem lætitia, hoc est animi alacritas & securitas rationalis animę perturbationum carentia.

ATHANASII. Eadẽ Eusebius,& Theodoretus. Hinc doctrinã aggreditur cum priora proęmii loco attulerit: Incipit aũt per interrogationẽ,& responsionẽ: Interrogatio est, *cur timebo?* nã ad illud: timebo: interpungendũ est; ut hic sensus eliciatur. Si quis (inquit) scire cupiat causam angustię, qua undiq; premor,& eã sciscitetur, audiat cũ fiducia diẽ malã esse, quã ego perhorrescens metu repleor. Horresco aũt, quoniã in die illa peccatũ calcanei mei circũdabit me: hoc est deflexio à diuina uia, qua huius uitę distractione, ac deceptione diuinã legẽ transgressus fui. Ipsa igitur impietas circundabit me (inquit) prò ambiet,& urgebit. Post à me malè acta: ea siquidem circundant me undiquè,& obsessum tenent, nec me sinunt supplicium euitare. Malum uerò diẽ appellat, diem iudicii: ut quæ mala futura sit iis, qui scelerum suorum pœnas dabunt. Apostolus Rom.2. quoque ipsam iræ diem uocauit, cum dixit: Thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ. Cur timeã igitur, si quis quærat, respondebo illi, quod quę admisi in uita mea, in die iudicii obducent me: dies enim mala peccatoribus inuenitur.

THEODORETI. Timeo,& horrore quodam corripior, cum dies retributionis mihi uenit in mentẽ. in quo iustus iudex secundum acta cuilibet rependet. Timoris, atq; horroris huius causa est mihi malè acta uita,& à recta uia deflexus. Calcaneũ aliqui uitę iter appellant. Ego fraudẽ Gen.27. significare opinor; deducta ab iis similitudine, qui incursu aduersarios calcaneo subiecto cadere faciunt. Quod Esau lugens nos docuit. Iustè.n.(inquit) uocatũ est nomen eius Iacob: nã supplantauit me en altera uice, primogenita mea pręripuit,& nunc secundò surripuit benedictionẽ meam. Cũ uerò diem malã multi eã uocare soleant, in qua illi aliquod aduersum,& calamitosum accidit, Diem malã, iudicii diem uocauit, sic & Diuus Paulus, iudicii diem, irę diem appellauit. Rom.2.

BASILII. Diẽ malã diẽ iudicii uocat, de qua dictũ est, Dies Domini immedicabilis super oẽs gentes: in qua (inquit Propheta) circundabunt unũquenq; consilia sua. Tunc igitur quoniã in uia uitæ nil præter legẽ à me patratum est, non timebo diem malam, non.n.peccatorum uestigia circunsistẽt me, neq; circũdabũt me in tacita accusatione arguentia me: nã præter actiones,& opera nullus alius accusator tui sistetur, unaqueq; actio cũ propria forma assistet: Adulteriũ, furtũ, fornicatio, cũ nocte, cũ modo, proprietatibus ipsã quasi per notas describẽtibus, & generatim peccatũ quodlibet cũ proprio signo manifestã recordationẽ afferẽs, producetur. Me igitur non circũdabũt uestigia peccatorũ, quia inclinaui aures meas ad parabolã,& aperui in psalterio propositionem meã. Cæterum in sacris literis calcaneum prò contaminata, ac uitiosa mente capi solet.

ORIGENIS. Alius dicit. At quoniã huius notæ nõ fuerũt Apostoli, neq; propheta, qui hęc dicit, ut de illis dici potuerit eos scelus nõ admisisse, nec dolũ in ore eorũ inuentũ fuisse, sanè tollerãdũ est postrema eorũ,& ultima peccasse. Quare Symmachus id intelligens uertit: Iniquitas uestigiorũ eius: Nam uestigia sola tanquã imbecilla,& languida, iniquitas in ipsis erãt. Cur ergò (inquit) timebo in die mala? hoc est in die iudicii. Quod si quę loquitur est Domini persona, calcaneũ eius esse inuenies extremam corporis partem, & Iudam terrę uiciniorem, nam corpus eius Apostoli.

Non timebo igitur Iudæ proditionem in tempore crucis. Quoniã nec quilibet Adę inobedientiã timuit: Hanc.n.esse calcanei iniquitatem latenter significauit. Quoniam aliena malitia nullũ in die iudicii condemnabit. Iniquitatem uerò calcanei, Adæ inobedientiam appellauit: quod ser- Gen.3. pens in calcaneum eius potestatem habeat.

DIDYMI. An illud, *Circundabit iniquitas calcanei mei*, non alia est, quàm proditoris primi parentis nostri, quàm serpens calcaneo Adæ iniecit.

CHRYSOSTOMI. *Cur timebo in die mala*, Vidisti quomodo est problema, & ænigma, & obscura oratio, & perobscura, sed primum intelligamus quemnam diem malum dicat. Quemnam igitur diem malum uocare scriptura solet? Diem calamitatum, diem suppliciorum, diem ęru- Psal.40. mnarum, quod etiã alibi dicit. In die mala liberabit eum Dominus. Talis est autem dies futurus peccatoribus illic terribilis & intollerabilis. Vidisti primum decretum supremę sapientię, & quomodo tibi definiat oratio, quænam sint digna metu, & quænam condemnationum. Et infra. Hoc est ergo oratio ænigmatica, hoc est nouus tropus, & admirabilis. Valde.n.nouum uidetur esse multis, & admirabile, si quis dicat, nihil eorum, quæ in uita grauia & molesta sunt, timendũ esse. Quid ergò (inquit) timebo in die malo? Vnum tantum, ne fortè uiæ meæ, & uitæ iniqui- Psal.40. tas me circũdet, solet enim scriptura fraudem uocare calcaneum. Qui comedit.n.(inquit) sustulit Gen.27. in me calcaneum. Et Esau rursus de Iacob dicebat. Iam secundò me supplantauit. Est.n.peccatum res eiusmodi fraudulenta, & apta ad arripiendum. Hoc (inquit) uereor peccatum, quod me decipit, quod me circundat.

NICEPHORI. *In die mala*, hoc est in die iudicii, iniquitas calcanei mei. *Cur timebo?* quoniam tum circundabit me iniquitas deceptionis meæ. Est autem peccatum deceptio quædã, eo quod peccantem decipiat. Per circunscriptionem autem illud positum est, prò peccato.

Qui confidunt in uirtute sua, in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem sui.

IN'CERTI, nisi sit ORIGENIS. A communi dixit illud. Audite hæc qui in diuitiis & potentia multum gloriamini. Sed quænam sunt, quæ audire debent? quod in die illa diuitię nihil illis utilitatis allaturæ sunt. & nihil profuturæ: non.n.rediment eos ab ira, quæ propter peccata ipsis inferetur: quemadmodum neq; frater Dei amans, & pius, neq; ullus alius homo redimere in die illa potest: quod si frater, quod idẽ est, ac Dei amicus nõ potest, multo minus diuitię poterũt.

BASILII. *Qui confidunt in uirtute sua.* Sermo prophetę ad personas duas intendit, ad terrigenas scilicet, & diuites: ad illos enim loquitur, ut eorum existimationem propter potentiam euertat, ad hos uero, ut eorum superbiam propter affluentiam diuitiarum, deprimat. Vos (ait) qui in potentia uestra confiditis (hi siquidem terrigenę sunt, qui spem ponunt in uiribus corporis, humanam naturam idoneam, & aptam putant, ad ea, quæ uolunt potenter efficienda.) Et uos (iuquit) qui in diuitiarum incertitudine confiditis, audite. Redemptionis pretio uobis opus est, ut in libertatem restituamini, qua Diaboli uiolentia spoliati, deuicti estis, ille uos sibi subditos tenens, non prius ab oppressionis suæ tyrrannide uos demittet, quàm condigno aliquo redemptionis pretio persuasus uos uoluerit permutare. Oportet uerò pretium redemptionis non esse par, eiusdemque generis, cum iis, qui captiui detinentur, sed mensura multò præstantius, si spontè debet, quos captiuos tenet, & seruitute demittere, idcirco frater uos redimere nequaquam potest. quoniam nullus est qui Diabolo persuadere posit, ut quem semel sibi subiectum fecerit, eum à potestatis suæ iugo dimittat. Qui sanè frater neq; prò peccatis propriis placationem Deo dare potest. Quomodo igitur hoc prò alio præstare poterit? Quid etiam tam pretiosum in hoc seculo sibi comparauit, ut idoneam, & parem prò anima permutationem faciat, quæ natura pretiosa est, utpotè facta ad imaginem conditoris? Qualis autem labor huius seculi satis est animæ ad uiaticum in futurum comparandum? Hoc igitur modo, quàm simplicissimè hoc intelligimus etiam si quis in hac uita plurimum se posse credat, etiam si ingentibus diuitiis cumulatus sit, hanc persuasionem deponere illum docet, & humiliari se sub potenti manu Dei, & neque in ea, quæ putatur sapientia, confidere: neque ob diuitiarum multitudinem gloriari.

THEODORETI. Ego quidem horresco, & contremisco expectatum diem, uos uerò, qui diuitiis abundatis nihil de die illa curatis, & uos, qui ob diuitiarum fastum, in fluxis, & caducis rebus tanquàm si firmæ, ae duraturæ essent, spes uestras omnes collocatis. Scitote quod nec maiorum, nec fratrum pietas, & uirtus his, qui pietate, & uirtute destituti sunt, quicquam prodesse poterit: nec post hanc uitam salus auro comparabitur: Nam pretium redemptionis in hac uita, (ut inquit sapiens) propriæ diuitię sunt. Cum hoc consilium his attulisset, qui opi- Prou.13. bus abutuntur, ad eos qui uirtutem exercent, sermonem uertit, & inquit: *Et laborabit in æternum.*

BASILII.

Basilii. Possumus ēt aliquantò altius sententiā efferre: Et confidentes de potentia sua, & de diuitiarum affluentia gloriantes intelligere aię uires, & facultates, tanquā neq; ipsę per se idoneæ, & potentes sint ad salutem: Etenim utcunque perfectus sit aliquis inter homines, si diuina abfuerit sapientia, nullius erit existimationis, & nihili reputabitur, siue quis ex mundana sapientia speculationū copiā sibi cōparauerit, & quasi diuitias quasdā, & opes cognitionis collegerit, audiat totius negotii ueritatē, quod aīa humana oīs malo seruitutis iugo cōis oīum hostis, succūbit, & libertate olim à cōditore accepta per peccatū priuata, captiua ducitur, omni uerò captiuo pretio redēptionis opus est. Neq; igitur frater, fratrē suū redimere pōt, neq; se ipsum quilibet. Siquidē longè prętātior oportet, ut sit redēptor, quā qui in seruitute detinetur. Sed nec oīno facultatē homo habet ad Deū, ut ipsū possit de peccato placare, quoniā ipse quoq; peccato obnoxius est: nā oēs peccauerunt, & egēt gloria Dei, & gratis per gratiā ipsius iustificantur per redēptionē, quæ est in Christo Iesv Domino nostro: [Rom. 3.] nō dabit igitur Deo placationē suā, & pretiū redēptionis aīæ suę: nō est igitur qđ à te fratrē redimendū quęras, sed eū qui natura tua longè pręstat: neq; nudū hominē, sed hominē Deū Iesvm Christū, qui ēt placationē Deo prò nobis omnibus dare pōt. Quoniā Deus ipsū proposuit propitiatorē per fidem in ipsius sanguine. Erat quidē Moses frater Israel eū tamen redimere nō potuit. Quomodo igitur uulgaris hō liberabit? Quare enunciando profertur illud, *Frater non redimet*, interrogando uerò illud. *Redimet homo?* cū grauitate infert. Non.n. Moses populū à peccato liberauit, sed indignationē Dei propter peccatū, orando auertit. Is uerò cū in peccato esset, dare pro se placationē Deo non potuit: quia post tot, ac tanta prodigia, & signa, quæ uiderat, uocē illā dissensionis emisit. Audite me inobediētes, nū ex hac petra uobis aquā educemus? [Ezech. 33.] Quapropter ēt Dominus propter hoc uerbū dixit Mosi, & Aaron. Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me corā filiis Israel, propterea nō introducetis congregationē hanc in terrā, quā dedi ipsi: Non dabit igitur Deo placationē suā. Quid.n. tā magnū pōt homo reperire, ut det pro redēptione aię suæ. Attamen unū prę oībus dignū, quod datū est in pretiū redēptionis animarū nostrarū: nimirū sanctus, ac preciosissimus sanguis Domini nostri Iesv Christi, quē ille pro nobis omnibus effudit. Quapropter factū est ēt ut magno pretio empti simus. Si igitur frater non redimet, redimet homo? [1. Cor. 6.] Si ergò homo redimere nos non pōt, qui nos redemit, non est homo. Ne igitur propterea qđ in similitudinē carnis peccati accessit, hominē solū putes Dominū nostrū Dei potētię ignorans, qui nō habuit opus ut daret Deo placationē suā, neq; animā propriā redimere, [Isa. 35.] quoniā peccatū non fecit, nec est inuentus dolus in ore ipsius. Nemo igitur se ipsū redimere pōt, [1. Petr. 2.] nisi ueniat, qui populi captiuitatē cōuertat, non cū preciis redēptionis, neq; cū muneribus quēadmodū in Isaia scriptū est, sed in suo sanguine: Hic aūt, cū nos eius fratres non simus, sed [Psal. 125.] hostes facti propter scelera nostra, neq; ipse homo nudus, sed Dominus post libertatē, quā nobis donat, fratres quoq; nos suos appellat. Annunciabo.n. (inquit) nomen tuū fratribus meis. Qui igitur redemit nos, si naturā eius consideres, neq; frater, neq; homo est, si uerò descensū eius, ex gratia ipsius spectes, & fratres nos uocat, & ad humanitatē se demittit: Qui non dabit Deo placationē sui, sed totius mundi: Non.n. placatione intelliget. Talis.n. nobis conueniebat pōtifex, sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & cęlis excelsior factus, cui non necesse est, ut quotidie, [Heb. 7.] (quemadmodū sacerdotes) prius prò suis delictis hostias offerre, deinde prò populi.

Hesychii. *Frater non redimet.* Quoniā nec Iacob fratrē suū liberauit: Quare, & Malachias dixit: Nonne Esau frater erat Iacob? & Iacob dilexi. [Mal. 1.] Esau autem odio habui. Sed cum frater non redimit? An quia neque se ipsum tradere pro suis proximis sustinet? Vnde fratre non redimente redimet homo. Qualis? Christus, de quo Ieremias dicebat, & homo est, & quis agnoscet eum? ipse uerò de se dixit Dominus. [Ioan. 7.] Cur me uultis interficere, hominem, qui ueritatem loquutus sum uobis? ipse redimit, nanq; ipse animam suam pro nobis morti tradidit.

Didymi. Oēs quotquot geniti sunt mortales, consanguinei, & fratres sunt: Attamen fratrē suū peccantē nullus pōt redimere: solus nanq; homo ille redimet, de quo dictū est: Mittet illis hominē, qui saluabit eos: qui de se ipso quoq; dicit. Quęritis me interficere hoīem, qui ueritatē loquutus sū uobis, [Ioan. 7.] hic hō, quoniā nō cognouit, nec fecit peccatū, nō dabit Deo placationē sui, quæ [1. Petr. 2.] pro peccatoribus dari solet; sed nec pretiū quidē persoluet redēptionis animę suæ. Laborās, aūt & operā uirtutibus impendens uiuet in ęternū, nunquā amplius moriturus. Pōt ēt de eo, qui redimitur intelligi illud. *Nō dabit Deo placationē sui*: Nemo, n. prò se ipso redēptionē Christo dare pōt, qui oēs suo sanguine redemit. Sed nec ullus quidē pōt redēptionis pretium animę suę persoluere. Cum Christus animam suā pro cunctis pretiū dederit. Hic aūt quanquā non dabit placationē neq; pretium redemptionis animæ suæ tamen simul atque redemptus est, diuina mandata suscipiet, ut in illis elaborando, æternam uitam adeptus uiuere in æternum queat.

NICEPHORI. *Qui confidunt in potentia sua*: Subintelligendum est. Audiant. *Redimet homo*, homo alienus scilicet. *Non dabit Deo placationem suam*: nou dabit alterum Deo in redemptionẽ sui in iudicio, qui in potentia sua confidit. *Et pretium redemptionis suæ*: intelligas mihi pretium redemptionem prò libertate animæ suæ, dicit enim quod non comparabit sibi salutem, qui gloriatur iu diuitiis suis.

CHRYSOSTOMI. *Qui confidunt in uirtute sua*. Et quænam est consequutio ista dicet aliquis? Pulchra sanè, & accommodatè, rectèque cohærens, & à prioribus dependens. Quoniam enim de iudicio loquebatur, & de illa terribili reddendę factorum rationis die, deque sententia indelebili, multi uerò in nostratibus iudiciis, uenalibus iudicibus emptis ius corruperunt, & è iudicio euaserunt, sententiam illam, quæ nullo modo labefactari potest, prædicans, & quem prius dixit, timorem amplificans hæc subiunxit, ostendens se rectè dixisse, oportere unum esse timorem, eum scilicet, qui oritur ex peccato, & nullum alium. Ius enim illic pecunia corrumpi non potest, nec fas est munerum datione sese à gehenna eripere, nec salutem afferre potest defensio rethorum, nec aliud quicquam: quanuis enim sis diues, quanuis potens, quanuis alicui notus, & familiaris, hæc omnia sunt illic inutilia. *Frater non redimet, redimet homo*. Non quod nec cognatio, nec familiaritas quicquam prosit absque factis, audi quid dicat Pro-
Ezech.14. pheta, Si steterit Noe, & Iob, & Daniel, filios suos, & filias suas non liberabunt. Et quid dico in futuro, quando nec in præsenti quicquam iuuit amicitia. Quantum luxit, &
1.Reg.15. defleuit Samuel, & Saulem non eripuit? quantum precatus est Ieremias, & Iudæos nihil iu-
Ier.14.15. nit. Imò uerò dum oraret fuit reprehensus. Quid ergò? suntne superuacaneę sanctorum preces? nequaquam, sed magnas etiam uires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris.
Act.9. Ita etiam Petrus suscitauit Tabitham non solum oratione, sed etiam illius eleemosina.

Et precium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum, & uiuet in finem.

Non uidebit interitum, cum uiderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt.

Et relinquet alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula ipsorum in generatione, & generationem, uocauerunt nomina sua in terris.

THEODORETI. Nam qui prò pietate, & iustitia labores, & dolores pertulit, & prò sempiternis bonis insudauit, immortalem uitam, & beatum laborum fructum consequetur. Siquidem non erit particeps æternæ mortis, ac perpetui supplicii, cum huiusmodi sapientibus, quos stultos Apostoli sententia nominat: *Simul insipiens, & stultus peribunt*. Nã isti (ait) qui sapientes appellantur. nullam ex sapientia sua utilitatem inuenientes, eundem cum stultis, & insipientibus interitum subibunt. Sic.n. Symmachus interpretatus est. Simul fatuus, & imperitus peribunt: Et uocat fatuum illum, qui sapiens uocatur, tanquam illum, qui quod decebat, scire noluerit. Imperitum uerò illum, qui omnis sapientiæ expers est, cum malitia tamen & uitio uiuit. *Et relinquet alienis*, nou sapientia modo, sed potentia quoque, & copiis omnibus priuati uitæ finẽ accipient: à magnificis domibus ad sepulchra semper inhabitanda destinati.

BASILII. *Et laborabit in æternum*, Ipsa uita, ipsa potestas, ipsa indefessa natura fatigata
Ioan.4. est in hoc seculo, quando ex itinere lassus ad fontem sedebat, *non uidebit interitum, cum uiderit sa-*
Psal.15. *pientes morientes*, nõ permittit.n. Pater, ut sanctus uideat corruptionem, cum ii, qui deperdita sapientia gloriantur, intereant. Quod si de uiris iustis hæc dicta intelligere uolueris, memor sis Iob
Iob.5. dicentis. Homo nascitur ad laborem. & Apostoli: Abundãtius his oĩbus laboraui. Et rursus. In
1.Cor.15. laboribus abundantius. Qui igitur laboribus fatigatus est in hoc seculo, hic uiuet in finẽ. Qui ue-
2.Cor.11. rò lautè, ac delicatè degit, & pręmollitia purpurã, & byssum induit, & epulatur quotidie splendidè,
Luc.16. & laborẽ prò uirtute acquirenda recusat, neq; fatigatus est in hoc seculo, nec uiuet in futuro, sed eminus uitã uidebit, cũ in flãmis torquebitur. Qui uerò innumeris certaminibus prò uirtute insudauerit, & prò ea capiẽda in laboribus abundantius examinatus fuerit, hic est qui uiuet in finẽ: ut qui multũ in tribulationibus fatigatus fuit Lazarus, ut detritus in certaminibus Iob. Illic.n. fati-
Iob.3. gati (inquit) requieuerũt. Quapropter & Dominus fatigatos & oneratos ad requiẽ inuitat. Sed quõ
Luc.16. in operibus bonis fatigati dicũtur onerati? quia eũtes ibãt, & flebãt iaciẽtes semina sua, uenientes
Luc.11. aũt uenient cũ exultatione portãtes manipulos suos, fructibus repletos, qui illis iuxta rationẽ semi-
Psal.125. num redditi sunt. Onerati igitur dicuntur, qui propterea quod seminauerunt in benedictionibus, & metunt, & cum lætitia æterna spiritalium fructuum manipulos sibi ipsis reponunt. Qui itaque per Deum redemptus est, qui dedit se placationem prò ipso, hic fatigatus quidem est in hoc seculo, postea uerò uiuet in finem. Hic etiam non uidebit interitum, cum uiderit sapientes morientes. Qui angustam, & ærumnosam uitam placidę, & dissolutæ prætulerunt

in

in tempore uisitationis Dei, cum ad æterna supplicia adducentur illi, qui diuinis uerbis non crediderunt, sed secundum uanos cordis sui impetus ambulauerunt, hi perpetuum interitum in æternam afflictionem non uidebunt. Sapientes autem intelligit eos, qui in astutia excellunt, de quibus loquitur Ieremias dicens, quod sapientes sunt ad malefaciendum, benefacere autem nesciunt. Ier.4. Aut sapientes intelligit principum seculi huius proditorum discipulos, qui dicentes se Rom.1. esse sapientes, stulti facti sunt, quia sapientia huius mũdi stultitia est apud Deum: Et quoniã hęc 1.Cor.1. sapientia stultos facit, ideo Dominus dixit, se sapientiam sapientium perditurum, & prudentiã prudentium reprobaturum. persuasiones igitur scientiæ falsi nominis mortis causæ extitere iis, qui illas habuerunt, quam sanè mortem non uidebit, qui redemptus est ab eo, cui placuit in stultitia prædicationis saluare credentes.

ORIGENIS. Videbimus sapientes mundi huius in futuro seculo ea uita priuatos, quæ dicit, ego sum uita: sed quinam sunt sapientes illi qui moriuntur? nisi illi, de quibus dictum est, perdam sapientiam sapientium, quibus occultauit mysteria sua Deus, quæ paruulis reuelauit, intelligit autem sapientes & malos, iuxta illud. Sapientes sunt in malo.

EVSEBII. Qui agendo hic laborat, in finem uiuet contemplando.

HESYCHII. Sapientes hoc loco intelligit, non eos, qui sunt, sed eos, qui opinione tantum sapientes habentur, qui stultitiæ, tanquàm sapientiæ student, quos cum uir iustus ob impietatis infidelitatem mori uiderit, ipse tantũ non sentit interitum: quoniam est æmulator eorum, ideo neque cum illis interibit. Math.11.

APOLINARII. Sed mortem quidem quatenus ad hoc seculum spectat, libenter feret, cum mundo mortuus fuerit, uiuet in finem, à terra tollens uitam suam, & Deo uiuens.

EVSEBII, THEODORI, CYRILLI, uel DIDYMI. Ita prætereà intelliges. Ego quidem, qui dignus habitus sum, ut diuino spiritu, afflatus oracula Dei uaticinarer, metu perculsus Dei iudicia perhorresco. Vos uerò insipientes audite, qui uoluptatibus indulgetis, qui nõ in Deo, sed in uirtute uestra confiditis, & in multitudine diuitiarũ uestrarum gloriamini, agnoscite nõ hæc in prædicta die uobis profutura, neq; uerò frater fratrẽ liberabit, nec amicus amicũ; unusquisque enim propriam mercedem accipiet, & cuiuscunque opus, quale sit ignis probabit. 1.Cor.3. Quis ergò alius homo talem liberabit? ideo dictum est, *Frater non redimit, redimet homo?* Verum non dabit quispiam redemptionem prò se ipso in illa die, neque sicuti qui se ipsum redimit pretium deponet prò anima sua. Quare diuitiæ uanæ sunt posidenti; & stulta mortalis potentia illorum, qui confidunt in ea. Si quis enim in hoc statu ac præsenti uita probè diuitiis utatur, illarum possessione prudenter utens iuxta præceptum Saluatoris dicentis, quis fidelis, & prudens dispensator, qui in tempore dabit demensum triticum conseruis suis, Math.24. spes bonas habebit, uti qui hinc sibi ad iustitiam seminarit, fructus uitæ paulò post percepturus. Prou.13. Redemptio enim uiri (ait sapiens) propriæ sunt diuitiæ. Si autem nihil horum egerit, cum ipso diuitiarũ onere naufragium passus, animæ suæ iacturam faciet, cum à discessu ab hac uita amplius diuitiis uti nequeat. Vnde in die illa, quam prædiximus, neq; ipse prò se ipso redemptionem dabit, neque in redemptione, ac libertate animæ suæ à fratre, aut à cognatis quicquam iuuabitur. At uerò qui spes suas in diuitiis non posuerint, neque in potentia gloriati fuerint, sed constanter in laboribus uitam hanc degerint, uitam ab hoc sermone promissam accipiet. prò, *Laborauit in seculum*, Symmachus, sed cum desierit (inquit) in hoc seculo uiuere, in æternum perseuerabit. Aquila uerò: Et cessauit in seculum, & uiuet in uictoriam. Quinta editio. Laborauit in seculum, & uiuet in uictoriam. Qui enim in præsenti uita prò pietate, atque iustitia multos labores perpessus fuerit ab ingenti perturbatione, ac tumultu cessans, quietam, & tranquillam uitam peraget, uitam in fine perpetuam adepturus, quisquis is est, *Non uidebit interitum, cum uiderit sapientes morientes, simul insipiens, & stultus peribunt*, tàm longè nanque ab impiis aberit, ut ne interitui quidem illorum appropinquet, sed procul, & altior erit, unde tanquàm ab edita specula sapientum interitum audiet, at quorum sapientum, nisi quorum sapientiam Deus stultam fecit?

BASILII. *Simul insipiens, & stultus peribunt.* Superius communi nomine sapientes appellauit eos, quos nunc subdiuidit in insipientes, & stultos. 1.Cor.1. Liquet autem quod sapientes illos dixit, non quia re ipsa tales sint, sed quoniam ex opinione, & existimatione appellantur. Quemadmodum Deos nominat, non eos, qui natura sunt dii: sed ex consuetudine illorum, qui decepti sunt. Sic & sapientes uocat insipientes, & stolidos. Fieri ergò potest, ut insipientem à stolido significatione distinguamus: siquidem insipiens dicitur, & sapientiæ priuatione, & qui in communibus, & humanis perspicax non est. Sic etiam consuetudo sapientes uocat eos, qui in rebus ad

Luc.16. uitam pertinentibus utilia,& noxia discernunt,iuxta quem modum in Euangeliis dictum est,q^d. filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua:non enim simpliciter prudentiores sunt, sed quatenus ad hanc uitam pertinet. Hi quoquè uillici iniquitatis appellautur,propter prudentiam uillicationis circa uitæ commoda,& iuxta hoc significatum prudentes dicun- Matth. 10. tur serpentes,qui sibi lustra parantes, & si quid imminet periculi capitis ictus uitantes. Stolidus: uerò seu demens dicitur, qui non habet, quæ sunt hominis præcipua. Hæc autem sunt Dei cognitio & assumptio uerbi,quod erat in principio apud Deum,& è Sancto Spiritu accedens illu- Ioan.1. minatio:Hanc autem mentem habent,qui cum Paulo possunt dicere. Nos autem sensum Chri- 1.Cor.2. sti habemus. Hæ tamen uoces in scriptura promiscuæ haberi solent.dum impium uocat insipiē- Psal.16. tem,ut ibi:Dixit insipiens in corde suo non est Deus, & id quoquè quod circa uitam nocuum est,stultum nominat.uelut dicet Paulus de iis,qui in uanas concupiscentias,stultas,& nocentes incidunt. Hic uerò insipiens,& stultus ad unum communem finem ipsum intentum deferuntur. potest etiam dici quod insipiens hic intelligitur, qui gentilium more uiuit,stultus uerò, qui Iudaice iuxta nudam legis obseruationem uiuit. Huic autem insipienti dixit Deus propter inhabitantem in eo impietatem. Stulte,ac insipiens in hac nocte animam tuam auferent,stultus autem iuxta carnem Israel dictus est,dicente propheta & erat Effraim tanquàm columba stultus in Luc.12. Osee.8. AEgyptum uocabatur,& ad Assyrios proficiscebatur. His igitur communiter propria ignorantia contritis alieni nos eorum diuitiarum hæredes euadimus: nostra enim sunt mandata: nostri Patriarchæ,& qui ab æterno iusti fuerunt,hi nobis diuitias suas reliquerunt,qui in insipientia sua perierunt.

HESYCHII. Hæc omnibus accidunt,qui in insipientia,& dementia diuitias congerunt: alienis enim quos nesciunt,facultates comparant. Quoniam licet filii,aut cognati hæreditatē obeant,hi tamen post obitum suum alieni deprehenduntur,cum nemo proximis suis quicquam impertiri possit. Insipientem uerò uocat eum,qui mediocriter à ratione declinat: stultum uerò qui integrum rationis organum labefactatum habet.

DIDYMI. *Simul insipiēs,& stultus peribunt.* Stultum seu amentem non omnino mentis expertem,sed prauæ mentis,ac mali animi,hominem uocat,Etenim qui non aptam uocem habent ἄφωνον, & eum,qui turpi facie est ἀπρόσωπον,& qui malefica arte præditus est, ἄτεχνος dicere consueuimus. Qui ergò malæ mentis,& sensus praui sunt pœnas pariter dabunt. Ipsorum idem est interitus,quod diuitias suas malè cumulatas relinquent alienis:nam diuitis,qui ista loquitur,insipientis,& stulti nullus est proprius hæres:Hinc insipiens,& stultus ignorantes, quinam essent,existimarunt animam suam brutorum more interituram, dicunt enim edamus, & biba- 1.Cor.15. mus,cras enim moriemur. Hi corpora in quibus sunt sepulchra esse opinantur, & domos corū in seculum seculi, resurrectionem mortuorum non expectantes, spe sua in hac uita miserabiliter collocata:quin & tabernacula sua in omnem progeniem,& progeniem esse monumenta putauerunt: Forrassè uerò cum nihil uita dignum præstent,sed mortui ob ea,quæ peccant,in sepulchrum coniecti,putant sepulchrum esse suam perpetuam domum.

ORIGENIS. Sepulchrum mentis est anima impura, animæ uerò sepulchrum corpus est.

BASILII. *Et sepulchra eorum domus in æternum*, Horum uerò domus insipientis,& amentis sepulchra sunt in æternum,nam quorum uita operibus mortuis omni peccato repleta est, horum domus sepulchra sunt in æternum: qui enim moritur per peccatum,non domum, sed animæ suæ mortuæ sepulchrum habitat. Domum uerò habitat moribus minimè dolosis præditus Iacob,de quo scriptum est,quod erat homo sincerus,ac bonus habitans domum. Sepulchrū Gen.25. uerò habitat prorsus malus qui neque pœnitentiæ fundamentum iecit ab operibus mortuis,sed Matth.23. similis est sepulchro dealbato,quod foris quidem conspicuum est,intus enim plenum est ossibus mortuorum,& omni immunditia. quapropter dum is loquitur,non os aperit uerbo Dei, Psal.5.& 13. sed guttur suum habet sepulchrum patens, si quis autem in Christum credens, non autem exprimit consequentes actiones ad fidem:hic propterea quod prauis dogmatibus intentus est, & scripturæ sententiam obiter suscepit, sepulchrum in petra sibi incidit. *Tabernacula ipsorum in generatione,& generationem*,Hoc est sepulchra sunt domus ipsorum in æternum. Deinde interpretatus quæ sepulchra esse intelligat,ut ostendat,quod de corporibus loquitur,in quibus animæ per uitium mortuæ inhabitant,apposuit ipsis:*Tabernacula ipsorum in generatione,& generationem*,Nam de more diuinæ scripturæ,corpora semper uocantur tabernacula, Hi uerò etiam *nomina sua uocant in terris*,namque impii nomen non scribitur in libro uiuentium,neque censetur in Ecclesia primogenitorum,qui numerantur in cœlis, sed in terra permanent nomina ipso

rum

rum propterea quod temporariam, & fluxam hanc uitam æternis tabernaculis prætulerunt. Nõ ne etiam uides qui fora, & Gymnasia in urbibus ædificant & mœnia condunt, & aquæ ductus construunt, quomodo ipsorum nomina ædificiis illis inscripta sunt? Iam uerò nonnulli quoquè equorum armentis sua nomina inurentes excogitauerunt, quomodo in longum uitæ tempus ipsorum memoria protenderetur. sed & in sepulchris magnificentia sua ostensa, nomina sua ipsis monumentis cœlarunt. Hi sunt, qui terrena curantes, & gloriam in hac uita satis magnam fœlicitatem sibi comparasse putant, si apud homines eorum memoria superstes fuerit. sed & si uideris aliquem ob falsi nominis scientiam magnopere se iactantem, & ex eorum numero, qui se peruersis dogmatibus addicunt, & pro nomine Christianorum ab aliquo hæresiarcha sibi nomina indunt, nimirum Marcione, aut Valentino, aut aliquo eorum, qui nunc dominatur, scias, quod etiam ii nomina sua in terris uocauerunt, morituris hominibus, planè terrenis se addicentes.

THEODORETI. *Vocauerunt nomina sua in terris.* Atqui ab eorum (inquit) nominibus, quæ ab ipsis possidentur nomen accipient. Illius enim est domus, huius ager, alterius seruus. At cum Domino ipso nomine quoquè mutabuntur; nam quemadmodum res ab illis relictæ ad nouos dominos transeunt, sic quoquè nomina ipsa immutantur, & à nouis possessoribus nomina imponuntur. Prorsus docent nos uerba ista, ne spes nostras in rebus præsentibus collocemus, sed omnino futurorum curam habeamus.

HESYCHII. Hoc diuitum ac potentum proprium est, ut sua rebus à se possessis nomina imponant.

ORIGENIS. Non à uirtutibus cognominabuntur, sed à propriis rebus suis, non enim iusti, temperati dicentur, sed aut rethores, aut grammatici, aut philosophi, aut tribuni, aut comites.

DIDYMI. Isti uocauerunt nomina sua in terris, namque Apostolorum nomina, qui prudenter se gesserunt, & sapientes fuerunt, scripta sunt in cœlis: hi uerò de quibus est sermo proprias appellationes & nomina propriis terris indiderunt, per ea, quæ egerunt, terris inscripti: nã decedentes ab hac uita in terra scribentur. Luc. 10.

EVSEBII. Ita quoquè intelliges, sapientes seculi huius plus nihil habebunt insipientibus, & amentibus: quoniam sapientiam uenditantes imprudentia pleni erant, & à stultis nihil distabunt: Nec minus Idololatræ, & qui turpiter uitam agunt, quotquot itidem immania, horrenda & impia cogitant, relinquent alienis diuitias suas, tum ex disciplinis, & literis comparatas, nullum enim ex ipsis in die iudicii lucrum inuenient: Vnum tantum illis aderit: quid isthuc est? Sepulchra domus illorum fient: quoniam in cœlo diuitias sibi non collegerunt, neque commeatum sibi æternæ uitæ compararunt: nam quæcunque aliquis in præsenti uita adeptus fuerit, in substantia uitæ, ac diuitiis multis, uel sermonibus, ac literis, hæc omnia tempore mortis ab ipso aliena erunt. Vacua enim & nuda impiorum anima ad supplicium rapietur, nihil aliud post se præter sepulchrum suum trahens, id est corpus, & interitum, in quo tanquàm in sepulchro tumulata est. Vel sic. Nihil aliud ex externis diuitiis habebit homo, nisi sepulchri locum, in quo uita functus iacebit putridũ cadauer. Tabernacula uerò eorum, in quibus uiuentes adhuc habitabãt, ad alienos uenient, & distribuentur in progenie, & progeniem. Rectè dixit, *pretium redemptionis animæ suæ non dabit*, pretium enim animæ non est ne uniuersus quidem mundus, & ideò dicebat, quid prodest homini si uniuersum mundum lucretur, animæ autẽ suæ detrimentum faciat? Math. 26. *Et laborabit in æternum*, quoniam enim dixit de diuitibus, quoniam dixit de potentibus, & ostendit ex iis nihil lucri fieri, dixit deinceps de iis, qui uixerunt in uirtute, de iis, qui uixerunt in laboribus, & afflictionibus, ungens, & exercens athletas philosophiæ. Sed cõsidera fructum, quod homo sit immortalis, quod uita immortalis excipit uita, quæ finem non habet, considera ergò quanto sit melius, cũ hic parum laboraueris, requirere uitã cõsequi sempiternam, quã cum hic tibi paululum indulseris, perpetuò cruciari. Deinde ostendens, non illic solum esse præmia, & coronas, sed etiam hic quoquè esse principia præmiorum, subiunxit, *Non uidebit interitum cum uiderit sapientes morientes*, Ne mihi dicas futura duntaxat, do tibi etiam hic coronarum pignora, imò uerò arram ipsam & premia. quomodo, & quanam ratione? quoniam qui philosophatur, & spe futurorum erigitur, ne mortem quidem mortem esse putabit: Sed uidens mortuum iacentem ante oculos, non ita ut uulgus afficietur, apud se reputans coronas, præmia bona ineffabilia, quæ neque oculus uidit, neque auris audiuit. *Simul insipiens & stultus peribunt*, Vidisti quomodo nõ ex futuris modò, sed ex his modò, quæ hic eneniunt, à uitio abduci, & ab auaritia, & ad uirtutẽ adducit, in pecuniis congerẽdis insaniam coercens, & eos, qui præsentibus inhiant, eaque admirantur,

rantur, stultos uocans, & id ex rebus ipsis ostendit. Quid est enim (dic quæso) stultius homine, qui laborat, & excruciatur, & tātas opes congregat, ut ex eius laboribus alii se uoluptate expleant? *Et sepulchra eorum domus in æternum*, Hoc dicit secundum eorum existimationem. *Tabernacula eorum in generatione, & generatione*, quid hac amentia possit esse deterius, quàm, inquam putare, sepulchra esse domum perpetuam, quam in iis gloriam ambitiose persequi? Multi quidem sæpe sepulchra domibus splendidiora construxerunt, qui uel hostibus laborant, & affliguntur, uel uermibus, ac cineri hæc inprudenter consumunt. Talis est eorum mens, ac sententia, qui de futuris nihil sperant. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, Ecce aliud genus amentiæ, ædificiis, agris, balneisque sua nomina inscribere, & putare se magnam consolationem accipere, & umbram prò rei ueritate persequi.

NICEPHORI. *Et laborabit in æternum*, qui in hoc seculo non laborauerit propter Deū, nec futuram uitam consequetur. *Non uidebit interitum*, interitum intelligit animæ iacturam, & æterna supplicia, quæ non sentiet, qui prò Deo labores sumpserit, cum uiderit mundi sapientes hoc est inutiles, & malos, mortem quæ in Geenna erit, subiisse. *Simul insipiens & stultus*, Eum, qui opinione sapiens est, diuidit in insipientem, & amentem: Insipiens autem est, qui Deum nō nouit: Amens uerò, qui Deum quidem nouit, sed terrenis rebus affixus à cœlestibus animum auocauit. Hi simul à saluandorum hæreditate cadent, *Et sepulchra eorum*, domus, & habitationes eorum erunt usque ad consummationem: sepulchra ipsorum, & magnificas ædes, quas illi extruxere, alii possidebunt: illis interim sepulchra domorum uices præbebunt *uocauerunt nomina sua*: Denominationes ciuitatum, regionum, & agrorum à suis nominibus indiderunt.

Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est pecoribus insipientibus.
Hæc uia illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebant. DIAPSALMA.

EVSEBII. Aptissime subiunxit hæc ad superiora, si enim homo honorem suum intellexisset, in Dei paradiso permansisset, nec sepulchrum sibi prò domo parasset, nec à Deo audiuisset terra es, & in terram reuerteris: Et si honorem suum intellexisset, nimirum ad imaginem, & similitudinem Dei se factum, non collatus esset cum pecoribus insipientibus, & si honorem suum cognouisset, se dignum esse factum benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, nunquam terrena nomine suo nuncupassent. quo uerò modo iumentis comparatus sit, & similis illis factus, deinceps notum facit, dicens, *Hæc uia illorum scandalum ipsis.*

Gen.3.

Eph.1.

Matth.7. ATHANASII. Viam, uitam, & tempus uitæ consueuit sermo appellare, iuxta quam ambulat homo, siue arctam, & angustam, quæ ducit ad uitam, siue latum, & spaciosam, quæ abducit ad interitum: His igitur, qui honorem suum non intelligunt, sed iumentis similes sunt, uita ipsa, & tempus uitæ offendiculum, & impedimentum salutis fuit. Siquidem ipsi sibi asperam, & auersam à salute uiam suam fecerunt: & nunc quidem quamdiu illa utuntur offendicula, & impactiones eius non sentiunt, postea uerò in ore suo complacebunt: hoc est pœnitentia ducti, confitebuntur in quibus rebus tanquam iumenta facti, uel ut equi libidine furentes, uel brutorum, aliorum impetus imitantes, huiusmodi uia usi fuerint. Cæterum iuxta Symmachum: Hæc uia illorum dementiæ ipsis, posteri uerò illorum sermonem probabunt: non enim primis sat fuit uti dementiæ uia, nisi etiam perniciosum posteris exemplum facti simile ad sui imitationem studium illis relinquerent, ut & posteri ipsi in morum suorum uia sibi placerent, & illos imitatione sequerentur.

BASILII. Magna res est homo, & preciosa uir misericors in naturali sui conditione dignitatem habens, nam quid aliud interris factum est ad imaginem conditoris? cui principatus in omnes, & potestas terrestrium, aquatilium, & aereorum animalium donata est? Paulò infra Angelorum dignitatem propter corporis compactionem descendit. Hominem quidem fecit de terra, & ministros suos flammam ignis) attamen uis intelligendi, & cognoscendi conditorem, & opificem suum hominibus insita est: insufflauit enim (inquit) in faciem, hoc est propriæ gratiæ partem aliquam immisit, ut per simile simile cognosceret. & tamen cum in tanto honore esset homo, ex eo, quod creatus esset ad imaginem conditoris, super cœlum, super Solem, super stellarum choreas honoratus. Quod enim est ex cœlestibus quod imago Dei altissimi dictum sit? qualem imaginem conditoris seruat Sol? quid Luna, quid reliqua sydera? inanimata quidē, & ex materia, & perspicua corpora tantum habent, in quibus nusquam mens, non uoluntarii motus, non liberum arbitrium, sed subiecta sunt incumbenti necessitati, quæ coacta immutabili

Gen.1.
Gen.2.
Heb.1.

cursu

cursu circa eadem uersantur.)eum inquam in tanto honore,& super omnia prælatus,non intellexit, sed relicto eo, quem sequi oportebat, Deo, & cui similem eum esse conditori oportebat carnis affectionum seruus factus,comparatus est iumentis insipientibus,& similis factus est illis. Interim tanquàm equus in fœminas furens uxori proximi sui adhinniens,interim tanquàm lupus rapax alienis insidias struens,aliàs propter dolum in fratrem uulpis uersutiæ similis factus. Excessus uerò amentiæ est,ut re uera brutæ absurditatis,neque primam conditionem intelligere eum, qui creatus est ad imaginem conditoris, neque tot, ac tanta prò ipso facta mysteria considerare uelle,& ex illis saltem suam dignitatem cognoscere, sed oblitum esse, quod abiecta imagine cœlestis assumpsit imaginem terrestris,& ut ne permaneret in peccato, propter ipsum 1.Cor.15.
uerbum caro factum est, & habitauit in nobis,& usquè adeò se ipsum deiecit, ut sit factus obediens,usque ad mortem,mortem autem crucis. Si tuæ primæ conditionis immemor es, saltem prò soluto prò te pretio aliquam sume dignitatis tuæ cognitionem:respice ad pretium quo commutatus es, & etiam noscito dignitatem, precioso Christi sanguine emptus es, nec fias seruus peccati,intellige dignitatem tuam, ne brutis pecoribus similis fias. *Hæc uia ipsorum scandalum ipsis*, qui res nostras gubernat Deus,nobis malitiosè ambulantibus impedimento est,& offendicula supponit,ut ab efferà uita discedentes postea in ore nostro complaceamus,cum corde quidem crediderimus ad iustitiam, ore uerò confessi fuerimus ad salutem: persequebatur Paulus: depopulabatur Ecclesiam Christi;perfecit cursum suum ad malitiam,postea in ore suo complacuit,prædicans in Synagogis quod hic est Christus. Ioan.1. Phil.2. Rom.10. 1.Cor.15.

G R E G O R I I, C Y R I L L I. Alia scriptura fertur,quæ dicit.Postea benedicent in ore suo, hoc est se ipsos execrabuntur pœnitentia ducti,in quibus talia perpetrarunt,nam in die illa peribunt omnes cogitationes eorum.

T H E O D O R E T I. Planè huius insipientiæ causam esse dicit, propterea quod nos proprium honorem, ac dignitatem ab omnium conditore Deo nobis collatam intelligere nolumus sed pecudum,& iumentorum uitam amplexi sumus,*Hæc uia ipsorum scandalum ipsis*, in temeritatem ab omni ratione penitus alienam inciderūt,cum initio se prauis moribus dederunt,cumq; in nefarias actiones inclinauerint.Viam enim actionē nuncupauit.Pœnitentia uerò post decessū ducentur,sed nihil inde lucri percipient. Psal.145.

A P O L I N A R I I. Atqui mortis supplicium,quod alia quoque excepere mala, ex ignominia contigit,quoniam cum augmento ad immortalitatem honoratus esset,minimè intellexit,pluris faciens naturę,quam honoris bonum:unde à similitudine Dei,quæ est immortalitas,de lapsus iumentis per mortem comparatur,sicut enim mors huius,ita mors illius,ait Ecclesiastes, & spiritus omnibus, & quid homo iumento præstat? nihil,quoniam omnia uanitas,omnia in locum unum,& omnia ex puluere facta sunt,& in puluerem omnia conuertentur. Eccl.3.

C Y R I L L I. *Complacebunt*,prò assentient,& laudabunt positum est:quando igitur(ait) nos qui sanctam & immaculatam uitam diligimus,tristitia super eos affecti,qui non ita uiuere consueuerunt,dicimus. Homo cum in honore esset,non intellexit,comparatus est iumentis insipientibus,& similis factus est illis:tunc etiam ipsi,quamquam modo in hac uita, fateri non patiūtur,sermones nostros approbabunt,nam quod ueri sunt,ex euentis rerum præteritarum,quæ illis contigerunt persuasi ueros illos esse affirmabunt.

C H R Y S O S T O M I. *Et homo cum in honore esset*, Hic mihi uidetur deinceps propheta deplorare quod animal rationis particeps cui regnum in terris traditum fuit,eò declinauerit, ut esset non minus uile & abiectum quàm bruta, dum in uania rebus laborat, & contraria saluti suæ persequitur, inanem gloriam affectat, auaritia detinetur, in rebus inutilibus se exercet. *Hæc uia illorum scandalum ipsis*, quænam est autem hæc uia? Studium quod in huiusmodi res confertur, uanus labor,insana pecuniarum cupiditas,insatiabilis gloriæ ebrietas, & ante futurum(inquit)supplicium,hic sit eis scandalum & impedimentum. Nō paruū offendiculumnō,paruū impedimentum,non paruum obstaculū hæc uia est ad uirtutis exercitium ideò dicit.*Hæc uia illorum scandalum ipsis*,Rectè autem dicit hanc uiā esse ipsis scandalum, sibi ipsis uincula iniiciunt,se ipsos impediunt, *Et postea in ore suo complacebunt*. Hoc, quod ait, grauissimum est, & causa malorum omnium.Nam qui peccant in his,& delinquunt,adeoque desipiunt,se ipsos fœlices ac beatos esse ducunt, & admirantur,& iis,quæ fiunt, oblectantur, nitium autem quod laudatur ab iis, qui eo laborant, considera quantam facit accessionem malę uoluntatis.

N I C E P H O R I. *Et homo cum in honore esset*.in honore imaginis Dei, non intellexit, nec cognouit,sed uolens ignorauit,& collocatus est cum iumentis,*Hæc uia illorum scandalum*, Hec (inquit)

(inquit) similitudo qua pecorum, & brutorum impetus, & mores referunt, magno illis impedimento est ad profectum uirtutis. *Et postea in ore suo complacebunt.* Et postquam peruerse agendo similes facti sunt pecoribus, illud etiam mali addiderunt, ut ore proprio de commissis à se delictis glorientur: hoc est se benefecisse dicent, & laudabunt malum.

Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos, & dominabuntur eorum recti in matutino. Et auxilium eorum ueterascent in inferno: à gloria sua expulsi sunt.

ATHANASII. Quoniam sub optimo pastore esse noluerunt, sed proprium honorem abiecerunt, tanquàm pecudes corpore corrupti sunt, & oues inferni facti sunt, ut infernus eos depascat, & in pascua sua abducat, hos quidem in ignem æternum, illos uerò ubi est fletus, & stri-
Matth. 8. dor dentium, & alios in tenebras exteriores.

BASILII. At uerò feros, & stolidis pecoribus comparatos tanquàm oues, neque intellectum habentes, neque uires ad repugnandum raptor ipse hostis in captiuitatem abripiens in
Rom. 5. suos carceres coniecit, & morti pascendos tradidit. Regnauit enim mors ab Adam, usq; ad Mosis rempublicam, donec uenit uerus pastor, qui animam suam posuit prò ouibus, & ipsas secum excitatas, & ex inferni custodia ad resurrectionis matutinum eductas, rectis, & iustis consignauit, hoc est sanctis Angelis suis, ut ipsas pascerent. *Et dominabuntur eorum recti in matutino.* Nam singulis credentibus coniugatus est Angelus dignus, qui uideat Patrem, qui est in cœlis. Hi igitur recti dominabuntur ipsis, ex durissima seruitute liberatis, & dominabuntur ipsi in matutino constitutis, hoc est lucis exortum subtergressis. Tu uerò interim perpendo omnem scripturæ seriem. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus,* qui ex conditione habet dignitatem, & propter inhabitans in ipso peccatum, non cognoscit se ipsum, hic iumentis similis factus est: Hunc præterea quoniam se à Dei uerbo alienabit, brutum factum uelut ouem pastore carentem, hostis corripuit, in inferno posuit, morti pascendum
Psal. 22. tradidit. quapropter illinc liberatus, & à maligno pastore redemptus dicit. Dominus regit me, nihil mihi deexit, & non amplius mors, sed uita: non amplius casus sed resurrectio, non amplius nugæ, sed ueritas, *Et auxilium ipsorum ueterascet in inferno,* Aut de morte hoc intelligit, quæ omni suo conatu eos quos depascit defendere non poterit, propter eum, qui ipsam destruxit, & qui mortis habet imperium, quorum omnium uetus, & infirmum auxilium est, & tunc auxilium hominum declarabitur, & redarguetur, hominum inquam qui mente decepta, & hallucinante, ob diuitias, & gloriam, & potentiam se extollunt. *in inferno ueterascet,* nimirum dum eorum debilitas deprehendetur: Num uerò auxilium iustorum, qui à Domino liberati sunt, usque ad infernum extendetur? nondum enim promissiones acceperant, cum Deus de nobis melius prospexisset, ne qui nos antecessissent, citra nos initiarentur.

TEODORETI. Hoc apertè magis exposuit Symmachus: Sicut oues inferorum constituerunt se ipsos: mors reget eos. quandoquidem ipsi met supplicia sibi asciuerunt, & mortem
Luc. 16. uita prætulerunt: At qui modò ab ipsis iniuriis impetuntur, & despiciuntur, paulò post in eos potestatem habebunt: nam illi pristina omni felicitate priuati morti tradentur. Cum his autē conuenit Saluatoris parabola, qui Lazarum in sinu Abrahæ recumbentem, & diuitem superbum diris cruciatibus affectum, & pauperi supplicem ostendit. Ita cum illorum finem percurrisset, petit, à Deo, ne similem exitum faciat.

EVSEBII. Cum narrasset, quæ ante abitum aliis euenire solent, mox quæ illi apud inferos passuri sunt, exponit. Erunt enim mortis pecudes, & ab ipsa depascentur. Iuxta Symmachum: sicut oues inferni constituerunt se ipsos: mors reget eos: Siquidem sub optimo pastore regi noluerunt, & propterea oues mortis facti sunt. Prò eo autem; *Et auxilium eorum ueterascet in inferno,* Aquila, hoc modo uertit: Et character eorum conterat infernum ex domicilio eorum: nam character eorum, quem in se efformarunt characterem illum deleuit, qui ad imaginem Dei factus erat: Figuras, uerò ac formas brutorum, ac reptilium per nequitiæ mores animæ imprimentes, in inferni domicilio conterentur Sed iuxta Symmachum dictum est. Fortitudo autem eorum olim tanquàm infernus ab honorata domo eorum: nam quicquid in ipsis roboris habere uisi sunt, ob inditam illis malitiam ad uetustatem rediget infernus in domibus, quæ in eo insunt. Atque hic est finis impiorum, At pii tunc temporis manè, ac noui luminis exortu dignati impiis dominabuntur, uel secundum Aquilam, obtinebunt, uel ut Symmachus subiicient eos: Nunc enim supra pios, & rectè uiuentes impii extolluntur. Tunc autem pii, & recti illis dominabuntur. Et me tunc temporis hæc dicente: Deus liberabit animam meam, ne simul cum impiis abripiatur, & in aliis pascuis, cum aliis gregibus me collocabit.

CYRILI. Per mortem depascentem mortis cruciatus intelligit, abiecto enim prorsus robore

bore & gloria illis inhærenti, cum manè aduenerit, hoc est cum tempus gloriæ Christi sanctis illuxerit, illis quomodo subiicientur. Descendet enim Christus cum sanctis Angelis cum gloria Patris, eius quidem sanctis parata præmia redditurus, peccatores uerò tormentis, & cruciatibus subditurus. Tum auxilium eorum ueterascet, hoc est delebitur: quod enim antiquatur, & senescit, propè interitum est. Porrò à gloria, quam habebant in hoc mundo, ad ignominiam transibunt. Heb.8. Veruntamen sanctorum animæ in manus Dei current. Et hoc nobis comparauit Saluator dicens, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, & iter nobis fecit in paradisum, ipse enim primus ingressus est, latroni dicens. Hodiè mecum eris in paradiso. Luc.23. Similiter quoquè beatus Stephanus dixit: Domine IESV Christe suscipe spiritum meum: non enim amplius abeunt in infernum animæ sanctorum. Act.7.

ORIGENIS. *Mors depascet eos.* Angelos uita pascit, homines uita & mors, Dæmones tantum mors. *Et Dominabuntur eorum recti in matutino.* Erunt enim supra quinque ciuitates & supra decem recti in futuro seculo. Luc.19. Et Solomon in prouerbiis hoc ipsum dicit. Prou.28. Vir, qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.

HESYCHII. *Dominabuntur eorum recti*, Recti dicuntur, qui uiam rectã, quæ in cœlos ducit, agnoscunt: qui à regia uia non declinant neque ad dexteram, neque ad sinistram: hi sanè impiis dominabuntur. Dominabuntur autem manè, hoc est tempore resurrectionis in iudicii lumine, nam modò, plerunque iusti à peccatoribus, & fideles ab infidelibus in seruitute detinentur.

DIDYMI. Erant enim super quinque ciuitates, & decem recti in futuro seculo. Luc.19 Et Solomon in prouerbiis hoc idem dicit. Festinat ditari uir inuidus, & non nouit, quod misericors dominabitur. Prou.8.

APOLINARII. Cum futurum seculum instet, quod est manè futuri diei, regnum bonorũ erit, omni humana cessante potentia, sola diuina regnante: Quando bonorũ quidem genus illustre, & regiũ, malorũ uerò seruile, ac subiectũ erit: quoniã fortitudo, quæ diuitiis initiatur, abit, manet aũt ea, quæ ex uirtute est: & homines, qui reliqui sũt in terra probis propè Deũ regnãtibus, imperabũt.

ATHANASII. Omne (inquit) auxilium, & robur, quod ex gloria habuerint, dissoluetur: Nam illud, *ueterascet*, prò dissoluetur positum est.

CHRYSOSTOMI. Quoniam ergò hi, qui aliena rapiunt, uel qui sua temerè profundunt, & quæ in pauperes erogare oporteret, in sepulchra, uermes, & tineas consumunt, & nec eorum quidem quæ perperàm egerunt pœnitentia ulla tanguntur, & ægroti manent absque remedio ullo, audi quid deinceps fiat, quid ergò fit? Dei traduntur supplicio, & ideo subiunxit. *Sicut oues in inferno positi sunt*, Ita concidentur, ita funditus peribunt, & tàm facilè deuenient ad inferos, tã breuiter tã expeditè, tàm nullo negotio quàm oues, quę mactantur. Hoc est mors, imò uerò res est morte acerbior. Post talem enim mortem eos mors immortalis excipiet, & ideò nusquam in sinus Abrahæ, nec in ullam aliam regionem cernuntur recedere, sed in infernũ. *Et dominabuntur eorum iusti in matutino*, Cum paucis futura obscurè significasset, rursus orationem confert, ad contemptum eorum, & pœnam in uita præsenti, ostendens quam sint imbecilles, uiles, & contemnendi, & quod licet immensis affluent rerum copiis, & magna sint potentia circumsepti, ab iis tamen qui uirtutem colunt, prò seruis & mancipiis habentur, & ideò dicetur. *Et dominabuntur eorum iusti in matutino*, hoc est celeriter, continuò, & nec tempore quidem opus habebunt, nec labore, nec mora: Talis est enim rerum natura, ut uitium uirtuti seruiat, eamque formidet at pertimescat. *Et auxilium eorum ueterascet in inferno*, Hoc est erit imbecillum. Quod autem dicit est huiusmodi. Non modò hic facilè capi poterunt, nullo opem ferente, nullo manum præbente, omnibus expositi, sed etiam (quod grauius est, ne illic quidem habebunt qui defendat, & opem ferat, & manum præbeat, & eorum supplicium consoletur. *A gloria sua expulsi sunt.* Quod maximè desiderabant, propter qđ omnia faciebant, & nihil non moliebantur, ut nimirum post mortẽ magnam sibi gloriam compararent, per pecunias, per ædificia, per sepulchra, per nomina inscripta in sepulchris, Ab eo (inquit) excident, quod eos maximè urgebat dum uiuerent, & hæc scirent. Talia enim ædificia sunt mortuorum accusationes.

NICEPHORI. *Sicut oues in inferno*, cum bruta facti sint, ponet eos Deus in loco supplicii tanquàm pecudes paratas ad cœdem, & Geenna dominabitur illis. *Et Dominabuntur*, & superiores, qui uirtute præditi fuerint, ut Domini serui: licet in hoc mundo non ita fuerit *ueterascet*, hoc est prorsus fiet inutile, & delebitur, *A gloria sua expulsi sunt*, gloria inquàm diuitiarum, ædificiorum, & dignitatum expulsi in infernum abripientur.

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.
Ne timueris cum diues factus fuerit homo, aut cum multiplicata fuerit gloria domus eius.
Quia cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.
Quia anima eius in uita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cum benefeceris ei.
Introibit usque in generationem patrum suorum, usque in æternum non uidebit lumen.
Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est pecoribus insipientibus, & similis factus est illis.

EVSEBII. Cum ergò impiorum finem iam plenè didiceris, non amplius in hac uita prosperè agentes beatos nominaueris, neque te tanquàm magno aliquo bono priuatum existimes, si non fueris hoc modo diues, diligens eum, qui te à morte liberauit, & ueram cum eo uitam uiues. Impius quidem omnibus diuitiis priuatus, atque etiam ipsa falsò dicta sapientia erit sub acerbo pastore, nihil illi momentanea dignitate in mortis receptibus proficiente. Quare alibi dictum est. Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii partes uulpium erunt. Nam in imis terræ partibus est quidam mortis gladius, & partes sunt uulpium, quæ eędem sunt cum mortis mansionibus, nam quemadmodum multæ mansiones sunt apud Patrem, sic multæ partes impiorum in infernis locis. Impii autem id solum est lucrum, quod temporarias diuitias errore deceptus benedictionem existimat: nam uera benedictio spiritalis est in cœlestibus. Visus est ergò miser in his fęliciter agere, & frui præsenti uita, & à multis beatus haberi, His deinceps subinfertur. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*, Nam diues iam dictus, ut qui solam præsentem uitam nouerit, & benedictionem in his corporeis, & sensibilibus bonis positam esse putauerit, cum ei donaueris aliquid, tum tibi DEO, siue homini donanti ea, quæ iucunda., & uoluptati eius inseruientia sunt, gratias aget. Symmachus alium sensum affert, dicens. Laudabunt te, si benefeceris tibi ipsi: nam si tibi ipsi aliquid comparaueris, ac præsenti uoluptate, ac diuitiarum opulentia usus fueris, te omnes beatum prædicabunt, & tanquàm prudentem, ac benè regentem uitam tuam, nec tua ipsius bona alienis relinquentem, commendabunt. Deinde uerò sermo inquit. *Introibit usque in progenies patrum suorum, usque in æternum non uidebit lumen.* Symmachus uerò sic. Introibit usq; in progenies patrum suorum, morientur non aspicientes lumen. Qui enim hæc cogitat, & secum talia reputat, omni lumine caret, non solum ipse, sed & omnes quotquot patres illius ob morũ similitudinem appellantur. Qui.n. iam inde à principio talia meditati sunt, animis cœci oẽs fuerunt: neque in hac uita cognitionis lumine illustrati sunt; nec in futura sempiterno lumine dignabuntur, sed facientes opera tenebrarum, in tenebras exteriores detrudentur, causam ferentes quod pecudum more uixerint.

Psal.65. *Ioann.14.* *Eph.1.* *Rom.13.* *Matth.8. 22.& 25.*

APOLINARII. Non est igitur quod gloriam, & diuitias magni æstimes, & eas præsertim quæ possessorem suum minimè comitantur, qualis est iustitia, quæ simul abit, & abductos reducit.

HESYCHII. Frustrà ergò hic ob non permanentes diuitias extollitur: frustra in illis gloriatur, quarum fructu, & possesione perpetua uti nequit. Frustrà quoquè gloriæ fidit, quę cum eo usque ad inferni loca non descendit: neque quando iudicandus erit coram iudice simul astabit. Superfluum ergò est, & inutile istius gloriæ indumentum, quo nemo nudus, & egenus indui, & tegi potest, *Ne timueris*, sermonem intercipit. Quoniam personã prophetiæ iterum mutauit, ut iustum forti animo esse, neque mortalium rerum inæqualitate perturbari hortaretur. *Confitebitur tibi*, De pecatore, ac infideli hoc dicit: Confitebitur autem hoc est gratias aget: quando uerò non semper, sed, *Cum benefeceris*, cum ea, quæ optat, contuleris. Hæc uerò ingratitudo maxima est in ipso beneficentiæ tempore benefactorem commendare, postea uerò dona, & donatorem obliuioni mandare.

TEODORETI. *Veruntamen Deus redimet*, consilium affert, & admonet eos, qui inopes sunt, & à diuitum fastu conculcantur, ne præsentem fęlicitatem magnum aliquid putent, nam quæ uidentur diuitiæ stabiles non sunt; siquidem qui in hac uita supercilia contrahunt, & buccas inflant, paulò post omnibus derelictis morti tradentur. *Quia animæ eius in uita benedicitur, confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Aliqui sunt (ait) qui diuitem dum uiuit, beatum existimant, atque mortuum miserrimum uocant. Hoc apertè magis Symmmachus interpretatus est. *Laudabunt te, si benefeceris ei.* Hæ autem sunt ueræ laudes non modo uiuum, sed & mortuum celebrem esse. His autem laudibus dignus est, qui proprias diuitias ad sui utilitatem distribuit, quoniam beneficia in alios collata in beneficii authorem reuertuntur. *Introibit usque in progenies*: prò, *Introibit*,

tres

tres alii interpretes, introibis, uerterunt. Videbis (inquit) hu[illegible] meas, cum diues factus fuerit homo eandem mortem obire, quam eius m[illegible] modo præsenti, sed sempiterno lumine priuatum. Causa rerum harum brut[illegible] multi prætulerunt obliti honoris à Deo illis exhibiti: nam qui capaces rationis tatem rationis expertem sequuti sunt.

DIDYMI. Prædictus diues cum nullam aliam uitam in uita sua cognosc[illegible] suam benedici putat, & tunc tantum gratias agit, cum aliquid uoluptati, ac libidini modatum illi donatum fuerit. quamuis autem prædicta pluribus hominibus accid[illegible] tamen animam meam ex inferno suscipiet, inferuo inquam illi iam dominanti, & deuo[illegible] ti. & quoniam qui peccat, conditione quadã iam est in inferno, qui peccatorũ ipsum occu[illegible] ueniam consequitur gratias agit Deo, qui animam suam suscipit de manu inferi, *Introibit in genies patrum suorum*. Patres habuit, qui illum iniquis operibus, & prauo sensu genuerunt: ill[illegible] militer agens, suos imitatus est genitores, & usque in patrum progenies similis factus est illis, ipsum rerũ honestarũ ignorãtiæ profundũ introibit. Hic uerò cũ solam præsertim uitã probaue rit, non incumbit in id studiũ, ut lucẽ intueretur: quare dictum est illud, *u que in æternum* nõ appropinquare illi, nam tenebris exterioribus damnatus, lumen æternum intueri non permittitur.

EVSEBII. *Confitebitur tibi*, iustus quidem omni tempore benedicit Domino, peccator uerò tum per confessionem Domino benedicit, cum bonum aliquod sibi à Deo contigerit.

BASILII. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me*, Matth. 2 Apertè uaticinatur Domini ad inferos descensum, qui cũ aliis etiam ipsius animam redimet, ne illic perpetuò maneat. *Ne timeas cum diues factus fuerit homo*, Necessaria est hæc prædicatio terræ habitatoribus, terrigenis, ac filiis hominum, diuitibus æquè ac pauperibus, *Ne timeas cum diues factus fuerit homo*, Cum uideris (inquit) iniustum ditescere, iustum uerò egere, ne timeas iute, ne animo consterneris, tanquàm nusquàm sit prouidentia Dei quæ res humanas inspiciat. An sit quidem fortasse diuina inspectio, ueruntamen ad terram non pertingat non ut res nostras intueatur, nam si pertingeret, unicuique propria distribueret, uti iusti ditescerent, qui diuitiis uti sciunt: mali uerò pauperes essent, qui ad uitium diuitias tanquàm instrumentum habent. Quando igitur multi sint inter gentes, ac terrigenas, qui hæc sentiunt, & propterea quod non æquè distribui opes, ac copiæ uidentur, mundum sine prouidentia regi suspicantur, ad hos loquitur psalmus hic, ineruditum hunc impetum compescens, quos etiam initio ad audiendum dogmata sua inuitauit: aut fortasse ad solam pauperis personam seorsum se uertit, dicens, Ne timeas cum ditatus fuerit homo, namque tales in primis consolatione opus habent, ne potentiores formident: Nulla enim (inquit) est utilitas relicta diuiti morienti, cum suas secum afferre diuitias non possit. Qui tantum ex earum fructu lucratus est, ut anima ipsius in hac uita ab adulatoribus beata prædicata sit. Vbi uerò mortuus fuerit, non accipiet hæc (inquit) bona, uix indumentum capiet, quo pudenda uelet, idque tamen si ita uisum fuerit famulis, qui illum præcingent: boni quoquè consulet particulam terræ nancisci, atque eam per misericordiam ob humanæ naturæ reuerentiam à curatoribus datam, qui non ipsius gratia sed humanitatis ratione eam tribuunt. Ne sis igitur animo demisso, & paruo circa præsentia, sed expecta beatam illam, & perpetuam uitam: tunc enim uidebis, paupertatem, ignominiam, ac deliciarum inopiam iusto in eius commodum cedere, ne perturberis modò propterea, quæ bona uidentur tanquàm iniustè diuisa sint. Audies enim quod tum diuiti, Luc. 16. tum pauperi dicetur: nam illi: Accepisti bona tua, in uita tua: huic accepisti mala in uita tua, quapropter consequenter, hic gaudebit, ille tormentis cruciabitur. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, De terreno homine, & qui solum huius uitæ dignitates, opes, & potentiam bona esse putat, dicit, quod Deo gratias agit, cum beneficiis affectus fuerit: Verum in calamitatibus constitutus, execrabitur, & blasphemias omnes emittet: nam relicto paupere ad eum iam uerba facit, criminaturque diuitias, quod diues in sola opulentia gratias agit. Verum ubi quid grauius acciderit, non amplius idem permanet. Huiusmodi est illud Diaboli in exprobrando Iob. quod non frustra Dominum timeat Iob, sed diuitias pietatis mercedem habet, & reliqua: Vnde etiam ad ostendendam uiri uirtutem spoliauit ipsum Deus iis, quæ habebat, ut per omnia hominis gratitudo in Deum appareret. *Introibit usque ad generationem patrum ipsius*, Arbitror prophetam hæc dicere de peccatore, quod tan Iob. 1. tum cognoscit eum Deus, quantũ patrum ipsius consuetudini traditus est, propria uerò sapiẽdi facultate, nihil amplius acquirit, neq; addit sibi ipsi quicquã ad ueritatis agnitionẽ. Tantũ igitur

(inquit) accedis tu Deus, & tanta est in ipso de te notio, quanta in generatione patrum ipsius extitit. Et hic ingentem mentis torporem, & totos terrenos affectus, & carnis amorem in eo, qui mentem in rerum fluxarum curis suppressam tenet, quapropter usque in æternum non uidebit lumen, nam qui se cœcis doctoribus seducendos commiserint, se ipsos lucis fructu priuauerunt. Habet etiam alium sensum illud, *Introibit usque in generationem patrum ipsius*, hoc est eos, qui uitæ peruersitate, & dogmatibus, quamquam paternis, alienis tamen à pietate comprehensi sunt, non solum ipsos punis, sed etiam principes prauorum dogmatum inquiris: atque hoc est, quod dicitur, *introibis usque ad generationes patrum ipsi*, non enim solum qui praue de Deo sentit, reus est, sed etiam qui horum ad hanc pestem præceptor fuit. Tales sunt etiam qui progenitorum uitia susceperunt, & longa consuetudine inueteratas indicibiles eorum maculas contraxere. *Vsque in æternum non uidebit lumen*, Mittuntur enim in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium: & id ex iusto Dei iudicio patiuntur, quoniam in hac uita, propterea quod ma-

Matth. 8. la egerunt, lucem fugierunt. *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Miserabilis uox: homo, quid paulum ab Angelis imminutus: De quo etiam Solomon dicit: Magna res est homo, & pretiosa

Psal. 8. uir misericors, hic propterea propriam dignitatem non intellexit, sed carnis affectibus succubuit comparatus est iumentis, & similis factus est illis.

NICEPHORI. *Veruntamen Deus redimet animam meam*, prædicit, quod Deus uerbum quando humanam formam susceperit, animas ab inferno detentas liberabit. *Quoniam anima eius in in uita ipsius benedicetur*, Etenim ipse donec uixerit, beatus prædicabitur. *Confitebitur tibi*, Gratias aget tibi: sermonem ad Deum uertit. *Introibit usque in generationes*, ubi mortuus fuerit ingredietur in infima terræ usque in infernum, ubi est generatio patrum suorum. *Homo cum in honore esset*. Repetitio angustiam, & difficultatem ostendit, & miseriam deplorat humanam.

CHRYSOSTOMI. *Veruntamen Deus redimet*, postquam dixit mercedem malorum, & stipendium peccati, dicit etiam præmia bonorum: quod alii prophetæ etiam facere consueuerunt, ut ex utroque auditorem componant, & corrigant, nempe & ex pœnis peccatorum, & ex præmiis uirtutis, *Ne timueris cum diues factus fuerit homo*, Hæc cum ita se habeant, (inquit) quid times præsentia, quid te malè habet inopia? quid formidas diuitem? Audisti quæ dicta sunt de resurrectione, de bonorum hæreditate, de supplicio malorũ, quid umbras deinceps pertimescis? *Quoniam cum interierit non sumet omnia*. Subiungens causam cur non timeat, quæ sunt momentanea, uenit mors, radicem abscidit, & uniuersa coma decidit cum foliis, & domus facilè capi potest ab omnibus. *Quia anima eius in uita ipsius benedicetur*, Hoc est, hæc obseruantia, & hæc laudum allatio est ad præsentem usque uitam, unà autem cum aliis hæc quoquè dissoluitur. *Confitebitur tibi*, Vide quomodo etiam damnat eorum beneficia. Tu enim assentaris, & obseruas & ad tempus admirationem quandam simulas, ille uerò tibi quoque gratias habebit, quasi emens à te, ut sibi arrideas, & quæ grata sunt illi facias, quin & magno emens, tunc tibi (inquit) gratias aget, hoc enim sibi uult illud, *Confitebor tibi, cum benefeceris ei*. Non dixit quando feceris quod sit utile quando aliquo modo illum iuueris, aut benè egeris, sed quando quæ sunt ei cordi, & quæ ex eius animi sententia feceris, ostendens utrinque damnum adesse, & ex ficta assentatione, & ex pernicioso ministerio.

PSALMVS IPSI ASAPH.

PSALMVS XLIX.

Deus Deorum Dominus loquutus est, & uocauit terram.



EVSEBII. Duodecim numero sunt psalmi, quorum inscriptio est, *Asaph*, undecim ex iis sese ordine consequuntur, à septuagesimo secundo incipientes, à quibus præsens seiunctus est, atque hic importunè (ut aliqui opinantur) interiectus, non parum nobis dubitandi occasionem præbet, qua ratione extra seriem positus, huc coniectus sit. At ego reor illum non inutiliter hic positum esse ob similitudinem, quam cum superioribus habet. Cum enim post prophetiam filiorum Core de dilecto allatam, uaticinium quoquè de Apostolica prædicatione attulisset, & de ea, quæ illam sequuta est, gentium uocatione: Deinceps uniuersis gentibus de iudicio Dei disseruisset, cũ his propositum psalmum Asaph existimo cum ratione fuisse cõiunctum, qui pariter cum superiori de iudicio Dei disputat: & cum abrogatione eorum, quæ à Mose per legem sancita sunt, tum noui testamenti rationem cunctis gentibus traditam amplexatur. Hæc uerò ut prædictis psalmis affinia filiorum Core simul comprehensa sunt: quemadmodum rursus factum est in his, qui filiorum Core inscripti sunt, ab iis, qui libros psalmorum contexuerunt. Cũ enim & illi numero sint duodecim, octo quidem, qui iam præcesserunt, sese inuicem consequenti ordine continent; quatuor uerò, qui reliqui sunt, ab hac coniunctione separatos, post psalmos ipsi Asaph inscriptos collocarunt. Cuius rei caasam esse suspicor, quod psalmi Asaph omnes ferè tum reiectionem Israelis, tum extremam obsidionem Hierusalem, & populi eius inter omnes gentes dispersionem prophetarunt. Cum igitur post casum illorum Dei gratia ad oẽs gentes ptransisset, non immeritò reliqui psalmi filiorum Core, qui de Christi Ecclesia, & de gentium uocatione tractant, prædictos psalmos Asaph. deinceps subsequuntur. Porrò Asaph Chori cantorum magister fuit, quemadmodum nos docuit historia Paralip.

ATHANASII. Psalmum hunc canit Asaph personam afferens legislatoris uetera sacrificia Paral. 16.
abrogantis, & noui testamenti dona, quæ cum laudibus offeruntur, proferentis.

HESYCHII. *Asaph.* Hic quoquè unus è cantoribus fuit, & ut in templo psalmos caneret, accepit ab ipso Dauid. Asaph interpretantur, congregationẽ; de qua psalmus in progressu differit. Congregate (inquit) sanctos eius: quare & ab ipso argumento inscriptionis, nomen hic psalmus accepit: ipse namque Christo authori spiritum inhærentem habuit.

THEODORETI. Et hic psalmus ad mores instituendos pertinet, sed non ad omnes homines, uerum ad Iudæos tantũ tanquàm uirtutis contemptores: & ad legis sacrificia tantum omne studium suum transferentes, ut uerba legis scirent, non autem ut mandata Dei seruarent, occupatos. At illi quidem metuendum magis sermonem instituens figuratè, & iudicem iudicantem, & ipsos reos describit.

THEODORI. Asaph alius est cantorum Chori magister, ut docet historia Paralipomenõ,
Nam qui à quadragesimo psalmo usque ad præsentem explicati sunt, filiis Core à principibus Par. 16.
Chori ad canendum traditi sunt. Habent autem & psalmos alios, quibus ab ipsis sumpta est inscriptio, quos Deo duce interpretabimur. At psalmus hic, qui Asaph attribuitur, cum proximè præcedenti congruit: nam & hic futurum iudiciũ prædicit, ac Dei ac Saluatoris nostri aduentũ uaticinatur. Nouum quoquè testamentum prænunciat, ostendens cultum legis minimè Deo gratum. Superior quoque psalmus omnes homines ad doctrinam conuocauit, hic quoquè pariter omnes fines orbis terrarum accersit dicens *A solis ortu usque ad occasum.*

Deus Deorum loquutus est, & uocauit terram
A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris eius.
Deus manifestò ueniet, Deus noster, & non silebit.
Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas ualida.

THEODORETI. Clausula hæc diuersis modis ab interpretibus uersa est. Fortis Deus loquutus est, uocauit terram. At septuaginta Deos illos appellant, qui imperium

ſortiti ſunt, & quibus principatum gerere, & iudicium exercere permiſſum eſt, id quod ſolius Dei proprium eſt, illi enim principes terræ inter ſe diſſidentes obediunt. Quomodo nos quo- [Pſal.81.] què docet octuageſimus primus pſalmus, qui etiam titulo Aſaph prænotatus eſt, cum dixiſſet. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus iudicat, ſubiunxit. Quouſque iu- [Exod.22.] dicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? iudicate egeno, & pupillo, & pauperem iuſtificate. Hoc uerò ad ſacerdotes, & alios pertinet, quibus mandatum eſt, ut ius reddant. Ita quoq; lex iubet. Deos ne maledixeris, nec principi populi tui obtrectaueris, At dii proprie uocari poſſunt quicunque ad diuinā imaginem conformati ſunt, & illam abſque macula, & ſinceram ſeruant: Horum enim Deus uniuerſam terram in iudicium congregat.

ATHANASII. Sancti apud ſcripturam ſacram Dii uocantur, iuxta illud conſtitui te Deū [Pſal.81.] Pharaonis. &c. Ego dixi dii eſtis. Vocantur autem à Deo, qui loquutus eſt, quando ſumpta hu- [Matth.28.] [Matth.24.] manitate uniuerſam terram aduocauit. quid uerò loquutus eſt? Euntes docete omnes gentes: & [Marc.13.] illud. oportet prædicari hoc Euangelium in uniuerſo mundo.

[Iſa.28.] CYRILLI. Chriſtus enim eſt magna, & penetrabilis tuba clamans: nam Iſaias Propheta hoc modo de prædicationibus eius mētionē facit. Et erit in die illa, clangent tuba magna. Vocauit igitur non Iſraelē tantū p ſuū ſacrorū antiſtitem, & ædituum Moſen, ſed omnes potius ab ortu ad occaſum ſolis.

HESYCHII. Ortus iuſtos, occaſus peccatores accipias. oēs. n. ad ſalutē uocauit: huiuſmodi [Matth.11.] exhortatione uſus ad omnes. Venite omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos.

DIDYMI. Deos appellat, non ſimulachra, non Demones, ſed participes uerbi Dei: eos ſiqui- [Ioan.10.] dē uocauit Deos, ad quos ſermo Dei factus ē: Horū Deorū Dominus Deus eſt, ut regnāiū Rex ē.

EVSEBII. Aptè Dii uocari poſſūt, qui Deī ſeruāt imaginē: Horū Deus orbē uniuersū cōgregat ad iudiciū: ipſe ſanè cū Dominus ſit, hoc eſt uerbum Dei aſſumpta humanitate loquutū eſt: [Rom.10.] quod ex ſalutari Euangelio manifeſtū eſt. quam uerò terram intelligat, palā oſtendit, cū dicit: *A ſolis ortu, uſque ad occaſum*, at oēs quidem uocauit, non tamen oēs obediuerunt Euangelio. Atqui illi, qui obedinnt, promiſſa conſequuntur: His uerò qui gratiā abiiciunt, ignē cōminatur, deinceps dicens. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet*, Tum uerò illuſtrem, & gloria ornatum eius ad- [Gal.4.] uentum faciet, qui uenturus eſt de cœleſti Sion, & de Hieruſalē, quam ut agnoſceremus, Apoſto- [Heb.12.] lus nos monuit dicens. Illa aūt quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omniū noſtrum: & Acceſsiſtis ad montem Sion, & ciuitatē Dei uiuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorū millium Angelorū frequentiā, & Eccleſiam primogenitorū, qui conſcripti ſunt in cœlis. Ideircò ēt nunc dictum eſt. *Ex Sion ſpecies decoris eius*, Porrò ſpecies decoris eius glorioſa ipſius manifeſtatio eſſe poteſt, quam ſermo oſtendit, deinceps attexens. *Deus manifeſtò ueniet*, ſubiungit prę tereà quid facturus eſt? *Non ſilebit*, Etenim in primo eius aduentu cum iudicaretur ab homini- [1.Pet.2.] bus ſilebat, conuitiis laceſsitus nihil reſpondebat: alapis cœſus, ac flagellatus nō ulciſcebatur, quādò neque manifeſtā omnibus ſuam diuinitatem faciebat. Cū uerò ſecūdū uenerit. Veniet (inquit) manifeſtò, & non ſilebit. quin ēt *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas ualida*, nā ignis anteuertens regnū eius, materiē omnem cōbuſtibilē purgat, atq; cōſumit, ne ligna, uel fœnum, aut ſtipula coram ipſo appareat. Arguet aūt in iudicio, qui erunt arguendi, [1.Cor.3.] & qui laude digni fuerint cōmendabit. His quidem dicens: Venite benedicti Patris mei: pcipite paratum uobis regnum: illis uerò: ite in ignem æternū, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.

CHRYSOSTOMI. Mihi uidetur intelligere de diis gentium, non tanquàm dii ſint, ſed ut qui ita exiſtimentur ab iis, qui in errorem abducti ſunt. Cum enim craſſior eſſet Iudæorū animus, neque omninò ab Idolorum cultu ſoluti eſſent, & ſimulachra nenerarentur, & multas iniquitatis reliquias haberent, uel ex eo ipſo animos eorum & ſpiritus extollit, oſtendens illum eorum eſſe Dominum. Eſt enim ipſorum quoquè Dæmonum Dominus, loquens de ipſis ſubſtantiis, ſe prauam mentem, & uitium omne, ipſi ex ſeſe inuexerunt.

THEODORETI. *Ex Sion ſpecies decoris eius*, is eſt, qui in Sion decorem eius oſtendit, & ſa- [Pſal.44.] lutaria tormenta pertulit, qui ſpecioſus eſt forma præ filiis hominum: Ne uerò putetis ſecūdum aduentum priori ſimilem, nam in priori maieſtatem ſuam humilitate ac paupertate obtegit: nūc autem manifeſtam omnibus oſtēdet imperando, & regnando non amplius ęquitate utens, ſed iuſtè iudicans, hoc autem ſignant illud, *Non ſilebit*.

DIDYMI. *Ex Sion ſpecies decoris eius*, is eſt qui in Sion decorem ſuum manifeſtauit, quoniā ſecundū carnē ex ſemine Dauid omnibus oſtenſus eſt: nāq; hoc priorē illius aduētum oſtendit, quemadmodum illud, *manifeſtò ueniet*, poſteriorem. Ipſe enim Deorum Deus, qui uniuerſam terram, ut ſui particeps fieret, congregauit: non occultè, non latenter, ſed manifeſtò ueniet

in ſe-

in secundo eius aduentu cum Angelis suis, *non silebit*, in singulos ex cuinscunque operibus iudicium exerceus.

ATHANASII. Animaduertendum est, quod hoc dicto geminum Christi aduentum ostēdit. Primum quidem in carne, cum dicit: *Ex Sion species decoris eius*, Secundum ad iudicium, cum dicit, *Deus manifestò ueniet: ignis in conspectu eius*, namque hoc fiet non secundum priorem eius aduentum tacitè & occultè: Sed quemadmodum ait. ipse erit fulgur implens ab oriente usque ad occidentem. Matth.24. Dan.7.

THEODORETI. Hæc ipse Daniel præuidit: Fluuios.n.(inquit) ignis traxit ante se: solij eius flammã ignis, rotę ipsius ignis urens. Dan.1.

CYRILLI. Aut etiam sic interpretaberis: Moses Israel tantum uocauit, ut qui modum, & mensurã habuit dispensatoris, & ministri, cum esset gracili uoce, & impeditiore lingua. Simili modo ex prophetę dictis: Notus in Iudęa Deus, & in Israel magnum nomen eius. Sed omnium Saluator Dominus illuceus, & apparens omnes uocauit dicens, euntes, docete omnes gentes: & cum esset speciosus natura tanquàm Deus ex Deo, exinanitus est propter nos, & formam serui accipiens, non in pulchritudine formæ ostensus est. Vnde fit ut eius pulchritudinem, ac speciem aliunde ostendat, ex superiori scilicet Sion, cum sit æqualis cum Patre potestatis. Cœlestis enim est utpotè Deus, cuius pulchritudinem uidens, Paulus dicebat. Si enim & cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius cognoscimus. Cognoscitur autem ex diuino maiestatis splendore, postquam reuixit, & in cœlos ascendit. Sed quando palam uenit, quã do caro factus est. Tunc enim uideri potuit, qui suaptè natura humanis oculis non est subiectus: & tangi, qui attrectari non poterat: & propè nos effectus est, qui omnem creaturam excedit. *Veniens autem* (inquit) *non silebit*, hoc est arguet mundi peccatum, uel annunciabit Patris uoluntatem. Vocatur.n.magni consilii Angelus: Ignem uerò prò luce, tanquàm lucis originẽ appellat: præuia enim & tanquàm dux est cognitionis eius, quæ per Christum est fidei lux intelligibilis, cuius typus est Israel in nocte per columnam ignis deductus. Vel etiam hoc modo intelliges: Quoniam uos in omne peccati genus demersos, & immortuos Saluator in desideriũ, & promptitudinem cuiusque boni operis, igne, hoc est communicatione Sancti Spiritus, tanquã ardore quodam animis iniecto inflammauit. Inquit enim ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut ardeat? Spiritu nanque feruentes facti sumus, quotquot huiusmodi gratia digni facti sumus: quoniam in spiritu sancti gratia, ac dono ignis manifestatio inducitur. Nam in Christo baptizamur iuxta Ioannis uocem in spiritu sancto, & igne. De illo etiam sanctus quidam propheta alibi dixit. Subito ueniet in templum suum Dominus quem uos quæritis, & Angelus testamenti, quem uos uultis: Ecce uenit Dominus, & quis sustinebit diem introitus eius, aut quis sustinebit in uisione eius? quia ipse egreditur quasi ignis fornacis, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans tanquàm argentum, & aurum. Omnes enim sordes, quę sunt in nobis, detergit efficacia, & gratia spiritus sancti, instar ignis peccati maculas absumit. Veruntamen nihil ad duritiam cordis Iudæorum contulit, quoniam non acceperunt gratiam. Ita quoque per Ieremię uocem uniuersorum Deus dixit. Defecit sufflatorium ab igne, consumptũ est plumbum, frustra conflator conflauit, malitiæ eorum non sunt consumptę. Hoc etiam modo intelligere poteris. Videbatur Christus (ait) humanam speciem indutus ignem quendam ac procellam immittere contra eos, qui oraculis eius resistunt: ac omne robur Diaboli comburens, aduersarias uerò, & malignas potestates consumens: Ita.n.& psaltes de illis, qui gloriã suam oppugnarunt, alibi ad eum dicit. sicut ignis, qui comburit syluas, sicut flamma, quæ exurit montes, ita persequeris illos in tempestate tua Deus, & in ira tua turbabis eos. Psal.75. Matth.28. Phil.2. Rom.9. Ioan 16. Isa.9. Exod.13. Luc.12. Rom.12. Luc.3. Matth.5. Ier.6. Psal.85.

EVSEBII. *Ignis in conspectu eius*. Ignem ueni mittere in terram. Ignis hoc loco doctrinam uerbi Dei significat, qui malitiæ habitus exurit, approbant autem eos, qui mundi sunt, iccirco enim in circuitu eius tempestas ualida: nam quicunque in Christo piè uiuere uolunt, persequutionem patientur. quin & pressuras (inquit) habebitis in mundo. Luc.12. 2.Tim.3 Ioan.16.

HESYCHII. *Ignis in conspectu eius*. Nunc quidem præsentia spiritus, paulòpost uerò iudicii ignis aderit, de quo Daniel dixit. Fluuios ignis traxit, qui egrediebàtur antè eos. Quid uerò illa tempestate, aut hyeme uehementius? quando à conscientia nostra & à cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, quasi fluctibus agitamur? Dan.7. Rom.2.

NICEPHORI. Etiam hic psalmus est de futuro iudicio sicut is, qui eum præcedit. Verum tamen hoc interest inter eos, quod ille malos omnes accusat, hic uerò seorsum Iudæos arguit, *Deus Deorum*. Dominus, & Deus, & opifex omnium, qui Dii uocantur, loquetur iudiciario modo,

modo, & uocabit omnem terram, quoniam & mundus omnis locus est iudicii. *Ex Sion species decoris eius*, Verba hęc,& quę sequuntur per parenthesim dicta sunt, usque ad illud. *Audi popule meus*. Inquit .n. quod nunc ex Sion erit assumptio uerbi, quod est templum, & gloria suæ pulchritudinis, uel diuinitatis. *Deus manifestò ueniet*, nam in primo aduentu latenter uenit, in secundo uerò cum potestate, ac gloria multa uenturus est. *Et non silebit*. Non tam patienti animo mala feret. Sed dabit unicuique iuxta opera sua, *Ignis in conspectu eius*. Terribilem Dei præsentiam, atque intollerandam dicit. Procella autem uiolentus est, & intollerabilis uentorum impetus.

Eccl.16. 2.Cor.9.

CHRYSOSTOMI. *Ex Sion species decoris eius*. Habet aliquid propheticum,habet etiam historicum, quod dictum est, fuit enim & antiquitus,ex Sion decor eius: templum enim & sancta sanctorum cultus omnis, itemq; omnis forma, & ritus legis ueteris, multitudo sacerdotum, sacrificia, & holocausta,sacri cantus & psalmorum concentus, & omnia illinc proficiscebantur, & typus futurorum illic antè descriptus fuerat. Postquàm autem ueritas quoque affuit, ea rursus illinc quoq; cępit initium, illinc crux resplẽduit,illinc innumerabilia præclarè ab eo gesta sunt. Et ideò Isaias quoque scribens de lege noui testamenti dicit, Ex Sion egredietur lex,& uerbum Domini ex Hierusalem, & iudicabit in medio gentium. Sion enim hic intelligit locum integrũ, & ciuitatem, quę iuxta illam sita est, Iudæorum metropolim. Illinc enim tanquàm ex quibusdã carceribus pernices equi, hoc est, Apostoli, emissi sunt in omnem orbem terrarum, illic cœperunt signa, illic fuit resurrectio, illic ascensio, illic proœmia, & initia nostræ salutis, illic arcana illa cœperunt prędicari dogmata ac decreta, illic primum Pater reuelatus est, cognitus est unigenitus, & data est tanta gratia Spiritus. Illic Apostoli reuelarunt sermonem de rebus incorporeis, de donis,de potestatibus,de futurorum bonorum promissionibus. Quę omnia propheta considerans, uocat eius decorem. Dei enim species, & decor est, eius bonitas, ac benignitas. *Deus manifestè ueniet*. Vides quomodo procedens aperit sermonem, & reuelat thesaurum, dicens. *Deus manifestè ueniet*. Quando enim non uenit manifestè? quando? In priori aduentu: uenit enim absque ullo strepitu, multos cœlans, & multos latens. *Ignis in conspectu eius*. Sic quoque hoc in loco simul eum esse mutationi, & conuersioni minimè obnoxium, & lucidum, ac accessum per has similitudines ostendit. Non autem se ad ignem usque sistit, sed uehementiam supplicii uolens ostendere subiunxit, dicens. *Tempestas ualida*. Gręcè est καταιγίς, quæ est immensus niuis globus,qui quocunque inciderit, & quicquid oppresserit, conuellit, & euertit, uel, uehemens uentorum impetus, qui idem efficit,nec ab iis,in quos occurrerit,tollerari potest,cum igitur intollerabile supplicium esse uellet ostendere, adduxit has similitudines.

Isa.2.

Aduocabit cœlum desuper, & terram ut diiudicet populum suum.

Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

HESYCHII. Et quomodo cœlum sursum, cum eo loci collocatum sit? An cœlum nocat eos, qui cœlestia sapiunt? De quibus Paulus dicebat, sicut portauimus imaginem terreni,sic portemus imaginem cœlestis. Terram, terrena cogitantes uocat, qui luto, ac lateritio operi inseruiunt. Hos igitur congregare iubet, ut secernat populum suum, & tribuat unicuique iuxta opera sua.

CYRILLI. (Vt puto) eos, qui celestem politiam studiosè quærũt, in cœlestes mansiones congregabit: Et omnes (inquit) terrę incolas congregabit. ut iustos ab iniustis separet. nãque olim qui in terris erant partes uulpium (ut in psalmis alibi dicit) immundis spiritibus seruientes, passim quodcunque uidebatur habebant pro Deo, sed postquàm apparuit Saluator omnium lumen, necnon ac diuinę cognitionis cordibus irradiauit, quod lumen errantes conuertit: & quod infirmum erat tanquàm bonus pastor, & medicus alligauit: feras ab ouilibus abegit: spiritus sanctificauit, Angelicis potestatibus communiuit: sanctos sacrorum mysteriorum magistros cunctis,qui sunt in terra, prefecit. Aduocabit igitur (inquit) cœlum à supernis, hoc est sanctos Angelos, qui in cœlis sunt, & terram id est homines, qui sunt in ea eximii. & ad munus Apostolatus adsciti, ut populum suum discernat: Namque Apostoli credentes, & obedientes Euangeli cis dictis Deo illos attulerunt: contumaces autem & incredulos satane dimiserunt, tantum non dicentes, Ite ad lumen ignis uestri, ad flammam cui sacrificastis. Iudęis uerò non credentibus dicebat. Vobis oportebat primum loqui uerbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes: Quod uerò his, qui mysteria exercent,& eorum discipulis Angeli præstò sint, & eorum coadiutores, ostendit Paulus dicens. Nonne omnes sunt ministratorii spiritus, qui in ministerium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capient salutis? Hoc & scala, quàm uidit Iacob declarauit, quæ à terra, usque ad cœlum pertingebat,

1.Cor.15. Psal.62. Isa.50. Act.13. Heb.1.

gebat, & super eam Dominus firmatus erat, Angeli uerò sursum, ac deorsum percurrebant: nam *Gen.28.* per Dominum inferiora cum superioribus coniunguntur. Simile huic, & illud est. Castrametabitur & Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eum. *Psal.33.* Quare & qui opem ferunt sanctis illi, etiam discernunt populum.

DIDYMI. Quoniam legis traditio cœlo, terraq; testibus data est, quemadmodum scribitur *Deut.31.* in Deuteronomio, oportet, ut populus qui diuinas leges transgressus fuerit, & iudicandus erit, iisdem testibus, quibus legem accepit, examinetur. Aduocat igitur cœlum sursum, hoc est diuinas potestates, & terram, (dico eam inhabitantes) ut arguantur, qui filii constituti sunt. (nam audi *Isa.1.* (inquit) cœlum, & auribus percipe terra) edicto expulsis filiis Dei: cum.n. inter uos legem accepissent, non eam custodierunt.

EVSEBII. Docuit primus psalmus, quod impii non resurgent in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum, idem quoque docet Apostolus dicens: Ne cum mundo condemnemur. *Psal.1.* Quod autem proprium quoddam, ac separatum iudicium sit futurum de eo, qui populus Dei dictus est, sermo præsens ostendit, ita dicens. *Aduocabit cœlum, & terram, ut discernat populum suum.* Cur isthuc? quoniam his testibus legem illis per Mosen tradidit dicens. Testificor hodie uobis cœlum, & terram: & rursus in magno cantico, Attende cœlum, & loquar, audiat terra uerba ex ore meo. *Cant. Mos.* Hac ipsa quoque de causa Isaias, clamabat dicens, Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est: Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *Isa.1.* Sic igitur hoc in loco, eosdem testes uocatum iri dicit in iudicio eorum, qui leges uiolauerint: Ideò dictum est, *Aduocabit cœlum desuper,* hoc est cœlum superius. Et quemadmodum in Euangeliis Saluator gregem suum, scilicet eos, qui in Ecclesia congregati sunt, separat, oues à dextris, hædos stantes à sinistris, ita & pari ratione Dominus ipse discernit populum suum. *Matth.25.*

THEODORETI. Vocat hæc in testimonium non tanquàm animata, sed tanquàm illa, quę alias creaturas contineant, ad terrorem audientium. Ita etiam beatus Abraham septem agnas *Gen.21.* statuit testes dicens: Meus est puteus. Sic, etiam Iacob montem, & Labam uocauit collem *Gen.31.* testimonii.

ATHANASII. Sermo fit tanquàm ad Angelos cum dicit. *Congregate illi sanctos eius.*

HESYCHII. De Iudæorum populo hic loquitur, eos.n. propter Patres suos sanctos appellat, qui Dei testamentum super sacrificia ordinant, ignorantes, quod uno rationali sacrificio Deus non pluribus irrationalibus placatur, quare eos conuenire iubet, ut hoc addiscant. Sed qui docent.

DIDYMI. Angelis fortasse pręcipit, ut sanctis uiris, ut congregent sanctos eius, utque ordinent, & componant testamentum ipsius Dei in sacrificiis spiritalibus. Spiritalia uerò sacrificia laudem, & siquid aliud est huius generis, appellat. Spiritalia ergò sacrificia, quibus spiritale testamentum innititur, approbans, congregare illi sanctos iubet, ut prędicta perficiant.

THEODORETI. *Congregata illi sanctos.* Ex prædictis sanctissimus propheta terribile Dei iudicium declarauit. ex his autem & sequentibus tum imperfectum legis cultum, nullum ex oblatis sacrificiis, Deo gratum ostendit. Interea sanctos appellat Mosen, Aaron, Eleazar, Phinees, & eos, qui post illos fuerunt, qui omnes ex legis pręscripto sacrificabant. Præcipit autem illos congregari, non ut ab illis pœnas exigat, tanquā ab hominibus malè Deo sentientibus (lex enim eius est, & quicunque ex supradictis Deo parere uolebāt, uictimas offerebat) sed ut per hos testes præsentes propriam mentem ostendat, & ut posthabita paruulo conuenienti doctrina, perfectas afferant disciplinas: ubi autem hęc facta fuerint, cœli, per quos tacitè innuit cœlestes potestates, sententiæ iustitiam admirabuntur.

EVSEBII. Itaque quemadmodum in Euangeliis dictum est. Et mittet Angelos suos, & congregabit omnes gentes, ita hoc loco iisdem imperat, uult enim primos suos ab impiis separari, ut illi prius promissiones debitas consequantur. *Mar.13.* *Congregata illi sanctos eius.* Prò quo Hebraicum, & reliqui interpretes communiter habent. Congregate mihi sanctos meos. *Qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* spiritalia scilicet. *Testamentum eius,* uel secundùm alios testamentum meum. Alia quidem omnia sanctorum suscipit. Quoniam uerò apud priorem populum uiri pii non dubitabant etiam hostias offerre iugulatis animalibus brutis, iure tanquàm sanctos suos hinc iam ante futurum iudicium in huiusmodi sacrificiis occupari prohibet. Sed cognitionem atque scientiam sacrificii Deo grati percipere. Ad quod cum iudex hortatus esset,

cœli,

cœli, hoc est cœlestes potestates admiratæ, & probantes eius æquitatem, & quod primum à suis sanctis inceperit, confestim laudes, & hymnos emittunt, iccircò subiungunt. *Et annunciabunt cœli.*

CHRYSOSTOMI. *Aduocauit cœlum desursum.* Rursus meminit elementorum, per quæ bona innumerabilia ad genus humanum peruenerunt, non solum ad uitam, & statum corporis, sed etiam ad Dei cognitionem. Nam rerum species, & magnitudines, itemq; collocationum rationes, uiresque ex quibus hæc elementa constant, & quæ ex eis fiunt, & quæ in uniuersum semper, & quæ sæpe sigillatim eueniunt, hæc omnia tum ad alenda, & constituenda corpora spectat, tum ad Dei cognitionem deducunt. *Congregate illi sanctos.* Sic etiam nos cum aliquos peccasse uiderimus, & eos insectari uolumus, cum eorum dignitatibus eos uocamus, ut grauiorem eorum accusationem reddamus dicentes uoca diaconum, uel præsbyterum. Quoniam ergò hi quoque appellabantur regale sacerdotium, & populus peculiaris, & eo nomine, sibi ualdè placebant, ex eo ipso contexit criminum magnitudinem.

NICEPHORI. *Aduocabit cœlum,* Per hyperbaton dictum est cœlum, quod sursum est, aduocabit. & terram ut redarguat populum suum.i.Iudaicum, *Sanctos eius,* Sanctos dicit Hebreos ueluti Deo sanctificatos, & oblatos. *Qui ordinant testamentum eius,* peragunt, & adimplent legem ipsius in sacrificiis tantum.

Et annunciabunt cœli iustitiam eius; quoniam Deus iudex est.

Audi popule meus, & loquar tibi Israel, & attestabor tibi Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificijs arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

EVSEBII. Laudabūt.n.tanquàm iustum iudicem, qui dicit, *Congregate mihi sanctos meos.* Quin & terra simul cum cœlis eadem faciet. Sed cum iudicat populum suum aduocat cœlum, & & terram, cum uerò congregat sanctos suos cœli soli annunciant iustitiam eius, & qui congregatos susceperint, eorum salutem illis gratulentur: nam terræ domicilium alteri ordini indigno scilicet cœlesti uocatione relinquetur.

DIDYMI. Alius dicit sanctos uiros cœlos esse, ut qui imaginem cœlestis ferant.

CYRILLI. Vel etiam etiam sic expones illud, *Congregate.* Hoc est ut euidenter populus Dei iudicetur, tum à potestatibus ratione utentibus, tum à sanctis uiris, quibus Euangelica, & salutaris prædicatio excolenda tradita est. His.n.spiritus præcipit, ut congregent sanctos suos,

Rom.8. quos presciuit, & prædestinauit conformes fieri Imagini filii eius, hos & uocauit, & quos uocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit. Hos igitur congregauit, & qui testamentum Domini implent, non sacrificiis cruentis, & quę fumo fiunt, sed spiritalibus hostiis, iux

Psal.4. ta illud. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino: Huiusmodi sacrificiis lętatur

Psal.26. Deus, Iuxta illud, circuiui, & inmolaui in tabernaculo eius hostiam uociferationis. *Et annunciabunt cœli iustitiam eius.* Quod antè alios iis, qui sunt ex Israel salutare præconium proposuis-

Rom.9. set. Erant enim eorum promissiones, & lex, & testamentum & patres, sed postquam non admi

Act.13. serunt gratiam Dei, ad uniuersum gentium cœtum transmigrauit. Propter igitur hoc sanctum decretum annunciabunt cœli iustitiam eius: ipse enim cum sit iustus iudex, tum eorum, qui sunt

Ioan.12. per orbem diffusi, tum apostatæ draconis causam iudicabit. dicens. Nunc iudicium est mundi huius, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Et: Ego si exaltatus fuero omnes traham ad me ipsum: Et ipse dixit. Non misit Deus Filium suum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur

Ioan.3. mundus per ipsum. Quomodo autem huiusmodi iudicium factum est? Condemnauit Satanam tanquàm superbientem, & eos, qui sunt super terram, tanquàm iniuriam passos iustificauit.

ATHANASII. Glorificabunt (inquit) Deum cœli, quod homines cœlesti itinere dignos fecit.

APOLINARII. Concelebrabunt (ait) laudes diuinæ iustitiæ cœlestes perfectę generationes, perfectis sermonibus, iustitia, & iudicio insignibus benedicentes, & collaudantes, quod non sacrificiis collaudetur Deus, sed iudicio, & hoc in perpetuum testamentum habent.

DIAPSALMA.

HESYCHII. *Audi popule meus.* Diapsalma subiunxit propheta, quoniam ad Dei personam rursus transtulit prophetiam, & tanquàm si adesset, qui docetur, spiritus, differit.

ATHANASII. Cum recenter legislationem introduceret, ne quis sermonem eius ad hominem, aut ad Angelicam potestatem aliquam id referret, dixit. *Deus Deus tuus ego sum.* sensus uerò hic est: Ne putes me alium esse, quòd hodiè nouas sanciam leges, ille enim idem sum,

qui

qui tempore Mosis legem tulit de sacrificiis. Testor autem, quod non damnaberis, si leges à Mose latas transgressus fueris: ipse.n.ego, qui illas puero meo ad maximam utilitatem promulgaui, & nunc istud testificor, quod tibi non est amplius necessaria legitimorum sacrificandi institutorum obseruatio. nam licet illa non offeras, mihi tamen non sunt querenda. nam holocausta tua sunt coram me semper, etiam si non offerantur. Si uerò prorsus studueris efficere, ut preciosa, accepta, & necessaria illa mihi offeras, audi cum libertate me nihil, illorum abs te suscepturum. Superflua enim mihi omnia sunt: nam & animalia in agris pascentia, boues, pecudes, & uolatilia cœli, & pulchritudo agri mea sunt omnia. Et horum omnium nihil indigeo. Quod si mihi cibo aliquando opus sit, non eò necessitatis redigor, ut ea abs te flagitem. meus.n.est orbis terræ. Sed quæ nam grata mihi offeres sacrificia? Laudem, canticum, & diuinum sermonem. Cum uerò hęc expleueris, tanquàm si legem rursus adimplesses, diuinam mercedem accipies, ut cum me nunc inuocaueris, exaudiare.

CYRILLI. *Audi populus meus*. Apertè hoc loco Dei persona introducta est, cum legis figuras ad ueritatem transtulit: siquidem usque ad tempus correctionis sapientissimus Paulus dicit legis mandatum positum fuisse: Atqui tempus correctionis non aliud fuit, quàm illud in quo *Heb.9.* Christus mundo illuxit, manifestissimè dicens: Ego sum ueritas: Absurda ergò est præsente ue *Ioan.4.* ritate figura.

THEODORETI. *Audi populus meus*. Et ostendens ad quem populum uerba faciat, subiunxit. *Israel, & testificabor tibi*. Deinde propriam maiestatem ostendit. *Deus Deus tuus ego sum*. Qui te ab Aegyptiorum tyrannide liberaui: qui per mare tibi uiam aperui: qui in solitudine te paui: qui legem illam tibi tradidi, ne ergò putes me alium legislatorem, cum uideas legum differentiam. *Non in sacrificijs arguam te*. Non accusabo te de iniuria sacrificiorum, nam hęc mihi continenter facis: sed iubeo ne hisce rebus iustitiam terminari putes.

DIDYMI. Arguit Deus nō in oblatis, sed in affectu, animoq; offerentis: nam & cū damnauit, quod non rectè offerenda separauerit. Si quis ergò perpetuò cælibatu corpus suum spiritale *Gen.4.* sacrificium tanquàm holocaustomata offerat, recta id faciet mente: non enim prò iis, quę cum laude fiunt, sed prò animo non recto persoluente quiuis reprehendi solet. Sacrificas continuò: At non in hoc iustitia.

HESYCHII. *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*. Non quod ea admittam, sed quod auersor, atque abominor. Siquidem non solum quę quis diligit, sed etiam quæ uehementer odit, intueri uidetur: ea scilicet ratione, ut ab eis declinet, & caueat.

CHRYSOSTOMI. *Et annunciabunt*. Volens hic rursus declarare iustitiam eius claram esse ac nitidam, apertamq; & cui contradici non potest, & quę in confesso est, introducit elementa non subiecta sensibus, eam attestantia, eadem usus, qua prius figura. *Quoniam Deus iudex*. Ius (inquit) unicuique definiens: neque enim temerè posuit illud, iudicare, sed ut ostenderet etiā eum esse iustum, & aliis reddere quod iustum est, in Deo enim illud, *iudex*, prò iusto sumptum est, quemadmodum Paulus id quoque posuit, dicens, Hoc est enim maximè iudicium, hoc est *Rom.3.* maximè esse indicem, non solum ferre sententiam, sed eam iustè ferre. *Audi populus*. Vide rursus benignitatem, & mansuetudinem, ex ipso proemio. Perinde enim ac si quis homini tumultuanti, & turbas excitanti diceret, si andias, loquar, si attendas dicam. Ita etiam seruis Dominus, Si me audieris (inquit) dicam. erant enim pigri, ac negligentes. *Deus Deus tuus ego sum*. Non temerè geminatio ista posita est: sed quoniam eis loquebatur, qui surdi, & cœci, ac nullo sensu prędíti erant, sermonem de Domino eorum facit. *Non in sacrificijs tuis arguam te*. Ita etiam eos accusant prophetæ, quod potiore uirtutis parte contempta salutis spem in eis reponebant: Ad se.n.defendendos hęc erant allatari, sacrificamus, holocausta offerimus.

NICEPHORI. *Et annunciabunt cœli*. Prædicabunt cœli iustitiam eius: Quoniam uerè iudex est, qui natura iustitiam possideat. *Audi populus meus*. Ex hoc loco incipiunt uerba DEI. Illud uerò, *Attestabor tibi*, liberè tecum loquar dicit.

Non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos.
Quoniam meę sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues.
Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.
Si esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terrarum, & pulchritudo eius.
Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?

THEODORETI. Omnium (inquit) conditor sum, & Dominus tam terrestrium animalium, quàm per atra uolantium. nec putes igitur necessitati meæ prouidere: nam ego dedi illis

ut

ut essent, & iubeo e terra fructus educi. Appellat enim pulchritudinem agri diuersa fructuum terræ genera: Et quoniam de terrenis animalibus offerebantur boues, hirci, & oues, & de uo-
Leuit.1.2. latilibus columbæ, & turtures: & ex fructibus similia, uinum, & oleum, & suffituum odoramen ta, necessariò de omnibus mentionem fecit, ut totum huc cultum abrogaret. Deinde per Ironiam dicit. Si cibo indigeam, non mihi tua distributione opus erit: Siquidem omnium author, & Dominus sum. Deinceps naturam suam imperturbatam, & affectibus carentem docet, inquiens. *Nunquid manducabo carnes taurorum.* Cum illorum stoliditatem ostendisset, & ob mẽtis infantiam illorum, eas uictimas offerre illos olim lege statuisset, nunc nouum aperit testamentum, & hostiam sibi placitam indicit.

HESYCHII. Non credebant fortassè Iudæi, cum hæc audirent, & dubitabant, num omninò hæc euenire possent: Nunc uerò factis ipsis sermo uerus apparet: nam destructo templo nil amplius agunt sacrificia illorum: ara item collapsa, & omni illorum administratione sublata: quin etiam urbe euersa, in qua secundum legem sacrificia fieri oportebat: Non sunt (ait) opus mihi animalia bruta, nam quid feras, & pecudes offere prohibuit? fortassè uerò per feras, & iumenta, gentes intelligit: per boues autem illos, qui ex Iudæorum populo crediderunt: quorum oblationem assequutus, non amplius amittit res Iudæorum, ut quæ superfluæ sint. (nam de illis sequentia dicuntur) uolatilia cœli eos intelligit, qui uirginitatem, & continentiam colunt. Siquidem hi supernè circa cœlum tanquàm Angeli intenti uolant. Pulchritudinem autem agri Ecclesiam dicit, quæ quidem agri.i.mundi est pulchritudo, nam pulchra per baptismi gratiam facta est: Vnde non dixit. Apud me est, sed, *mecum est*, tanquàm sponsa cum sponso, hoc.n.est Ecclesiam Christi censeri.

DIDYMI. Quoniam qui in domo tua uituli per figuram uocantur, Saluatoris hostes uisi
Psal.21. sunt, dicente propheta, circundederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me: iccircò non suscipiam eos, neque hircos, qui cum illis numerantur, nam hi se quoque ipsos offerẽtes, nihilominus peccant. Agnosce tu, quod quæ olim feræ syluarum, qui ex gentibus agrestem, & feram uitam ducebant, diuina doctrina edomiti mei facti sunt, cum prius inutiles & steriles essent. Sterilitatis enim symbolum sylua est, quin & iumenta tanquàm oues christi, & boues, qui domum tuam hoc est umbram legis supergressi in Euangelicis doctrinis uersantur, quæ ob celsitudinem montis nomine appellantur, possessio mea sunt. Paulus ergò cũ esset bos ex iis, qui in montibus habitant, cum legem de boue exponeret, illud subiunxit: nunquid de bobus cura est Deo? An
1.Cor.9. de nobis omninò hæc dicit? Verum & animę in altum cogitationibus, & rectis actionibus euectæ, uolatilia cœli dicuntur, quę ego noui, agnosco enim qui sunt mei. Terra bona, hoc est cor rectum, quod iniectum à IESV semen suscipit, & fructum fert centuplum, & sexagesimum, & trigesimum fructum uberem, & maturum habens. Pulchritudo agri est, quæ non longè abest
Ioan.4. ab eo, qui seminat. Ipse enim ait. Pulchritudo agri mecum est. Esurit autem Saluator nonnullorum salutem: quemadmodum de Samaritide discipulis suis dixit. Ego cibum habeo manducare, quem uos nescitis. & meus cibus est ut faciam uoluntatem Patris, qui misit me. Cum igitur qui sunt ex circuncisione umbra detenti eidem tanquàm esurienti corporeas hostias offerunt, ait
Psal.23. illis. *Si esuriero non dicam tibi*, Habeo enim possessionem gloriosam Ecclesiã, quę orbis terræ, & plenitudo eius uocatur, plenitudo autem eius est Euangelium, non figura, nec typus. Cum ergò gentium plenitudinem nutriam, non petam abs te umbratilem cibum: quod si me Deum tuum uis uerè colere, immola mihi sacrificium laudis, in laudes, ac diuinos sermones incumbens,
Osee 6. nam huiusmodi oblationes libenter admitto: quoniam misericordiam malo, quàm sacrificium, &
Matth.6. cognitionem Dei, quàm holocausta.

HESYCHII. Hæc.n.tam aliena sunt à Deo, ut is homines iusserit à sanguine abstinere. quomodo autem poterit rex facere, quæ seruis suis facere prohibuerit? Et quomodo taurorum carnes eum nutrire possent, qui omnem creaturam pascit? Damnat itaque illos, qui hostias irrationales illi offerunt: Ideò subiungit, *Immola illi sacrificium laudis.*

APOLINARII. Nunquid Deus cibis, & potu indiget, ut carnibus tanquàm esculentis, & sanguini tanquàm poculentis attendat? Deinde cultum Dei uerum sacrificii nomine introducens ait. *Immola.*

Psal.23. EVSEBII. Si mihi fortè cibo erit opus, qualem natura exigit, non usquè adeò egenus
Matth.23. sum, ut abs te petam. Meus est enim orbis terrę, & plenitudo eius. Porrò cibo uti possum, cũ fructum capio ab hominibus qui me pascunt, dicam. Venite benedicti Patris mei percipite paratum uobis regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, & quæ deinceps sequuntur. Nutriar igitur ab illis ita ipsis dicturus. Quod uni ex illis minimis

mis fecistis, mihi fecistis. Est autem rationale sacrificium, quod per laudem, & diuinum sermonem, & gratiarum actionem offertur. Et item aliud sacrificium Deo gratum, quod uotis promittitur: Cum quis pollicetur, se aliquid Deo gratum, ac iucundum facturum, & promissa factis præstat. Nam ubique in scripturis sermo diuinus uota, uocat promissiones, quemadmodum quando dicitur: Quandocunque uoueris uotum Deo, ne moreris reddere; multo melius est non uouere, quàm post uota promissa non facere. Hæc ergò cum opportunè feceris inuocabis me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me: nam fretus te ad iustitiam tibi seminasse, spera te fructum uitæ messiturum. Cæterum uide quomodo in his persona loquens, Dominus ipse sit, & Deus, & de quo dixit. *Immola Deo sacrificium laudis*. Eccl. 5.

CYRILLI. Cęterum illud. *Si esuriero non dicam tibi*. Prò ut mos est interpretari oportet: quod.n. comprehendi non potest, tanquàm si comprehenderetur, subiecit: dementes, & fatuos uolens reprehendere. Nam secundum Isaiam Deus æternus, Deus qui facit terminos terræ, non esuriet, neque laborabit, neq; est inuestigatio prudentiæ eius. Isa. 40.

CHRYSOSTOMI. *Non accipiam de manu tua uitulos*. Vides quomodò sensim eorum mentem erigat, qui humo defixi, & proni sunt. Excęcatam eorum mentem aperiens, & ostendens se hæc iussisse, non quod eis egeret, nec lege sanxisse, quod ea admitteret. Si.n.(ait) ita coli uellem, cū omnem terram, quæ sub Sole est subiectam imperio meo teneam, & omnia crearerim, procurarem sanè, ut mihi lauta, & opipara fierent sacrificia. Deinde eos etiam irridens ac reprehendens, ut magis pungat accusatio, subiungit. *Si esuriero non dicam tibi*.

NICEPHORI: *Et pulchritudo agri*. Pulchritudo agri sunt fructus, qui suis temporibus in agris nascuntur. Hæc autem mecum.i. apud me est. *Si esuriero*, ironice dictum.

Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua.

Et inuoca me in die tribulationis tuæ eruam te, & honorificabis me.

Peccatori autē dixit, quare tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meū per os tuū?

HESYCHII. Esto(inquit) consors Angelis, imitare glorificatione seraphim: Enarra sicut cęli gloriam Dei: Immola sacrificium, quod omnis immolat creatura, dum continenter Deum laudat. Fortè uerò sacrificium laudis uirtutes intelligit, per quas Deus laudatur: Hoc est benedicitur, & glorificatur: præsertim cum Apostolis dixerit. Luceat lux uestra coràm hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est.

APOLINARII. Hoc existimes sacrificium: acceptorum.s. beneficiorū sensum, & confessionē ex corde: & uotorū persolutionē, quæ quidē oīa Deo ab hominibus debentur. Laudis uerò sacrificiū intelligit hymnos, qui iustos decent. Vota uerò promissiones. Sic enim & in uigesimo primo psalmo inquit. Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Math. 5.

HESYCHII. Vota ea.s. omnia, quę illi prò tēpore uouerimus, sed illud in primis quod pręcepit, ut ab ipso petamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: nam si huiusmodi uotum persoluerimus, & redemptionem à peccatis, & rectè factorum coronam accipimus, *Et in die tribulationis*. Tribulationem intelligit tentationem, siue ab hominibus, siue à Satana nobis illatam: nam si tunc temporis Deum inuocauerimus, liberabit nos, quemadmodum olim Susannam liberauit, & ipsum egregiè de nobis meritum glorificabimus. Psal. 21 Math. 6.

APOLINARII. Et cum hæc(inquit) facies, spera te Deum in tribulationibus adiutorē habiturū: ita ut beneficiis illius obstrictus, illū honorifices, & illi continenter gratias agas.

EVSEBII. Cum sermo habeat. *Peccatori autem dixit Deus*. Apertè docet ea, de quibus superius loquutus est, non peccatori, sed iustorū cætui dicta fuisse, ut plus aliquid habeant iusti, quā peccatores. Illud autem quo excellunt, cognitio est, & scientia sermonum noui testamenti: Cęterum peccatorem hoc loco, non a scripturis alienum hominem, neque peregrinum, & idololatram introducit: sed eum, qui diuina quidem præcepta intelligit, cęterum illa transgrediatur: quem etiam redarguit, non quod sabbatum negligenter custodiat, neque quod mandata quędam Mosaicæ legis non obseruet, uelut de quibusdam cibis, de purgationibus, & impuris, deque sacrificiis: sed peccatorem arguit propter legum naturalium transgressionem. Quid enim est tibi (inquit) cum scriptis meis? Cur uerò per os tuum sermones meos enarras? quos factis transgreditur inimicum te, & osorem disciplinæ meę ostendis, dum iniquas quidem actiones tuas pręfers, leges uerò meas spernens proiicis, & conculcas. Lex enim naturæ furari uetat, & alia rursus adulteria prohibet, & quæcunque nos pati nolumus, eadem ne in alios faciamus lex naturalis hortatur. Tu uerò his contraria fecisti. Porrò adulteri pręter eos, quos communiter intelligimus, impii quoquè ac Idololatræ esse possunt: fures uerò rursus qui ueritatem furantur.

Eccl.15. ATHANASII. Peccatorem hoc loco diuinarum ſcripturarum promulgatorem uocat. Simile eſt hoc illi: non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, nam ſi præcepta omnia tranſgreditur, & omni malitiæ ſtudet, & linguam doloſam præbet, cur poſtea diuinas ſcripturas in ore gerit?

CYRILLI. Quod non Idolorum cultoribus, nec iis, qui nondum diuinum lumen adepti ſunt, hæc loquatur: ſed iis, qui ex ſanguine Iſrael, manifeſtum eſt planè & apertum, nam quæ cura, & meditatio diuinæ legis penès illos fuit, qui neque ſi lata lex eſſet agnouerunt? quis apud illos erat, qui diuinum teſtamentum aſſumeret in ore ſuo? Peccatorem igitur in his appellat incredulum, & non redemptum Iudæum, qui adhuc peccati ſeruus eſt: non.n. filius eos liberauit.

Eccl.15. DIDYMI. Quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, arguit peccatorem Deus: quare decreta mea enarras, quibus parere negligis? Aut quare aſſumis teſtamentum meum in ore tuo? Illud.n. in corde ſuſcipere oportebat, & cum cogitationes tuas ad illud conformaſſes, tunc teſtamenti mei ſermones proferre: Huic illud congruit, qui dicis non furandum furaris.

CHRYSOSTOMI. *Immola.* Et quomodo ſacrificabo (inquit) abſque ſanguine: Hoc.n. ſacrificium Deo maximè conuenit, & ideò cum dixiſſet, *Sacrifica Deo,* ſubiunxit, *Sacrificium laudis,* hoc eſt gratiarum actionis, ſacrorum hymnorum eius, quæ fit per rectè facta, glorificationis. *Et redde altiſſimo uota tua.* Hic ſupplicationes intelligit, ſuadens, ut in oratione aſſiduè perſeueremus, & quæ profeſſi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchrè autem dixit, *redde,* nã poſt promiſſionem, contrahitur debitum: *Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* Vides copioſam dari mercedem. Quid ergò poteſt cum hac benignitate conferri, cum nobis de uirtutis mercedem, & mercedem laboribus longè ampliorem? eaque datur in tempore opportuno? *Peccatori autem dixit.* Hic eſt enim ſenſus, & id apud Apoſtolos, & Paulus etiam ita quodam modo dicit, ipſe quoque oſtendens, nihil prodeſſe alios docere, niſi quis ſe ipſum prius doceat.

THEODORETI. Commodè ſanctiſſimæ Trinitatis uenerandum numerum patefecit, & cum nouo teſtamento coniunxit. Nam poſt nouum teſtamentum ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis cognitionem habuimus. Diuiſit autem res: non indiuiſas ſanctæ Trinitatis operationes, ut numerum tanquàm propheta poſteros edoceret. dicit igitur: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo uota tua, & inuoca me in die tribulationis tuæ.* Tres perſonas hic planè diſcimus, cum alioquin unus ſit Deus ſolus, qui & altiſſimus eſt, qui & ſacrificium laudis ſuſcipit, & petita concedit: nam ſingulæ uoces iſtæ. Deus, &, altiſſimus, &, bonorum largitor ſuam proprietatẽ habent. *Peccatori autem dixit.* Quoniam nonnulli ſunt, qui alios peccantes arguunt, & diuinas leges in memoriam reuocant, ipſi uerò quæ docent, minus obſeruant, meritò in huiuſmodi notæ homines inuehitur dicens. Cur decretis meis iactabundi, & ultrò citroq; de lege contendentes nihil inde fructus percipitis: ſed uerba mea deſpicitis? poſt hæc recenſet genera peccatorum.

NICEPHORI. *Sacrificium laudis.* Id eſt, gratiarum actiones, *redde altiſſimo uota tua.* promiſſa ſcilicet, ut placeas Deo. Ex eo.n. Dei ſerui efficimur, cum quæ illi placita ſunt, exequi pollicemur. *Peccatori autem dixit.* Peccatores appellat ſacerdotum, & ſcribarum cœtum.

Tu uerò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum.

Si uidebas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinabat dolos.

Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: Hæc feciſti, & tacui.

Exiſtimaſti iniquè, quod ero tibi ſimilis? Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

EVSEBII. *Iam os tuum præterea abundauit malitia, & lingua tua concinabat dolos.* Interdum.n. impudenter, & apertè, multa cum licentia malitia utebaris. Interdum uerò uerbis fraude plenis ad decipiẽdos homines uſus, & aliquando diſſimulans tanquàm ſi cum germanis fratribus uerſareris, inſidias aduerſus illos occultè moliebaris, criminoſè illos accuſans, & obtrectans eis. Impactiones præterea, & ſcandala eorum pedibus ſubieciſti, qui ex eadem matre, uel ſynagoga, aut Eccleſia nati ſunt. Tu ergò tot te ſceleribus inquinabas diſſimulans te ſequi legem meam. Ego uerò hæc olim cum primum ad homines deſcendi, uel cum cælitus prouidentiam meam reſpicerem diuitiis bonitatis meæ, ſcilicet tolerantia, & longanimitate utens, ſilentium agebam. Nunc uerò non amplius ſilebo. nam ſilentio meo, & patientia mea abuteris. Exiſtimaſti enim iniquè me quaſi tui ſimilem ſcelera tua approbare: At ego qui clementia, & lenitate in tempore uſus ſum, non amplius ſilebo, ſed *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Statuam uerò ad arguendum te, ante oculos tuos peccata, quæ unquam feciſti, quæ tu quidem exiſtimaſti non amplius eſſe, neque alicuius in memoriam eſſe uentura. Verum egò tanquàm Deus

illa

illla traducam, & ponam tibi ante oculos tuos, ut ea cernens, atque cognoscens pudore suffundaris.

HESYCHII. *Et proiecisti sermones meos retrorsum.* Sermones Dei quondam retrò proiecit Satanas, cum præceptum Adæ traditum criminabatur: Sed & Iudæorum populus usque adeò instituta Dei odio prosequebatur, ut ipse per Prophetas illi dixerit: Frustra per custiuos, disciplinam non suscepistis. *Et sermones eius proiecisti retrorsum.* hoc est auersatus est, & à se repulit, à Pharisæis, & Scribis dolo detentus, quod ne & nobis accidat pariter cauendum est, ne instituta Dei quę uerbis & operibus obseruantur, odio prosequamur: ne spurii, & non filii. (ut ait Paulus) efficiamur. Ier.2.

APOLINARII. *Si uidebas furem.* Legis solutiones sunt hæc: nam cum fure currere aduersatur pręcepto, non furaberis: cum adulteris societatem habere, repugnat illi. Non męchaberis. At illi mandato de diligendo proximo sicut se, & de non ambulando fraudulenter inter gentem suam, contrarium est loqui uerba dolis plena, criminari, ac insimulari, & offendicula, in quę inpingant, proximis apponere.

HESYCHII. Fur Iudas erat, & loculos habebat, & iniecta furabatur. Idem quoque Męchus: męchatus est.n.qui dum Dominum suum proderet, osculatus est eum. Porrò hæc à proditore admissa sunt, impulsu Satanę, qui uerè peccator est, & auxilio quoque populi Iudæorum, qui cum eo peccator fuit. Nos itaque ne conspiremus cum fure, ne amicitias cum adulteris ineamus, ne cum illis peccantes, eandem partem, & idem supplicium subeamus. Ioan.13.

CHRYSOSTOMI. *Tu uerò odisti disciplinam.* Disciplinam hic intelligit legis doctrinam, quæ animum componit, uitium expellit, & uirtutem inserit. Quomodo ergò eam tractas, & in alios seminas, cum ipsam factis non habeas? Proiecisti.n. (inquit) sermones meos retrorsum: Non solum.n.ex doctrina legis, nulla est tibi facta uirtutis accessio, sed etiam quod habes à natura, mutilum, & mancum reddidisti. Eorum.n.quę agenda, & non agenda sunt, rationes nobis à natura inditæ sunt, tu autem eas reiecisti, nec in memoria habuisti.

DIDYMI. *Os tuum abundauit malitia.* Qui bonum ignorat, & malum facit, minus peccat, qui uerò post boni cognitionem peccat, uehementem habet malitiam. Quoniam seruus, qui no uit uoluntatē Domini sui, & non facit secundū uoluntatē eius uapulabit flagris multis. Potest ēt Luc.12.
sic intelligi. quoniam qui assumpsit testamentum Dei per os suum, peccatum plenum cor ha- Luc.6.
buit, ad quem sermo est, qui ex abundantia cordis mali, malitiam abundantem in ore habuit, ita etiam, ut lingua eius per ea, quæ loquitur dolos concinnet. Concinnat.n. & componit sermones plenos hæreticę prauitatis, qui nihil aliud sunt quàm fraudes, & doli. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Iuxta uerbum: Frater potest esse germanus consanguineus, & eodem Patre genitus: Filius uerò matris uterinus frater, licet alio Patre genitus. quisquis ergò in fratres ita animatus est, quemnam alium diligere poterit? Ad secretiorem uerò intelligentiam, & sensum referentes dicimus: quoniam ad Iudęum sermo est, qui sacrificia, & holocausta ex corporeis rebus faciebat, Ad hunc etiam dicendum est ex persona Dei. Heus tu, qui studes circa literam legis, loqueris aduersus fratrem tuum, qui secundum spiritum legis cogitat, & instituit uitam suam, scies, quod hic est filius matris tuæ, ab eadem.n. uoluntate Spiritus, & litera legis, ortum habuere. Scandalum autem ponis filio matris dum iuxta umbratilem, & carnalem circuncisionem uitam in scandalum, & offendiculum traducendam proponis.

CYRILLI. Sedentes Iudęi in concilio loquebantur aduersus Christum dicentes: quid facimus, cum hic homo multa signa faciat? Si dimiserimus eum, uenient Romani, & tollent locū nostrum, & gentem nostram. Sed & contra ipsum offendiculum parauerunt, & laqueum mor Ioan.11.
tis tetenderunt, cum eum ad Pilatum adduxerunt postulantes ut cruci affigeretur. quod si fratrem Iudæorum, & filium matris ipsorum Christum uocat, non transgreditur uerbi officium, & decorum. Ex Iudæis.n. secundum carnem factus est, & propterea synagogæ Filius dici potest. *Hæc fecisti, & tacui.* Ego (inquit) cum tu uitiis deditus peccabas clementer agens silebam: nec illico supplicium de te sumpsi, expectans si fortè resipisceres, & te pœniteret. Verum tu existimasti me tui similem non propter lenitatem siluisse potius, quàm propterea quod ita, & mores tuos commendabiles putarem. An forsan etiam lætaberis in his, quæ contra legē faciebas. Arguam te igitur, pœnasq; debitas imponam, & eorum, quæ in uita perperam admisisti rationem exigam, statuens malitiam tuam tanquàm ante oculos tuos, ut angore conscientiæ criminibus aucto puniaris, illa te accusante, & condemnante. Grauis est.n. hominis conscientia, & uehemens ad illum condemnandum.

INCERTI. *Intelligite*. Cum igitur Dei iudicium pręcognitum habeatis, & iudicis memoriam teneatis, cauete ne grauia illa, & acerba, quæ ex iusto iudicio ueniunt mala, sentiatis, quando uos nec opinantes iudicis manus opprimet, nec effugere licebit.

ATHANASII. Intelligite me uestris actionibus, & factis non delectari, sed lenitate utor pœnitentiæ tempus exhibens: alioquin iniquitas, uel iniquus nullo liberante uos rapiet, nam ego libero, & eripio intelligentes, & eos, qui à malis desistunt, & hui dicunt: peccauimus iniquè egimus, iniquitatem fecimus: nam qui adhuc in malis uersatur confiteri non potest. Pœnitentiam igitur agite, ne mors aliquando animam auferat: non.n.est, qui liberet, quos in inferno detentos pœnitet deliquisse.

HESYCHII. Diem mortis describit, in qua quisq; uocatus celeriter rapitur: quare oportet, quæ ad abolenda crimina pertinent, nos cognoscere, ac prouidere quandiu nobis ad pœnitentiam agendam occasio exhibetur.

ATHANASII. *Sacrificium laudis*. Repetit quę dicta sunt, hortans iterum ut rationale sacrificium perficiatur, cumque peccatorem grauiter accusasset, peccati remedium scilicet sacramentorum fructum ostendit. Illud enim uerè sacrificium laudis est, quod Deum glorificat: Siquidem tum Deum cum Angelis laudamus, tum etiam cum creatura stamus.

HESYCHII. *Illic iter*. Quænam, & qualis est hæc uia? nimirum Dominici corporis, & sanguinis communicatio, quàm prius ipse nobis, in Sion demonstrare cœpit. Cum ergò in redemptionem peccatorum accipientibus traditum sit, meritò est salutare Dei, meritò quoque uia est, quę quemadmodum in cœlum ire oporteat orantibus ostendit.

DIDYMI. Non hic in cultu sensibili, sed ibi in diuina laude consistens iter est, quod ostendit. Illuminans Deus salutare ipsius unigenitum Filium, qui est Saluator, uel salus ipsa: Nam Dei salutare, interdum quidem salutem, interdum uerò Saluatorem Christum significant.

CYRILLI. Obseruamus, quod quamuis olim lex tradita esset, tanquàm nondum præmonstrata uia, qua quis ad salutem accederet, hanc tamen se demonstraturum pollicetur. Absque comparatione igitur decreta Christi præstantiora sunt, quàm quæ à Mose scita sunt. Siquidem uia salutis in illis est, nam salutis uia Christi est, ut uaticinia promulgata per ipsum intelligi possunt: Ait enim diuinus Isaias. Erit illic uia pura, & uia sancta uocabitur. *Isa.35.* Ieremias etiam, state (inquit) in uiis, & interrogate de semitis Domini, & uidete, quę sit uia bona, & ambulate in ea, & inuenietis expiationem animabus uestris. Saluator quoque cum uia sit. Salutare ostendit dicens. Ego sum uia, nam quemadmodum discipulis eius dicit: *Ioan.14.* Non est aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. *Act.4.*

THEODORETI. Diligenter (inquit) considerate singula quæ dicta sunt: Et uos qui Dei memoriam abiecistis (nam obliuio Dei peccati conciliatrix est) medellis pœnitentię uulnera curare, antequàm mors abripiat uos, quę tanquàm leo homines aggreditur: uel etiam iudex ipse, cùm res nulla uehementem illius impetum cohibere possit, neque ab iracundia diuina eximi. Si enim (inquit) clauserit contra hominem, quis aperiet? Deinde nouam legem incipit promulgare, & ea Psalmi finem honestat. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Hoc apertè magis Symmachus interpretatus est: Sacrificans super laude honorabit me, & decenter ambulanti ostendam salutare Dei: Decet enim non solum hymnis decantare, & hostiam laudis illi afferre: Verum etiam ordinatè, ac modestè ambulare, & propriam uitam componere: namque hoc modo salus à Deo obtineri potest. Cæterum septuaginta dicunt. Sacrificio laudis oblector, & hoc arbitror mihi esse congruentem gloriam, & per hoc iter meum ostendam illi, qui mihi illud affert, cuius finis est salus à Deo obtenta. Sed animaduertendum est hoc loco Patrem duarum personarum mentionem fecisse: Siquidem inquit sacrificium honorabit me, cumque per hęc propriam personam ostendisset subiunxit, *Et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*. Oportebat enim ut unà cum nouo testamento, quod perfecta docet, perfecta quoque diuinæ cognitionis dona coniungerentur.

NICEPHORI. *Qui obliuiscuntur Deum*. Id est, non aduertitis quàm longanimis sit in peccatis nostris. *Nequandò rapiat*. Nequandò rapiat animas nostras per Angelos uiolentos. *Sacrificiũ laudis*, Sacrificium gratiarum actionis, & non animalium habeo in gloriam meam.

meam. *Et illic iter*, & in illo sacrificio uia est, per quàm sic sacrificanti ostendam salutem, quę est apud me.

CHRYSOSTOMI. *Intelligite*. Quænam? Ea, quæ dicta sunt, inquit. Quid est intelligite? Considerate, quod hic dicitur est obscurum, & quod indigeat magna perscrutatione? Maximè quidem & ipse modus docendi inducit mutatam reip. formam. Cum enim sacrificiorum non magnam haberet rationem, leges Euangelicas introducit, *Nequando rapiat*. Qui dixit. Arguam te & statuam ante faciem tuam peccata tua, & sententiam damnationis protulit, eam rursus rescindit, non tanquàm reos tradens supplicio, sed tanquàm qui suasione, & admonitione corrigi deberent, metu coercens, & cohibens, & dicens: *Ne forte rapiat, & non sit qui eripiat*. *Sacrificium laudis*. Ostendit quoque modum, per quem quæ facta sunt, corrigere queant, dicens. *Sacrificium laudis*. Non modò iram meam sedabit, aut sententiam capitis rescindet, sed me etiam honore afficiet. Vide præclari facti magnitudinem, quando Deus per ipsum honore afficiatur. *Et illic iter*. Vidisti mercedem ineffabilem, uidisti summam Dei benignitatem, siquidem uiam Dei se ostensurum pollicetur, & id, quod uerè Dei salutare iis, qui rectè se gerunt. Ei ergò promittenti pareamus, & recta uita, & sacrificiò laudis ipsum honoremus.

IN FINEM PSALMVS τῷ DAVID, CVM VENIT AD EVM NATHAM PROPHETA, QVANDO INTRAVIT AD BERSABEE VXOREM VRIAE.

PSALMVS. L.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.



THANASII. Hunc Psalmum canit, qui criminum duorum cædis scilicet Vriæ, & adulterii Bersabee confessionem continet. Prophetiam propterea inducit, qua uaticinatur fore, ut à peccatis in uniuersum per sacrum baptisma redimamur. Docet item doctrinam cultus Dei spiritalis: Est uerò quod passim inuenias prophetam de duobus his delictis, expiationem, & misericordiam flagitantem.

2.Reg.11. HESYCHII. Clariorem liber regum historiam continet: Namque cum Dauid conspexisset ab altis domibus Bersabee uxorē Vriæ Hættæi se lauantem, & inde in eam cupiditate exarsisset, accersissetq; illam, cum ea concubuit: cumq; concepisset, ueritus Vriā Dauid dolum parauit, ut ille sub duce Ioab in prima acie pugnans in bello caderet: propter quæ iratus Deus misit illi Natham prophetam, ut illi propter cædem, & adulterium comminaretur, quo facto Dauid ad pœnitentiam conuersus scripsit hunc psalmum non ueritus uulnus suum detegere, ut peccatoribus pœnitentię remedium indicaret.

EVSEBII. Cum Dauid ex præcedenti psalmo spiritum audiuisset de iudicio Dei uaticinantem, & peccatori obiicientem, si uidebas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem habebas, perculsus animo ob memoriam furtiui criminis thori uiolati, cum ad Bersabeę uxorem Vriæ ingressus esset, contendebat Dei iudicium pręuenire, & iram eius confessione præuertere: quare confestim propositum psalmum tanquàm accusationis indicem composuit. non ueritus eam reprehensionis notam tanquàm in columna firmam sibi inscriptionem inurere. namque manifestò commissi à se criminis memoriam facit, dicens. IN FINEM, Psalmus Dauid, cum ad illum uenit Natham Propheta, quando ingressus est ad Bersabee, post hæc metu, & angore plenus ex superioribus per Asaph Prophetam allatis, & prædictis, cum

Psal.49.

cum dixit: Deus manifestò ueniet, Deus noster, & non filebit, *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas ualida*: Supplices uoces, adhortationes, & preces Deo emittit dicens. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, Deinde metuēs ob sermonem Asaph, qui dixit. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum. Cum eius animum subiissent insidię, quas Vriæ molitus erat, cum offendiculum per literas subdolè in illum scriptas ei parauit, ut in prima acie in pugna lapsus occumberet, addit supplicationem dicens. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper*, & paulò post, *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meę*, tantum non Vriæ necis mentionem fecit. Deinde cum iterum iã p Asaph Deum dicentem audiisset, Arguam te & statuam contra faciē tuam, necessariò supplex orando petit, *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*, Et demum concludens subiungit: *Quoniam si uoluisses sacrificium dedissem utique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus*, quæ probè subscribunt doctrinæ Asaph, qua dictum est: Non in sacrificiis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non suscipiam de domo tua uitulos: neque de gregibus tuis hircos. Hæc igitur antequam singularum partium enarrationem aggrediamur, accuratè à nobis obseruentur, ut quàm consentanea, & consequentia sint mutuò uideatur. Deinceps inscriptionem perpendamus quæ nos ad accessum prophetæ Natham ad Dauid necessario remittit, ut ab historia discamus, quibus reprehensionibus contra illum propheta sit usus. Hæc ergò in secundo libro regum 2.Reg. 12. scripta sunt. Et displicuit uerbum hoc, quod fecerat Dauid corãm Domino: Misit ergo Dominus Natham ad Dauid, qui cum uenisset ad eum, dixit ei. Responde mihi iudicium. Duo uiri erant in ciuitate una, unus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues multos nimis pauper autem nihil habebat omnino præter ouem unam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum, cum filiis eius, simul de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam uenisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, ut exhiberet conuiuiū peregrino illi, qui uenerat ad se, tulit ouem uiri pauperis, & præparauit cibos homini, qui uenerat ad se. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Natham. Viuit Dominus, quoniã filius mortis est. uir qui fecit hoc, quem reddet in quadruplum, eo quod fecerit uerbum istud, & non pepercerit: dixit autem Natham ad Dauid, tū es ille uir, qui fecisti hanc rem. Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ego unxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi Exod. 22. domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Iuda, & si parua sunt ista, adiiciã multò maiora. Quare ergò contempsisti uerbum domini? ut faceres malum in conspectu meo? Vriam Hetteum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternū, &, quod despexeris me, & tuleris uxorem Vriæ Aethæi ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis huius, tu enim fecisti abscondité, ego autem faciam uerbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis huius. His auditis Dauid perterrefactus propositam supplicationem, per confessionem Deo emittit, & se ipsum infamiæ notat: Siquidem neque ante sermones prophetæ psalmum composuit, neque Deo prius confessus fuerat, sed animum tanquàm sopore, & ebrietate occupatum habens, peccatum suum quemadmodum homines sic Deum latere existimabat. Omnia enim occultè ab eo facta sunt. Consuetudo habita cum muliere contra legem mortem uerò peperit, ideo illi dictum est. Quoniam fecisti occultè, ex quo uerò manifestus tanquàm à Deo deprehensus factus est, confestim quidem quasi experrectus titulum accusatione plenum contra se ipsum erexit, qui reprehensionem, confessionem, & supplicationem contineret. Hoc ergò ipsum cum significaret in inscriptione, perspicuè dixit. Cum uenit ad eum Natham Propheta quando ingressus est ad Bersabee. Cæterum non adiuit eum propheta illicò post peccatum: illud enim nondum completæ sunt iniquitates Ammorræorum, de Dauid etiam licuit dicere. Iccircò ne ille à libero eius arbitrio, quod in nobis est, excluderetur, & malum aliquod deterius fieret, dum praua uoluntas in profundo lateret, propheta initio ab arguendo illo abstinuit: At ubi malum erupit, & absconditam, & inhærentem sibi putredinem omnem ostendit, & tempus medium intercessit, in quo tanquàm à febre liberatus intermittente morbo leuius agere cœpit, tum sanè propheta ueluti peritus medicus opportunum remedium attulit, nimirum arguendo & reprehendendo. Ita enim solent medici, non crudis, & immaturis uulneribus, sed lenitis, & remittentibus

2.Reg.11. & 12. remittentibus afferre medicamenta. meritò igitur diuina scriptura temporis opportunitatem designat, ita loquens. & introduxit eam Dauid post mortem uiri sui in domum suam, & facta est ei uxor, peperitque ei filium,& displicuit uerbum hoc,quod fecerat Dauid coràm Domino, & misit Dominus ad Dauid Natham, qui cum uenisset ad eum dixit ei, quæ scripta sunt. Vt uideas post necem Vriæ, & postquam Dauid in contubernium mulierem asciuit,& grauida etiã facta post annuum tempus filium peperit,propheta ad eum mittitur. & propterea ubi propheta reprehendit ipsum Dauid,subiungit: & filius, qui natus est tibi, morte morietur. Cumque hoc dixisset,reuersus est in domum suam. Quod si hæc ante prædictum tempus dicta fuissent, quamdiu eius animus turbatus erat, uel non passus esset se reprehendi, uel graue aliquid in prophetam statuisset: ut qui morbo à mente desciscunt, qui aduersus parentes, uel amicissimos quosque, uel etiam in medicos ipsos feruntur. Sed tempus est, ut causam quæramus, qua tantus uir in hæc scelera prolapsus sit. Causam sanè docet propheta per exemplum cum dixit. Duos homines fuisse,diuitem unum pauperem alterum: & per diuitem Dauid, per pauperem Vriam significauit. deinde uiatorem peregrinum peregrè ad diuitem diuertisse, Vbi conuenit, quod diligenter animaduertamus, quod docet peregrinum quendam ad animam Dauid accessisse: quo manifestò ostendit, peregrinum quendam spiritum,& diabolicam potestatem eum rapuisse,neque enim eò insaniæ tantus uir deuenisset,neque tam subitò in mulieris desiderium exarsisset uir,qui in ætatis flore,& ipso iuuentutis feruore magnæ continentiæ specimen exhibuerat. Habuit enim cum fugeret à Saul in deserto Achinoam, habuit Abigail post mortem uiri eius,sed nunquam illis appropinquasse legitur toto exilii sui tempore. Quare nec filios habuisse scribitur,nisi post mortem Saul: Nam in exilio afflictus,& uexatus precibus,& supplicationibus intendebat. Sed ubi regno potitus est tum refert scriptura ei natos esse filios in Hebron. Eccl.10. Qui ergò in iuuentute,& in ipso ætatis uigore continentissimus fuit, ætate prouectior, & diuinis auctus incrementis, non sine magna necessitate, & impulsu ad tantum facinus processisset,sed sanè quidam potens peregrinus fuit,& hostis extraneus amicitiam dissimulans, & animæ illius cohærens:quem Solomon non ignorans docebat,dicens si spiritus potestatem habentis ascenderit in te,locum tuum ne dimiseris.

DIDYMI. Non est quod aliquis magno Dauid insultet:nam cum Deus iustificet, nemo est, qui condemnet, sed sit potius in sanctum uirum religiosus æstimator. Siquidem cum tandiu in regno fuisset uir ætate prouectiori,hoc solum de illo crimen adducitur, & quod censuerit populum præter Dei uoluntatem; sed nec in peccato diutius perseuerauit:Nam cum tantus rex ab idiota reprehensus fuisset,non modò non est indignatus,& eum non offendit,sed se potius demiserit,& abiecerit: Ita ut propheta diceret, ecce & Dominus abstulit peccatum tuũ: nam cum dicat,& Dominus,ostendit etiam ipsum Dauid acerrima pœnitentia,& lachrymis peccatum suum diluisse. Dicimus ergò alios homines in delicta labi, & cadere. sed sanctos salutis uiam currentes, si quid illis per iniuriam acciderit, non succumbere, nec prosterni. Siquidem cursus eorum non est illis interceptus, neque offendisse uidentur. Describuntur autem in sacris literis eorum delicta, multis iisdemque utilibus de causis: nam multi ad eorum uirtutes imitandas inuitati præ ignauia prætexentes sanctos esse diuinam partem nec peccare posse: nos autem non esse huiusmodi, dicunt non posse tantos uiros imitari. Quare diuina prouidentia factum est,ut peccati occasio uiris sanctis nasceretur,ut quemadmodum uirtutis, ita etiam pœnitentiæ magistri fiant, Atque hæc causa una est,cur sanctorum peccata in sacris litteris describãtur. Altera est ut tum ipsi,tum alii doceantur, non efferri, non gloriari, si non delinquant, id propriis uirtutibus non diuino auxilio ascribentes: Præterit ergò diuina gratia illos interdum,ne magnitudine propriẹ existimationis efferantur,At ubi lapsi fuerint, naturæ suæ imbecillitatem cognoscant, & ad Deum liberatorem confugiant. Quinquagesimus autem psalmus inscribitur,quia conuenit numerus quinquagenarius cum misericordia, & remissione: nam si spiritus,qui hos digessit historiæ ordinem obseruasset,quinquagesimum primum, & quinquagesimum tertium, & eos, qui deinceps sequuntur,huic prætulisset: nam quinquagesimus primus habet calumniam Doec Syri.Hęc autem historia Dauidicum regnum præcedit; & quinquagesimus tertius Ziphæorum criminationem in Dauid apud Saul continet: quod etiam accidit, antequam Dauid regnum obtineret. Quod uerò quinquagenarius numerus cum misericordia, & remissione rationem,& comparationem quandam habeat,Saluator de remittendo loquens per similitudinem debitores sumpsit debentes unum quinquaginta, alterum quingentos denarios facta utrisque debet remissione ob quinquagesimi, & quingentesimi numeri affinitatem. Habet etiam numerus mysterium paschatis,in quo agnus Dei mactabatur, qui abstulit peccata mundi,

Quinque

quique à mortuis excitatus peccatorum remissionem perfecit. Præter hæc per dies quinquaginta, hoc est usque ad Pentecosten uitam cum lætitia, & gaudio traducimus. quo die Spiritus Sancti effusione digni efficimur. Et iubileus apud Hebræos uocatur, qui etiam quinquagesimo quoque anno celebratur, in quo debita remittuntur. Et Hebræi in libertatem uendicantur, & possessionum restitutiones fiunt. Iure igitur quinquagesimus psalmus pœnitentiæ psalmus est. Est autem collectus ex septenario numero in se ducto, & unitate, ut numerus is ebdomada ebdomadarum existat, in quo tum esse oportebat, qui pondus, & onus peccati auferret.

THEODORETI. Ex inscriptione ipsa argumentum psalmi habetur. Verba quoque psalmi satis sunt ad mentis affectum declarandum. At sciendum est psalmum etiam futurorum prædictionem continere, & propterea, *IN FINEM*, inscribi, quo sermo declarat prophetiam finem habituram. Cæterum nemo ambigat utrum pœnitentiæ tempore prophetiæ donum haberet, cum ex aliis psalmis, quibus confessionem fecit, id perspici possit. Nam in sexto psalmo de futuro iudicio naticinatus est dicens: Non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi. Et in trigesimo primo beatos existimat eos, qui absque labore peccatorum remissionem acceperint, quòd sola baptismatis gratia donat. Atque etiam in proposito psalmo manifestò nos docuit, se Spiritus Sancti gratia non fuisse priuatum. Cum dicat. *Spiritum Sanctum ne auferas à me*: non enim gratiam Spiritus Sancti sibi restitui postulauit, sed petiit, ne illa à se auferretur. Ab hoc igitur radio illuminatus, & propheticis oculis præuidens fore ut populus quem ille regebat in peccata prolaberetur, & prò illorum expiatione in seruitutem abduceretur, atque Babylona incoleret, conscripsit, hunc psalmum, & propria uulnera curans, & ęgro populo idoneum remedium parans, & nobis etiam quotquot uulnerati curatione indigemus. Psal. 6. Psal 31.

CHRYSOSTOMI. Imago psalmus est, uariam in se continens disciplinam, interim quidem propria, interim uerò aliena denuncians, quia igitur psalmus istè non alienos sed proprios affectus indicat, dicens, *Quando uenit ad eum Nathan Propheta*, cohibet nos inscriptio nec nos sinit longius euagari, & aliò mentem transferre, sed illicò ea demonstrat, & docet, quæ psalmi contextus continet. Considerate igitur diligentius siue iusti, siue peccatores, nam utrique parti utilis psalmus est, iusto quidem ne per negligentiã, & desidiam obtorpescat, peccatori autem ne se ipsum despiciat. Vtriusque enim periculosa contemptio est, cum & iustus per negligentiam cadit, & peccator, cum desperauerit perit.

NICEPHORI. *Quomodo ingressus est ad Bersabee*, illud, *quando*, præposterum tempus significat, & futurum aliqu anto post tempus significat, ut sit sensus eum hunc psalmum composuisse, postquam intrauit ad Bersabee, & eam grauidam fecit.

DIDYMI. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, Qui acri & uehementi pœnitentia corripitur, ingentem quoquè Dei misericordiam poscit: cum absque misericordia non satis sit pœnitentia, prò ut in nobis est, misericordia Dei satis ualeat ad salutem.

ATHANASII. Tanquàm prò ingenti crimine ingentem Dei misericordiam implorat, magnam enim humilitatem magni casus expetunt. Præterea non simpliciter misericordiam, sed magnam implorat, ut non solum à peccatis liberetur, sed etiam inter iustos censeatur, quod proprium baptismi munus est: Quare Dauid ex mysterii typo, quod apud nos prophetico spiritu redemptionem suppliciter petit. Nos uerò hac uoce percepta compungimur: Nam si propheta Deo plenus & iustus in tanta calamitate, ac periculo uersatus est, quomodo nos non multò amplius indigebimus, ut tutamentum nobis quæramus. Idem Eusebii.

THEODORETI. *Miserere mei Deus*, & ipsi Dauid, & populo seruienti, & iis, qui inter nos animi morbis laborant, proposita uerba accommodari possunt, nam magna uulnera magnis indigent remediis: & qui in grauem, & periculosum morbum incidit, maiori opera curari debet: & qui maximis criminibus obnoxius est, & maxima eget benignitate. Propterea magnus Dauid totum misericordiæ fontem in se effundi, & peccati ulcus aspergi uehementer postulat: nam secus fieri non potest, ut peccati uestigia deleantur. Iure autem iniquitatem peccatum uocat, nam duobus peccatis legem transgressus est, id est bifariam legem uiolauerat.

CYRILLI. ORIGENIS. Naturæ miseretur, qui naturam formauit: nouit eam multis morbis obnoxiam, & imbecillam. Facilè enim malorum inuentor mentem perturbat, adiutricem habens legem in membris carnis ferocientem. Ad Deum ergò accedendum est, ab ipso enim, & omnis fortitudo. Forsitan uerò cum præuideret, quod Christus aliquando in terris

in terris illucesseret, & omne mundi peccatum auferret, misericordiam magnam, hanc adeò insignem, & illustrem gratiam uocat. *Deinde iniquitatem meam.* Siquidem scriptum Psal. 106. est, quod omnis iniquitas oppilabit os suum: nam iuxta Paulum: Si Deus iustificat, quis con Rom. 8. demnabit.

HESYCHII. Rogat auferri iniquitatem suam, ut non solum curetur uulnus, uerum ne cicatrices, & margines relinquantur. Ideò, & miserationum multitudinem prætendit, neque enim ab una miseratione, hoc est uenia unius delicti peccator seruari potest, sed ad multa peccata abolenda multis opus est miserationibus, ut minas, & supplicium fugiamus.

NICEPHORI. *Miserere*, Ei, qui magna tibi peccauit, magna opus est misericordia tua.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.

DIDYMI. Quemadmodum sordes, & maculæ, quæ profundius penetrarunt, non una, sed pluribus ablutionibus eluentur, ita magnæ iniquitates multis Dei miserationibus eximuntur.

THEODORETI. *Amplius laua me*, Iam enim (inquit) per Natham mihi pepercisti, & multas ac uarias calamitates quasi adustiones, & incisiones quasdam adhibuisti. Verum adhuc restat, ut purger, cum magnis peccati sordibus, & fœtore inquinatus sim. Rursus igitur me Isa. 4. abluas Domine, ut omnes iniquitatis maculæ abstergantur. Nam Dominus iuxta prophetam abluit sordes filiorum, & filiarum Sion, spiritu iudicii, & spiritu ardoris.

CHRYSOSTOMI. *Miserere mei Deus*, Quid amplius quæris? ô Dauid, perseuera in agendis gratiis, quia ablatum est peccatum tuum, sed uolo (inquit) cicatricem delere. Ablatum est uulnus, uolo, & pulchritudinem recipere, ideo dicit. *Miserere mei Deus*, Ad misericordiam (inquit) confugio ad commune peccatum: nec. n. confido operibus meis, siquid forte benefeci, miserere mei Deus, quia misericordia tua inæstimabilis est. *Et secundum multitudinem miserationum tuorum*, Vide quid quærat, *Dele* (inquit) & *Amplius, laua me*, plus aliquid quæro, maiorem honorem, maiorem gloriam. *Amplius laua me.* quid ergò dignum fecisti, ut hoc tibi fiat? Attende diligentius uerba, & temetipsum appende misericordiæ Dei. Inæstimabilis est, sine fine est, quæ comprehendi non potest, superans omnem sensum, omnem cogitationem, sed quia talis est misericordia Domini, tamen non ut homines misericordiam consequuti remissiores fierent, quærit quiddam à nobis Deus, Miseretur quidem sed non passim miseretur. prouocat nos, & dicit, Da & tu aliquid, ut puta mille flagitia perpetrasti, habes onera delictorum, da & tu manum tuam, non quin ego tui egeam, sed quia uolo, & te aliquid conferre ad tuam utilitatem.

HESYCHII. Non simpliciter laua, sed amplius hoc est multum, rogans ut purgatio criminis & lapsui respondeat: nam quemadmodum uestis parum sordida facile abluitur, & nundatur, quæ uerò multum, & sæpius sordes contraxit, maiori studio, ac labore extergenda est, sic & anima, quæ semel, & parua peccauerit, mediocri pœnitentia purgatur, cum uerò multis, & grauibus delictis sese obstrinxerit, non leui, & negligenti, sed laboriosa, & aspera pœnitentia indiget, cum multorum benefactorum operibus: nam pœnitentiæ lachrymis Deus abluit, & detergit delicta nostra: Rectè autem peccatum iniquitatem appellat, uolens ostendere, ne sibi quidem, quanquam regi, licuisse legem uiolare, nam regem omnium altissimum offendit.

DIDYMI. Eandem actionem peccatum, & iniquitatem apellauit, siquidem opinione differunt inter se, quod iniquitas quidem sine lege constet, peccatum uerò legis transgressione cõmittatur.

CYRILLI. Considera deinceps (ut decet Chrysti mysterium: Habuit enim lex ipsa purgationem per aquam de qua sapientissimus Paulus mentionem fecit, dicens. Si enim sanguis taurorum, & hircorum & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Verũ tamen typus impotens fuit, & debilis ad abstergendum peccatum: nam fiebat ad expurgationẽ carnis tantũ: At uirtus, quam per Christum, & sacrum baptismum accipimus, cum legali purgatione longè præstentior sit, magis eluit, atque adeo in uniuersum ad animam usque pertingit, & eius sordes omninò detergit.

ATHANASII. *Ab iniquitate mea*, quæ cœde patrata est, *& à peccato meo*, quod adulterio commisi.

NICEPHORI. *Amplius laua me*, Data enim uenia est per Natham: illud, *Amplius*, prò, ualdè, positum est.

quoniam

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

HESYCHII. Beatum est cum quis proprium nouit peccatum, & continenter ante oculos habet delicta sua, Nam qui cognoscit, meminit, & oculis animi delictorum suorum uulnera intuetur, erubescit pudore suffusus, & recordationis angore premitur, & pudore coactus ad poenitentiam properat. Qui uerò obliuiscitur, quasi nihil mali ab eo patratum sit, ad alia quoq; scelera patranda trahitur.

APOLINARII. Hoc illud fuit. Iustus prior accusator est sui: non enim (inquit) expecto accusationem ab aliis, licet propheta ipsum reprehenderit, nam illa quidem semper arguit me; Ego uerò continenter uideo lapsum meum, sed non negligo medicinam per misericordiā comparatam. Prou. 8.

THEODORETI. Non enim post concessam à te ueniam peccati oblitus sum, uerum ego semper malorum meorum imagines, & spectra, & quæcunque audacter patraui perspicio, & nocte somnio, & interdiu mente uerso. Hoc autem Deus præcipit, ut peccatores faciant per Isaiam. Ego enim (inquit) sum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor, tu autem recordare, & iudicemur simul. Dic tu prius iniquitates tuas, ut iustificeris. Consonant hæc cum iis, quæ beatus Dauid scripsit in psalmo. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Isa. 43. Psal 41.

DIDYMI. Qui quod semel est à se commissum coram se retinet, non potest ad aliud patrandum induci, namq; nos priorum delictorum obliti noua subinde committimus, nam sequētia delicta præmissorum obliuio parit.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam iniquitatem meā ego cognosco.* Vicissitudo est, Deus dat, ut reus seruetur, dedit Dominus misericordiam suam, dedit, & qui peccauerat confessionem peccatorum suorum, parum quidem, sed quod habuit. Quid dabis ô Dauid ut saluari possis? Quoniam (inquit) iniquitatem meam ego cognosco. O ingenuitatem animæ, ô mentis integritatem, non est oblitus iniquitatis, & peccati sui, quāuis indultum sibi fuerit, ille tamen in conscientia sua tanquàm in imagine, adulterium, & homicidium depictum habebat, & per singulos dies putredinē uidebat, & ideo dicebat, & peccatum meum contra me est semper. Ego illud uideo, tu ne id consideres: Ego illud scribo, tu quasi Dominus dele. Vide enim quid sit, si tu memor sis, Deus memor non erit, si tu oblitus eius fueris, Deus eius memorabitur, Ego sum (inquit Dominus) qui deleo iniquitates tuas, tu uerò memor eorum esto. Isa. 45.

HESYCHII. *Et peccatum meū contra me est semper*, non quod omnes homines latuerit, ut nonnulli opinantur: non enim Bersabee ipsa, quæ adulterium commisit, sed nec illos, qui eā regis nomine uocauerunt adulterii negotium latere potuit. Ioab quoquè sciuit operam suam regi se præstitisse in cœde peragenda. Sed nec ipse putauit, propterea quod rex esset, peccare potuisse: nāq; hoc indignum & propheta, & suo rege fuisset: sed, *Tibi soli peccaui* dicebat, quoniam soli Deo tanquàm opifici, & figmenti sui miserenti curæ est ne peccemus. Fortassè illud, *Malum coram te feci*, addidit, quoniam reliquis omnibus ei tanquàm regi indulgentibus & factum silentio contegentibus, Deus misit Natham, & nefarium illud scelus reprehendit, & cur hoc fecerit, sequentia declarant.

ORIGENIS. Actu peccantes tum hominibus, tum Deo peccamus, mente uerò delinquentes Deo soli peccamus, uel prò eo id positum est, quoniam tibi soli cognitum est peccatum.

DIDYMI. Quatenus rex erat, non subiiciebatur humanæ legi, unde nulli ex legum conditoribus peccauit: neque eorum ullo ex illis malum hoc fecit. Quoniam uerò ad regiam dignitatē illius accessit ut prius esse uellet diuinæ legis subiectus fuit: & propterea soli Deo peccauit, & malum fecit corām eo, cum ad Vriæ uxorem ingressus est.

THEODORETI. *Tibi soli peccaui*, cum amplissimis à te (inquit) donis auctus fuerim, contrariis tamen factis dona illa rependi, ausus ea patrare, quæ lege prohibita sunt: non enim hoc dicit, se scilicet iniuria nulla Vriam affecisse: nam & illum, & eius uxorem offendit, sed maximū crimen in Deum commisisse, qui ipsum elegit, & è pastore regem creauit, & uictorem hostiū fecit, & omnibus bonis honestauit. Commodè autem apposuit illud, *Malum coram te feci*: Huius enim meminit regum historia. Et hoc, quod fecit Dauid displicuit in oculis Domini. Quod si de captiuo populo hæc dicantur: Ita intelligendum est. *Tibi soli peccaui*, id est ingratus in tua dona extitit, & leges abs te mihi impositas transgressus sum. Cumque bonis omnibus cumulatus 2. Reg. 11.

tus fuerim erga hæc beneficiorum immemor factus sum: nam cum Babylonios nihil offenderim, ab illis magnopere offensus sum.

CYRILLI. Impius est, qui regi dicit: iniquè agis: alicubi scriptura dicit. Quoniam igitur nullus erat qui me, cum peccarem redarguere posset, & tu peccantes corrigas, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

HESYCHII. *Vt iustificeris in sermonibus tuis*, quid enim iudicem adeò iustificat, quàm sæpe testari eum iudicaturum esse? Præcipuè uerò uictoriam iudicis, & iustificationem eius esse statuit, pœnitentiam eius, qui iudicatur: nam uincere iudex noster existimatur, non quidem cū condemnauerit: sed cum potius sontem seruauerit. Cum ergò Natham ipse ad pœnitentiam Da-
Gen. 8. uid hortaretur, reprehendit ea de causa, ut iudex iudicii tempore uinceret, cum cerneret peccato-
Psal. 73. rem per ueniam seruandum.

DIDYMI. Rursus cum Deus dixerit cogitationem hominum esse ad mala propensam, nec hominem esse, qui non peccet, quando & perfecti ipsi peccant: iustificatur Deus in sermonibus suis, quibus dixit, omnes declinasse, & inutiles factos fuisse. Hac quoquè ratione uincit, cū iudicatur apud homines ostendens eos esse peccatores. cum hoc conuenit illud: si dixerimus, nō peccauimus mendacem illum constituimus. Qui enim se absque peccato esse gloriatur, quan-
1. Ioan. 1. tum in se est, mendacem Deum ostendit.

THEODORETI. Mihi egomet (inquit) horum malorum author fui, & iustitia tua elucet: namque si ita iudicium constituatur, ut beneficia abs te mihi collata in medium afferantur, & scelera à me patrata cum illis conferantur, tu quidem iustus & clemens apparebis, ego uerò iniquus, & ingratus uidebor. Illud autem, *ut*, hoc loco positum, non est redditio causæ: non enim ideo peccauit ipse, uel populus, ut Deus iustus uideretur, sed contrà ab illius peccato Dei iustitia declaratur: namque omnium indemnitati & saluti prospexit.

EVSEBII. Olim cum aliquis esse apud te uiderer, & tuo munere iustificatus, beneficium tuum, & bona mihi abs te collata nullo sensu reputarem: non te horum bonorum authorem feci: non gratias egi: sed mecum ipse multum gloriabar, & existimabam immutabili me habitu ornatum, ut dicerem. In abundantia mea non mouebor. quæ cum ego cogitarē, tu Deus auer-
Psal. 29. tisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Cum enim superbia intumescerem, in abundantia mea me arroganter gessi, & lætus diuitiis progressibus audacter dixi, non mouebor in
Psal. 126. æternum. Ideò benignus Deus misertus est mei, re ipsa docens, quod nisi ipse ædificauerit domū, in uanū laborant, qui ædificat eā, & nisi ipse custodierit ciuitatē frustrà uigilat qui custodit eā, necessario auertit uultum suum, qui me olim illuminabat, ut postquā me ipsum agnouissem, imbecillitate mea perspecta non amplius sine ratione efferrer, neq; in me ipso gloriarer, sed eum cognoscerem, qui mihi omnium bonorum author est. Proinde ego homo cum sim, reprehensus sum: Tu uerò uincis cum iudicaris factis ipsis declarantibus me, uel ante peccatum non uiribus meis, sed benignitate tua talem, qualis habebar extitisse.

CHRYSOSTOMI. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, quid est quod dicit? Non timebam eum, qui iniuriam passus est, erat enim meus miles, iudicare me non poterat, sed sollicitus sum propter te, ne tu à me pœnas exigas. *Vt iustificeris in sermonibus tuis*. quid est, quod dicit, *peccaui tibi*? Fiat iudicium & iudices, qui uincis, quomodo? Quia uidet. Deum sine intermissione iudicare cum hominibus, Dicit ei, Apud te uictoria est, ut iustificeris in sermonibus tuis, hominem agricolam regem fecisti, prophetam constituisti, uictoriam mihi in pugna dedisti, gigantem superare fecisti, non uirtute corporis, sed uirtute fidei, purpura induisti, diuitias ingentes mihi elargitus es, *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris*, si dixeris peccata mea, & non dixero ea ego, condemnabor, propterea mihi misericordia multa opus est.

NICEPHORI. *Quoniam iniquitatem meum ego cognosco*, Miserere mei, (inquit) quoniam non sum oblitus iniquitatis meæ, eam negligens, sed circa eius cogitationem continenter uersor. *Tibi soli peccaui*, Rex cum ego sim, tibique soli subiectus, tibi soli peccaui. Alioquin Vriam iniuria affeci, sed peccatum ipsum ad te transiit, quoniam leges tuas transgressus sum, uel quod alios latens tibi soli peccasse uideor, *ut iustificeris*, particula, *ut*, non reddit causam: sed egressionis est significatiua. Inquit enim, delictum quod feci coram te, in caput meum commisi, ut quoties tu mecum iudicans, & quæ inter nos est causa discutitur, tu quidem iustificatus, & irreprehēsibilis appareas. Ego uerò condemnatus, & reus, & dum tu in iudicium meum ueneris, tu quidē uinces, & ego causa cadam: iudicatur autem Deus cum nobis, quando arguit nos.

Ecce

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

HESYCHII. Hæc non dicuntur solum propter sordes ab Adam contractas: nam pollutos nos eius causa nasci cognouimus, ita ut priusquam ad ætatem boni, & mali discretricem peruenhimus, quasi à parentibus commaculata purgatione indigemus. Quod etiam ab ipso Iob dictum est. Quis gloriatur mundus esse à sordibus, etiam si unius diei sit uita eius? præterea peccati matrem diuina scriptura concupiscentiam appellare solet: Rursus uerò mortem utriusque cognatam esse Iacobus testatur dicens. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uerò cum consummatum fuerit, generat mortem, quare cum peccamus, in peccatis concipimur. Iob.14. Iac.1.

APOLINARII. Veniæ petitio est, quoniam iuxta primum generationis ortum peccatum nobis innatum est, à matribus concipientibus in nos translatum: Nam per unum hominem peccatum intrauit in mundum: & malum in muliere primas radices egit, & ex illa in genitorum generationes pertransiit. Propriè autem hoc de matre potius dicitur, licet à patre quoquè peccatum deriuetur: quoniam seminis origo est à patre, sed perfectè à matribus concipimur, & in lucem emittimur. Rom.5.

CYRILLI. Mos fuit sanctorum uirorum Deum placare, tum multis rebus aliis, tum propriæ infirmitatis professione: dicunt enim. Memento quod puluis sumus: Homo sicut fœnum dies eius, & rursus memor sis, quæ mea substantia: Hoc uerò Iob tolerantissimus clamabat: Nonnè sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti: pelle, & carnibus uestisti me: ossibus, & neruis compegisti me. Vitam, & misericordiam posuisti apud me? Nunc quoquè idem generationis nostræ exordium non sine labe adamatæ carnis fieri dicit. Honorabile proculdubio cõnubium est, sed siquis huius occasionem, & causam quærat, appetitum carnis inueniet ad eum compellentem. Punitur autem iste congressus, nisi tutricem habeat legem, & a natura iniectum desiderium sobolis procreandæ ueram huiusce rei occasionem. Proinde quod ad cupiditates solas, & motum carnis uenit, in iniquitatibus nostris conceptio est, & in peccatis matres concipiunt. Quod si generatio corporum radicem habeat carnis amorem, tum eam, tum quæ ab ipsa nascuntur, labefactat. Quare contra carnis impulsus, & motiones Paulus clamat dicens. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, uideo autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia autem à Deo per IESVM Christum Dominum nostrum, per quem lex peccati etiam mansuefacta est, & carnalium commotionum impetus, uel inuitus spiritus in cõtinentiam cedit. Hoc enim unà cum cœteris præstitit nobis unigenitum Dei uerbum homo factum. Id diuus Paulus affirmat, cum dicit. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Psal.88. Psal.102. Iob.88. Iof.23. Rom.7. Rom.8.

THEODORETI. A primordio (inquit) peccatum dominatum est naturæ, nam Euæ conceptum mandati transgressio præcessit: nam post inobedientiam, & diuinam sententiam, & expulsionem à paradiso cognouit Adam uxorem suam Euam, & cum concepisset, peperit Caim. Hoc igitur uult innuere, quod cum peccatum primos parentes occupasset, uiam quandam, & semitam per humanum genus sibi aperuit. Hoc enim & beatus Paulus dicit. Tum enim per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Hoc quoquè uniuersitatis Deus admirando Noe dixit. Sensum hominis in malum uergere ab adolescentia sua omnibus diebus. Cœterum per hæc diximus peccati efficaciam nõ esse à natura insitam, (alioquin à pœna liberi essemus) sed naturam esse ad peccatum procliuem, cum affectionibus perturbetur: uincit tamen ratio, & uoluntas cum laborum auxiliis utitur. Nõ igitur, ut nonnulli suspicati sunt, hoc loco nuptias, & matrimonii coniunctionem damnat, & iniquitatem uocat, quemadmodum temerè aliqui affirmarunt, uersiculum istum hoc modo accipientes. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, sed affert primorum parentum inobedientiam, & mandati transgresisonem factam ab initio, & illam horum fluctuum originem fuisse dicit: nam si illi non peccassent, nec mortem quidem peccati præmium accepissent: quod si mors non fuisset, nec perturbationibus obnoxii essent, quæ si abessent, nullus etiam peccato locus relinqueretur, sed quoniam peccauerunt, morti traditi sunt: & mortales facti, mortales quoquè filios procrearunt, quos libidinum motus, uoluptates, mœrores, ira, & inuidia sequuti sunt. Cum his, atque illis, quæ inde pullulant, ratio continuò decertet: Vincens Gen.4. Rom.5. Gen.6.

eens commendatur,& triumphales coronas adipiſcitur:ſuccumbens autem ignominia åfficitur, & pœnas luit. pro *conceptus ſum*, Aquila & Symmachus interpretati ſunt,cum dolore parturiit me mater,quod ferè idem ſignificat.

Iob.3. EVSEBII. *Ecce enim in iniquitatibus.* Similia ſunt hæc iis, quæ à Iob dicta ſunt. pereat dies, in qua natus ſum: & nox, in qua dictum eſt, natus eſt maſculus:cur ergò pereat,niſi quod in iniquitatibus conceptus eſt? Conſentaneum enim fuit,ut peccatum maledictio ſequere Ier.20. tur. Iiſdem uſus eſt uerbis Ieremias dicens. Maledictus dies in quo natus ſum,& nox,in qua concepit me mater mea: Optimum enim fuiſſet, ſi neque prima mulier Dei præce-Cap.2. ptum uiolaſſet, neque cum uiro à paradiſo eiecta fuiſſet,corruptæ generationi poſt dolores par tus inſerta non fuiſſet, & ſimilem Angelis uitam ducens in paradiſo permanſiſſet. At inuidia Diaboli mors intrauit in mundum: morti uerò generatio,quæ fit per carnem,& ſanguinem ad conſeruandum mortale genus miniſtrauit. Quare factum eſt,ut conceptus ille tanquàm mor ti ſubiectus à ueris ſanctis damnaretur. At illud. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, iuxta Symmachum ita uertitur. In utero à matre dolores pariendi habente geſtatus ſum, atque conceptus,ut ad iuſtitiam exirem, & ut in peccato conceptus arguerer. Et hæc habeo quæ illi primæ naturæ obiiciam. Iuxta igitur hanc intelligentiam,non in iniquitatibus matris meæ conceptus ſum, neque mater ipſa quæ genuit ſuis in peccatis me genuit:ſed ego(inquit) ad iniuſtitiam genitus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum dolo re nanque in utero geſtatus ſum,atque conceptus moribunda carne circundatus fui,ut decidam in iniuſtitiam,& peccatū,& ut qualis genitus ſim, deprehendar:& hæc dico,quoniam ueritatem dilexiſti.

SEVERI. Quemadmodum Paulus ad Galatas ſcribens, ſegregatum ſe dicit ab utero ma Gal.1. tris ſuæ in miniſterium Euangelii,omiſſis illis, quæ interiecta ſunt, ſcilicet, quod Eccleſiam Dei perſequutus ſit, cum eſſet blaſphemus, & iniurius, tanquàm ab optimo fine qui occultus eſt, à poſtremis bonis omnis eius uita iudicari debeat:ita qui in peccatis extremum diem finierunt,ex eo tempore,quo ex utero prodiere,abalienati eſſe à Deo dicuntur,qui præcognó-Psal.57. uit eos, iuxta id, quod in pſalmis dictum eſt: Alienati ſunt peccatores à uulua:errauerunt ab Isa.48. utero: loquuti ſunt falſa. Et aduerſus Hebræorum populum per Iſaiam dicit Deus, ſcio quod præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſor ab utero uocaberis. Huiuſmodi, & hic dicit beatus Dauid propter hoc præcipuè iuſtificatus: *Ecce*, (inquit) *in iniquitatibus conceptus ſum*, & *in peccatis concepit me mater mea*. Præter enim hæc peccata, & tam ingentes iniquitates, in adulterium quoque lapſus ſum, & cœdem, & oblitus eorum, quæ iuſtè antea, & ſanctè fecerim, totam uitam meam condemno, meque mihi ipſum authorem fuiſſe puto,ut in iniquitatibus, ac peccatis à matre conciperer, ac in utero geſtarer. Sunt aliqui præterea, qui ſecus interpretantur propoſita uerba, dicentes Dauid concupiſcentiam ipſam iniquitatum matrem appellare, propter appetitum rerum turpiſſimarum, quaſi concipiens, & peccati actionem parturiens, etiam peccatorem illud agentem, & patrantem parit, ut iſtius partus dolor mors peccatoris ſit finis. ſic enim ſcribit Iacobus. Vnuſquiſque Iac.1. uerò tentatur a propria concupiſcentia abſtractus, & illectus, deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum: peccatum autem cum conſummatum fuerit, generat mortem. Ab huiuſmodi ergò iniquitate,tanquàm peccatorum matre generatum ſe,atque conceptū Dauid affirmat.

ATHANASII. *Et in peccatis concepit me mater mea*, Oſtendit quomodo initio natura hominum ſub peccatum conciderit,& ortus eorum præuaricationi, & maledictioni Euæ ſuccubuerit. At qui altius ſermonem texit, dum diuini muneris amplitudinem quærit oſtendere..

NICEPHORI. *Ecce enim in iniquitatibus*,commixtus ſum cum iniquitatibus, & mater mea,(ut uidetur)ad hoc me genuit,ſcilicet ad peccandum. Illud autem quod dicitur, *Et in peccatis concepit me mater mea*. Symmachus reddidit:& in peccatis genuit.

Ecce enim ueritatem dilexiſti,incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo,& mundabor,lauabis me,& ſuper niuem dealbabor.

DIDYMI. Qui fucatis coloribus ueritatis ſeſe exercuit, ubi eius magnitudinem, ac præſtantiam nouerit; mirabilem amorem erga illam concipit: nam qui mendaciis aliàs oppugnatus eſt, oculatior factus maximè admirandam ueritatis pulchritudinem cernit. Huiuſmodi fuerunt Moſes, & Daniel, cum enim fallaciis, & decipulis

decipulis tentati fuissent, ubi ad ipsam ueram sapientiam eueᶜti sunt, à Deo testimonium retulere, quod uerè sapientes essent: Deo inquam illis recludente incerta, & occulta sapientiæ suæ, ita ut nihil illis reconditum,& adumbratum fuerit habitus istius,quem Dauid etiam indutus, propositum uersum protulit.

A P O L I N A R I I. Nos sanè (inquit) altas in peccatis radices egimus,in peccatis nati sumus: tibi uerò ueritas pulchra placet, & nequaquam inuersa. Quomodo igitur possunt homines ab huiusmodi iudice probari, & non potius summa confusione, & ignominia affecti condemnari?

H E S Y C H I I. Prophetiæ gratiam, & munus innuit: nam per prophetiam id acceperat, à Deo, ut incerta, & occulta eius illi manifesta essent. Sed cur hoc loco prophetiæ mentionem facit? An ut beneficia à Deo sibi collata recenseat? Se ipsum deterrere,& benefactorem suum quærens extollere?

A P O L I N A R I I. *Incerta, et occulta.* Ex præcedēti illi collata gratia, putat & hanc illi benignitatem adiungi: nam Deus principiis suis, reliqua etiam, quæ illa principia sequi debent, uoluntati, & infirmitati suę insistens, inducit. licet res nostrę omnino dignæ non sunt. Quemadmodum ob pactum, quod cum Abraham pepigit, malè affectum genus posterorum eius miseratus est, principio nimirum consentanea inferens, & promissionis stabilitatem suprà quàm pręstari queat, consequenter seruans. Quoniam igitur sapientiam consequutum, & se illa ornatum, à Deo senserat, quoque intelligeret, prò quibus etiam orauerat. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: iccircò gratias agit ob sapientię donum acceptum, & rogat, superfusas sordes sibi à Deo abstergi, ut hoc quoque ad illud beneficium adiungat. Psal.118.

T H E O D O R E T I. *Ecce enim ueritatem dilexisti.* Ita quidem iudicas, & sanè, & alios suppliciis tradis, alios præmiorum corona illustras: idque inde proficiscitur, quoniam ueritas tibi est cordi. Tu ueritatis amans, & imbecillitatis naturæ nostræ non ignarus petentibus re media ueniam prębe. *Incerta, & occulta sapientię tuæ manifestasti mihi.* Ego sanè indignum me uenia cognosco, & fateor me donis tuis ingratum, & beneficiorum tuorum immemorem fuisse, namque non modo me in regio solio collocasti, uerum prophetię quoque dono decorasti,& futura longo post tempore quasi præsentia ostendisti, quæque aliis incerta sunt, mihi certa fecisti,ut reliquos etiam Filii tui humanitatem, & salutarem crucem, & resurrectionem, diuinaque & illustria sanctæ ablutionis munera, & liberalem peccatorum remissionem prædocerem. Quare cum hæc omnia à tuo Sancto Spiritu didicerim, supplex oro, ut quam gratiam cœteris prædico,illius quoquè me participem facias.

C Y R I L L I. *Ecce enim ueritatem*, Integram uitam, & ab omni simulatione alienam uidetur intelligere cum ueritatem dicit, nam qui ad benè agendum conditus est, si non id agat, mentitur Deo, non habens iustitiæ fructus, & alibi de Iudæis inquit Dauid. Filii alieni mentiti sunt mihi. Aliter quoq; ita dices. Veritatem intelligit Christum,qui uerè expiator est. Psal.17.

C H R Y S O S T O M I. *Etenim incerta & occulta sapientia tuæ manifestasti mihi.* Quia dixit regnum dicit & prophetiam, sic & me honorasti, ut & Filium tuum reuelares mihi, & notum mihi faceres, Didici quoniam Filium habes, & si in throno tuo sit, didici quoniam futurus est homo: Annunciaui mundo uniuerso gaudium aduentus eius, & quod prò salute humani generis pati debebat, & quod esset cruci affigendus, & sepulturæ tradendus, quod à mortuis absque labe excitandus, & quod in cœlo ascensurus erat dixi eius ad inferos descensum, dixi resurrectionem, & ascensum, & sedem ad dexteram Patris, dixi gentium uocationem, dixi Ecclesiæ congregationem, dixi expulsionem Iudæorum, dixi Apostolorum electionem; *Incerta & occulta sapientia tuæ manifestasti mihi*, sic me honorasti, sic me dilexisti, & magna mysteria manifestasti mihi.

E V S E B I I. *Asperges me hyssopo*, quod in hanc uitam mortalem ingressus, corruptibilis carnis generatio peccatum nobis inuexerit, ex prædictis ostensum est.

Cum uerò antipophora sermoni hæreat, qua dubitare aliquis posset, cur huiusmodi naturam Deus crearit, quæ in iniquitatibus, & peccatis conciperetur? Hanc necessariò deinceps soluit, cum ait. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Eum enim admodum insipientem esse necesse est, qui ineffabilia tuæ dispen-

dispensationis ignorat, quorum causa Deus sese demittens, mortalem nostram subiit generationem: mihi uerò incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti, ut sermones istorum cognoscerem: nam si uitæ omnis conuersio tantum ad eius exitum homines perduceret, nihil haberet hominum ortus, studio, aut admiratione dignum: sed quoniam æterna uita, & cœleste regnum pios Dei cultores ex Dei promissionibus manet, non immeritò necessarius in hanc mortalem uitam ingressus contingit: ut hic animus quasi in puerorum exercitio instructus interim in certamine hinc ad meliora, futuras nimirum promissiones transire se præparet. Rursus anima in insipientiam, & peccata prolapsa, immedicabilis erat, utcunque hoc generationis uitio aliquis iure dederit: nunc uerò te animarum nostrarum seruatorem, & medicum habemus, ut os impiorum hominum intemperans obstruatur. Ego enim (inquit) qui sapientia tua, & secretis, ac ineffabilibus sermonibus olim instructus eram, cum nondum peccaturum, tanquàm percepta istorum cognitione probè scio, te iis etiam, qui peccauerunt, & medicinam afferre, & animam collapsam erigere. quamobrem benè spero, tuisque fretus auxiliis dico, *Asperges me hyssopo, & mundabor*, Et quod superius oraui, cum dicerem, *Amplius laua me à peccato meo*, hoc ipsum, si mihi largiaris, lauabis me, tanquàm tuæ humanitatis uirtute purgabis, ut fiam niue candidior.

NICEPHORI. *Ecce enim ueritatem dilexisti*, Fateor peccata mea, quoniam tu ueritatem dilexisti, *incerta & occulta*, Ad proprium dedecus hæc dicit, ut confundatur. *Asperges me hyssopo*, Hæc orationis uim habent. Hyssopum tropicè ueniam, & remissionem uocat.

EVSEBII. Hyssopum symbolum est imperturbatæ uirtutis, lauatio scientiam denotat, ab imperturbata uirtute expurgamur: à scientia uerò dealbamur.

HESYCHII. *Asperges me hyssopo*, legalem expiationem hoc loco intelligit: Hyssopo .n.& [Exod. 12.] aqua, & cinere uitulæ asperso perficitur. *Et lauabis me*, quemadmodum, & nos in baptismi dono aqua lauamur, & Spiritu illustramur.

DIDYMI. Qui sincerè ad figuratum pascha accedit, ab agni sanguine purgatur, qui Hys[Exod. 12.] sopo aspergitur, quemadmodum in Exodo scriptum est. Qui uerò agnum Dei, qui tollit peccata mundi accipit, ablutus sanguine cędis eius, supra niuem dealbatur. Vtraque in Dauid peracta sunt: Nam & per hyssopum typici agni sanguine aspersus est: & ablutus est à IESV, ita ut niue candidior fieret. Niuem autem hoc loco intellectualem candorem intelligit.

THEODORETI. Sola siquidem baptismi gratia, me perfectè abluere potest, siquidem cō[Isa. 1.] ditor omnium Deus per Isaiam prophetam hanc se daturū pollicitus est. Nam cum dixisset, lauamini, mundi estote, auferte mala à cordibus uestris, pauló post inquit. [Psal. 67.] Si fuerint peccata uestra, ut coccinum, sicut niuem dealbabo. Hæc quoquè beatus Dauid in sexagesimo septimo psalmo prædicit. Inquit enim, dum discernit celestes reges dealbabuntur in Selmon: hoc idem modo dicit: Inops .n. sum gratiæ illius, quæ omnibus hominibus conferenda est, eam postulo cum sola me illa perfectè abluere, & niuis candorem mihi præstare possit: quod enim peccatorum emundationem ab hyssopo expectare non licet, facilè ex Mosè cognoscitur. Nam homicidam, [Exod. 12.] alieni tori uiolatorem, aspersionibus lex non purgat: sed extremis suppliciis tradit. Quare per hyssopum rerum aliarum ratio innuitur. Nam qui sanguine agni in AEgypto, & postes hyssopo asperserunt, exterminatoris manus euaserunt, sed illa salutaris crucis figura erant, nam hic quoquè sanguis, & lignum salutare fuit, & salus cum fide accedentibus afferebatur.

CYRILLI. Aliter etiam sic intelliges: quoniam lex impotens est ad expiationem peccati aspergens aqua ad emundationem carnis, præstat uti gratia Christi, quæ absque comparatione sordes omnes detergere melius potest. Testatur ergò diligere ueritatem. Veritas uerò (ut dixi) Christus est, & quæ per Christum comparantur. Lex enim figura erat, & umbra. Cœterum hyssopum est species herbæ: & p hyssopum efficacia Spiritus Sancti maculas eluendi obscurè innuitur. Est .n. hyssopum herba calfaciendi uim habens, & ad aluum subducendum sumitur, siquidem pituitæ concretiones, & crassos humores acuit, & expurgat. Huiusmodi est spiritalis gratia: nam spiritu feruentes efficit, & sordes omnes in nos latenter infusas tanquàm ignis extenuat, & ob id diuini homines dicunt nos à Christo baptizari Spiritu Sancto, & igne.

ATHANASII. Sensus est iste. Tu Domine (inquit) cum ueritas sis, & ueritatem diligas uolens nos in ueritate ambulare: mundabis nos uetustate peccati, & sic mundabis, ut supra niuem candidos reddas: expiatio enim nobis per hyssopum fiet. Hyssopo autem Spiritus Sancti effica-

efficatiam comparat tanquàm calorem inducentem,& sordes omnes à nobis eluentem. Illud uerò, *Incerta, & occulta sapientia tuæ*, docemis est, quod omnia, quæ futura sunt, quæ Deus posuit in sua sapientia, illi per Spiritum Sanctum reuelata sunt.

Auditui meo dabis gaudium, & lętitiam, & exultabunt ossa humiliata.

EVSEBII. Atque expiationis huius finis erit uox iucunda,& suauis, quæ à te procedet, quæ mihi lætitiam, & hilaritatem comparabit. Quin & ossa mea humiliata, quæ sunt rationalis animæ meæ facultates, nunc propter peccatum confractæ, gaudium abs te consequentur. Cœterum mysterium quoddam latenter innuere uidetur cum dicat, *Asperges me hyssopo, & mundabor*. [Exod 12] Nam lex à Mosè lata iubet aspergi limina domorum hyssopo, & sanguine agni paschalis. Nos autem oēs precioso sanguine redempti sumus. Siquidem pascha nostrum immolatus est Christus. [1.Cor.5] Si ergò iuxta figuras,& obscura dicta Mosis, agni sanguis inspersus hyssopo, liminibus ædium factus est propugnaculum, ne quid mali ab exterminatore Angelo domorum habitatores paterentur, iure Dauid sanguinis illius mentionem latenter faciens Misticè dicebat, *Asperges me hyssopo, & mundabor*. innuens illam expiationem, quæ per sanguinem ueri agni tam sibi, quā reliquis hominibus facienda erat, quæ cum latenter significaret, non ociosè præloquutus est dicens. *Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi*, cum his pariter Isaias clamauit. [Isa.1.] Lauamini: mundi estote, & quæ sequuntur. Si fuerint peccata uestra sicut coccinum, quasi niuem dealbabo: quare & hoe quoquè loco dictum est. *Et super niuem dealbabor*.

CYRILLI. *Auditui meo*, Sancti Spiritus gratiam subsequitur spes resurgendi, quæ in Christum credentes, ad beatissimæ,& æternæ,& nunquā desinentis uitæ principatū euehit. Tū.n. (ut ipse Saluator ait) Fulgebunt iusti, sicut Sol in regno Patris eorum, [Matth.13.] maioribus, quam dici aut excogitari potest, dęliciis cumulati,& lætitiam sempiternam habentes, ut est apud Isaiam. [Isa 53.] in capite eorum laus,& lætitia,& exultatio capiet eos, fugiet dolor,& tristitia,& gemitus, Purgatio igitur p sacrum baptismum illicò fit: Datur enim gratia per Spiritum Sanctum, qui sanctificat,& purgat credentium corda. Auditur uerò, atque interim spe minimè fallaci retinetur exultatio,& lætitia in futuris bonis. At interpretes lætitiam,& exultationem non aliam esse quidem arbitrantur, quā donatorem eius Christum, qui instaurabit,& confractas cuiuslibet animę uires confirmabit, nā per ossa hoc in loco uigorem, ac firmitatem mentis intelligere oportet.

ATHANASII. *Auditui meo dabis gaudium*, Hoc est præparabis,& efficies ut à me exaudiatur: Rursus uerò futurā in extremis temporibus Spiritus exultationem, & lætitiam uaticinatur. Quę uerò isthæc erit, nisi illa de resurrectione cognitio? quā etiam ostendit dum dicit, *Et exultabunt ossa humiliata*, Porrò quando exultabunt ossa nostra excussa, nisi cum resurgemus? de quo tempore loquens alius propheta dicit. Et ossa nostra, ut herba germinabunt. [Isa.66.]

DIDYMI. Sœpe autem iam dictum est, ossa esse dogmata,& animæ uires: hæc ossa humiliantur à peccato,& impostura sophistica: cum uerò Deus audire facit lætitiam, & exultationem iniecta scilicet cognitione, tunc exultant ossa humiliata.

APOLINARII. Et Saluator dixit Abraham exoptasse uidere diem suum, uidisseque,& exultasse dicens, Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum, uidit,& gauisus est. [Ioan.8.] Dauid autem prò uisu auditum posuit, cum dicit auditum iri in inferno ingentis lætitiæ causam, quoniā aduentus eius illi à Spiritu Sancto ostensus est, & lætaturum se spiritu in inferno, simul uerò exultatione elatum iri ossa eius, intra monumenta peccato,& morte humiliata, consepulto cum eis authore ipsius resurrectionis corporis.

HESYCHII. Humiliantur.n. animæ ossa.i. uires,& conteruntur à peccato, sed postquam saluti per pœnitentiam restituuntur, florent, ac in pristinam lætitiam reuertuntur.

THEODORETI. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*. Huius (inquit) mihi lætitiæ aures imple, mundationem perfectam promittens, ut per omnes partes corporis animi uoluptas p currat,& ossa, quæ nunc depressa sunt, rursus florescant,& suum robur recipiant.

NICEPHORI. *Auditui meo dabis gaudium*, in auribus animæ meæ lætitiam insonuisti, cum te mihi pepercisse,& ueniam dedisse instillaueris. *ossa humiliata*, totum se innuit peccatorū onere incuruatum.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

CYRILLI. Cum petimus à Deo ut oculos suos à peccatis nostris auertat, nō aliud petimus nisi ut gratiam, quæ est in Christo, nobis largiatur. Ipse enim est, qui per prophetarum uoces nobis aliàs dixit. [Ier.31.] Ego sum, qui deleo iniquitates tuas,& peccatorū tuorū non recordabor. Quod ēt

admirantes beati prophetæ, perpetuas illi laudes continenter texunt, dicentes. Quis est Deus ut
Mich.7. tu, qui auferat iniquitates, & prætereat iniustitias eorum, qui reliqui sunt hæreditatis suæ? non re
tinet iram suam in finem: nam propensus est ad misericordiam.

EVSEBII. Qui à conscientiæ malæ maculis mundatus fuerit, & fiducia plenus est, potest
Psal.26. Deo dicere, Vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me, qui uerò recentibus
peccati uulneribus grauiter affectus, turpitudinem, absurditatem, ac fœditatem operum ante ocu
los suos intuetur pudore opertus, non immeritò Deo tanquàm magno iudici dixerit. *Auerte
faciem tuam à peccatis meis*, non autem à me ipso, neque ab anima mea, quæ confitebitur tibi, sed
mei ægrotantis, & malè affecti cura suscepta sana me.

HESYCHII. *Auerte faciem tuam*, Nam nisi cōniueat ad peccata nostra, minimè saluari po
terimus. Sed quo pacto id efficitur? nimirum cum opera bona, & uirtutes exercuerimus, ut iudi
cis oculos ad illas conuertamus, ita enim illū ab intuitu delictorū nostrorū auertere possumus.

CHRYSOSTOMI. *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, Dicito manifestè quid uelis?
Cor mundum crea in me Deus, O prophetæ ingenuitatem, ô desiderium in Deum, ut loquaris mi
hi iterum quæro, ut & ego tibi loquar, Amicitiam illam & familiare colloquium quæro, quid
enim? quia liberatus à pœna sum, securus esse non possum, mihi maior pœna est fraudari col
quio tuo. *Et spiritum rectum innoua*, Bene dixit, *innoua*, de nouo namque fabricata est domus,
quæ peccato inueterauerat, rogo ut innouet gratia. & prò hoc munere quid mihi dabis ô Dauid?
Docebo (inquit) iniquos uias tuas.

DIDYMI. *Et omnes iniquitates meas dele*, Deleantur iniquitates nostræ ad communica
tionem uirtutum, nam quemadmodum scientia ubi animum subierit, ignorantiam expellit, ita
uirtutis perfectæ aduentu uitium aboletur.

HESYCHII. Non unam autem iniquitatem, sed omnes deleas, namque uel una satis est
hominem trudere in Geennam: Ne ergò nos uel minimum peccatum negligamus, nam si uel le
ui macula uestis nostra sordida inuenta fuerit, nec regis thalamum ingredi, nec aulam calcare pó
1.Cor.6. rimus. Hoc Paulus describens dicebat. Nolite errare, neque fornicarii, neque Idolis seruiētes, ne
que adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi,
neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt. *Cor mundum crea in me Deus*. Non ut natū
ram mutet, nihil eim illa mali pepererat, sed ut cogitationes animæ purget: & eluat maculas eius
uoluptatibus, & consiliis Diaboli cōtractas; nā creare in sacris literis plerūq; significat corrigere.

DIDYMI. Si peccata mea omnia deleueris, quæ quasi notis quibusdā cordi meo impressa
sunt, cor mundum in me creabis omni malitia uacuum: in me erunt rectæ cogitationes, & pro
Psal.102. bæ disceptationes, de quibus ait, & omnia, quæ intra me sunt benedicite nomini eius. Hæc omnia
ipse appellat uiscera. Spiritum uerò dixit, aut spiritū sanctum, aut conscientiam rectam, aut ho
1.Cor.5. minis spiritum, qui in eo est: Animaduertenda quoq; uox illa est, *crea*, non substantiam, & natū
ram, sed habitum quemdam intensum in illis, in quibus affuerit significare.

ATHANASII. Iuueteratam animam (inquit) & à peccato carnaliter factam innouato.

CYRILLI. Et rursus tāquàm cor omnibus sordibus maculatum ob trāsgressionē in Adā,
& propter conceptam in deteriora propēsionem, uiri sancti formationem illam, quæ ab initio
fuit, petunt ab eo, qui figmentum nostrum nouit, & omnia facere potens est, qui etiam fecit, in-
Eph.1. staurati enim sumus in Christo, per renouationem mentis nostræ, & cor mundum accepimus; si
quidem ad uirtutem desiderandam compulsi sumus.

THEODORETI. Ne respicias, quæ audacter perpetraui, sed resipiscentem me, ac ea deplo
rantem admitte. *Cor mūdum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis*. Et quo
niam peccati senium contraxi, tu me in tua benignitate instaura, & renoua. Hæc quoq; Deus pol
Eze.36. licitus est p Ezechielem iis, qui in Babylone captiui detinebantur. Dabo enim (inquit) ipsis cor
nouum. spiritum non sanctum dicit, sed rationis impulsum. Hoc est docebo uos, quosnam fru
ctus peccatum gignat, uosque ad uirtutem capessendam instituam, ut honestatem præferentes
rectā incedere ualeatis. Id quoque hoc loco petit magnus Dauid, ut læsum cor suum resarciatur,
& mens sanctetur, ut uiam Dei perficere possit.

ATHANASII. *Spiritum rectum*, hoc est firmum. q. d. fulcias mentem meā, ne amplius pro
na sit, & procliuis ad peccandum.

HESYCHII. Cernis prophetam Deum orare, non ut naturam mutet, sed ut gratia ad-
ueniat, ut laboranti naturæ, ac sub peccato ueterascenti opem ferat. Spiritum autem re-
Psal.142. ctum uocat non uitalem illum, qui in nobis est, sed spiritum Dei, de quo in alio psalmo
cecinit

cecinit. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hunc ocat, ut in uisceribus, hoc est in necessariis,& maximè aptis animæ partibus innouetur, quatenus in nobis non plenè habitacet,neque conquiesceret ob imbecillitatem nostram,qua perfectam gratiam suscipere minimè apti sumus.Quamobrem petit illum innouari,ut proclus in nobis expleatur:nam quæ expletur,& ornatur domus,ea innouatur.

NICEPHORI. *Auerte faciem tuam*,Aspectum tuum à peccatis meis amoueas, conniueas ea uidere,*cor mundum*,cor animã dicit,*crea*,id est cestitue,*Et spiritum rectum*,spiritale rectitudinis,donum.Illud uerò,*innoua*,positum est,prò immitte in me.Spiritum nouum,pec uiscera autem intimas animæ partes intelligit,& occultas cogitationes.

Ne proijcias me à facie tua,& Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi exultationem salutaris tui,& Spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos uias tuas,& impij ad te conuertentur.

HESYCHII. *Ne proijcias me à facie tua*, Graue est si seruus uultũ Domini offendat,uti et graue est si filius patris,& miles Regis offensionem incurrat:nam qui huiusmodi est,exul,& expulsus inuenitur.At siquis hæc in Deum fecerit,nõ exilium,non expulsionem,sed perniciem,& interitum sibi parat.Siquidem non solum nobis Pater,ac Dominus,& rex Deus est,sed quicquid dicere potes ex iis,quæ ad uitã,incolumitatẽ,& salutem nostram pertinere potest.quare cũ à nobis faciẽ auerterit,statim Spiritũ Sanctũ amittimus:in quo oĩs bonorũ nostrorũ prouẽtus iacturam,& detrimentum facit.quare pro eo,quod poterat dicere μὴ ἀνέλῃς dixit μὴ ἀντανέλῃς quoniã qui Dei mandata custodiunt,semel experti sunt efficaciam spiritus,quæ in nobis erat ante Adæ inobedientiam,uel per propheticam gratiam,uel pec uirtutem morum.Vnde meritò petijt Spiritum à se iterum non auferri,ne iterum eius iacturam,& carentiam experiretur.

CYRILLI. Ex iis,quæ sibi acciderunt permotus Dauid renouationem postulat totius humanæ naturæ,quæ collapsa erat. A transgressione enim Adæ tanquàm in primitiis generis natura hominis Deo habita odio fuit: Etenim eiecta est à paradiso,& cui olim à conditore benedictum fuerat,execrabilis facta est:cum uerò humanum genus latius extenderetuc, & peccatum in omnibus regnaret,ipse quoquè Spiritus Sanctus,qui nobis à principio inditus fuerat, abscessit,& imaginis pulchritudo deprauata est.Dixit enim uniuersitatis Deus:non permanebit Spiritus meus in homine in æternum,quia caro est. Cum ergò dixit.*Ne proiicias me à facie tua, & Gen.6.*
Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me,duo simul petit. tum liberationem ab odio,& auersione quæ illi contigerat.tum etiam Sancti Spiritus ad nos conuersionem:meritò enim recessit tãquã à corde malis obnoxio à iuuentute sua.

THEODORETI. Pec hæc uerba manifestò didicimus Dauid Spiritus Sancti gratiæ penitus destitutum nõ fuisse:non.n.tanquã ea priuatus rogat,ut eã accipiat,sed ne ea priuetur obsecrat. neque se procul abesse à diuina gubernatione:nam hic per. *faciem*,diuinã gubernationẽ intelligit. *Redde mihi lætitiam*,Rogauit,ut retineret,quod non amiserat,scilicet gratiã Spiritus Sancti, nunc orat,ut recipiat,quod abiecerat,nimirum lætitiam in Deo.Inquit enim omni lætitia efferebar,cum tibi plurimum confiderem:nunc autem lætitia illa, etiam orbatus,ubi spe illa priuatus sum. Me autem hac fiducia spoliauit uoluptatum seruitus,ideo supplex oro,ut mens pristinum principatum recipiat,& quæ ab ægritudinibus,& perturbationibus in seruitutem redacta est,iterum aduersus eas uires,& imperium resumat,nam hoc loco per Spiritum principalem intellexit ducem,ac principem illam animi partem, rationem scilicet imperantem. *Docebo iniquos uias tuas*.Rursus tuam benignitatem assequutus,exemplar ero pœnitentiæ iis, qui iniquam uiuendi rationem amplexantur.& tuæ beneficentiæ prædicator ero,hortaboq́; homines impios, & monebo ut ad te supplices accurrant.

EVSEBII. Cum dixit. *Ne auferas*,calamitatem suam perspicuè ostendit.Veruntamen à Deo petit,ut prò sua clementia eum liberet ab iis malis,quæ inopinatò sibi acciderunt.Hæc autem fuit redditio Sancti Spiritus,qui auolarat à nobis:quæ sanè in Christo facta est: siquidem assumpta similitudine nostra, odium, ac execrationem sustulit, & hominis naturam in se ipso Deo,& Patri irreprehensibilem exhibuit. Accepit autem Spiritum licet ipse quatenus Deus Spiritus Sancti donator est: & eundem Patec per ipsum uiris sanctis immittit:insufflauit enim Ioan.10.
in suos Apostolos dicens:Accipite Spiritum Sanctum,ita enim in principio quoquè naturæ homini datus est.Nam Deus accepto limo de terra formauit hominem, & insufflauit in faciem eius spiraculum uitæ. Gen.1.

DIDYMI. Cum uiri probi continenter ante Dei conspectum assistant,solus peccator lõge

arcetur ab eo,& propulsatur. Me uerò(inquit) diuinam tuam cognitionem complexum ne talem esse iudicaueris, ut procul eiiciar à facie tua,& Spiritum Sanctum, quem in me habitare fecisti,auferas à me.

Athanasii. Rursus orat propheticum spiritum ad se reuerti,qui per peccatum illum deseruerat. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, Si hoc ad uniuersum hominum genus referatur, salutaris lætitiam, aduentum Domini uocat, iuxta id, quod à Simeone dictum est. Luc.2. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Orat quoquè se illius participem fieri.

Didymi. Expectans salutaris aduentum,in quo perfectã lætitiam inesse contingat, patrem hortatur dicens. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*Et me Spiritu principali, atque perfecto confirmes. At uerò utrobique in his dicit, uel Spiritum Sanctum principem, atque ductorem, uel spiritum hominis,qui in ipso alius est præter animam. Hic autem princeps, ac ductor spiritus secundum priorem interpretationem, firmitatem, & constantiam præbet illis, quibus adhæserit.

Cyrilli. *Redde mihi lætitiam*, Postulat per hæc uerba, eorum bonorum, quibus ab initio fruebatur naturam hominis resarciri. Quod & factum est mediatore Christo.qui est exultatio,& salutare,qui liberauit nos à mœrore interitus destructa morte,& per sanctum baptismum nos à peccatorum sarcina leuauit,& fortitudinem nobis p Spiritum Sanctum suum adiecit,quia fortitudine quisque desideriis suis imperat in uirtute roboratus:nam qui principem, ac ducem Rom.8. Gal.5. Spiritum Sanctum habet,uictoriam de Diabolo referet: Inquit enim Paulus quicunque Spiritu Dei aguntur,hi sunt filii Dei,& rursus:Spiritu ambulate,& desideria carnis non perficietis. Et quem supra dixit Spiritum rectum,hic Spiritum principalem appellat.

Athanasii. *Docebo iniquos uias tuas*, Postquam (inquit)me solueris à peccato, impertiens mihi Spiritum Sanctum tuum, tum improbos homines,& ex leges tuas uias ingredi docebo.

Hesychii. Prius quoquè docuerat uias Domini: sed fortassè non docuerat iniquos neque antequàm delinqueret, doctrinam in precatione tanti faciebat: sed tum præcipuè, cum in crimen delapsus resipuit, & ad pœnitentiam accurrit, ut enim illi creditur, qui de curandis morbis loquitur, si cum ægrotauerit medicinæ periculum fecerit: sic qui per pœnitentiam sanati sunt, peccatoribus aliis conuersionis, & salutis ianua inueniuntur. ita ut Paulus cum fiducia clamaret. Christus Iesus uenit in mundum,ut pecca- 1.Tim.1. tores saluos faceret,quorum primus ego sum.Si prædicationi (inquit)fidem non habetis salutem peccatorum annuncianti,à me prædicante discite,qui cum persequutor essem Euãgelii ministerium mihi creditum est.

Didymi. *Docebo iniquos uias tuas*, & in psalmi prænotatione monuimus Deum permittere, ut probi delinquant, ut re ipsa pœnitentes de pœnitentia doctrinam ostendant. Ecce igitur & hoc loco dictorum à nobis confirmationem. Siquidem propheta per confessionem ad Deum,se iniquos docturum esse pollicetur,doctarum inquam uias Dei, ut eas ingressi,licet impiè olim præ neglectu se gesserint,ad ipsum quam celerrimè conuertantur.Siquidem tàm qui recte agunt,tam qui per penitentiam conuertuntur, aliis exemplo sunt, & plurimum prosunt iis, qui in Dei cognitione decepti sunt.

Nicephori. *Redde mihi lætitiam*, Gaudium,quod habebam, quia à te fueram conseruatus,*Et spiritu principali.* Robora me(inquit)gratia illa spiritali, quæ animi turbis imperat, & ad meliora dirigit. *Docebo iniquos.* Aliis peccatoribus ero forma pœnitentiæ, & conuersionis.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam si uoluisses sacrificium,dedissem utique,holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contritus,cor contritum,& humiliatum Deus non despiciet.

Athanasii. Rursus prò cœde Vriæ supplicationem affert,si quo modo ab eius pollutione liberetur:uel potius ex sanguinibus se liberari petit.idest ex cruentis sacrificiis,ut sequentia palam ostendunt cum dicat.*Quoniam si uoluisses sacrificium,dedissem utique,holocaustis non delectaberis.*

Didymi. Quoniam propter crimina, quæ ad mortem perpetraui,sanguinibus plenus sum,libera me,cum Deus,atque idem Dominus noster sis.

Eusebii.

Eusebii. Cæterum ut compertum habeamus discrimen, quod est inter salutem, & salutare, necessaria est nobis Hebraicę dictionis comparatio. Cum ergò salutare nominatur, Hebraica lectio prò *salutare tuum*, habet Iesuach. quam dictionem Aquilas, Symmachus, & reliqui omnes interpretes communi consensu, *Salutare tuum*, conuerterunt. Hic uerò ubi dictum est. *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis mea*, prò *salutis mea*, Hebraica uox habet, Iesuath, ut nullus post hæc suspicetur, & salutare, & salutem iuxta Hebreorum uocem idem significare. nā Græca uox ab Hebraica deducta maximam affinitatem ostendit. Hebraica uerò non item, sed plurimum distat: Et uocem distinxit, dum salutem quidem in hominibus. Thesuath. Salutare uerò, quod omnibus gētibus prænunciatum est, Iesuach appellat. Qua Hebraica uoce nomen IESV Saluatoris nostri manifestè significatur. *Et exultabit lingua mea iustitiam tuam*. Symmachus ita interpretatus est. Inuulgabit lingua mea misericordiam tuam: non enim uenia impetrata silebo. Sed te laudibus prosequar, & dona tua recensere pergam. Peccatum.n.linguam uincire, & os obruere natura solet. Orat autem Propheta, ut priorem fiduciam consequatur, & linguam moueat ad canendas Dei laudes.

Didymi. Sermo noster, qui hoc loco lingua uocatur, dum frequenter de iustitia tua loquetur, exultabit iustitiam tuam, *Domine labia mea aperies*. Porrò Deus aperit labia illius, qui cum os suum aperit, sermones Dei accipit: Iccircò & os eius annunciabit laudem Dei, usq; laudans, usque illi gratias agens.

Cyrilli. Iustitiam tuam (inquit) in exultationem, ac lętitiam, & spiritalis gaudii occasionem sibi constituet. Et quænam hæc erit? nisi gratia per fidem, quæ iustificat impium & inquinatos eluit? Vel Dominus noster IESVS Christus, qui factus nobis à Deo, & Patre iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Veruntamen labia mea (inquit) aperies. Hoc enim est diuinum munus, siquidem non est speciosa laus in ore peccatoris. 1.Cor.1. Eccl.15.

Athanasii. *Libera me de sanguinibus*. Siquidem sacrificia legis renuisti. non.n.possunt peccata dimittere: Ideò donum tibi gratum obtuli: hoc autem illud est, quod per pœnitentiam, & cor contritum offertur.

Hesychii. Viden' labia Dauid propter peccatum clausa, per pœnitentiam recludi, & Dei laudes aggredi? si quidem à peccatoris conuersione Dei laudes exordiuntur. *Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique*. Per hæc uerba perspicuè ostendit Dauid, se nullum lege sancitum sacrificium tempore pœnitentiæ obtulisse: quod ne in libro quidem regum positum inuenimus. quamobrem? quoniam cum propheta esset, nouerat Deum huiusmodi sacrificiis non delectari. non.n.sacrificia illa satis erant ad abluenda cędis, & adulterii crimina: neq; id lex statuerat, sed omninò suppliciis punire decreuerat. Sed quale sacrificium scelera illa expiare posset, indicant ea, quę sequuntur.

Theodoreti. *Libera me de sanguinibus*. Cędem Vriæ continenter in memoriam reuocat. Quod etiam in exordio declarauit, cum diceret. Quoniam peccatum meum contra me est semper. *Exultabit lingua mea*. Hoc Symmachus sic est interpretatus: Loquetur lingua mea misericordiam tuam, non enim uenia impetrata silebo: sed laudabo, & beneficia tua commemorabo. *Domine labia mea aperies*. Solet.n.peccatum linguam obligare, os obstruere, & cogere ut conticescet. Obsecrat igitur propheta, ut per ueniam sibi concessam pristinam fiduciam consequatur, utque linguam in Dei laudes soluat. *Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique*. Conueniunt hæc cum illis, quæ in proximo superiori psalmo dicta sunt. Illic.n.audiuimus uniuersitatis Deum dicentem. non suscipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos: quare factum est, ut ubi hæc Dauid à diuina uoce audiuisset, meritò diceret. *Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique holocaustis non delectaberis*. Tu enim dixisti, irrationales uictimas tibi haudquaquam cordi esse, quamobrem uirtutem quę tibi est instar sacrificii, animi moderationem offeram, ideo deiecto, & humili corde meo, & quasi cōtrito, & multum attenuato sacrificium tibi placitum offeram. His quoque sermonibus beati pueri in fornace usi, dicebant. In corde contrito, & spiritu demisso suscipiamur in conspectu tuo, sicut in holocaustis arietum, Dan.3. & taurorum pinguium. ut hinc etiam liqueat psalmum tuum uaticinium continere illorum, quæ in Babylone acciderunt: Et doctrinam illis congruentem habere quatenus cernitur ex eorum similitudine, quæ hic afferuntur: nam inscriptio aliud argumentum patit.

Eusebii. Laudis sacrificium sanis, illud uerò quod demisso, & contrito corde perficitur, ægrotis conuenit. Et quoniam cor meum confractum est (iuxta Symmachum) & spiritus meus contritus,

contritus, meritò precatus sum dicens. *Cor mundum* prò confracto crea in me Deus. Similiterque dicebam, & Spiritum rectum, prò contrito, innoua in uisceribus meis. Cæterum Spiritus contritus est ille, qui se ipsum per confessionem conterit, & cor contritum, & humiliatum fieri potest, cum se ipsum per pœnitentiam deprimit: nam cor sic affectum post tumorem peccati, Deus sacrificii loco suscipiet.

CYRILLI. Spiritalis cultus efficacia non à nuda, & sola intelligentia ortum habet, sed confluxum quodammodo perennnem, ac suauem rectè factorum odorem diligit. quem quidem honestis actionibus, nempe obedientia, & obsequio, inuenimus. Porrò obedientiam fructum esse dicimus cordis mansueti, atque tractabilis, quoniam nullam sæuitiam, & feritatem habet: quale fuit cor intractabilium Iudæorum asperum, atque difficile. Prophetia quidem assumpta illorum persona dixit. Cur aberrare fecisti nos Domine à uia tua? Indurasti cor nostrum, ne timeremus te: Duris autem
Isa.53. cordibus persuaderi omninò non potest. Porrò Spiritus contritus, hoc est animus mitis, & sponte parens diuinis sermonibus quasi oblatio suauis odoris aptè admodum Deo consecrari potest.

HESYCHII. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Docet hic Spiritus Sanctus sacrificium esse illam animi humilitatem, & depressionem, quæ inter uirtutes numeratur.
Matth.5. Beati enim pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: sed quonam modo spiritum nostrum per humilitatem conterimus? Sanè cum rectè factis non extollimur, sed perpetuam delictorum nostrorum memoriam retinemus. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Eadem quoque nunc repetit, & terrenorum membrorum mortificationem latenter significat. Siquidem quam primum caput cor contriuerimus, quo minus mundana cogitet, & circa terrena uersetur, mortificantur etiam carnis membra, & immota ad uitium inueniuntur. Porrò huiusmodi sacrificium non despicit Deus, sed potius pœnitentiam quoque in istis sacrificiis admittit, cum & ipse se se demiserit, ac tum prò nobis in sacrificium obtulit. Quod apertè Paulus ostendit dicens. Humiliauit semetipsum, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem cru-
Phil.2. cis.

NICEPHORI. *Libera me de sanguinibus*. Sanguinis iniquam cædem intelligit, & Dæmones, qui cædibus gaudent. *Exultabit lingua mea*. Ipsa quoque lingua mea lætabitur annunciatione iustitię tuæ. Per iustitiam autem hoc in loco iustificationem intelligit sibi à Deo concessam: hoc est liberationem à peccato. *Domine labia mea aperies*. Aperies ad hymnos, & laudes tibi concinendas, quæ ob tuam condemnationem clausa sunt, *non delectaberis*, hoc est non suscipis. *Spiritus contritus*, anima humilitate, ac demissione quadam uoluntaria contrita, *non despiciet*, non reprobabit, non ab eo suum demouebit aspectum.

Benigne fac Domine in bona uoluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationem, & holocausta, tunc imponent super altare tuum uitulos.

THEODORETI. Perspicuè didicimus ex his uerbis psalmum esse prophetiæ plenum, propterea quod uerba hec pulchrè conueniunt iis, qui in Babylone ui coacti sunt habitare, & cupiebant à seruitute liberari: & patriæ solitudinem deplorabant: supplices enim petunt, ut ciuitas sua misericordia aliqua dignetur, & mœnibus restitutis, ubi sacrificia offerebantur, & cultus lege statutus persoluebatur pristinam recipiat fœlicitatem: nunc enim (ait) quandiu alienam terram habitamus, sancita tibi sacrificia offerre non licet, cum lege scitum sit, in ea sola ciuitate sacrificandum esse. Multum adeò ipsis conuenit. *Domine labia mea aperies, & labia mea*
Psal.139. *annunciabunt laudem tuam*. Ipsorum enim est uox: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Cęterum finis psalmi huius alia prophetia honestatur. Quoniam enim superius dona Sancti Spiritus proposuit, & ulterius procedendo ostendit rerum omnium conditorem legalibus sacrificiis non delectari, meritò precatur, ut noua Sion consurgat, utque cœlestis Hierusalem super terram ædificetur, & ut quàm celerrimè noua reip. forma instituatur. quę non bestiarum uictimas, sed iustitię oblationem, & hostias, & sacrificia rationalia, & uiuentia afferat: De quibus beatus Paulus inquit. Obsecro uos fratres, per misericordiam Dei, ut exhi-
Rom.12. beatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium uestrum. Sciens enim diuinus Dauid (utpotè qui incerta, & occulta diuinæ sapientię didicit,)

in

In nouo testamento remissionem peccatorum perfectè contineri, & cupiens celeriter, & ardenter à peccatis liberari, breuemque, ac liberalem purgationem consequi, hæc dicit.

E v s e b i i. *Tunc acceptabis sacrificia.* Quærere hic aliquis posset, quomodo qui nuper asseuerauerat Deum holocaustis non delectari: nunc perinde ac Deus post ædificatam Hierusalem, holocausta, & sacrificia suscepturus sit. dicat. *Tunc acceptabis sacrificia, & oblationem, & holocausta, & tunc imponent super altare tuum uitulos.* Possunt hæc planè uideri mutuò aduersari: Sed nullo modo aduersantur, si quis accuratè perpendat sermonem non simpliciter dixisse. *Tunc acceptabis sacrificium.* Et hactenus hæsisse. Verum addidisse illud, *iustitiæ.* Itaque cum benignè feceris Sion, & ædificati fuerint muri Hierusalem, tum sacrificia iustitiæ, non quæ persoluuntur mactatis animalibus ratione carentibus, offerentur tibi. Pia siquidem uitę institutio cœlestis ciuitatis Dei imaginem fert: Nam Ecclesia Dei, quæ horum imaginem gerit cognominatione hac appellata est. Cum ergò (inquit) benefeceris in bona uoluntate tua Sion illi, quam significari diximus, & cum ædificati fuerint muri Hierusalem, (muros autem Ecclesiæ Angelos qui sepiunt, atque custodiunt illam, dicit; uel sacerdotes, qui illi præsunt, & illius quasi propugnatores habentur.) *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* uel iuxta Symmachum. Tunc sacrificia iustitiæ, atque item oblationem, & holocausta, & ipsa iustitię, suscipies. *Tunc imponent super altare tuum uitulos,* nimirum & eos iustitiæ. In omnibus enim subintelligit iustitiæ uerbum: nam omnia per iustitiam perficiuntur, spiritalibus, ac rationalibus sacrificiis: quæ per uniuersum orbem in Ecclesia Christi offeruntur. Alius item propheta in Iudæorum gentem inuectus uaticinatur inquiens. Non est uolun- *Mal.1.* tas mea in uobis dicit Dominus omnipotens, nec sacrificia suscipiam de manibus uestris, propterea quod ab ortu solis, usque ad occasum glorificatum est nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Sacrificium purum esse potest, quod hic sacrificium iustitię, & sacrificium laudis appellatum est, de quo superius dictum est: Immola Deo sacrificium laudis. At hæc olim prophetico spiritu prædicta sunt, *Psal.49.* & finem acceperunt: ac nunc etiam inter omnes gentes per salutarem gratiam inualescunt.

D i d y m i. Iustitiam eam intelligit, quæ est ex fide I e s v Christi in omnes credentes, & hæc iustitia oblatio est, & spiritalia holocausta iuxta illud, sacrificate sacrificium iustitiæ. Quin etiam super altare spiritale offerent uitulos, agricolas aratra trahen- *Psal.4.* tes, qui non aliud sunt, quàm martyrum animæ uisæ propè altare; quæ super ipsum instar uitulorum offeruntur. In Apocalypsi enim Ioannis interfectorum ani- *Apoc.6.* mæ propter nomen I e s v, & propter testimonium eius, subter altare cœleste uisæ sunt.

H e s y c h i i. *Benignè fac in bona uoluntate.* Bonam uoluntatem, seu beneplacitum unigeniti incarnationem appellat. Hoc autem manifestum est ex his, quę scribit Paulus ad Ephesios. Sic enim ait. Vt notum faceret nobis sacramentum uoluntatis suę, *Eph.1.* secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo in dispensationem plenitudinis temporum. Hac ergò bona uoluntate Sion ciuitas beneficiis cumulatur, tum propter mysterium sacræ cœnæ, quod in ipsa peractum est, tum propter miracula, quę in ea edita sunt.

D i d y m i. *Benignè fac in bona uoluntate tua Sion.* Qui de peccato suo confitetur, quid habet, ut de Sion, ac de Hierusalem uerba faciat? Quoniam diximus eum nullo prorsus detrimento affectum esse, licet in cursu offenderit, propterea cum adhuc prophæticum habitum retineret, & spiritus sancti communicationem, orat, atque uaticinatur dicens: *Benigne fac ipsi Sion in bona uoluntate tua*, quæ in filio tuo facta est. & Spiritui Sancto coniuncta est. Quin etiã muri Hierusalem ędificantur: Hi autem sunt Angelorum excubię, uel dogmatum indissolubilium firmitas.

A t h a n a s i i. *Aedificentur muri Hierusalem.* Hi sunt prophetę, & patriarchæ, qui ædificantur, hoc est renouantur, cum mysterium à se antea figuratum re perfici contuentur. *Tunc imponent super altare tuum uitulos.* His etiam uerbum iustitiæ addendum est, ut sacrificia iustitiæ, & oblationes iustitiæ, & holocausta pariter, ac demum uituli iustitiæ intelligantur.

H e s y c h i i. Vituli enim sunt martyres pasti sumptu spiritus sancti, & propterea uituli

dicuntur,

dicuntur, quod confesſionis cornibus inimicum petant.

CYRILLI. *Benignè fac in bona uoluntate.* Bonam uoluntatem eſſe dicimus tempus manifeſtationis Saluatoris, quo Deus & Pater ſibi complacuit omnia ſummatim in eo uno colligere. Ita enim aliàs diuinus cantor, pro omnibus hominibus cantica gratiarum canebat dicens: Benedixiſti Domine terræ tuæ, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum, præter hæc ex quorundam perſona inquit. Memor eſto noſtri Domine in beneplacito populi tui. Quo tempore igitur (ait) tibi placitum fuerit orbem redimere, & aſſumpta carne mortalibus illuxeris, benignè fac ipſi Sion ut iterum ædificentur muri Hieruſalem, quæ non alia eſt, quàm Sion. Siquidem cum ſacratiſſimus Paulus Sion ipſam nominaſſet, ſtatim cœleſtem Hieruſalem appellauit. Et quid muros eius appellet anteà dictum eſt. Murus certè inexpugnabilis, & amplus, & qui alia complectitur eſt Chriſtus. Etenim ſapientiſſimus Iſaias cum de Eccleſia uerba faceret, Ecce (inquit) ciuitas fortitudinis noſtræ Sion. Saluator ponetur in ea murus, & antemurale: Muri ergò (ut dixi) ſunt potentiæ rationis participes, & inſtitutiones, quæ ſacrorum præfectos defendunt, & cuiuslibet mentem communiunt. Murus uerò Chriſtus eſt omnium ſecuritas, in illo enim uoce Pauli omnia conſiſtunt. Porrò oblationem fortaſſe appellat ſacrificium, quod ex parte offerebatur: Holocauſtum uerò perfectum ſacrificium, & conſecrationem, quàm Deo cunctorum Domino aliquis perſoluit: Erant enim aliqui uitulos, uel hœdos offerentes, ac mox quod oblatum fuerat, mactabatur, & dimidia ſanguinis pars ſuper altare effundebatur, reliqua in pateram excipiebatur. Similiter etiam ex carnibus aliæ offerebantur. Hoc ita diuiſum ſacrificium diximus fuiſſe in imaginem, & figuram uitæ quorundam, qui non perfectè ſe ipſos tradiderunt in odorem ſuauitatis, ſed quaſi diuiſim, quales illi ſunt, qui neque omnino mundum reliquerunt, neque penitus à pietate receſſerunt, ſed uitam ſuam Deo, & mundo quaſi diuiſerunt: cuiuſmodi eſt coniugatorum uita: Nam eos quoque Paulus ſapientiſſimus dicit eſſe diuiſos, eum alioquin hæc uita penès Deum probata ſit. Nam honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. At holocauſtum integrum omninò, & nulla parte detracta offerebatur: Hoc enim ſanctam, & omni ex parte perfectâ ſanctorum uitam innuit, qui & uituli ſuper altare Dei oblati dici poſſunt in Chriſto IESV Domino noſtro, per quem etiam, & cum quo Deo, & Patri gloria eſt, & imperium cum Sancto Spiritu, in ſecula ſeculorum Amen.

Psal. 84. | Heb. 13.

NICEPHORI. *Benignè fac*, id eſt bona facito ipſi Sion, id eſt, congregationi fidelium, uel unicuique animæ piæ: Muri uerò item congregatio fidelium, & quælibet anima pia, & Eccleſiæ præpoſiti, & firmæ, quæ mentem muniunt cogitationes, *Sacrificium iuſtitiæ, & oblationem.* Oblatio uirtutem quidem ſignificat, ſed ex parte diminutam: holocauſtum uerò perfectam uirtutem. quare, & iuſtitiam in oblatione ex parte, & in ſacrificio uniuerſalem intelligito. Vituli ſunt quicunque uirtutum miniſterio, & contemplatione potentes, cornibus Diabolum petunt, & qui etiam ad cœleſte altare adducuntur in odorem ſuauitatis.

CHRYSOSTOMI. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum.* Imò ſacrificium maximũ humilitas eſt. Solue peccatum meum, da mihi Spiritum Sanctum: Hoc ſacrificium humilitatis melius eſt quàm ſacrificium Iudeorum.

DEO GRATIAS.

ERRORES.

eam, non eum, 1.56
unum quodq:, non unumquoq;, 2.34
a, non δ, 3.19
affecta, non affecte, 3.50
persimile, non persimilem, 4.33
implorare, non implorate, 7.27
voluntatem, non volontatem, 8.16
Theodotio, non Thedotio, 10.41.
posteriorem, non posteriorum, 10.44
persona, non personas, 12.15
adduxissent, non aduxissent, 14.10
cælis, non cęllis, 17.7
mortis, non mortes, 17.13
additur, non aditur, 20.26
apprehendite, non apprendite, 14.32
succendit, non succedit, 25.2
filium, non plium, 26.27
persona, non pęrsona, 26 38
clamorem, non clamorum, 29.43
experrecta, non experre, 30.4
συντιτιθεμένου nõ συντεθεμένου.
facie, non facie, 35.36
meæ, non mee, 35.51
autem, non aut, 36.15
sanctitatis, non santitatis, 37.52
quámq;, non quanquam, 38.17
numen, non numem, 38.28
& in malam, non & malam, 38.47
dictus, non dictum, 41.13
hortatur, non hortamur, 42.40.
egerint, non egeant, 43.8
tribulatione, non tribulationem, 44.3
vacuam, non vacuum, 48.54
subministratur, nõ subministrãtur, 49.42
immutantes, non immutatis, 49.49
illis, non aliis, 51.3
mihi, vacat, 51.11
conglorificemur, non cor glorificemur, 51.19
sacrificii, non sacrificiis, 51.23
rursus, non rursas, 51.38
tuis, non tus, 54.53
argutie, non arguetis, 62.27
pramittentes, non permittentes, 62.30 ut, non & ibidem
moriar, non moriae, 70.16
vitam, non vita, 70.43
ad defectum, non ad effectio, 77.47
scrutator, non scrutator, 77.47
appellat, non apeliat, 78.44
solemus, non solemmus, 79.46
æstro, non æstru, 79.22
in proprios, non inproprios, 80.1
pariendi ei, non patiendæ quæ.
causam, non causa, 85.20
utilitatem, non utilitatem, 87.37
illis, non illi, 89.23
imperantis, non imperaverit, 89.45
tanquam, non tanqua, 92.44
Sara, non Sarra, 93.1
lactentium, non lactantium, 84 37.41
Huiusmodi, non Huismodi, 101.30
confundens, non confundetur, 102.11
deferant, non desferant, 102.41
benedicitur, non bene dicitur, 102.48
αα γνωριξι, verba sunt in Origene, quę nescio an ita legi debent, 106.4
interpretatus, non interpratatus, 107.1

feram, non ferram. 108.8
aggreditur, non aggrediuntur. 108.46
ἐν σκοτομήνῃ, non ἐν σκοτομηνη, 114.4
deserto, non deserete, 116.12
quid, non qui, 116.45
effugit, non effugi, 116.50
qui, non quæ, 111.52
puerum, non pucrum, 117.45
atque, non atque, & vis cantici, non vis cantici, 117.55
Satanę, non Satam, 123.32
est, non cst, 124.42
subinde, non subdit de, 126.24
Deus, non Dc eos, 126 38
opiniones, non opin iones, 126.43
non nam, 129.5
Deum, non Dominum, 121.53
Iudæorum, non Iudeorum, 131.4
libertatem, non liberatem, 131.16
in mundo, non in, mundo, 133.28
quęque, non quoque, 134.56
gratiam, non gritam, 136.34
sermonem, non sermonum, 136.47.
intelligi, non intelliigi, 137.36
Sanctis, non Sanstis, 140.53
Dominus, non Dominus, 141.46
Hierusalem, non Hiærusalem, 144.31
147, non 145, numerus pagellam
verum, non verum, 145.12
prævidebam, non prævidebam, 246.20
sensum, non sen sum, 149.11
infestantur, non infectantur, 149.37
internus, non interius, 150.53
dimiserunt, non dimiserunt, 143.9
frameam, non fraameam, 153.41
tanquam, non taquam, 157.29
usum, non unum, 157.56
Apostolum, non Apstolum, 165.37
increpavit autem febrem, non increpati aut febrem, 166.35
hac, non hoc, 166.47
Iam, non Tam, 167.25
deiiceret, non deiicere, 167.46
universum, non universum, 168.22
putat, non parvas, 168.31. & mulso, non nullo ibidem.
probare, non probate, 168.55
DIONYSII, nõ DIONYSIIS, 169.12.
libertate, non libertate. 169.21.
in debitam, non indebitam, 169.55
intellexerimus, non intelleximus, 171.35
confugientis, non confugientes, 171.49
ex iis, non ex ii, 172.1
lapsus, non lapus, 172.38
iniquitate, non iniquitatem, 172.48
Domino, non Dominio, 172
materie sordes comburentia, non materię sordes ut compurerentia
quis, non qui, 173.3
suscepit, non suscipit, 173.6
etiam, non &, 173.13
vestigiis infestis, non vestigia infesti, 173.29
conterentem, non conferentem, 173.41
subiectum, non subiectam, 178.28
statutis, non statuis, 180.29
virtute regi Theologiam, non virtute Theologiam, 180.38
Dei, non ei, 182.24

alterius, non alteri acies, 182.28
dictum autem est, vera, non Dictum autem est. vera, 186.15
per ipsas, non prò ipsa, 186.30
adversariis, non adversantus, 188.7
berilia, non barilia, 188.9
affectum, non effectum, 188.23
occultis, non oculets, 188.38
reservantur, non rever antur, 188.50
tueatur, non tueantur, 190.20
nunc, non Hunc, 191.42
192 non 189 in numero pagella
dicuntur, non dicunt, 192.14
nõ est ponẽda interrogationis nota, 193.10
precatus est, non pręcatus est, 193.15
omnis, non ois, 193.28
Ioannes, non Ioanne, s, 193.46
mercatores, non mercatoris, 193.49
salutem, non salunam, 194.6
febris, non febres, 196.9
semen, non sonum, 197.43, & numerus Psalmi corrigendus, XX, non XXI
dele illud, iri, 197.47
disciplina, non disciplinam, 196.51
nostrę super eam, non nostrę, ut ait Propheta
ego, non ergò, 201.10
Nos, non Hos, 205.45
demisit, non dimisit, 206.31
hymnum, non hymum, 207.44
volunt, non volunt, 208.2. ibi est, 204
infinitarum, non infinitarū, 208.18
figuratam, non figuratum, 210.22
pręsenti, non presenti, 212.6
tyranni, non tiranni, 212.9
dissolutam, non dissolutum, 214.31
&, non, nec, 217.17
vivendo, non versando, 221.2
prælio, non p, ęlio, 221.40
præpararent, non praparent, 222.35
repleri, non repleti, 224.13
affectu, non effectu, 224.23
me, trita, non metrita, 225.26
meque, non neque, 230.9
crudeliter, non credulitet, 231.42
meo, non meo, 231.47
addictus, non addictas, 231.51
non, non nom, 232.24
ante, non ant, 233.9
multorum, non molsorum, 238.28
ἀπουχορα κίξειν, 241.18
nutans, non mutans, 242.7
bona, non bono, 243.37
ac, non ad, 243.21
fex, non fax, 243.29
substantiam, non superbiam, 242 46,
Daniel, non David, 245.46
Vide melius, vacat, erat n. in margine, quoniam locus ille non satisfaciebat, 246.14
confirmetur, non confirmeri, 246.20
statu, repone post verbum, rerum, 248.1
secula, non facula, 248.32
glorificetur, non glorificitur, 251.7. & ibi prophetæ, non propheta.
qualibet, non quolibet, 251.38
quid, non qui, 252.16
habeant, non habeat, 258.11
verba, non urba, 258.19
sagittas, non salutes, 258.55
exhibitam,

uerba, non urba,258.19
sagittas, non salutes,258.55
exhibitam, non inhibitam,259.9
ode, non ode,260 25
ostendente, non ostendere,263.25
nobis uendicemus, non nobis non dicemus
264.55
perfectam, non profecta,265.50
quantum, non quarum,267.52
nunquid, non nunquil,268.56
precatio, non predicatio,269.49
repertus, non repertu,271.9
dici, non dicit, 271.3
uigesimus, non uigesimos,271.42
hic; non hi, 275.18
ob inediam, non inediam,276.24
assumpsit, non assumpsi,278.45
Dictio, non dixit,282 55
correptionibus nō corruptionibus,283.6
Dauidicis, non Dauids his,284.10
impij, non impius,284.25
institutus, non instinctus,184.33
quibus, non qua,286.56
corda, non chorda,188.9
gratiarum, non gratiaarum,288.31
sane, non sume,290.32.
iustitia, non iustitiam,291.39
potius, non potiuus,295.51
reprobat, non reprobata,296.47
elegit, non eligit,298.36
illustrationem, non illustrationē,298.38
oculū, nō occulū, & Dei, nō Deo,299.30
equus, non equs,301.6
cumulatissime, non cumulatis,303.1
literę, non litere,306.28
trahit, non trahuns,306.46
Verum, non uinum,306.49
fugientis, non fugientes,307.53
Iam, non cum,313 9
loquitur, non oquitur,314.16
315, non 314, numerus pagellæ.
participes, non particepi,315.5
accurate, non accurrite,316.5
perq;, non per quę,316.6
filii, non fitlii,318.3
affert, non afferro,318.6
decens, non dices,319.4
dolosis, non doloris,319.26
fit, non fis, 320.8
placita, non placida,320.14
derelinquere, non delinquere,324.14
ἄτοπον, non ἄξοπον,325.5
sibi, non si bi,325.8
ἀδικεῖν, 326.5
eum, non ut, 328 54
conueniant, non conueniat,329.41
predito, non prodito,330.16
cognoscebat, non cognoscebant,332.55
effunde, non effnnde,335.1. & alibi, non alibl, ibidem 3
abscondērunt, non abscondi,335.15
sunt, non sut,335.16
336, non 324, numerus pagellę.
ille, non illes, 336 53
uerbera, non uerba,338.26
manum, non manuum,339.48
... hoc, 340.29
referent, non referat,341.5
dignitatis, non dig , 342.44
manens, non manens,344.37
interfecisset, non interfuisset,344 49
auertissetq; se, nō auertissentq; se,346 11
faciatis, non faciunt.346.46
illas odisset, non la odisset,349.46
delinquat, non delinquar.346.50
intelligentia , non intelligentiam,347.8
malum, non maluns,347.10
penès, non panes.347.19
mentiar, non nunciat,348.26
suam, non tuam, 349.3
est finitus, non & fin , 349 23
necessariarum, non necessarium,350 35
hęc, non ac,352.16
at, uacat, 352 39
Spiritus Sanctus, non piritus Senctus, 353.32
ζηλῶν, non ξηλῶν, 354
eam, non eos, 354 31
tertium, non tertius,355.2
habes, non habens,355.37.
diuitię, non diuiti, 356.8
hominibus, non homibus,356.56
spreueris, non spcraueris, 357.19
inquam, non inquem, 357.45
ne, non in,358.40
quæres, non queres, 358.42
fanum, non fanum, 360.29
elegerim, non elegerius,360.38. & hic, non hoc, ibidem, 40.
non accipias quæ illi, non accipias illi, 363 12
misereatur, non misrreatur,363.29
siquidem, non fiquldem,363.43
in, non it,363.46
Huius, non Hius,367.17
pacifico, non pacificus,369.25
declarabit, non damnabit,369.39
cognitione, non cognitionem,369.48
ducas, non duas, lege in margine,370
aduersario: facit , non aduersarioq; iacit, 370.30
corripiatur, non corripiantur,373.36
nec extra se, ita legas,373.5
calumniis, non calumnias, 377.52
reprehēsibiles, nō irreprehensibiles,380.37
ea, non eam, 381 1
responderis, non responderet,381.51
defectionem, non defensionem,381.56
conferebat, non conserebat,382.8
non, non nos, 382.17
Semei; non semei,384.7
deleatur interrogationis nota,384.45
aberret, non aberre, 388.30
euanuerunt, non teuanerun, 389.54
carnem, non carnes, 390.37
natura, non nam,395.53
delitescere, non delelescere,395.54
expectans, non expectans,399.1
Lacum, non locum,400.2
nullis, non mollis.402.55
cognoscimus, non cognoscems,403.43
quod, non que, 404.18
perspexi, non perpexi,404.28.
tacite, non tacui,404 32
eorum, non meorum,414.17
docebat, non decebat,414.51
mortis, non morte,415.5
diuisus, non diuisis,418.6
lex, non lux,421.15
celebratis, non celebrantes,423.24
additus, non additum,424.4
Iordanis, non Iordarnis,424.44
indignum, non dignum,427.40
positum, non positus,428.20
fieri, non fueri,433.6
supplantantis, non supplantantes,433.45
notitiam, non cognitiam,445.40
mihi, non mhi,447.28
uideretur, non uiderentur,447.41
operibus, non operbus,449.16
prestantem, non prestantem,452.3
exhibebis, non exhibebas,451.6
ouersa, non euersu,452 21
requiem, non requem,452.49
intende, non intend,455.8
consideratur, non consideratus,456.24
cassiam, non casium,458 15
Habentes, non Hbentes,459.4
quodammodo, non quomodo,459.31
obelisco, non oblisco,459.55
decurras, non de curras,460.39
prosequereris, nō prosequere ris,460.44
ueneris, non ueneris,461.38
æqualibus, non æquabilibus,461.43
deprecantur, non depracatur,462.45
propinquę, non propinque,464.18
transferatur, non transfertur,464,27
Quod, non quo,466.28
HESYCHII, non HESYCII 466.36
propterea, non proptera,467 22
quoque, non quoquam,467,23
enim, pone inter, nam ipsi.467 52
parebant, non parebunt,468.2
oppositos, non appositos,469.22
peccant, non peccant,473.20
aratra, non aratro,476.1
inania, non inanimata,476.5
ignita, non agnito,476.27
repone ἀνάσπερ, & ἀντανάσπερ, 476.21
regnat, non regat,482.46
unum, non nunm,488.18
rudiores, non rnaiore,491.56
fastum, non factum,496,26
posita, non posita,497.1
&, non ut,497.16
nominari, non nominati,497.39
sanctorum sermo uoluptate,499.5
& fe, non & fi.499.13
Malam, non Malum,499.29
cur, non cum.501.41.
pro, non peo,501 50
latam, non latum,505.34
&, non at,507.6
decrit, non deexit,508.25
obitum, non abitum,508.41
uero, non uete,508 47
præsentem,511.14
introitus, non introibis,512.8
meam, non mram,512.17
in dele,512.19
primum, non prmum,515.4
congregate, nō cōgregata,517.28.39.50
&, non ut,517.34
peccato, non peccatum,525.29
524, non 520, numerus pagellę.
qui, non hui,525.7
honore, non onere,526.13
peperit, non perit,527.44


TARDE SED TVTO